
10 Stanza 91.


32
4 I
1

Ad simpliciter usum P. Fr: Nicolai Fissini a Valentano Observantiæ Ord: Min: 1823

F. Luigi etc.

DE FUNDAMENTIS
RELIGIONIS
ET
DE FONTIBUS IMPIETATIS

LIBRI TRES

FR. ANTONINI VALSECCHI
Ord. Præd. Pub. Prim. Profess. Theol. in Universit. Patav.

Ex Italo idiomate in Latinum translati juxta Editionem secundam auctiorem retractatioremque

AB ALOYSIO GUERRA SACERD. PATAV. S. T. D.



EDITIO SECUNDA;




VENETIIS,
Sumptibus Heredis Nicolai Pezzana.

M DCC LXX.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO. 15.

Scholam ego placare volo ; scholæ propriæ verba , peculiaresque loquendi formas submovere non audeo.

Melchior Canus de Loc. Theol. in Lib. II. Proœm.



ILLUSTRISS. ET REVERENDISS.

D. D. JO: HIERONYMO GRADONICO

Ex Clericis Regularibus Archiepiscopo Utinensi, S. Petri de Rosaccio in eadem Diœcesi Abbati, Marchioni &c.

NEmini potius quam Tibi, Jo. Hieronyme Gradonice Archiepiscope, Valsecchianum hoc opus ex Italo sermone in Latinum translatum erat nuncupandum. Tu præ cæte-

 ris

ris ita illud suspexisti, ut ubique ejus meritum extolleres; styli elegantiam, rerum delectum, dispositionemque, & utilitatem, quæ ex ejus lectione percipi potest, deprædicares. Ratus igitur, emolumentum magnum in Christianam Remp. cujus tantam partem sustines, redundaturum esse, si finibus Italiæ egressum in aliis Europæ partibus legeretur, cum Eruditissimo Auctore Patavii colloquutus, certiorque ab eo factus, sibi affatim otii a gravissimo imposito munere non superesse, ut illud transferret in Latinam linguam, & se neminem habere, cui hoc onus imponeret, Venetias regressus una mecum, cui, vix ac lucem hic Liber aspexit, hæc eadem sententia in mentem venerat, consensisti, qui potissimum esset eligendus, cui hanc versionem committeremus: a qua suscipienda animus abhorrebat ejus, qui illud transtulit, & laborem ingentem, & tempestates fortasse suborituras prospicientis. Superius tandem bene juvantibus e diutinis tot, talibusque fluctibus emersus in lucem Liber prodit, proditque munitus Nomine Tuo tanto. Quamquam etiamsi tam justa mihi non esset Volumen hoc Tibi nuncupandi causa, tamen talibus, tantisque ornamentis fulges, Jo: Hieronyme Archiepiscope, ut nemo omnium non factum meum sit probaturus, si Nomen Tuum amplissimum illi inscribendum duxi. Decora enim, quæcumque a sanguine, & a virtute, & ab exercitis muneribus proficiscuntur, Te mirum quantum exornant. In Veneta Rep. illo ex genere natus es, quod ab ipsis Urbis primordiis semper optimos protulit, belli, pacisque artibus illustres, præcipuis proinde Patriæ honoribus functos, sanctitate, infulisque conspicuos bene multos. Cum gloriam tantam Nominis accepisses, tuisque virtutibus eam confirmaturus, amplificaturusque etiam jam videreris, facilis Tibi ad quascumque dignitates aditus patuisset, nisi ratus satius Ecclesiasticæ militiæ nomen dare, Clericorum Regularium institutum profitendum elegisses. Quod quidem consilium tuum tanto pluris est faciendum, quanto major effulgebat Tibi spes fore ut ab Archiepiscopo Fratre tuo Successor in Ecclesiasticam dignitatem renunciareris, si Te nullo Regulari voto adstringeres. In electa Congregatione ita Te gessisti, ut in capessenda

ſenda Rep. Majores Tui ſe geſſerant. Vulgaria relinquens magna animi contentione ad ſumma tendis, aſſiduoque ſtudio brevi tempore, correptis veluti ſpatiis, tantum proficis, ut in Litteraria Rep. Nomen quoque Tuum celebretur. Qua quidem ingenti fama Angelus Cardinalis Quirinius Brixienſis Epiſcopus quovis litterarum genere præſtans, virtutiſque æquus æſtimator, excitatus, præclare cum ſuæ provinciæ Clero agi poſſe arbitratus, ſi Te Theologiæ Doctorem in ſuo Seminario haberet, benigne Te invitavit, benigne excepit, ibidemque per complures annos Theologiam Te docere voluit. Neque ut Theologo tantum uſus Te eſt Cardinalis ille ampliſſimus. Nullum alicujus momenti negotium ſuſcepit, de quo Te non conſuleret, plurimumque ſententiæ tuæ non deferret, multa etiam prudentiæ tuæ conficienda non committeret. Tanti Præſulis judicium ſatis abunde ſufficere potuiſſet; ut qualis, quantuſque Jo: Hieronymus Gradonicus eſſet, quiſque intelligeret. Æquam de tua doctrina illius Cardinalis ſententiam edita a Te in lucem omnigenæ eruditionis plena Opera confirmarunt. Cum jam Eruditorum manibus ea terantur, iis recenſendis ſuperſedeo. Hæc quo ingenii acumine, qua judicii vi, qua verborum copia, qua dicendi arte, qua exquiſita eruditione valeas, teſtantur. Neque vero aliter, ac Quirinius, doctique, prudenteſque viri omnes de Te ſentiebant, ſentiebat Congregatio Tua. Carus omnibus, ab omnibus excultus, omneſque excolens, nihilque prætermittens eorum, quæ Regulare inſtitutum præſcribit, invitus interdum, & ingratiis tuis ad ea munera quæ nonniſi cuilibet docto; prudentique demandari ſolent, eligeris. Jamque ad Generalem tui Ordinis Procurationem electum, avulſumque proindé Pariſiis, ubi plurimis illius Urbis, Regnique doctiſſimis Viris cognitus eras, caruſque, & Romam profectum, ibique tui Cœtus res procurantem integerrime, rectaque ad ſupremum regimen tendentem AUGUSTUS SENATUS VENETUS Te non ambientem, non prehenſantem, ne opinantem quidem, procul a conſpectu tuorum Civium bona tuæ vitæ parte tranſacta in Archiepiſcopum Utinenſem cunctis pene ſuffragiis elegit. Quam quidem dignitatem nonniſi invitus, relu-

ctan-

ctanſque diu ſubiiſti. Judicium SENATUS tam gravis, nihil niſi mature, niſi ſapienter, niſi æquiſſime decernentis, qualis, quantuſque ſis, & qualis in demandato Tibi maximi momenti munere ſis futurus, ſatis aperte indicat; eodemque tempore indicat, quantum tuæ doctrinæ, tuarumque virtutum fama percrebuerat. Piget poſt judicium tanti ponderis a prudentiſſimo SENATU VENETO de Te factum uberius tua decora recenſere. Quicumque illius prudentiam novit, (quis autem non novit?) non poteſt non honorifice de Te ſentire. Præterquamquod modeſtiam tuam læderem graviter, ſi plura de tuis laudibus dicerem. Is enim es, qui ex natura tua præclara facis, quia Tibi perſuaſiſti a puero, homini bene eſſe agendum, non ut auram ſibi captet. Quare lubens quo ſtudio, qua ſollicitudine, qua prudentia graviſſimam decretam Tibi Archiepiſcopalem provinciam iſtam adminiſtres, dicere prætermitto, cum per ſe res ipſa loquatur, novaque in dies vigilantiæ, humanitatis, aſſiduique contentiſſimi laboris, cæterarumque virtutum, quæ in Epiſcopo requiruntur, exempla præbeas, quæ quiſque novit, deprædicatque. Gratulor itaque Diœceſi iſti, cui Paſtor hujuſmodi contigit. Teque Deus O. M. diu illi, diu Litterariæ Reip. ſoſpitem ſervet, & incolumem. Unum adhuc mihi reſtat, quod Te rogem, ut Opus Valſecchianum alio ſub aſpectu prodiens humaniter excipias in illius obſequii argumentum, quo Te ſemper ſum proſequutus, cum in Congregatione vivebas, fovebaſque me benignitate ſingulari. Manet mihi alta mente defixa benevolentia in me tua, beneficia accepta, voluntaſque in me tua prona manent; multo vero magis moveor, quod eadem humanitate e faſtigio illo, quod tanta cum Tui Nominis gloria tenes, me reſpicis, me fovere pergis. Vale.

Tibi Illuſtr. & Rev. D. D. Archiep.

Addictiſs. & Obſequentiſs.
J. B. P. Cl. R.

Typo-

Typographi Monitum.



UM modo e mea typographia prodeat hoc pereruditum Opus ex Italo in Latinum sermonem versum, quædam alia selectiora Opera ex clarissimis Auctoribus, vereque inventoribus desumpta, eadem argumenta, quæ Valsecchianum hoc Opus discutit, pertractantia, huic Operi præmittere decrevi. His autem motus causis induxi animum editionem hanc parare: ut volumina, quæ alibi edita magni veneunt, mediocri pretio essent posthac parabilia; cumque jam Theologiæ Scholasticæ studiosis Viris pro virili parte mea consuluerim *Thesauri Theologici* editione, non abs re alienum mihi visum est, si etiam in Naturalis Religionis studium incumbentibus providerem. Non enim omnino consultum Theologis Viris poterat justis rerum æstimatoribus videri, si Thesaurum illum tantum iis parassem. Novit enim quisque Naturalis Religionis studium studio Theologiæ Scholasticæ esse præmittendum. Exempla etiam Stackousii, & Burneti, qui Opera multa hujus generis collegerunt, redegeruntque in Epitomen, & fecerunt publici juris (quæ quidem collectiones Lectorum plausibus fuerunt exceptæ) me moverunt, ut hunc laborem susciperem, ratus, hunc quoque meum, non secus ac illorum, eruditos Viros esse comprobaturos. Præcipue autem me movit copia ingens Libercolorum, qui luctuosissimo fato in dies singulos contra Christianam Religionem in vulgus a Libertinis sparguntur; contra quorum sophismata arma Theologis nostris suppeditare optimum duxi. Jam non omnia Opera, quæ de his argumentis agunt, indiscriminatim elegi (quando enim unquam finem editio hæc esset habitura, cum tam ampla, tamque multa in hoc genere Volumina habeamus?) Sed quædam tantum breviora, & illustriora, recentioraque, quorum lectio & Lectoribus utilis esset, & argumentis a Cl. P. Valsecchio pertractatis vel facem prætulerunt, vel ea uberius pertractant, ostendentque simul, quantæ sit Vir ille Lectionis. Non omnia porro Opera e Catholicis Auctoribus desumpsi; quædam ab Eterodoxis magni nominis elegi, existimans, tanto magis causam confirmari nostram, si in quibusdam capitibus eorum sententias cum nostris esse concordes ostendero. Opera gallico idiomate scripta in Latinum sermonem transtuli, ut cuicumque, modo linguam latinam calleat, usui esse possent. Et ne a Valsecchiana methodo discedam, Opera hæc alia respicient Atheos, alia Deistas, Libertinos alia. Quot tomis sit Opus hoc continendum, haud facile definire possum. Sicut enim novi Libri quotidie prodeunt in Libertinos, & in alicujus Christianæ Doctrinæ capitis propugnationem, siquid novi afferent, fructuosique videbuntur, in hac collectione locum habebunt. Inscribetur porro Opus hoc (*SELECTA OPERA in propugnationem Religionis cum Naturalis tum Revelatæ Operi Valsecchiano præmittenda.*) Rogandus est Lector, ut conatus hosce nostros æqui, bonique faciat.

CLE-

CLEMENTIS PP. XIII.

IN LAUDEM HUJUS OPERIS

B R E V E.

DILECTO FILIO RELIGIOSO VIRO

ANTONINO VALSECCHI

ORDIN. PRÆDIC.

CLEMENS PP. XIII.



Ilecte Fili salutem &c. In hac tanta pestilentissimorum colluvie Librorum, quibus homines corrupti, & reprobi circa Fidem impudentissima licentia cum impunitate conjuncta absurdissimas, impiasque opiniones in imperitorum animos conantur infundere, peropportune omnibus excellentis doctrinæ munita præsidiis exorta est pietas tua; qui adversus flagitiosissima scripta egregium Librum opposuisti tanta piorum, doctorumque hominum approbatione exceptum, ut unius anni, quo typis impressus fuit, spatio decurso omnibus distractis exemplaribus, Viri doctrina præstantes, pietatisque studiosi novam a Te flagitaverint editionem. Deo igitur primum singulares agimus gratias, qui piis, religiosisque strenuitatis tuæ conatibus tantopere favit; & longe, lateque tam brevi tempore disseminatus Liber, futurum speramus, ut in maximam Christianæ Religionis utilitatem uberrimos fructus ferat. Deinde laudem, quam piissimo hoc labore tuo ab omnibus, qui Sacras Litteras colunt, & Christianæ Fidei student, sane egregiam retulisti, tibi magnopere gratulamur, eamdemque laudem cupimus tibi stimulos addere ad ejusmodi alia prælianda prælia Domini adversus teterrima Impietatis monstra, quæ propalam, & aperto Marte cum Christiana Religione nunc temporis bellum gerunt. Posttemo Tibi gratias agimus, quod utrique editioni Nostrum voluisti Nomen inscriptum; quod quidem præclarum est tuæ erga Nos pietatis, & devotionis indicium. Tibique benevolentiæ nostræ pignus Apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Dat. Romæ die XXI. Mar. MDCCLXVII. Pontif. Nost. an. IX.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

De Fundamentis Religionis Naturalis.

CAPUT PRIMUM.

Specimen Historiæ Religionis, & hostium, & bellorum adversus eam.

CAPUT II.

De Dei existentia.

CAPUT III.

Impiorum objecta contra Dei existentiam expenduntur, & solvuntur.

CAPUT IV.

De Spiritualitate animæ humanæ.

CAPUT V.

De animæ humanæ immortalitate.

CAPUT VI.

De Libertate Hominis.

CAPUT VII.

De Jure.

II. Ethi-

CAPUT VIII.

De Consensu gentium de Religione.

CAPUT IX.

Libertinorum objecta adversus consensum gentium de Religione.

CAPUT X.

De Argumento consensus Gentium de Religione.

LIBER SECUNDUS.

De Fundamentis Religionis Revelatæ.

CAPUT PRIMUM.

Necessitas Revelationis.

CAPUT II.

Philosophorum Religio.

CAPUT III.

Revelatio Cultus.

CAPUT IV.

Reconciliatio Peccatoris.

CAPUT V.

Homo sine Revelatione.

CAPUT VI.

Revelatio Mysteriorum dari potest.

CAPUT VII.

Deus loquutus est.

CAPUT VIII.

Prima Nota Religionis Christianæ.

Veritas, puritasque sua Doctrina.

CAPUT IX.

Ethica Moysis Impolluta.

CAPUT X.

Doctrina aliorum Veteris Testamenti Librorum.

CAPUT XI.

Præstantia Novi Testamenti.

CAPUT XII.

Evangelii Spiritus.

CA-

CAPUT XIII.

Secunda Nota Doctrinæ Christianæ.

Integritas morum introducta per ejus prædicationem in homines.

CAPUT XIV.

Tertia nota Doctrinæ Christianæ.

Pernix, lataque ejus propagatio.

CAPUT XV.

Quarta nota Doctrinæ Christianæ.

Martyres, qui eam defenderunt.

CAPUT XVI.

Quinta nota Christianæ Doctrinæ. *Miracula*.

CAPUT XVII.

Sexta nota Doctrinæ Christianæ. *Prophetia*.

CAPUT XVIII.

Evangelica demonstratio.

LIBER TERTIUS.

De Fontibus Impietatis.

PARS PRIMA.

De primo Impietatis fonte.

CAPUT PRIMUM.

Cordis Corruptio.

CAPUT II.

De eodem primo Impietatis fonte.

CAPUT III.

De Fundamentis Libertinorum Ethicæ.

CAPUT IV.

Specimen Hobbesii, Spinosæ, & Montaneæ Ethices.

CAPUT V.

Dogmata Naturalia in systemate Athei carent Sanctione.

CAPUT VI.

Causae, quas habent Athei secundum Bælium vivendi recte, ostenduntur ad hoc opus ineptae.

CAPUT VII.

Examen aliorum Bælii argumentorum juris, & facti pro Atheorum honestate.

CAPUT VIII.

Ethica, & Historia Epicuri.

CAPUT IX.

Sadducæorum ingenium: Casus Vaninii objecti a Bælio ut aliud argumentum Atheorum virtutis.

CAPUT X.

Deistarum, & Naturalistarum Ethica.

CAPUT XI.

Systema Libertinorum est Societati perniciosum.

CAPUT XII.

Legislatores fundamentum Societatis, cui leges dabant, posuerunt Religionem.

CAPUT XIII.

Observationes in Domum Epicuri: Litterati Sinenses: Et quædam nationes, quæ nullam Religionem dicuntur colere.

CAPUT XIV.

Superstitio non est Atheismo pejor, nec Societati eo perniciosior.

CAPUT XV.

Mala superstitioni adscripta non probant, esse illi præferendum Atheismum.

CAPUT XVI.

Publicæ Rei Moderatores non debent sufferre publicos Religioni adversarios.

PARS SECUNDA.

De secundo Impietatis fonte.

CAPUT PRIMUM.

Rationis Perturbatio.

CAPUT II.

Specimen perversæ cogitandi rationis Libertinorum de Dei existentia, & Creatione.

CAPUT III.

Inanis Libertinorum triumphus contra systema Religionis de mali origine.

III. *Ima-*

CAPUT IV.

Examen systematum Libertinorum de origine mali est evidenti indicio eorum rationis perversitatis.

CAPUT V.

Examen objectorum Naturalistarum, & præcipue Jacobi Roussoji adversus Revelationem.

CAPUT VI.

Alia objecta Naturalistarum examinata, & soluta.

CAPUT VII.

Aliæ Libertinorum censuræ refutatæ.

III.

CAPUT VIII.

De Incredulis Pyrrhonicis.

PARS TERTIA.

De duobus aliis Impietatis fontibus.

CAPUT PRIMUM.

De systemate Novatorum.

CAPUT II.

De eodem Novatorum systemate Impietatis fonte.

CA-



NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Concediamo Licenza all' Erede di Nicolò Pezzana di poter ristampare il Libro intitolato *Antonini Valsecchi de Fundamentis Religionis, & de Fontibus Impietatis*, osservando gli ordini soliti in materia di Stampe, e presentando le Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova,

Dat. li 18. Agosto 1770.

{ *Angelo Contarini Proc. Rif.*

{ *Andrea Tron Proc. Rif.*

{ *Sebastian Foscarini Cav. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 43. al Num. 337.

Davidde Marchesini Segr.

Adi 21. Settembre 1770.

Registrato in Libro a Carte 16. del Magistrato Eccellentiss. de' Signori Esecutori contro la Bestemmia.

Andrea Gratarol Segr.

L E-

LECTORI.



ELIGIONIS studium cæteris omnibus, cujuscumque generis sint, cum nobilitate, tum utilitate præstare, adeo res clara est, ut in dubium vocari nullo modo debeat. Excellentia materiei, de qua agitur, quæ est ipse Deus O. M. magnitudo consequutionum, quæ sunt sortes hominum in æternum duraturæ, sunt hujusce rei argumenta evidentissima. Habent (fatendum est enim) scientiæ omnes, artesque ingenuæ peculiaria sua decora; semperque summa laude digni, & de humana Societate benemereri ducentur ii, qui diutina studia, assiduosque labores pertulerunt, ut illas colerent, & ad umbilicum perficerent. Verum enimvero, ut decora, & emolumenta harum facultatum, cum sint ipsæmet angustis circumscriptæ finibus, comparari cum illis, quæ ex Religione derivantur, nulla prorsus ratione possunt; sic amor, studiumque hujus scientiæ est cæteris quibuscumque anteferendum. Noverunt sane id quocumque tempore Viri præstantissimi; qui idcirco huic divinæ scientiæ se totos dederunt, intensisque curis eam coluerunt, non ut eam solummodo quoquo modo callerent quod cuilibet necesse est, sed ut fundamenta noscerent, in secretiora penetrarent præcepta, connexionem antecedentia inter, & consequentia detegerent, hoc est, ut in singulis suis partibus, & universis eam possiderent. Tantoque libentius meo quidem judicio Viri ingenio pollentes in hoc studium incubuerunt, quod animadverterunt, illud non sibi interdicere commercium aliarum facultatum cum Viris doctis, immo eas scientias lubenti animo complecti, & quavis ratione Societatem requirere. Philosophia, Historia, Ars Critica, quælibet demum scientia suis inventis, suisque veluti facibus certatim claritati, & firmitati Religionis capitum demonstrandæ inserviunt; tum autem hæ facultates ab ipsa mutuo opem, lumenque accipere possunt. Quantæ utilitati fuerint Patribus Latinis, Græcisque humanæ disciplinæ, quantaque cum dignitate in Libris eorum Præceptorum, qui subsequentibus temporibus funditus de Religione tractationem instituerunt, passim legantur, omnes ii norunt, qui eorum Opera pervolutant. Quod si nobilitas, utilitas, decor etiam hujus scientiæ pertraxerunt judicii exquisiti Viros, ut illi addiscendæ insudarent; affirmo, hoc, quo vivimus, sæculo, aliam, & longe potentiorem esse causam, quæ ad hujusmodi studium eos debeat vehementius incitare. Quotus est enim quisque, qui nesciat, nos in ea luctuosa incidisse tempora, quibus undequaque impetitam indicto crudeli bello Religionem cerneremus? Volumina, quæ ultra montes composita, veluti solutæ Sole nives, confluunt ad obruendas regiones hasce nostras, non aliquo

pri-

privato fœdantur errore, quo, ut veteres Hæreses hoc, illudve peculiare Fidei caput inficiant, audacius aggrediuntur omnia Mysteria, Revelationem, Providentiam, Existentiam ipsam Supremi Numinis, id est, nituntur cum Revelatam, tum Naturalem Religionem radicitus evellere. Novi sane ego, noruntque Sapientes omnes, hujusmodi impetus ut ut sint pluribus modis, pluresque per vices repetiti, esse, futurosque semper prorsus inutiles impio suscepto conatui. Hinc nemo putet, a me humana præsidia duci necessaria ad firmandam Religionem, quæ in una veritate fundamenta habet sua, ejusque, qui illius est Auctor, potestate suffulta, nedum superari, sed ne tantillum quidem concuti potest. At vero cur Matris suæ decus a probis Filiis vindicandum non erit? Cur non coarguenda petulans audacia illam dedecorare audentium? Cur non lumen, præsidiumque afferendum iis infirmis ingeniis, quæ aliorum fraude victa jam sunt ruitura? Jam hæ sunt causæ illæ, quibus, mea quidem sententia, debent hoc præsertim tempore Viri ingenio doctrinaque prædi- ti permoti studia sua Religioni impendere; & hæ nimirum illæ sunt, quibus ego motus, quamvis hujusmodi ingenii, doctrinæque expers, infirmitatisque meæ jam conscius, huic Operi manum admovi. Quoniam in eam adducor opinionem, ut constanter credam, præcipuam causam, cur impios libros legentes aut in impietatem corruant, aut hæsitent, esse ignorantiam eorum fundamentorum, quibus innititur Fides nostra, obscurum dogmatum intellectum, ut summatim dicam, Religionis inscitiam; ideo animum appuli ad explicandum, probandumque qua maxima claritate potui, ac robore totum ejusdem qua Naturalis, qua Revelatæ *systema*; agoque singillatim de dogmatibus, quæ sunt fundamenta illius, & suam affero lucem rationibus iis, quæ existentiam, & divinitatem hujus demonstrant. Ut autem quæ pollicitus sum exequar, suis locis fideliter refero, & valide refello sophismata, dicteria, & crimina ficta, quæ Increduli adversus veritates a nobis defensas disseminant. Quod cum spero valiturum ad deceptos ad bonum tramitem reducendos, tum complectetur defensionem impugnatæ Religionis, exponetque, ut est in se, illam aggredientium ingenium. Video non defuturos fortasse, quibus hujusmodi consilium minime arrideat, paventibus, ne ingentes errores vernaculo sermone cujuscumque objecti oculis Lectores minus doctos lædere possint, errandisque ansam iis forte præbere. His tamen ingenue respondeo, me quoque lubentem relicturum fuisse in oblivionis tenebris isthæc monstra, si continerentur tantum in libris aut Hobbesii, aut Spinosæ, aut cujuspiam alterius horum Incredulorum, quorum Opera ob idioma, & methodum a paucis leguntur, a paucioribus intelliguntur, nostrisque in regionibus aut ab omnibus, aut certe a plerisque ignorantur. Verum quoniam Libertini principe studio opiniones maxime execrabiles e tenebris erutas in publicam lucem ediderunt, & eleganti methodo expositas, eoque sermone enarratas, quo jamdiu Europa tota utitur, innumeris pene

Li-

Liberculis Epistolarum, Speciminum, Carminum, Romanensium, Drammatum contentas in vulgus spargunt, efficiuntque, ut ad quodvis hominum genus perveniant, an ferendum est, præ nimio animos non bene firmos lædendi timore si refutentur, eas elata fronte, & impune quaquaversum spatiari? Ecqua est causa, cur nequeant rursus produci in illo Opere, in quo veritas ipsis opposita satis ample exposita est, valideque probata? In quo errores apparent vero quidem, & proprio suo sub aspectu, sed quod nimirum est hujusmodi, & nullis pigmentis, calamistrisque ornatus, ideo horrorem injicere potest? In quo demum oppugnantur, & prostrantur argumentis quavis exceptione majoribus? Eodem modo ultra, citraque montes factitatum video a multis non minus doctis, quam piis Scriptoribus, qui aggressi sunt indicto bello oppugnare Libertinorum immodicam jam, & ultra quam credibile est, protervam impudentiam; statueruntque, esse sibi sermone, quem omnes intelligant, scribendum in venenum, quod omnes inficere minitatur. Multo tamen magis Sancti Ecclesiæ Patres exemplo suo effecerunt, ut in suscepto consilio persisterem. Illi, ut advertit Historicus Scriptor fama valde nobilis (*a*) non tam facile se palam immiscebant in quæstionibus de Religione: tamen quotiescumque erumpebat aliquis error (erumpebant autem multi & magni, & nefarii modo contra dogmata, modo contra morum disciplinam), in eum publice & declamabant, & scribebant. Eum qua erat deformitate, exprimebant, quibus errantes eum defendere conabantur, producebant argumenta; tum ad illum oppugnandum, & prosternendum se parabant. Qui Patrum Opera perlegit, scit plura ad hanc rem facientia testimonia me afferre posse; scit etiam quisque, linguam, qua utebantur in scribendo, & in loquendo Latini Patres, in usu fuisse in omnibus Occidentis partibus, & ab omnibus fere Orientalium regionum incolis Linguam Græcorum fuisse intellectam. Et ratio ergo, & exemplum, ni fallor, consilium meum satis probare debent. Huc illud tendit, ut, qui e tot impuris errorum fontibus haustus hausit, veritatem agnoscat, eamque amplectatur; & me sperare juvat, illud esse executioni demandatum modestia, illoque obsequio, quæ Divinitatem, Religionem, Pudorem deceant. Non me latet præterea, quod & paullo ante innui, Libros & doctrina nobiles, & multos numero pro Christiana Fide contra Impietatem in lucem editos fuisse. Id tamen tantum abest, ut me ab hoc Opere suscipiendo retraxerit, ut etiam stimulos addiderit acutiores ad illud absolvendum; aliorumque exemplum me excitavit ad capessendam causæ communis defensionem tot illustrium Propugnatorum inhæsurum vestigiis. Quid, si quotidie Libertini in scenam producunt novis sub larvis latentem errorem, annon renovatis semper viribus sustinenda veritas erit? Hinc factum est, ut ego singulari diligentia præ-

(a) Fleury *Diss. II. sur l'Hist. n. XIV.*

præcipue Libros quosdam Incredulorum recentiores ad examen revocaverim. Dixi quosdam; multi enim ex illis, præterquam quod nequam sunt, sunt adeo inepti, tamque parvi momenti, ut contemni omnino debeant. Eorum ergo studui detegere, & refellere errores, qui audaciam quamdam, quæ vulgo *Spiritus* appellatur, præseferentes, hi passim eruditione aspersi, eleganter scripti excipiuntur plausubus, & a quibuslibet lecti nomine celebritatis miseræ facilius venenum instillant. Illud etiam animadverti, ex plurimis Scriptoribus, qui ex Anglia presertim, ex Fœderatis Provinciis, ex Germania prodierunt in aciem ad pugnandum in Incredulos, multos, licet docti sint, & eruditi, tamen ob præjudicia funesta nimis Sectæ suæ, haud posse Religionem omnino tutari. Est siquidem certissima propositio illa ab immortali Bossueto sedulo agitata, quæque a nobis etiam loco suo probabitur evidentissime, *illud, idem principium, quod nos Christianos facit, facere & Catholicos*. Jam sicut Theologi Protestantes refutant harum consequutionum alteram, ita tueri nequeunt magnum illud principium, quod probat Religionem Christianam, quin sibi contradicant, & per necessariam rerum consequutionem quin sese objiciant acerbissimis Libertinorum argumentis in se retortis: qui ex hujusmodi Catholici systematis repudio illos, ut ita dicam, methodo analytica eo pertrahunt, ut fateantur veluti titubare fundamentum ipsum Christianæ Religionis; quandoquidem si hoc firmum est (ut est firmissimum) manu ducere usque ad Catholicam Fidem nos debet. Certamina Collinsii, Clerici, VVoolstonii, totiusque Socinianorum gregis (quibus opinor jure denegari posse Christianum nomen) in Protestantes satis illustri sunt argumento. Quinimmo quosdam per principia a *Reformatione* posita aditum sibi patefactum, qua usque ad Impietatem ipsam transirent, credidisse vidimus: de qua re ubertim agemus Libro tertio. Quamvis igitur fatendum est, de multis Theologiæ cum Naturalis, tum Revelatæ Capitibus extremis his temporibus egisse Scriptores a Romana Communione alienos; certa tamen res est, Theologum Catholicum tantummodo posse systema instituere Religionis arctissima connexione cohærens cum principiis, & cum consequutionibus, quin aditum ullum, unde victoriam hostis sibi polliceatur, relinquat. Quamobrem cum vivam ego, ineffabili munere *Auctoris, Perfectorisque Fidei Jesu*, in unius veræ Fidei gremio; cumque Clementissimus Venetus Augustus Senatus voluerit, me docere, tuerique in hac perillustri Universitate Doctrinam Sacram, & in grati animi argumentum erga Deum, debitique officii erga Principem, animum converti ad opus hoc perficiendum jamdiu a me inchoatum, sed impedimentis identidem quibusdam emergentibus interruptum. Volens propitius Deus illud respiciat, illud æquo animo excipiat Lector, cui in Capite primo materia tota, modusque Operis, totum quantum est, summatim subjicitur.

L I.



LIBER PRIMUS
DE FUNDAMENTIS RELIGIONIS NATURALIS.

CAPUT PRIMUM.
Specimen Historiæ Religionis, & hostium, & bellorum adversus eam.

I. *Origo Religionis, Superstitionis, & impietatis.*
II. *Propagatio Religionis & superstitionis: illa semper firma, sibique constans: hæc varia semper, & inconstans.*
III. *Christus finis caputque totius Religionis: per illum hæc vincit idololatriam, quamvis impotentia Cæsarum protectam, disseminaturque per totum terrarum orbem juxta Prophetarum oracula: hoc argumento est, illam esse a Deo.*
IV. *Conatus inutiles Hebræorum, & Juliani adversus Christianam Religionem.*
V. *Aggressiones Philosophorum stantium ab idololatria, & impietate: Opera Patrum pro Religione, quæ victrix omnium adversariorum usque ad hæc tempora viget.*
VI. *De Libertinis nostrorum temporum: Specimen eorum disputandi contra Religionem modi: Vel hic unus modus ostendit, quam inutiles sint eorum conatus.*
VII. *Sententiæ eorum perversæ de honestate, & jure, ex quo arguuntur hostes societatis æque, ac Religionis.*
VIII. *Dispositio operis, & partitio.*

§. I. ADversatur Religio cæcis hominis cupiditatibus: debuit ergo, debetque a nequam hominibus oppugnari. Religio hujusmodi hominum aggressionibus nequaquam victa, a primordio rerum usque ad hæc, quibus vivimus, tempora immobilis restitit, constansque: Est ergo ipsa Dei opus. Innuimus duobus his ratiociniis rectissimis fundamentum stabile fidei nostræ, eodemque tempore deprehendimus caput illius cum nefarii, tum inutilis, miserique belli, quo his præcipue temporibus in religionem sævitur. Nata simul cum homine, non aliunde, quam ab illo, qui est hominum creator, & cujuslibet boni auctor, ortum habere poterat. Opera Naturæ, facesque Revelationis erant duo testimonia, & vades, quæ

quæ hanc Religionem clare, aperteque prædicabant. Satis erat, ut homo se introspiceret, & quæ extra se sunt, intueretur, ut argueret ex dispositione & pulchritudine operis sapientiam, magnitudinem, divitiasque Creatoris. Satis erat, ut audiret verba Adamo facta, & ab ipso filiis relata, ut intelligeret, creatum se, ut ad divina tenderet, videretque modum certum, per quem ad illa perveniret, in fide promissi Salvatoris. At digressum paulo longius a prima origine humanum genus, infandisque vitiis fœdatum cœpit integræ, puræque Religionis jugo gravari, quæ cum excelsior dogmatibus, tum severior præceptis e cælo usque illud minitando territabat. Atque hinc proinde orta est Superstitio, hinc impietas, utraque Religioni adversa, utraque in hominis exitium conspirans. Amor immodicus sui, & libertas immodica cogitationum, & cupiditatum pepererunt hæc monstra. Cultus creatori debitus conversus fuit ad res creatas, e quibus sensus, libidinesque aliquam perciperent voluptatem. Vis ingens Deorum, qui erant puri, putique homines cupiditatibus, vitiis, sceleribus obnoxii, fuit per nemora, (*excelsa*) altariaque exculta. Animos ad vitium proclivibus addebant, quæ de his numinibus narrabantur: Dies festi in eorum honorem instituti ad licentiam; cultus, quo colebantur, dissolutus, aut crudelis. Hæc fuit illa superstitio Idololatrica, quæ a Nohemi ætate incipiens, totum pene orbem post diluvium pervaserat. Hæc illa fuit, quæ ab avaris aulicis defensa, a regibus protecta, carmine a Poetis celebrata, culta, & a gentibus cæco furore percitis disseminata Religionem puram, castamque unius Dei extinxisse, & abstulisse prorsus videbatur. Sed factum bene, quod ingeniosi quidam viri sese Philosophiæ studio dediderunt, artisque cogitandi amor pedetentim irrepsit in animos hominum, neque fieri potuit, quin superstitionis turpitudo detegeretur. Erubuere homines tandiu tot deliria habuisse in deliciis, quibus deformarentur, declamatumque & Athenis, & Romæ fuit in multitudinem & in levitatem numinum, & in cultum præstitum illis. Purus Divinitatis radius inter tam atræ noctis tenebras ab illustrioribus Philosophis fuit agnitus. At quid inde? Plus æquo suis opinionibus fidentes agnitam veritatem innumeris quæstionibus, & prurigine eam excutiendi maculantes, æque Religionis, ac superstitionis inimici, omnia in dubium revocarunt, oppositoque impietatis vitio aditum patefecerunt. Quare plebis ignorantia, sapientium falsa doctrina, sed præcipue in utrisque mens corrupta per sæcula fere quinque, & viginti maximam orbis partem innumeris erroribus, & vitiis obruerunt.

§. II. Interea tamen illa Divina Religio, quæ a primo ortus sui momento Adami menti fuit indita, firma semper, & eadem perstitit, immo veluti auroræ splendor, qui augetur, & extollitur, & ad meridiem usque progreditur, magis magisque crevit, seque expandit ulterius, & propositas perfectionis metas contigit. Elegit sibi Deus gentem, cui promeret oracula sua, castam, sanctamque cultricem nominis sui. Hujus voluit esse peculiari modo dominus, rexque. Eam a ceteris aliis nationibus secrevit, legem ei dedit, quæ & moderaretur civile regimen, & Religionem sartam tectam simul servaret, immo cum hac intima, necessariaque conjunctione colligatam. Inter deliria ergo totius pene orbis multitudinem Deorum colentis, in Arabiæ desertis locis, & in Palæstinæ regionibus verus Deus agnoscebatur, puroque cultu adorabatur. Viri clari vitæ integritate, cælestiumque donorum ubertate identidem prodibant, hique illis succedentes præerant huic populo, edicebantque illi supremi numinis oracula. Emicuit Moyses inter hos, qui antiquissimus omnium scriptorum historiam orbis, & Religionis tradidit posteritati. Videmus Deum ipsum, qui unus & ventura prædicere potest, & miracula patrare, vi sua effecisse, ut in ea gente hæc religio vigeret. Testis horum prodigiorum Ægyptus fuit, gens ipsa Hebræa, cui Moyses illa enarrabat; Prophetias autem & posteritas omnis, & nos ipsi cernimus adimpletas. Bella externa exagitant populum istum: mutat ille regiminis rationem, mutat domicilium: modo victor est, modo captus, & exul. At Dei Abrahami Religio inter tot discrimina, undique nationibus superstitioni deditis circumsepta impolluta servat sua præcepta, constansque credit sua

dogmata. Testantur id nobis ea volumina cum historica, tum prophetica, tum doctrinalia, quæ scripta ab hominibus, ætate, ingenio, muneribus, aliisque circumstantiis locorum, ac temporum inter se dissitis, dispersisque, omnia tamen & styli majestate, & sublimitate cogitationum, & sanctitate præceptorum, & veritate narrationum, præcipue vero concordi doctrina, unoque, & eodem systemate Religionis innixæ eidem fidei, excitatæque spe Redemptoris ejusdem secum invicem congruunt. Hic cernitur *facies una purorum sermonum* (ita ajebat D. Augustinus) singulorum universorumque inter se connexorum, sibique mutuo correspondentium. Oracula Prophetarum lumen afferunt historiæ: Historia oracula eadem adimpleta esse demonstrat: illaque, & hæc mirum in modum consentiunt cum doctrina semper eadem, & cum Religionis publicis cæremoniis.

Extra Hebræam gentem vix duos reperias populos, qui eadem numina colant, aut scriptores duos, qui de Religione scribentes idem sentiant. Numini suo gens illa immolabat, quod tanquam numen hæc adorabat; immo idem populus quod sanctum quondam ducebat, postea habebat profanum. Jam varietas, & inconstantia sunt mendacii argumentum; hoc nempe in omnibus Religionibus, gentiumque Theologiis advertimus. Una Christiana Religio, cujus Christus hominum reparator caput est, finisque, in Adamo incipit; a Nœmo post alluvionem terrarum in novos homines diffunditur: confirmatur iteratis pollicitationibus Abrahamo: stabilitur cultu mystico a Moyse: a Tabernaculo migrat in Salomonis Templum: remanet in divisione Tribuum: permanet in captivitate inter ethnicas gentes: tandem veluti post longos, variosque viarum tortuosarum errores eadem semper, mutata nunquam, redit ad caput suum, illique arctissime adhæret; quod quidem Caput est Christus ipse jam ab annis quatuor millibus promissus, & per tanti temporis spatium semper firme venturus creditus, juxtaque Prophetarum effata in temporum plenitudine inter mortales ortus.

Magnum non est, opinor, in hoc vel uno perpetuo, constantique per quadraginta sæcula tenore, inter fluctus sævientis superstitionis, in Religione Christiana Dei opus intelligere. Hucusque ergo illa progressa diffudit adeo rutilantem lucem, ut orbis totus fuerit illustratus.

§. III. Christus imperante Augusto nascitur; & in ejus nativitate, vita, legislatione, morte, resurrectione, & prodigiis promissa, & oracula edita ab ipso rerum initio, & subsequutis sæculis repetita, & exarata in voluminibus diligentissima custodia a populo nobis infensissimo servata omnia ad unum videmus adimpleta fuisse. Successus tamen maxime admirandus, quem illius opera futurum sacri vates prædixerant, erat vocatio nationum, jam tum superstitionibus imbutarum, ad veri Numinis cognitionem, & cultum, ac proinde Judaicæ gentis jamdiu duræ cervicis, infidæque reprobatio. Jam sicut quisque potest oculis ipsis in singulis fere Prophetarum Librorum pagellis hoc oraculum videre; sic cœcus prorsus sit, oportet, qui non videt per Christum, ejusque discipulos ejus complementum. Hierosolyma, centrum quondam Judaicæ Religionis, æquata solo; & Roma Gymnasium (ut eam vetus quidam scriptor appellat) superstitionis, Religionem Christianam simul cum subditis sibi populis amplexata claro sunt argumento. Satis abunde suffecisset id Religioni nostræ demonstrandæ Divinæ. Sed notam hanc Divinatis, quæ ex prædictione successuum tanto tempore ante enuntiatorum illi conveniebat, Deus ipse triumphis etiam, quos ea retulit, voluit confirmari. Idolatria, quæ ubique regnabat, non nisi pedetentim solo cessit; Cæsarum potentiam, omnem Philosophorum sapientiam, aulicorum avaritiam, licentiam, cupiditates omnes populorum in Evangelium micantibus armis scimus irruisse. Per sæcula tria, & ultra, ubicumque Roma imperitabat, bellum acerrimum indictum Christianæ Religioni fuit. Qui ferrum nostra in viscera immergeret Nero primus, ab illo Imperatores novem eodem fero ingenio fuerunt. Horum postremus Diocletianus furore tanto in Christianos sævit, ut creditus a suis fuerit sustulisse prorsus ab orbe Christianum nomen. Ex quo factum est, ut ob hujusmodi facinus monumenta illi erigerentur haud minus superba, quam quod Parthos, Dacios, Armenos subegerat. At decipiebantur mi-

miseri. In hoc siquidem certamine victa fuit superstitio, vicitque Religio. Isthæc inter tot persecutiones tamque crudeles non armis, sed plurium Heroum millium sanguine defensa usque eo progressa est, quo nunquam Romana signa pervaserant, neque ulterius pedem protulit, quia quo proferret, non habebat. Quapropter si consideretur aut hujus Religionis indoles sensibus longe superioris; aut modi, per quos disseminata fuit, hoc est per homines quovis ornamento, quod mortales suspiciant, spoliatos; vel conditio, & robur eorum, qui eam propugnarunt, non solum validorum hominum, sed imbellium puellarum ex ipsa acerbitate suppliciorum lætitiæ materiam sumentium; vel prodigia admirabilia his temporibus edita, perspectaque, & ab ipsis adversariis cognita; aut mutatio morum in populis revocatis ex licentia, & cupiditatibus ad innocentiam, & castimoniam facta; aut stabilis possessio, qua idololatria disjecta a Constantini Magni ætate usque ad hæc tempora, orbem tenuit; si, inquam, complexio hæc gestorum, & circumstantiarum spectetur: ex altera vero parte si reputemus, omnia hæc per clarissima vaticinia longe ante sigillatim prædicta; quis est, qui non videat evidentissime ab eo proficisci Religionem nostram, qui moderator omnium temporum, omnium mentium, omnium vicissitudinum, uno verbo naturæ, gratiæque supremus auctor tam excellens opus præcognoscere, modisque tam admirandis, quibusque obstaculis superatis, exequi unus poterat?

§. IV. Id tamen ii, quibus odio erat tanta lux, cernere noluerunt. Eam Religionem, cujus progressus armis impedire nequiverant, labefactare fraudibus, scriptisque sunt adorti. Hebræi primi post infandam in Christum, ejusque discipulos exercitam crudelitatem, & postquam etiam cælestis numinis pœnam a Tito ex Judæa natione expetitam viderunt, crediderunt, posse se dirutæ urbis instauratione, & Templi erectione vi Apostatæ Imperatoris disjectum cultum restituere. Qui quidem Julianus opus revera est aggressus, etiam refellendi oracula Prophetarum, & Christi, qui prædixerat illius urbis irreparabile exitium, malo permotus consilio. At quid contra Dei voluntatem vis, frausque humana potest? Ut locum antiquatæ synagogæ teneret Evangelica lex, dirutum fuerat Templum illud, in quo uno cultus veteris fœderis exerceri poterat. Fas ergo non erat, ut illud rursus constitueretur, quoniam hæc dominari debebat. Julianus jubens effodi eversæ fundamenta urbis, Servatoris Oraculum *lapidem super lapidem non esse relinquendum*, ignorans est exequutus, & motus terræ, & horrendi igniti globi e fossis recens factis semel & iterum erumpentes, impetentesque magno cum horrore, & cæde artifices, retundunt Cæsaris furorem, & pervicacis Nationis spes confundunt, quæ dispersa, & errabunda hac illac alte justas sui supplicii notas præsefert, eodemque tempore nostræ fidei triumphum.

§. V. Verum post has pugnas potestate superstitiosorum principum, & odio perditorum Judæorum in Religionem motas ingenio & arte apprime præditi in eam pugnaturi, in aciem Philosophi descendunt. Celsus, Lucianus, Theostenes, Porphyrius, Hierocles, Demetrianus, Cæcilius, Symmachus, &, ut alios prætermittam, Julianus, undique Christianam Doctrinam aggrediuntur. Acumen sophismatum, satyrarum acerbitas, eloquentiæ lepores, expediuntur omnia. Græca jactatio, fastusque, & Philosophicum supercilium, quo tela jaciunt, eos in spem erigunt, a doctrina simplici, & ab idiotis hominibus (ut ipsi illos per contemptum appellabant) scripta, & prædicata se nobilissimum reportaturos esse triumphum. Verum hæc scilicet una fuit earum rationum a divina Providentia adhibitarum, ut nostræ Religionis veritas, velut aurum inter flammas, purior elucesceret. Suscepit certamen hoc, quod per aliquot sæcula incruduit, ut retunderet robur, fraudesque detegeret hostium adeo potentium, doctorum hominum Græcorum, Latinorumque illustre agmen. Videas inter hos Justinum Martyrem, Tatianum, Athenagoram, Theophilum Antiochenum, quorum extant nobiles Apologiæ. Sequuntur Origenes, tum Eusebius Cæsaræensis, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus Juliani Imperatoris adversarius acerrimus. Inter Latinos eminent Tertullianus, Cyprianus, Minutius Felix, Arnobius, Lactantius, Prudentius,

& ne

& ne alios nominem, Augustinus. Non sum nescius, omnia horum scriptorum opera pro Religione non esse ejusdem ponderis, hoc est, omnia in genere suo perfecta esse; ajo tamen, refutari his operibus paralogismos, quos calumnia, & superstitio, & impietas quondam excogitarunt, aut in posterum in Christianam Religionem proferent; dico, octo solos libros Origenis contra Celsum Epicureum Philosophum, opus mea quidem sententia ex excellentissimis, quæ in hoc genere ab Antiquitate acceperimus, subjicere oculis nostris retusa vi tanta infanda deliramenta, quæ quasi nova inventa impietas his extremis temporibus produxit, ut magnifice de illis triumpharint, & fundamenta Christianæ Religionis undique validissime munierint; affirmo inter patronos causæ nostræ eximia extitisse ingenia, quovis litterarum genere ornata. Quantus esset, & quantum posset Cyprianus, Justinus, Chrysostomus, Lactantius, Eusebius, & præ ceteris Augustinus, ii tantum ignorant, qui eorum opera aut legerunt numquam, aut lecta non intellexerunt. Ceterum non aut præjudicii vis, aut educationis ratio eos impulit ad partes nostras. Constat enim, pene omnes amplexatos prius sententias nostris oppositas, convictos una veritatis vi & evidentia Religioni, quam adeo strenue tutati sunt postea, nonnisi post diutina examina, post diu pensitatas rationes elata ingenia sua tandem aliquando subjecisse. Subacta ergo, debellataque etiam post tot pugnas, quæ seculo V. desierunt, fuit Superstitio, & impietas. Quemadmodum autem Romana potentia, quæ tam crudeliter in Christianæ Religionis asseclas sævierat, superata demum tot Heroum invicta fortitudine, qui eam effuso sanguine defenderant, eandem fidem est amplexata progressu temporis, illamque protexit; ita Philosophia, eruditio, eloquentia, uno verbo scientiæ qualibet, quibus primis Ecclesiæ sæculis hostes usi fuerant, ut Fidem everterent, a nostrarum partium propugnatoribus, qui veritatem, ut est in se, sua in luce exposuerunt, illustratæ fuerunt, & a viris ingenio præcellenti ornatis adhibitæ fuere postea ad eam propagandam, & a quovis impetu vindicandam. Felix interim, totiusque orbis Domina Christiana Religio post tot certamina, victoriasque, ad hæc, quibus vivimus, usque tempora perduravit. Evenerunt quidem horum sæculorum spatio, quod humanis in rebus evenire videmus, mutationes multæ, magnæque regnorum, litterarum, commerciorum. Hæreses turpes, fatuæque, variique errores, e sinu ipso Ecclesiæ subsequentibus sæculis eruperunt, quod a primis factum fuerat. Sed ex his ipsis erroribus incrementum illa capit, ejusque veritas magis eluxit. Siquidem dum vicissitudinibus humana regna cesserunt, hæresesque variæ mendacii notam, quam occulebant, tandem singulæ prodentes, fuerunt singulæ dissipatæ; vera Christi Ecclesia una semper firma, constansque suis semper vestigiis institit; hinc septa magnis Heroum agminibus, qui innocentia admirabili vitæ legum sanctimoniam comprobarunt; illinc ingenti copia Doctorum hominum, qui excellentia scientiæ dogmata defenderunt, & nullo impetu ea concuti sunt passi. Quarum rerum omnium cum veterum tum recentium causa (quæ omnes singillatim severa trutina perpensæ probabuntur locis suis) tuta quiescit Religio: habetque non solum in corde firmam fidem, sed manu ipsa gestat certissimum pignus pulcherrimæ illius pollicitationis, qua ejus divinus Auctor recepit, *se simul cum illa futurum usque ad sæculorum consummationem, ac proinde portas inferi adversus eam non valituras*.

§. VI. Quis tamen induxisset animum, ut hoc crederet, nisi res ipsa maximo cum nostrorum temporum dedecore id ipsum demonstrasset? Turba hominum emersit, qui statuerunt non antiquas superstitiones revocare, sed superstitioni oppositam impietatem disseminantes, post sæcula tot ex terrarum orbe eliminare Religionem, Deumque ipsum ejus auctorem e cælo detrudere. Hujus Consilii Hobbesius, Spinosa, Tolandus, Bælius recensentur inter insigniores duces. Hos, veluti conductitia gens, sequuntur Collinius, VVoolstonus, Marchio Argensis, Voltærus, Russojus, Helvetius, aliique plurimi qui præ pudore non audentes nomen apponere suum pestiferis liberculis *Epistolarum*, *Speciminum*, *Tractatuum*, *Cogitationum*, *Examinum*, *Ephemeridum*, pluribusque aliis hujus furfuris operibus, quibus Europa scatet, descenderunt in aciem.

Equidem dijudicare non ausim, quinam potius in homine sapienti turbam hanc intuente excitari sensus debeat, num indignationis, an contemptus, an vero misericordiæ. Heu miseros! Tantumne vobis virium esse putatis, ut aliquot pagellis in lucem editis tot sæculorum consensum vos refellere, erroris coarguere universum hominum genus, vocem naturæ comprimere, supremoque Numini bellum inferre posse arbitremini? An Religionem illam, quam non tunc dominans idololatria, non Tyrannorum crudelitas, armis totius Romani Imperii instructa, non acumen tot Philosophorum in disputandi artibus omnibus exercitatorum opprimere potuerunt, avaritia, voluptas, mos, gestus cupiditatibus omnibus orbis corrupti, effeminatique domabunt? Fabulæ. Quinimmo ipsa omnium obicum victrix, cordium triumphatrix, ingeniorumque multiplicavit victorias suas certaminibus, suosque adversarios post pugnam propugnatores suos acerrimos est experta. An Religionem, inquam, istam prosternet, delebitque omnino infamis quædam satyra, Libertinarum fabularum collectio, delectus aliquot ambiguorum verborum, pueriliumque sophismatum? Nisi hæc est summa audacia, immo insignis vesania, nescio quænam unquam possit esse. Et revera satis est vel obiter legere horum eximiorum Magistrorum scripta, ut statim dignoscantur indicia levium, & delirantium. Ne, quæso, putes, te in iis reperire posse systema aliquod deductum bene, ut prima imis, media & imis & primis respondeant, & apte inter se cohæreant, quo & Religioni, & Deo bellum inferatur. Nil nisi confusæ audiuntur declamationes, & voces; veluti audiebantur in terra Senaar inter ingentis turris opifices, qui ne ipsi quidem mutuos sermones suos intelligebant. Evomit unusquisque infanda, & falsa, sed tam varia, tam contraria, ut non solum idem significent, sed hæc illa destruant. Negat Atheus, Deum esse: Deista ait, esse, sed res humanas non curare. Naturalista contra utrumque pugnat, defenditque summa ope & Providentiam, & Deum. Hic autem cum nolit in Deo recognoscere, nisi quod ipse ingenio suo tam hebeti capere potest, telis & Athei, & Deistæ se præbet confodiendum. Ipsi enim probant, cum sibi contradicere, & per illationes, in fatua, repugnantiaque systemata sua illum unco veluti impacto pertrahunt. Dat Helvetius homini animam ejusmodi, quam equi, lupique habent, illamque libertate quavis spoliat. Russojus eam liberam facit, ideoque etiam spiritalem: at primæva originalis conditio hominis, sententia ejus, nihil differt ab origine luporum, & equorum. Asserunt hi, hominem totum perire, pereunte vita: alii putant, eum futurum immortalem. Inter hos quidam sentiunt, eum in altera vita nullis puniendum suppliciis; alii hæc supplicia futura volunt, quæ necessario lex perscribit; irrident alii has leges, has pœnas tanquam pura putaque poetarum, & regum commenta. Si hos audis, ab æterno fuit mundus, si illos, initium habuit, ut placet unis, a Deo; ut alteris, a casu, & a fortuito concursu atomorum æternarum, & errantium. Est, qui vult Religionem a metu introductam; est, qui eam inventam a Politia vult; est, qui a natura eam insitam asserit: modo eam necessariam ducunt ad regnorum conservationem, modo iisdem regnis exitiosam.

Neque vero credendum est, hos Religionis adversarios non simul secum pugnare, & sese invicem non profligare. Quod est non minus verum, quam mirandum dictu, illud est, unumquemque eorum bello irrequieto in se sævire, & semetipsum suis se armis confodere. Quot sint in Hobbesii operibus, quorum hæc evertunt illa, ii uni ignorant, qui ea non legerunt. Tota Spinosæ Ethica innititur definitioni, quæ duos intellectus habere potest, quorum unus, qui verus est, alterum evertit; hic autem eversus librum totum, qui ex ea definitione pendet, a principio ad finem usque geometrice destruit. Libertinorum grex hoc in capite duces suos præclaros religiose imitatur, a quibus cum mendacium didicerit, etiam illud didicit, ut respuat, quod approbavit, sibique semper contradicat. Helvetius, ultimus fortasse ex impietatis Doctoribus, in libercuIo *De spiritu* (de l'Esprit) scatet abunde hujusmodi mendis. Illustris Abbas Gauchatus in quadam Epistola, prolixe, fideliterque in scenam producit Philosophum hunc, eadem

eadem gravissima capita modo negantem, modo afferentem; atque hac ratione illius operis robur exponit, quod terris, cæloque bellum movere videtur. Quapropter Petrus Bælius, quem & acumen ingenii, & multiplex eruditio, & scriben di admirabilis elegantia commendant, nescio quo luctuoso fato, cum suscepisset negotium omnium Religionis hostium causam agendi, vidit, nulla alia ratione se illud perficere posse, nisi Pyrrhonismum universum admisisset. Nec mora, nec requies; diruit, ædificat, impugnat, propugnatque res easdem. Dogmata, errores, fabulæ, theoremata eodem modo scribuntur. Eo pacto credit, se effecturum, ne lector minus prudens inter tot anfractus erroresque veritatis vestigia invenire possit. At ita agens, cuilibet viro prudenti ostendit, quam stabilis sit causa illa, quam impugnare non potuit nisi ratione adeo perturbata, & quam ut negaret, opus habuit, ut aut cuncta negaret, aut revocaret in dubium.

Quod si deest incredulis & argumentorum robur, & vera ratiocinandi methodus; audacia tamen, impudentia, & mendacium non deest. Putant se, his artibus demonstrationum loco uti posse, & incautis imponere. Arrogant ipsi sibi nomen hominum his extremis temporibus datorum terris, ut humano generi jacenti ab ipsa antiquitate usque in densissimis ignorantiæ veritatis tenebris facem præferant, & se scripta sua edere in utilitatem gentium omnium, ut iis veram, unicamque felicitatem indigitent usque ad hæc tempora unicuique ignotam, profitentur.

Quapropter cum statuerint, libertatem cogitandi esse rationem unam, qua debeant susceptum grave negotium conficere, se judices constituunt & creatorum hominum, & creatoris Dei; & juxta rationem suam, regulam certissimam, examinandam sibi proponunt Religionem, leges, mores, jus, Cæsarem, Deum. Voluptas, utilitas aut sua, aut Patriæ (quam *Patriotismum* appellant) constituunt *criterium*, seu normam, per quam internoscatur, quid sit sequendum, quid rejiciendum. Hinc, ut ita dixerim, in scenam producti turmatim Moyses, & Numa, Vestales, & Moniales, Sacerdotes, & *Dervisii Meschita*, & Ecclesiæ, Alcoranus, & Evangelium; initisque rationibus, hinc inde omnibus inter se comparatis, pensatisque lance utilitatis, & voluptatis, Religio, integritas, veritas, ita iis e Tribunali definientibus regio more, inhibitis appellationibus, damnantur exponendæ miris risibus, contemptui, exilio. Verum quidem est, eos ut eximant se a pœnis, quas Legislatores iis infligerent, si aperte hæc in vulgus spargerent, ut plurimum impetere superstitionem, ut ex transverso Religionem vellicent. Mohomudes larva est illa, qua sæpe utuntur, ut consilium suum tegant; & Voltærus, ut missos alios faciam, materiem Tragædiæ ab illo desumpsit, quam velut egregium opus, quidam se operæ pretium facturos putarunt, si in vernaculum sermonem versam Italia tota legere posset. Huic dolo malo alium addunt, ut oculorum aciem perstringant legenti; eumque non doceant, sed opprimant & pene consternent. Reperies in hujusmodi libris *Polianthæam* universam; sive indigestam collectionem declamationum, & eruditionis. De jurisprudentia, de Politica, de Astronomia, de Commercio, de Ethica, de bello disputatur in illis. Dialectica una, vel ars cogitandi omnino desideratur. Volatur Athenis Spartam, Hierosolyma Romam, ab Augusti sæculo ad Lodovici ætatem. A Caraibis Antillarum fit transitus ad Ottentotos Africæ; ab his ad Groenlandos Boreales; inde ad homines Silvestres Americæ, aliarumque regionum magis inhospitalium, & remotiorum. Hinc orbis plagarum adeo inter se dissitarum modo examinantur leges, modo conferuntur inter se mores, nunc enarrantur eleganter, & copiose turpitudines, nunc plausibus celebratur irreligio. Hinc producuntur Ægypti Dynastiæ, recensque detectæ, quas tamen ipsi nec inspexerunt, nec viderunt, antiquitates Sinenses majus pondus, quam sacra Genesis penes eos habentes. Diodorus, Strabo, & Tacitus citantur Judaicarum antiquitatum Moyse ipso peritiores. Horatius, Petronius, Manilius, Lucretius, Popius, sapientiæ incomparabiles præceptores afferuntur. Summatim ut dicam, Historia, & Fabulæ, Scientiæ, & artes, itinerum narrationes, Romanenses libri, ephemerides horum librorum farrago est. Totum id tamen fit

sine grammatistarum ineptiis, ut ipsi ajunt; hoc est, pluries quin auctorum loca percenseant; ut plurimum infideliter loca afferunt; semper autem sine arte critica, sine discursu; omnia autem dicteriis proscindentes falsis, & amarulentis quæ vellicant, sed obiter; neque a scribentibus exposcunt, ut rationem ullam afferant, sed satis est, ut enuncietur voce impavida, censoria, regia, quæ sola potest, ut opinantur, dare pondus gestorum fabulis, veritatis mendaciis. Hærent in obtutu Libertini juvenes, debilesque mulieres (nam ipsæ quoque delectantur; mirum quantum! hujusmodi libris) ad tantæ eruditionis congeriem, tantam rerum varietatem, tantam decidendi confidentiam legentes. Admirantur hujusmodi Philosophos recentes velut sapientiæ oracula. Religio, cujus neque fundamenta, neque systema meditati sunt unquam, in eorum mentibus vacillat. Præceptores autem isti existimant reipsa se, quod intendebant, fuisse consequutos, & rapida, turbulentaque loquacitate tanta ostendisse, *revera Religionem Christianam fictionem esse, Evangelium jocum, ejus ministros hypocritas, lymphatos ejus martyres, Sanctos Patres tutos Idola antiqua consuetudine adorasse, eos nihil omnino scire, omnesque veros Christianos gregem stolidorum boum, inutiles, immo Societati, & Nationi perniciosos esse*, quarum felicitas produci solum potest ab iis præclaris viris, qui Religionem, Deumque pedibus subjecerunt: ejusmodi scilicet se putant esse, jactabundi sæpe usurpantes illud cujusdam veteris ducis eorum.

Quare Religio pedibus subjecta vicissim
Obteritur, nos exæquat gloria Cælo. (Lucr. l. 1. v. 80.)

Quicumque harum quisquiliarum lectione aliquantulum immoratus est, quæ die quovis magis magisque Europam inundant, novit, me id non amplificare, locisque auctorum per se claris prolatis posse me id totum confirmare: quod reipsa locis suis in operis decursu me præstare quisque intelliget. Quod ad præsentem rem attinet, illud est; horum Philosophorum, quo intumescunt, triumphum scenicum esse, qui solvitur flatu ipso, evanescitque: omnia siquidem eorum verba, dicteriaque aut falsa sunt, aut nihil caussam probant, quam susceperunt inauspicato defendendam. Quod si in farragine tanta rerum inutilium, & absurdarum sophismata quædam sunt intermixta, quæ aperte aggrediantur Religionem Naturalem, aut Revelatam (neque enim inficias ivero, in his pauciora, plura in illis Libris offendi) hoc tamen certissimum est, non semel, sed sæpissime a nostris Doctoribus, & a D. Thoma Aquinate præcipue, ea fuisse dissoluta, immo, ut ita dicam, in cinerem redacta, & difflata, quod sancte spondeo, me in hoc opere tam liquido, tam evidenter, ut nihil supra, demonstraturum. Quare intelligit per se unusquisque, non sine gravi causa me paulo ante dixisse, nullos alios quam indignationis, contemptus, miserationis sensus in homine prudenti excitari posse, quotiescumque hos intuetur scriptores, qui artibus tam puerilibus, & scenicis aggressionibus se posse Religionem evertere confidunt; eam Religionem dico, cujus divina origo, dogmatum veritas, sanctitas præceptorum, eximia virtus, & protectionis vis, qua munitur, effecerunt, ut per tot sæculorum cursum, post tot casus neque ferro vinceretur, neque scriptis concuteretur, neque superaretur superstitione, & impietate: uno verbo ut retunderet omnes hominum, dæmonisque impetus.

§. VII. Quamquam ipsimet increduli nostrorum temporum sponte sua aperte demonstrant, se ad libitum vivendi prurigine impelli ad inferendum bellum tam impium Religioni, quæ eorum cupiditatibus adversatur; testor quemcumque, modo non sit ferreus, & plumbeus, num legi possint, salvo pudore, opiniones perversæ, turpia apophthegmata, obscenæ descriptiones, quibus refarciuntur hæc volumina. Ne nominem nunc Petrum Bælium, Montagneum, aliosque, de quibus locis suis sermo instituetur, Auctor libelli *de Spiritu*, quem ut recentissimum, & ultimum fortasse ex tanta copia unum producere placet, horum nulli facile cedit. Excutit pudorem omnem, non solum cum abunde colligit pingitque infandas libidines, quibus populi corpore, magis autem corde corrupti se totos addixerunt, verum etiam cum ab exemplis moralia theoremata deducit, nullumque

non

non lapidem movet, ut probet hujus generis corruptionem publicæ, privatæque felicitatis esse fontem. Quænam, malum, Cynica philosophia (exclamat vir clarissimus *(a) Verba faciens de hoc ipso Auctore coram gravissimo Galliarum consessu*) „ est „ isthæc, quæ vel umbram ipsam pudo„ ris eliminat? videmus Ethnicos solo „ rationis lumine ductos in suis libris „ veneratos fuisse semper virtutem hanc, „ & animadvertisse in eos, qui illam „ violare sunt ausi. Quamquam ecquam „ aliam morum disciplinam docere pote„ rat auctor, qui non erubescit palam li„ centiam ex Cathedra docere, & audacter „ enuntiare, *pudorem esse amoris, volupta„ tisque exquisita inventum*; & qui in ani„ mum induxit suum, eum a muliebri „ sexu aliquando excutere... Auctor qui „ hæc scribere potuit, quæ summo cum „ horrore legerentur in ipsis rerum ob„ scenarum scriptoribus, *cultum Templo„ rum Veneris, & Astartis esse materiem no„ stra admiratione dignam; & quæ in am„ goribus nostris recreare nos possit.* „ Huc usque eximius Parisiensis Patronus, qui tamen parcens pudori illi, quem adeo insigniter lædit Scriptor iste, silentio præterit alia, & quidem plura, loca multo turpissima, in quibus explicat, confirmatque propositiones ad quatuor orbis terrarum regionum institutionem. Tenemus ingenium, tenemus doctrinam eorum nostræ ætatis philosophorum, qui bello Religionem lacessunt: quod quidem ingenium est pene illorum omnium commune. Quamquam non huc tantum spectant eorum instituta, & studia, ut talis fiat orbis, qualis, ut cum Tertulliano loquar, erat Roma diebus Natalibus Cæsarum, aut diebus Festis Floræ, & Lupercalibus: sed aliud quid intendunt; nimirum ad illam imaginem, juxta quam, ut stulte sentiunt, creatus fuit, nituntur illum componere, hoc est, ut fit immanium ferarum receptaculum, & domicilium inter se perpetuo certantium, & sibi mutuo exitium inferentium. *Jus Sociale* (Quis est, qui hoc ignoret?) est vinculum illud sacrosanctum, quod familias, urbes, & respublicas, & suaviter, & fortiter etiam conjunxit. Jam juris hujus, quo fit, ut unus non spoliet alterum, sed det cuique suum, fundamenta aperte impetuntur, quæ omnium evertere Libertinorum systemata certant, qui privata commoda, & singularia emolumenta volunt esse finem ultimum, quo omnia consilia, factaque dirigantur.

Quapropter sollicitudines illæ vafræ *Patriotismi*, *Felicitatis*, *Nationis*, *Mercimonia extendi*, *imperii augendi*, quibus se solum tangi suis in scriptis jactitant; quibus de causis per fraudem vellent tamquam inanem, & exitiosam Christianam Religionem amandari; istæ, inquam, sollicitudines, quas tanquam primæ classis politici inculcant, ingerunt, plenis buccis effutiunt & amplificant, chimæræ sunt omnes, nisi verius eas appellare velimus, nequitias & improba commenta. Quidni? Principia, quæ tam pulchra, & eleganti dictione involvunt, hunc tantum sibi propositum finem habent, ut omnes cives corrumpant, & ea disrumpant sacra vincula, & inviolabilia, quæ colligant populum cum Principe; omnemque, si animus ferret, humanam societatem sus deque vertere: quod advertit, quem paulo ante dixi, Clarissimus vir de Helvetio verba faciens; sicut nos quoque non solum de Helvetio, sed etiam de ejusdem sociis suo loco hoc ipso in opere copiose ostendemus. Res ergo extra omnem dubitationis aleam est, hostes Religionis esse itidem & Societatis, & Morum, & Imperii hostes; eumdemque stylum, quo tam impia contra Religionem scriptitant, acuere in Nationem, quam corrumpere satagunt, & in Principem, quem conculcandum esse docent. Neque id mirum; primum enim jura *Personale*, & *Sociale* connexu tali, tantoque cum jure *Religionis* est conjunctum, ut quicumque hujus fundamenta evertit, illorum etiam diruat; deinde vero, quia cupiditas immodicæ libertatis, qua in Religionem armantur, illos pertrahit ad effringenda, si ipsis con-

(a) Homerus Jolyus de Fleuryo primus generalis Advocatus in parlamento Parisiensi in sermone, quem habuit in Aula 10. Kal. Febr. ann. 1759. in quo eleganter exprimit *characterem* librorum *de l'Esprit*, & *Encielopedie*, aliorumque talium librorum magna in copia editorum nostra ætate, quos jure asserit, adversari æque Societati, Regno, Religioni.

contingat, repagula omnia honestatis, obsequii, obedientiæ; cum nullum aliud numen sibi faciant, quam voluptatem. Quamobrem num intersit cum Sacerdotio, tum Imperio, tum humano generi hujusmodi facinora reprimere, videt unusquisque.

§. VIII Ex iis interim, quæ hoc capite innuimus, credere me juvat; Prudentem Lectorem posse notionem generalem quidem, sed tamen genuinam & veram ex una parte Religionis, ex altera ingenii hostium, qui nostris temporibus in illam desæviunt, sibi effingere. Illa, vel ejus origo, vel immutabilitas, vel decora, vel certamina, vel triumphi considerentur, apparet Dei opus. Hi, vel eorum systematum spectetur varietas, vel dicteriorum involucra, vel turpitudo sententiarum, seducensque incautos opinionum vis, delirantibus hominibus similes videntur, & sunt, quos una ad libitum vivendi cupiditas ad arma exstimulat. Nihilo tamen secius hæc duo theoremata, quæ probanda hoc opere proponimus, separatim per nos examinabuntur, neque verborum cincinnis, sed rationibus, & ratione disputandi severissima juxta rigidiores artis leges demonstrabuntur. Opus igitur dividetur in partes omnino tres. In prima tractabimus probabimusque capita magis principalia *Religionis Naturalis*; referemusque fideliter omnia Atheorum, & Deistarum sophismata, eaque evidenter dissolvemus. In secunda de *Religione Revelata* sermo instituetur: afferentur argumenta intrinseca, & extrinseca, quæ ejus indolem explicant, divinitatem ostendunt; & confutabuntur objectiones, quas in illam *Naturalistæ* producunt. In tertia demum *impietatis fontes* indigitabimus: Hinc autem systemata, fraudes, ingenium, meritumque Libertinorum, eorumque librorum candide exponemus, & illustrabimus.



CAPUT SECUNDUM.

De Dei existentia.

I. *Ambigere de existentia Dei, nihil aliud est, nisi purum, putumque delirium.*
II. *Argumenta indissolubilia, quibus semper demonstrata est hæc existentia. Deliria duorum recentiorum Scriptorum.*
III. *Nonnullæ aliæ opiniones Mopertuisii, Anonymique Libertini de hac re confutatæ.*
IV. *Proponitur argumentum deductum ex consideratione universi.*
V. *Prima demonstratio desumpta ex motu. Tolandus refutatur: Casus Epicureus dari non potest.*
VI. *Motus corporum cælestium in quocumque systemate nos cogit fateri, esse Deum.*
VII. *Creatio rerum superior Mechanices legibus, aliud divinitatis argumentum.*
VIII. *Falsa Helvetii opinio de rerum creatione, evidenter confutatur.*
IX. *Pulchritudo, & amplitudo universi, concentus partium, relatio mediorum ad fines argumentum sapientis, potentis, liberique opificis.*
X. *Atheorum responsum confutatur. Reducitur argumentum ad suum principium, eruiturque demonstratio.*
XI. *Existentia contingens rerum, ultima demonstratio Dei existentiæ.*
XII. *Dei perfectiones derivatæ necessaria consequutione ex eo, quod ipse* per se existat.
XIII. *Specimen raticcinandi Roussoji in hac re.*

§. I. NUlla certe historia est, quæ majorem cum ob vanitatem specierum, tum ob rerum varietatem, admirationem excitet, quam Historia *Humani Spiritus*, sive earum sententiarum, quas homines excogitarunt, publicique juris fecerunt, has,

has, illasque res longa meditatione contemplantes. Scientiæ omnes, artesque liberales satis aperte ostendunt harum opinionum diversitatem quovis sæculo suorum cultorum, & ex iis quarumdam adeo singularium, & a fide alienarum, ut nonnisi ingratiis nostris credere possimus, nos ab iis non decipi, qui illas exponunt. Cicero, Lactantius, Laertius, & ante illos Aristoteles, ut de Philosophis loquar, identidem sententias ejusmodi proferunt iis insignibus, ut non multum a Poeticis fabulis differant. Enimvero ita Varo scripsit, *nemo ægrotans quicquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicat Philosophus.* (in Fragmen.) Renatis in Europa Litteris, licet ars nulla tantis extollatur laudibus, quantis Sapere, arsque recte, & sapienter cogitandi, qua factum est, ut cuilibet disciplinæ nobilitatis, & splendoris accessio facta sit magna, hoc tamen ingenue fateamur necesse est, humana ingenia, cum nunquam innatam infirmitatem excusserint, produxisse his etiam temporibus, & producere die quolibet (in quibusdam præcipue regionibus, ubi de libertate cogitandi gloriantur) in rebus philosophicis, ineruditis, in humanioribus, & in quavis alia litteraria disciplina, systemata adeo præter opinionem absurda, sententias adeo distortas, quæ veterum deliramenta, miseramque, & irrisam sæculorum, quæ barbara nominamus, ignorantiam sæpe exæquent, immo etiam superent. Hinc, licet luce tanta nunc litteraria Resp. illustretur, jure ac merito saniores homines conqueruntur, ut ætate sua Cicero (a), se gravari, opprimique non solum stolidi vulgi, sed multo magis quorumdam litteratorum insanis, falsisque opinionibus, qui, vel quia judicandi acumine, vel quia scientia carent, eas in libros digerunt, vel in cœtibus exponunt.

Tamen ex iis omnibus insanis opinionibus, quæ prodierunt, non solum maxime impia, & scelesta, sed dementissima, & quam a bruto animanti potius, quam ab homine confictam vere dixeris, illa sine dubio est, quæ in dubium revocat veritates, quibus Religio innititur, eamque præcipue, quæ est omnium caput, hoc est, *existentiam Entis infinite perfecti, a mundo diversi omnino, totiusque mundi Creatoris, & moderatoris sapientissimi, hominumque æterni remuneratoris.* Assertio veritati adeo splendidæ adversa, non aliunde nasci potest, nisi ab ingenio debili, deliro, furoris impetu acto, ita ut res omnes cernat perturbatas, neque simplicissimas notiones, & clarissimas internoscat. Petrus Bælius (b) hujus morbi forte haud prorsus expers, scripsit non semel, neminem fieri posse *Atheistam, nisi ab animo lymphato per vim tractum.* Quo ipse confirmat exemplo, verbisque quorumdam amicorum suorum, qui *Spiritus fortes* appellantur, sed sunt revera, ipsique confitentur, cum furore non aguntur, *Spiritus dementes*, furentesque. Quod etiam eleganter ætate sua Aristoteles, vel quisquis alius *Magnorum Moralium* auctor fuerit, dixit: (c) *Si quispiam sit tam impavidus, ut neque Deos timeat, is non fortis, sed fatuus erit.* Alii namque errores, in quos quotidie misere mortales labuntur, nostrorum ingeniorum debilitatem arguunt, quæ non semper advertunt relationes sæpe occultissimas, quas inter se notiones habent; At impius, qui Deum, & providentiam negat, est vir, qui sensum communem ejuravit.

§. II. Siquidem in populis, qui litteras excoluerunt, præcipue vero ex quo resplendnit mortalibus Christiana Religio, præter alias non virtute tantum, sed sapientia ornata, industrii homines, qui non defuere, claram Metaphysici ratiocinii facem sequentes, veritates præcipuas Naturalis Religionis, & præsertim existentiam *Entis Primi* demonstrarunt argumentis tam apertis, tamque validis, ut iis sana mens nullo modo repugnare possit, analytica compendiaria methodo ad veritates simplicissimas progressi, id est ad principia prima nota cuilibet. Ejusmodi est illud, quod ex consideratione horum *Entium* contingentium, & mutabilium nos erigit ad cognitionem Entis necessario existentis, immutabilis, æterni, quo sublato, etiam prima nunquam in rerum

(a) *Oppressi sumus opinionibus non modo vulgi, verum etiam hominum leviter credentium.* Cicer. de orat. lib. 3. (b) *Dict. hist. Crit. art. Chatran. & des Barreaux.*
(c) Εάν τινα ποιῆτις ἄφοβος ὥς μήτε θεὺς φοβεῖσθαι ἐκ ἀνδρεῖος, ἀλλὰ μαινόμενος.

rerum natura fuissent: tale est illud, quod nobis aperit motorem primum stabilem, sine quo concipi nequeunt motus illi, quos in natura, quæ per se iners est, videmus; hujus generis demum illud, (ut alia nunc prætercam) quod nos manu velut ducit, cogitque, ut fateamur, esse caussam primam rerum omnium creatricem, cum nulla ex iis, neque universa simul in se ipsis existentiæ suæ principium habeant. Hæc, & alia talia argumenta variis modis illustrata, & allata methodo pene Geometrica, & evidentia Geometricis demonstrationibus non absimili clarissime nobis Libertinorum fatuitatem, & impudentiam detegunt; qui rutilantis, sed invisi luminis splendore perculsi, renuentesque illud sequi veritatem profitendo, & nequeuntes illud extinguere his argumentis satisfaciendo, illud vituperant, damnantque. Dominus de Sancto Evremontio, cujus memoria & tenore vitæ, & editis scriptis in deliciis Libertinis semper fuerit, reprehendit (a) tanquam temerarium, & perniciosum opus illius, qui in Scholis agit de existentia supremi Entis, eamque demonstrare nititur. Non valde ab eo differt hujus ætatis scriptoris (b) sermo, qui repente de Poeta factus Censor clararum cogitationum Paschalii elata voce pronuntiat, *omnes libros, qui lucem his recentibus temporibus aspexerunt, ut Christianam Religionem confirment, offensionis potius, quam pietatis caussam esse*. Non aliter sensit ille, qui magna vi hellebori excitatus ab insania, quia dum erat correptus, videbatur sibi felix, beatusque esse, tantum abfuit, ut gratias amicis ageret, ut etiam in eos acerbius inveheretur, quod sibi gratissimum errorem dempsissent. (c)

Si tamen aliquo modo amentiam suam tegere Libertini possunt, quarundam acutissimarum, & Metaphysicarum rationum vim derisui habendo, quæ illam coarguunt, contentarum quibusdam in libris, quos homines voluptatibus dediti, cogitandi usu carentes, neque legunt, neque intelligunt; eam tamen occultare nequeunt e conspectu illius lucis, quæ emicans etiam e rebus minimis, & vilissimis hujus orbis excitat in cujusvis animo notionem & infinitæ sapientiæ, & potestatis Creatoris perfectissimi, qui ex nihilo eum perfecit, & moderatur. Argumento hoc prorsus inconcusso, & quod, si ejus vis penitus intelligatur, omnia supradicta continet, ut uberius dicemus postea, quovis sæculo usi sunt Scriptores Latini, Græcique, Sacri, & Profani, non ut novum quid, & ignotum docerent, sed ut efficerent, ut homines considerarent rem oculis ipsis subjectam, quæ illos, propterea quod omnibus, & quovis tempore patet, ad eam admirationem summam non movet, ad quam eos excitare deberet, nisi solerent, ut ajebat Cicero, commoveri magis novitate, quam rerum magnitudine. (d)

§. III. Non me fugit, ausos quosdam fuisse etiam de hoc argumento dubitare, non eos tantum, qui existentiæ Dei se palam hostes profitentur, sed nonnullos, qui nimium novitatibus studentes putant, non posse se suis opinionibus fidem parere, & famam conciliare, nisi eas in dirutis perpetui, universique generis humani consensus fundamentis constituant, & erigant. Philosophus haud ita pridem e vivis sublatus (e) credere nos jubet, ordinem, pulchritudinem, perfectionem, quæ in singulis vel minimis hujus orbis rebus cernuntur, & quæ tanta admiratione affecerunt non solum vulgus, sed Philosophos sapientissimos, minus idoneas esse, quæ nobis Deum indigitent, cum ob permixtionem malorum, quæ viventes experimur, tum quod non sine aliqua probabilitate *Accidens*, *aut casus* adduci potest.

(a) *Jugement sur les sciences*. Tom. 1. (b) *Je crois, que tous ces livres, qu'on a fait depuis peu pour preuver la Religion Chretienne, sont plus capables de scandaliser, que d'edifier*. Volter ep. 25. sur les pensées de M. Paschal. (c) *Pol me occidistis amici,*
Non servastis (ait) cui sic extorta voluptas.
Et demptus per vim mentis gratissimus error. Horat. ep. ad Julium Florum l. 2. ep. 2.

(d) *Assiduitate quotidiana, & consuetudine, oculorum assuescunt animi; neque admirantur, neque requirunt rationes earum, quas semper vident; perinde quasi novitas, non magis, quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare*. l. 11. de N. D. n. 38.

(e) Mopertuisius *Essai de Cosmologie, Avant-propos, ou l'on examine les preuves de l'existence de Dieu tirees des merveilles de la nature*.

test. Ejusmodi sunt dubia isthæc, & verba, quæ, quicumque sanæ mentis est, ferre non possit. Id tamen ille præmittit, ut promat singularem quandam a se excogitatam demonstrationem deductam a refractionis lege, quam dicit legem *minimi*, sive *principium minimæ quantitatis actionis*; asserens, naturam hoc in casu *minimum motum* adhibere, idque nobis existentiam, & providentiam supremi Numinis evidenter confirmare. Sed præterquamquod lex hæc a doctissimis viris tanquam falsa rejecta fuit, immo Auctor ipse aliis in locis (*a*) eam repudiavit; illud certum est, etiamsi ea vera foret, & quicquam probaret, id tantum ob illam communem rationem fieri, qua nos asserimus, singulas universi partes, singulasque leges, quibus regitur, a supremo Rectore nobis manifestari. Præterea credidere nonnulli, ex opinione hujus Philosophi, qui in locum usitatiorum existentiæ Dei argumentorum hanc Mechanicam legem substituit, consequi, qui nec Algebram, nec Physico-Matemathicas scientias callet, eum ratione plana, & sensibili Creatorem suum cognoscere non posse. Quæ quidem res non minus fatua, quam singularis est. Sed de hoc Philosopho, ejusque opinionibus loquemur postea. Aliam sententiam de hac ipsa re legimus in quodam nullius pretii, impio tamen libello Hagæ Comitum typis impresso præferente titulum (*b*) *Pensées Philosophiques*, quam in Auctoris opprobrium ipsiusmet verbis afferimus: *Non a Metaphysicis ingentes impetus illi facti sunt, qui Atheismum everterunt. Non alibi, quam in operibus Nevvtonii, Muschembroechii, Nieuventitii reperta sunt argumenta illa evidentia Entis supremæ intelligentis. Horum magnorum hominum laboribus effectum est, ut Mundus non sit amplius Deus: est Machina, quæ habet polos suos, suam vim, sua pondera.* Vah stupiditatem! Vah petulantiam! Priusquam ergo in lucem prodiret Nevvtonius, aut Nieuventitius, non enarrabant Cæli gloriam Dei, & opera manuum ejus Firmamentum non enuntiabat? Priusquam ergo horum doctorum libri ederentur, carebant homines evidenti argumento existentiæ summi Dei? Ergo per decem, & octo sæcula ignorarunt homines, Mundum non esse Deum, sed *Machinam* ponderibus, mensurisque libratam, ita ut ad docendum humanum genus veritatem hanc, quam Physicæ, & Metaphysicæ scientiæ nondum docere potuerant, necessium esset, ut in Anglia, & in Fœderato Belgio tres illi Philosophi exorirentur? Equidem mihi persuadeo, fore ut docti illi viri, si viverent, laudem hanc profectam ex nimia mentis cæcitate, ne quid acerbius dicam, læto animo non ferrent: quam quidem cæcitatem idem auctor satis clare manifestat, cum ait, non Metaphysicam, sed solummodo Physicam experimentalem argumentum suppeditare, quibus Atheismus evertatur. Si enim ipsorum argumentorum, quæ scientiæ istæ nobis subministrant, vim penitus sentiret, intelligeret profecto, ea huic Metaphysicæ principio, veluti stabili fundamento incumbere, & ad illud necessaria analysi reduci, quod ostendemus modo. Dicamus ergo, cum Dei existentia sit omnium veritatum maxima, & necessario ab homine sciri debeat, non posse nisi falso, insaneque asseri, ejus cognitionem pendere ab Algebræ calculis, a subtilibus, & iteratis observationibus, & experimentis; aut præmittendum esse cumulum ingentem theorematum, & prænotandorum, ut cognoscatur. Se se aperit cuique, modo eam advertere velit, clarissime. Est illa lux communis & publica, quam mediocris, brevisque visus clare intuetur. Uno verbo, sicut loco suo probabimus, gentes omnes ubique terrarum, tempore quovis crediderunt Divinitatis rerum omnium supremæ moderatricis existentiam; & quamquam fons hujus universi consensus fuerit *traditio* a primo humani generis parente profecta, tamen firma, constansque perstitit hæc fides rei supra sensus longe positæ, & cupiditatibus adversæ; quoniam etiam argu-

(a) (*In Venus Physique.*) (b) A la Haye, 1746. §. 17. 18. *Ce n'est pas de la main du Metaphysicien, que sont partis les grands coups, que l'Atheisme a reçu: Ce n'est pas que dans les ouvrages de Nevvton, de Muschembroech, de Nieuventit, qu'on a trouvé des preuves satisfaisantes d'un Etre souverainement intelligent. Graces aux travaux de ces grands hommes: le monde n'est plus un Dieu: c'est machine qui a ses poulies, ses ressorts, & ses poids.*

gumentum, quod hanc existentiam probat, semper publicum fuit, sensibile, splendidissimum, aptissimumque, quod convinceret pervicaces homines, eamque hebetiores doceret.

§. IV. Quodnam ergo, reponetur, argumentum illud est? Illud idem, quod supra innuimus. Cæli, inquam ego, tellus, resque omnes, quæ cælis, terraque continentur, quarum vel per transennam contemplatio sufficit demonstrandæ sapientiæ, & omnipotentiæ Supremi Creatoris. Enimvero rectissime Aristoteles dixit, quod Cicero postea uberius exposuit, (Lib. II. de nat. Deor. n. 37.) *Si essent* (inquit Aristoteles) *qui sub terra semper habitavissent, bonis, & illustribus domiciliis, quæ essent ornata signis, atque picturis, instructaque rebus his omnibus, quibus abundant, qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram: accepissent autem fama, & auditione, esse quoddam Numen, & vim Deorum; Deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus ex illis abditis sedibus evadere in hæc loca, quæ incolimus, atque exire potuissent; cum repente terram, maria, & Cælum vidissent, nubium magnitudinem, ventorumque vim cognovissent, aspexissentque solem, ejusque tum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficaciam cognovissent, quod is diem efficeret, toto Cælo luce diffusa: Cum autem terras nox opacasset, tum cælum totum cernerent astris distinctum, & ornatum, Lunaque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumque ortus, & occasus, atque in omni æternitate ratos immutabilesque cursus, hæc cum viderent, profecto esse Deos, & hæc tanta opera Deorum esse arbitrarentur.* Hujusmodi est doctrina sacrorum Scriptorum: Filii Sirach (Sap. c. 13.) cum dicit *a magnitudine pulchritudinis, & operis posse Divinum opificem conjici*; & D. Pauli ad Romanos (cap. 1.) *invisibilia Dei, & æternam ejus potentiam, & Deitatem per visibilia ab eo creata clare cerni*. Negari tamen non potest, quo magis scientiarum ope quis in hanc contemplationem irrepit, eo plura, & clariora divinæ existentiæ argumenta reperiri, quæ omnia, ceu lineæ cum centro, ita cum primo ratiocinandi principio conjunguntur, ut efficiant demonstrationem certissimam, & invictam existentiæ Dei a Mundo porsus diversi, rerum omnium Creatoris, & possessione omnium bonorum beatissimi.

§. V. His ergo vestigiis insistentes pergamus porro; vocemusque ad examen rem, quæ in nobismetipsis est, simulque cum toto terrarum orbe permiscetur, & confunditur; motum intelligo. Ministrum universum naturæ Veteres eum dixerunt, illique e Libertinis multi hujus corporeæ molis originem adscribunt. Et revera motum hunc vel tantillum cessantem non possumus concipere, quin præ horrore timidus refugiat sanguis. Tenebræ, chaos, stupor, mors sequerentur motus cessationem, jam non fulgerent in cælo sidera, non lux; nullæ essent tempestatum vices aut dierum, non pluviæ, non nubes, non rores, non venti. Retenta flumina, emarcescentes arbores, immobilia animalia, & nostrum quisque repente e vivo, & se movente rigidus, stupidusque effectus.

Jam dicant Increduli, ecqua hujusce motus mundo adeo necessarii, cujus ope putant potuisse sine Numine componi fortuitam hanc rerum dispositionem, dicant, inquam, ecqua erit hujus motus causa prima? Hæret illis aqua ad hæc, ita ut nesciant, quo se modo expediant. An dicent, motum hunc esse essentialem materiei proprietatem? ita opinatur post Epicureos novissime Tolandus; (*a*) at quam inepte, quam falso. Quod quidem ita probamus.

Proprietas *essentialis* rei non est illa, sine qua res stare potest, vel sine qua saltem potest concipi. Jam concipere possumus corpus vel motum, vel quiescens; præterea ipsa experientia in neutram partem propendens nobis ostendit corpus motum, & quietum, immo resistens cuivis extrinseco impulsui vi tanta *inertiæ*, ut loquuntur recentiores Philosophi, (*b*) quanta est materies, qua constat. Non est igitur motus essentialis corporis proprietas. Isthæc ergo causa motus debet esse substantia incorporea. Neque vero dicatur esse de essentia corporis si non motus *actualis*, saltem propensio, vel tendentia ad motum, quam *visum* Tolandus. (*c*) ipse hujus pulcherrimi inventi patronus

(*a*) Let. III. *a Serena*.
(*b*) Newton *Philosoph. Natur. princ. Math. definit.* III.
(*c*) Let. III. *a Serena*.

trosius appellat. Quoniam primum ab argumento supra allato jam id confutatum fuit: concipi enim perfectissime corpus potest non solum sine motu *actuali*, sed etiam sine hoc *nisu*, vel tendentia ad motum potius quam ad quietem; immo indifferens omnino ad utrumque statum. Deinde vero quæritur, num sit *nisus* hic ad motum in certum latus particulare, an ad quodlibet simul? Nil est medii. Si respondetur, in corpore esse *nisum* ad motum latus particulare certum versus, potius quam aliud versus, res omnino falsa est; cum corpus æque se habeat ad quodlibet motus genus; & cum nihil sit in ipso, aut in singulis ejus partibus, quod in ipsum cogere possit, ut ad hanc potius partem nitatur, quam ad illam ex necessitate, & ex essentia. Hoc ergo illi ex aliquo extrinseco principio advenire deberet; quod & hypothesim evertit Libertinorum, & thesim meam confirmat. Si vero dicatur *nisus* esse in corpore ad motum quoquoversum, dicitur quod est contradictorium, & quod hypothesim destruit. Tendentia enim ad motum quoquoversum non posset in corpore gignere nisi perpetuam quietem omnium partium. (a) Ergo cum non sit de essentia corporis motus, aut *nisus* potius ad hanc, quam ad illam partem, sed debeat necessario ab extrinseco principio incorporeo, materiæ domino, ejusque motuum, & connexionum auctore, & moderatore imprimi; existentia hujus principii evidenter demonstratur, everciturque funditus Epicuri hypothesis in lucem producta his etiam diebus a quodam Philosopho ancipitis fidei his verbis; *quamquam non sit valde probabile, fortem, seu casum impressisse motum corporibus eo modo, quo moventur; restat tamen aliqua probabilitas, quæ sufficit, ut credatur, hunc ordinem, & dispositionem rerum esse effectum necessarium electionis* (b) At inquio ego, nullam superesse probabilitatem, ut producatur *casu*, qui *nihil est*, voxque est sensus expers. Sicut motus materiæ est necessario effectus causæ incorporeæ, ita motus definitus, ex quo ordo hic proficiscitur, & rerum inter se dispositio est necessario *effectus electionis* ejusdem incorporeæ causæ; qua causa sublata, quemadmodum non est amplius *electio*, ita non est amplius determinatus motus, a quo hic rerum status pendet, immo nec est amplius motus. Qui concipit ergo intellectu, hanc rerum dispositionem ex innumeris dispositionibus, quæ poterant esse, fortuitam esse, rem stultam, & repugnantem, & indignam, quæ cadat in hominem sanæ mentis, & rationalem cogitat. Est ergo vera demonstratio existentiæ Dei, hoc est causæ incorporeæ, omnipotentis, liberæ, sapientis, illa, quæ petitur a motu, quo mundus hic creatus fuit, & subsistit. Est, inquam, verissima demonstratio innixa notioni corporum æque se habentium ad motum, & ad quietem, & huic certissimo principio; in rebus naturalibus libero arbitrio carentibus, ubi ingens est electionum varietas, aut partium eligendarum, nullaque vehemens causa amplectendi potius hanc, quam partem illam, electionem nullius generis fieri posse. Quod strictius significarunt veteres illo axiomate, *nihil sequitur ex eo, quod est ad utramque partem indifferens*. Cum ergo in uno ente omnium corporum supremo, omni-

(a) Agit de hoc argumento eleganter more suo præclarus Card. Polignachius *in Anti.Lucretio* l. 5. cujus hæc pauca exscribam carmina.

Si nativus erit per sese in corpore motus,
Ut dos materia; qualis, quantusve, rogabo:
Quam versus mundi partem? lentusve? citusve?
Rectus? an obliquus? forsan curvatus in orbem!
Nam cuncti esse simul nequeunt: unum esse necesse est.
Si talem, aut talem dicas, alium esse repugnat.
Nam secus esse nequit, natura quod ipsa poposcit.
Sed motus nullæ species cum corpore pugnant.
Cur ergo hanc per se præ cunctis corpus habebit;
A qua jure aliam per se cum possit habere?
Hanc etiam, si per se habeat, variare nequibit:
Nam quod natura est, nulla est variabile causa.
Sed motum semper variari posse videmus.
Ergo materia nativum haud esse fatendum est.

(b) Mopertuisius *Essai de Cosmol. avant-prop. p.* 8.

omnipotente, sapiente, libero, totius naturæ domino, ut Deus est, causa hujus motus reperiri possit, hinc ejus existentia demonstratur, & quæque probabilitas *sortis*, aut *casus* excluditur.

§. VI. Quid si simplex, solusque motus, qui per hanc molem diffusus est, necessario nos cogit, ut fateamur, eum effici a potestate, & electione incorporeæ causæ, & proinde invicte Deum nobis demonstrat? Profecto hoc argumentum splendidius multo, solidiusque erit, si considerare velimus, corpora non solum moveri gradibus velocitatis differentis, moveri directionibus maxime diversis, moveri singula ordine miro secundum certas leges, quibus fit, ut ii semper obtineantur fines, qui Mundi pulchritudinem, perfectionem, & conservationem efficiunt. Satis est vel obiter animadvertere id quod natura nobis semper ob oculos ponit, ut videamus & hoc, & evidentiam argumenti, quod hinc deducitur pro causa, quam præ manibus habemus. Quare lubet detinere lectorem paululum in Cœlorum contemplatione, qui, ut ait Propheta, enarrant gloriam Dei, & ejus potestatem annuntiant; & ostendere, quam male quis credat se infirmare evidentissimam rationem, quam nobis de æterno opifice suppeditant admirabiles illorum motus, ajens, nos casum repudiantes, idcirco illos Deo adscribere, quia veram physicam causam docere non possumus, quæ eos producat.

Parent paulisper sese Athei ratione non quidem evidenti, sed utcumque probabili, ad explicandum, undenam cælestium corporum motus petendi sint. Haud illis proponam undecim solidas & gravissimas Ptolemæi sphæras, in quarum una aureorum clavorum instar stellæ sunt defixæ; & ab aliis veluti ingentes lampades pendent Planetæ rotantes se circum terram, immobile centrum suorum motuum. Non quæram ab illis, quæ naturalis vis primo mobili motum tantum indat, quo & ipsum quotidie peragit immensum orbem suum, eodemque tempore inclusas sphæras ab ortu occasum versus secum trahat. Non poscam, undenam sit impetus ille singularis, quo sphæra quælibet motu proprio contrario pergit ab occasu in ortum, quin retardetur quicquam a concitatissimo motu a primo mobili communicato. Non requiram, ut explicent mihi diversitatem periodorum, omniaque alia phænomena horum motuum. Nullam certe in tota, quanta quanta est, corporea natura verisimilem causam reperire poterunt, quæ illos pariat. Quare ejus systematis propugnatores quibusdam *Intelligentiis* hoc munus demandatum crediderunt, hoc est substantiis incorporeis, quæ Omnipotentis Creatoris voluntatem exequerentur. At probe novi, Auctores istos hoc systema, & has *Potentias* motrices risui habere, & joco. Quamcumque ergo malint hypothesim, eligant, non repugno: & etiamsi non sint cogendi ad fatendum id, quod est verissimum, mechanicam non posse assignari motuum cælestium causam; tamen vel hæc assignata nihil illis suffragabitur, si a Deo disjungatur. Et sane, dicentne, natare planetas in ingenti fluido vortice, cujus particulæ a sole, qui medius stat, agitatæ, impellunt ea corpora ad revolutiones una secum motibus ellipticis circum solem? At ingeniosa ceteroquin hæc sententia, quis est, qui nesciat, quam valide a præstantibus Philosophis, & a Nevvtono præcipue fuerit impugnata? (a) Directiones horum planetarum, tempora periodica eorum revolutionum creduntur convenire non posse cum legibus motus materiæ vorticalis. Transitus autem cometarum per planetarum regionem a Ticone supra lunam visus si perfregit solidas Ptolemæi sphæras, dissipavit profecto etiam Cartesianos vortices, cum eorum orbitæ *excentricæ*, & in cœli partibus tam remotis extensæ, & velocitas eorum motuum cum determinatione, & velocitate motuum materiæ æthereæ vorticis planetarum nullo modo possint congruere. Philosophi multi insignes conati sunt resarcire male consutum opus, aut alios vortices fingendo, aut materiæ subtili addendo directiones, aut aliis absurdis modis, prout eorum phantasia magis, minusque fœcunda idearum fuit, quarum multiplicatione efficeretur, ut tandem aliquando isthæc corpora ferren-

(a) *Philosoph. Nat. princip. Math. l. II. sect. 9.*

rentur in gyrum. Verum præterquamquod omnes hæ hypotheses continent majores difficultates, quam phænomenum ipsum, in cujus explicationis gratiam sunt excogitatæ, nos æquo animo eas nunc admittemus, supponemusque, planetas in gyrum rapi a materia vorticum, hosque vortices in causa esse, quod incredibile est, cur ellipsim describant, potius quam circulum: tamen quæremus a Libertinis, motus, quem materia vorticum habet, quænam sit causa? Fortasse dicent, globum, qui centrum vorticis occupat, vi sua *centrifuga* impellere circumjacentemætherem, & hac ratione efficere, ut ille perpetuo in orbem volvatur. At nos iterum rursus urgebimus, quænam sit causa illa, quæ det, servetque vim hanc in globo? Necesse enim est, ut aliquod agens principium eam illi imprimat; cum ex natura sua sit ipse iners. Neque hoc satis est; opus est, ut hoc agens principium vim hanc semel impressam continuo innovet; quoniam quantitatem tantam motus ille amittit semper, quantam cum circumjacente vortice communicat: ergo nisi perpetuo suppetias, ut ita loquar, ferat agens principium, paulatim descrescet globi vis, motusque vorticis, & Planetarum cursus deficiet. Atque doctrina hæc jam est demonstrata (a). Jam vero principium hoc activum, quod imprimit, continuatque motum hunc, quodnam unquam aliud potest esse, nisi Deus? Quid ad hoc argumentum respondere possit impius, qui hac in materia se Carthesianum profitetur, non video. Videamus nunc, num ei Nevvtoniano facto res magis prospere succedat. Philosophus ille cœlos nullos aut solidos aut fluidos statuit, sed spatia libera, & vacua. Est sol in centro, & circa eum volvuntur planetę majores, & circa nonnullos ex his circumaguntur Satellites describentes utrique motu suo Ellipsim. Inter distantias horum Planetarum, & tempora periodica eorum revolutionum advertitur mira harmonia, seu proportio, quę a Keplero, qui eam detexerat, tum a Nevvtonio, aliisque Philosophis, qui eam amplexati sunt, solet exprimi hac lege: *quadrata temporum periodicorum Planetarum esse semper, ut cubos suarum distantiarum a communi centro*. Ceterum velocitas, qua Planetæ moventur, est maxima. Venerem exempli causa, quæ terra minor est, cum orbem suum percurrat spatio septem circiter mensium, constat ex calculis, moveri velocitate centum, & quadraginta, & sex vicibus majore illa, qua globus actus a magno tormento bellico fertur. Ex Hugenio, Gregorio, VVistono, qui *orbitas metiuntur*, & tempora revolutionum aliorum planetarum exponunt, colligi possunt omnium velocitates, ex quibus multiplicatis per singulares eorum massas in *producto* quantitas eorum motuum maximorum, & admirabilium nobis innotescit. Hic interim, quin ad alia phænomena corporum cœlestium progrediar, consisto, & quæro ab æterni Numinis hostibus, quænam, Nevvtoniano systemate posito, quod ego ceteroquin nec admitto, nec respuo, esse possit causa motus, & causa talis, ac tanti motus in iis globis? Ipsi certe non moventur impetu, aut impulsu aliorum corporum; spatium enim illud, in quo planetæ feruntur, aut omnino, aut pene inane totum est; neque corpus unum in alterum agere nisi per contactum potest. Causa ergo prima, & proxima, seu immediata eorum motus alia esse non potest, nisi Deus. Transeamus nunc ad motus qualitatem. Non est ille simplex, sed compositus: constat enim, duas vires *directrices* agere in eos, *projectionis* unam, per quam moventur per lineam horizontalem, seu per *tangentem* suarum orbitarum; *gravitationis* alteram, per quam feruntur suorum motuum centrum versus. Si non essent ambæ hæ *difformes directrices potentiæ*, numquam Ellipses illas, quas semper describunt, possent describere. Si enim a sola potentia *gravitationis* illi moverentur, continuo planetæ perpendiculariter motu *accelerato* in solem, qui creditur centrum, deciderent; & simul glo-

(a) *Proinde ad conservationem vorticis constanter in eodem movendi statu, requiritur principium activum, a quo globus eandem semper quantitatem accipiat, quam imprimit in materiam vorticis. Absque tali principio necesse est, ut globus, & vorticis partes interiores propagantes semper motum suum in exteriores, neque novum aliquem motum recipientes tardescant paulatim, & in orbem agi desinant.* Nevvton lib. II. princip. prop. 52. corol. 4.

bum unum efficerent. Si vero a sola projectionis vi impellerentur, statim excurrerent per *tangentem* describentes *rectam*, & longissime a centro se removerent. Quia ergo his duabus potentiis, quibus per directiones adeo diversas, & impetus *difformes* moventur, parent planetæ, Ellipses Apollonianas exacte describunt; quibus quin umquam quiescant, quin vel tantillum exeant a via sua corpora magnitudine terraqueo globo multo majori, velocitate multo concitatiori acto bellico globo, constanter per tot sæcula insistunt, & hujus molis pulchritudinem, & commoda, & admirationem constituunt. Excutite vosmet ergo parumper, Athei infelicissimi, reponite aliquod, quod sanæ aures non respuant, de causa hujusce phænomeni. Si vel simplex motus non est *essentialis* materiæ proprietas, quis erit motus iste compositus, qui in planetis apparet? Nonne verum illud est, hac in *hypotesi*, movenda omnia corpora perpetuo fore & movenda elliptice? Immo particulæ minimæ componentes cum habeant corporis essentiam, deberent hunc motum ut proprietatem essentialem habere, ac proinde agi perpetuo. Verum si id ita esset, quomodo haberetur corporis firmitas, quomodo tot motus simplices, nec turbati, quos in natura videmus? Respondebuut illi, clavem hujus illustris systematis, summumque principium, quo inter suas orbitas planetæ retinentur, esse celebrem *Nevvtonianam attractionem*, quæ etiam *gravitas*, *&* *vis centralis* nominatur. Clavis tamen hæc admirabilis, felixque, sicut a quibusdam appellata fuit, mundani systematis nedum nobis ad cognoscendum Deum aditum recludat, ipsa, quin per alia media repamus, eum nobis detegit, & clarissime ostendit. Nos siquidem, nulla interposita mora, ad rem accedimus, petimusque, quænam umquam in Nevvtoniano systemate est causa, & origo hujus planetarum attractionis? Illa, ut dicemus, non oritur ab ullo mechanico principio *(a)*, cum omnes in hoc systemate amandentur vortices, & moveantur planetæ per libera, & inania spatia. Qui ergo sol sine ullo vel *remoto* vel *proximo* contactu potest ad se attrahere tanto impetu, vi tanta Saturni corpus adeo distans? Immo quomodo minutissima particula in centro solis inclusa (quoniam tota attractio massæ ex complexu attractionum cujuslibet individuæ particulæ conficitur) potest agere in aliam particulam latentem in singulis planetis positis in locis cum ob distantiam, tum ob situm tam diversis? Cum igitur nulla Mechanica causa in Nevvtoni systemate appareat, quin immo etiam cum excludatur, quid dicendum superest, nisi hanc attractionem, quæ leges omnes Mechanicæ supergreditur, esse a principio natura tota superiore, sapientissimo, & omnipotenti, quod Deus est *(b)*. Sed paulisper in suspenso relinquamus illationem hanc: concedamus, libertinos invenire in Mundo Nevvtoniano physicam attractionis causam; quid inde inferent? Nihil aliud requiri, ut, nulla divina potentia admissa, mundi systema componatur? Scilicet: potest quidem (inquit Anglus Philosophus) *(c)* hæc gravitatis lex retinere in orbitis suis cælestia corpora, at non potuit illa in iis collocare orbitis, hoc est, ea disponere admirando illo systemate, in quo ea videmus. Ob hanc unam gravitatis, vel attractionis vim omnes planetæ corruissent, ut diximus, in centrum suum, quod est sol. Ergo ut essent in locis talibus, tam diversis, tamque dissitis, & ibi motu admirando, temporibus mirum in modum correspondentibus his *respectivis suis* distantiis ellipses suas circum solem describerent, quodnam principium, quam vim in natura reperire Libertini possunt?

§. VII. En nobis munitam viam ad aliud invictissimum argumentum, quo eorum pervicaciam contundamus. Illi, ut diximus, nil aliud crepant, quam materiam, & motum, sive mechanicæ leges, quibus duobus elementis, quovis alio artifice excluso, tota universi causa adscribatur. Nos ostendimus, motum (nam de materia agetur postea) legesque Mecha-

(a) Nevvton *Philosoph. Natur. Princ. Mathe. l. III. Schol. general.*

(b) Vide Georg. Chaine *princip. Philosoph. Rel. Natur. c. 2. §. 24.*

(c) *Perseverabunt quidem in orbibus suis per leges gravitatis, sed regularem orbium situm primitus acquirere per leges hasce minime poterunt.* Philosoph. Natur. princ. Math. l. III. Schol. General.

chanicæ non esse proprietates essentiales materiæ, sed opus esse, ut proficiscantur à causa incorporea, materiæ, & uniuscujusque rei domina. Tamen fingamus, rem aliter se habere, & esse proprietatem materiæ moveri, & moveri iis Mechanicæ legibus, quas cernimus. Explicent ergo nobis his legibus creationem, dispositionemque mundi hujus; explicent, vi cujus mechanicæ legis rarum illud, & subtilissimum fluidum, quod lux appellatur, debebat secerni ab aliis corporibus crassioribus, & densioribus, & in sole stellisque fixis conglobari? Vi cujus mechanicæ legis & stellæ, & planetæ habere debebant eam configurationem, situm, distantiam, in qua sunt? Dicant, quæ Mechanicæ lex dederit satellites quinque Saturno, & Jovi quatuor, & solum primum Saturni annulo cinxerit? Quæ Mechanicæ lex statuit, ut orbitæ præcipuorum Planetarum essent *concentricæ* in motus directione, & proxime in eodem plano: cometæ autem moverentur per orbitas valde *excentricas*, & per omnes directiones? quomodo ex hujusmodi causa eadem hi, & tam diversi effectus enasci poterant? Sed ut ad inferiora hæc descendamus, explicare aggrediantur vi harum motus legum creationem tam variam, & pulchram florum, constructionem, & junctionem membrorum corporis unius insecti, & ultro manus dabimus. Sed illis aqua hæret, neque mutire audent, & si quando quis eorum quidquam dixit, ad hanc rem dormiens loquutus videtur, & ineptias indignas, quæ referantur, protulit; (a) cur non fatebimur, leges *primitivas*, quibus hæc moles cum cœlestis, tum terrestris fuit effecta, & disposita, differre ab illis, quibus nunc regitur, ac proinde eas nobis Artificem sapientissimum, omnipotentem, & liberrimum ostendere? Et revera, si oblata nobis esset *machina* variis rotis, & instrumentis constans, quæ nobis indigitaret dies, horas, aut Planetarum cursus, conciperemus quidem, leges mechanicæ, & motus efficere posse, postquam & composita, & disposita fuit, ut illa se moveret & motibus iis diversis, & iisdem semper indiciis: solus amens credere posset, partes Machinæ, figuras, magnitudines, conformationem non fuisse factas opera liberi, & sapientis opificis superiori, diversa, & interdum contraria legibus naturæ, & motus. Idem tanto æquius, quanto horologio est nobilior mundus, hoc est, esse amentes, dici potest de iis hominibus, qui in rerum natura nihil aliud esse volunt, nisi materiam, & motum. Inserviunt leges Mechanices explicandis phænomenis naturæ formatæ; at inservire nequeunt explicandę formationi, quę longe, multumque superans omnes vires, & leges Mechanicę necessaria rerum consequutione nos deducit ad cognoscendum, & adorandum Artificem potentissimum, sapientissimum, qui opere majori quavis vi, & lege nobis nota in tota natura, creavit molem hanc, eamque motibus iis, quos in illa videmus, libere construxit.

§. VIII. Ex his rebus omnibus clare patebit cuique, quam non irreligiosa solum, sed etiam absona, & falsa sit sententia cujusdam litterati viri, qui his temporibus, tantaque in scientiarum, & disciplinarum luce dicere non erubuit (b) *Deum in universo Physico non posuisse nisi principium unum. Materia is dixit, ego sibi vim indo: nec mora, elementa legibus motus subjecta, sed errantia, & confusa in spatii campis innumeras deformes constituerunt junctiones, innumera differentia chaos, donec ad æquilibrium sunt redacta, & ad eum ordinem physicum, quem creditur nunc habere Mundus*. Non opus est sapienti Lectori, ut ego illi indigitem in hac speciosa pictura adumbratum impium, & stultum Atomistarum, & Epicureorum systema, qui ex fortuito atomorum concursu per

(a) Ut habeatur exemplum recens, & certum, sufficiet legere *ideam constructionis, & causa motus Planetarum*, quam nobis exponit Buffonus in sua *Historia Naturali*; ut autem melius degustetur, *Epistola Gallicæ ad quemdam Americanum* typis editæ Amburgi an. 1751. legantur.

(b) *Il semble, que dans l'univers moral, comme dans l'univers physique, Dieu n'ait mis qu'un seul principe dans tout ce qui a été. Ce qui est, & ce qui sera, n'est qu'un developpement nécessaire. Il a dit à la matière, je te donne de la force. Aussitôt les élémens soumis aux loix du mouvement, mais errans & confondus dans les deserts de l'espace, ont formé mille assemblages monstrueux, ont produit mille chaos divers, jusqu'à ce qu'enfin ils se soient placés dans l'equilibre & l'ordre physique; dans lequel on suppose maintenant l'univers rangé*. M. Helvetius *De l'Esprit* disc. III. Chap. IX.

immensa ſpatia, & per infinita ſecula rationibus infinitis motarum prodiiſſe hoc univerſum blaterabant; Syſtema, quod jure ac merito deriſui habitum fuit a doctis cunctis, & quod tamen inſinuatur graviter, & ſapienter in libro omnigenę doctrinę, compoſito, ut pręfatur Auctor, ad omnium orbis gentium diſciplinam. Auctor eſt Helvetius in perilluſtri libro inſcripto *l'Eſprit*, qui admiratione affecit Libertinos, & dolore ſapientes omnes, qui meritus eſt proinde, ut damnaretur ab utraque poteſtate, Pontificia, & Regia. (*a*) Sed congrediamur quæſo cominus cum hoc Philoſopho.

Cum dicis, elementa vi prędita ſeſe legibus motus ſubjeciſſe, & hinc demum prodiiſſe mundum, vel loqueris de iis legibus, quas nunc in corporibus & in motibus eorum ſtatutas conſtantiſſime miramur; aut intelligis diverſas, & alias. Si de primis loqueris, jam paulo ante audivimus Nevvtonum ipſum pronuntiantem, quod & ſapientes omnes cum illo pronuntiant, & experientia ipſa demonſtrat (noſque etiam in capite proxime ſequenti dicemus uberius) has leges poſſe quidem prodeſſe, ut explicemus, computemuſque phenomena, ſive apparentias corporei mundi jam constructi, diſpoſiti, & moti; ſed illas nullo modo ſufficere rationi reddendę conſtructionis, figurę, molis, numeri, diſpoſitionis, & motus corporum univerſi, pręcipue cœleſtium, & *organicorum*. Si ergo vis nobis obtrudere, mundum compoſitum fuiſſe tuis elementis per has leges motus; rem falſam narras, & quę nullo modo fieri poteſt. Inquies ergo, leges a te memoratas fuiſſe diverſas ab iis, quas videmus, hoc eſt, illas, quę *primitivę*, aut creationis nominantur? Egregie. At hic inſto, aut his *primitivis* legibus ſeſe ſubjecerunt per ſe ipſa elementa, vel ſubjecta fuere a Deo, a quo ſcribis prędita fuiſſe vi; ſi primum dicis, rem incredibilem dicis; nam qui credi poteſt, elementa cęca & ſenſu carentia ex ſe ſemetipſa ſubjicere legibus harmonię, proportionis, pulchritudinis, ſapientię infinitę, & juxta has leges ferri, collocari, diſponi per ſe ipſa ad univerſi admirandam conſtitutionem? Pura putaque fabula hęc eſt, & ſomniantis deliramentum; immo repono ego, eſſe rem hanc geometrice ejuſmodi, ut fieri nequeat; nam elementa non ſolum huic legum motus ſyſtemati (quod eſt omnium perfectiſſimum) ſeſe ſubjeciſſent unquam; ſed ajo, omnino nulli ſeſe ſubjectura fuiſſe; quoniam, ut ſupra oſtendimus, in rebus naturalibus, quę liberi arbitrii uſu carent, ubi eſt varietas ingens partium ſeligendarum (ut in propoſita re fuiſſet) neque ratio eſt, quę perſuadeat amplectendam potius partem hanc, quam illam: non poteſt eſſe electio, immo ne determinatio quidem ullius generis. Elementa ergo *vi prędita primitivis* motus legibus per ſe non ſe ſubjecerunt. Relinquetur, ut dicatur, ea fuiſſe illis a Deo ſubjecta. Et ita revera eſt. Sed quomodo, quæſo, addis verba illa profana, *elementa iſta legibus motus ſubjecta, ſed errantia, & confuſa in ſpatii campis innumeras deformes conſtituerunt junctiones, innumera differentia Chaos, donec ad æquilibrium ſunt redacta, & ad eum ordinem phyſicum, in quo ſunt*? Quid? annon vides, te id dicere, quod non ſolum opponitur Revelationi, a qua diſcimus, vi unius *Fiat* creatum fuiſſe univerſum (quod te tamen fortaſſe non valde ſollicitum habet): ſed dicere id, a quo deſtruitur, quod ſupponis? namque repugnat, elementa *primitivis* motus legibus ſubjecta errabunda ferri, & confuſa per immenſa ſpatia; & tamen conſtituere ſimul innumera Chaos, innumeros deformes complexus, Dicere id, quod maxime dedeceret notionem ſapientiſſimi, & potentiſſimi moderatoris? Quantum enim dedecus in eum non redundaviſſet, ſi elementa a ſe vi munita, coercita legibus *primitivis* motus, quo hoc univerſum efficeretur, imperio non paruiſſent niſi invita, ad æquilibrium ſe non redegiſſent, niſi poſt infinitos itus, redituſque, & errores? Ut dicam quod ſentio, effugium nullum aliud video, quo

(a) Conſtat, Auctorem ediditſe unam, immo & alteram (quoniam prima in multis deficiebat) retractationes ſolemnes, quibus damnat errores, quorum liber plenus eſt. Lætamur de illius reſipiſcentia vellemuſque, ut exemplo eſſet Libertinis. Quod hic, & alibi dicemus, non debet referri ad Auctorem reſipiſcentem, ſed ad Auctorem errantem; vel, ut verius dicam, ad exitioſum opus, quod licet ab eodem damnatum, quia tamen vis ingens exemplarium edita fuit, ad manus omnium pervenit, & virus communicat.

quo ex ultima mei dilemmatis parte possit evadere Philosophus iste, nisi hoc, si dicat, initio speciosi sui systematis mentionem de Deo fecisse; (ut fecit etiam in sua Ethica Spinosa) ut scilicet decipiat incautos, & indoctos; cum certe nihil aliud ille in universo agnoscat nisi materiam, aut elementa, per quæ post innumeros impulsus, casusque constitutus sit mundus; quod est ipsum systema Epicuri, cujus se philosophus hic cum in *speculativa*, tum in parte *practica* operis sui fidelissimum assectam præbet conspiciendum. Hoc tamen systema quam est impium, tam falsum, & repugnans ex rebus hucusque dictis arguitur.

§. IX Sed redeamus e diverticulo in viam; & insistentes vestigiis nostris susceptam demonstrationem & illustremus, & muniamus. Sola creatio hujus molis Artificem omnium naturæ virium potentissimum nobis detexit; at si attente velimus advertere perfectionem, quæ in tota hac eadem mole creata, & in singulis ejus partibus elucet, tam clare sapientiam, libertatem, potentiam, divinamque virtutem agnoscimus, ut cæca impietas tantum dissimulare possit, se illam non introspicere. Verba tamen non faciam de pulchritudine, quæ in tota mole, & in ejus partibus tenuissimis pro singularum natura cernitur; pulchritudine, inquam, adeo perfecta & exquisita, quæ admirabilissima artis opera longe multumque superat (*a*). Missam facio amplitudinem pene immensam hinc *magnitudinis*, hinc *parvitatis*, in quam expansum mundum videmus. Si tellus cum sole collata (*b*) est instar parvi globi, collataque cum planetario systemate vix est instar milli grani; quid erit cœlum stelliferum, cujus quodlibet astrum primæ magnitudinis est velut sol, & fortasse centrum alterius planetarii systematis? quæ amplitudo latissima! Si postquam inspeximus Elephantem nudis oculis, & eos convertimus ad tineam, quæ est omnium insectorum, quæ quidem sub aspectum cadant, minima, speculemur ope *microscopiorum* alia genera insectorum tinea ipsa mille millies minorum (*c*): quæ progressio incredibilis! Legi possunt, & apud Astronomos, & apud Scriptores Naturalis Historiæ observationes hujusmodi ubertim descriptæ, aptæque ad ostendendam evidentissime potentiam illius brachii, *quod pertingit a fine usque ad finem fortiter*. Ego enim, ut dixi, totum id silentio prætereo; cum præcipue hoc velim, ut in hoc universo spectetur artificium partium innumerabilium, & diversarum singularum tamen non solum in suo genere perfectarum, sed omnium simul colligatarum summa concentione, ordine mirabili *finium*, & *mediorum*; finium, inquam, nobilissimorum; mediorum ex omnibus aptissimorum, & opportunissimorum. Videt sapiens Lector, tam late patere hoc argumentum, quam late universum ipsum patet; quod quidem contemplans Plato dixit, *Deum geometrizantem* omnia fecisse; sapiensque Filius Sirach, *eum in numero, mensura, & pondere omnia disponere*. Multi præclari doctrina viri cum veteres, tum recentes multa verba de illo fecerunt; ego nonnisi specimina aliqua brevissima exscribam. Systema solare nobis statim objicit, quam innuimus, admirandam veritatem in æqua magnitudine, & distantia, quam inter se habent corpora, quæ illud component; cum appareat cuicumque, modo cæcus non sit, opus textura exquisitissimum, & sapientissimum. Tellus verbi causa, & sol collocantur in iis duobus assignatis punctis longinquitatis, quæ, pensatis eorum massis, & affectionibus, erant illa una, & non alia, in quibus astrum illud globo huic nostro poterat prodesse. Variatio loci illorum duorum punctorum efficiebat, ut periret quidquid pulchri, quidquid boni est in tellure, & vivit moveturque. Si enim sol magnitudine sua tanta vicinior esset, præ nimio æstu languescerent, & morerentur animalia plantæque, liquefierent metalla, evanescerent fluida, nulla esset atmosphæra, nullæque nubes, tellusque in pulverem, & cinerem redacta sterilis omnino esset, & infœcunda. Si magnitudine sua sol longius distaret, statim viventia omnia gelu concreta, & extincta, retenta glacie flumina, tacentes

(a) Vid VVilkius *Relat. Nat. l. 1. c. 6.* Lyonnet *Theolog. des insec.* Tom II. c. 4.
(b) Legantur Hugen *Cosmotheor.* lib II. p. 711. Maraldus *Histoire de l'Acad. an.* 1716. Nievventit *Exist. de Dieu l. 3. c. 1.* (c) *Hist. de l'Acad. an.* 1718.

ventos, nubes e cælo dilapsas, terram asperam, minusque producendis herbis idoneam quasi lapidem videremus. Si vero in eadem distantia sol esset aut major, aut vividiore calore præditus, æstu globo nostro exitium afferret; sin autem minor & mole, & virtute, gelu tellus periret. Convenientia igitur in proportione tam æqua magnitudinum, & distantiarum horum duorum corporum, electio collocationis eorum in immensa extensione spatiorum cœlestium in iis duobus punctis artificem nobis demonstrant, qui rerum inter se relationes cognoscit, qui pensitat earum vires, qui prævidet consequutura ab omnibus systematibus, & qui æqua sapientia, potentia, & bonitate optimum eligit. Quod in creatione horum duorum corporum animadvertimus, id animadverti potest constanter, firmiterque in innumerabilibus partibus vel minimis Universi, quæ nobis innotescunt. *Anotome* una plantarum, & animalium argumenta clarissima opificii incomparabilis, & infinitæ Sapientiæ nobis suppeditat.

Pauca de his extremis tantum dicam. Celebris est Galeni sententia, tum cum contexens librum suum *de usu partium humani corporis*, obstupefactus miro artificio, quod e quavis particula emicans patefacit opus sapientissimi, ac potentissimi Creatoris, scripsit, volumen illud esse *Hymnum* Deo gloriosiorem, quam thura, centumque bovum effusus cruor essent. Nova tamen prodigia quotidie detegunt præter animadversa ab antiquo illo Scriptore in animali corpore hujus artis cultores, qui cum nobis ostendere soleant munera, finesque, ad quos detectæ partes referantur, eodem tempore oculis nostris eas subjiciunt ea configuratione, eo situ, duritie, flexibilitate præditas, quæ unice ad illum finem consequendum requirebantur; ita ut ex immutata una tantum vel tenuissima, & interdum oculorum aciem fugiente circumstantia, illico artificii turbatio, & interdum dissolutio, animalisque mors enascatur. Ut enim, causa exempli, viveret animal, opus erat, ut chylus non cum fæcibus exiret, sed per totum corpus distribueretur. Ad hunc finem *intestinis* adhærent subtilissimæ illæ venæ, quæ *venæ lacteæ* nominantur, aptæ ad recipiendum liquorem hunc adeo salutiferum, & ad deducendum in quoddam, quod ex officio receptaculum chyli dicunt, ex quo per vertebras dorsi se extollens ductus illum sublevat, & ope crebrarum valvularum sustinet, ne relabatur, donec pervenit ad venam subclaviam, in quam desinit. At qui fieri poterat, ut in venam hanc, in quam excurrit, deberet ingredi chylus, neque vice versa per ductum chyli sanguis in venam illam descenderet? Sic habet: intro venam ipsam super orificium ductus chyli apparet membrana, quæ vicibus valvulæ fungens eodem tempore impedimento est, ne sanguis supra ipsam excurrens deorsum descendat per ductum illum; & ex latere, unde effluit sanguis, illi opposito repetens aditum aperit chylo, qua intrat in venam, & a copia sanguinis raptus cum ipso permixtus, & confusus simul ad cor migrat, & inde per venas circumeundo per corpus diffundatur; atque hoc modo & augetur, & conservatur animal. Sed quæro, hæc admiranda valvula, tam affabre elaborata, & opportune eo loci posita, cujus ope mortifera impeditur turbatio, quæ opificio eveniret, si thoracis sanguis per illum ductum præceps deorsum ferretur, animalque vita fruitur ob permixtionem chyli qui est esca, cum sanguine; hæc valvula, inquam, a quo umquam nisi a Sapientissimo in eo venæ loco, non in alio, & hac forma elaborata, collocata fuit? Sanguinis circulatio his temporibus experientiis minime dubiis illustrata, quam ingentem apparatum venarum, vasorum, valvularum, ligaminum, sinuum non requirebat, ut humor hic vitalis ex corde exiens usque ad summas, imasque corporis partes diffunderetur, & hinc ad cor rediret tam cita pernicitate, ut juxta Harvæi computum viginti vicibus per horam quamlibet massa cuncta sanguinis hominis, quæ est pondo circiter viginti quatuor *librarum*, orbem suum perficiens per cor transiret? Tamen omnia hæc multiplicia instrumenta ad hunc perpetuum velocissimum motum efformata, & omnia statuta ad illud temporis punctum, quo excellens indiget opus, in homine reperiuntur. Non vacat longius immorari argumento, quod nullos habet terminos. Dicamus summatim: constructio, visque musculorum, cere-

cerebri structura, ossium dispositio, ramuli nervorum, materies, situs, tunicæ, & tegumenta, quibus viscera sepiuntur, id totum quemlibet in sui admirationem trahere debent, non solum ob artificii excellentiam, quæ in singulis his partibus elucescit, sed multo etiam magis ob eam æquissimam junctionem, quam inter se habent, ita arctam, semperque eamdem, ut si unius earum partium, quæ animal constituunt, vel situs, vel magnitudo, vel durities, vel qualibet alia qualitas immutaretur, continuo perturbatio, vel exitium, vel certe operis deformitas sequeretur. Jam in hac mira rerum complexione, & in hac aptissima relatione mediorum ad finem ex materia tam fragili perfecta, in locis adeo inter se implicitis, partibus tot, tamque inter se diversis neque consilium erit, neque electio, neque mens, neque ratio, sed erit una vox sensus inanis, ut sonat in incredulis, naturæ, casusque. Enim vero oportet *spiritus fortes* habeat, qui sine indignatione opinionem adeo a ratione dissonam audire potest. Quamquam postquam indicavimus congruentiam, quam animali partes inter se habent, ut artificium tam venustum constituatur, operæ pretium est obiter contemplari dispositionem apprime aptam respectu rerum externarum, cui inserviat usui, aut quæ pariat emolumenta, aut quæ repellat damna, quæ inde in animal derivari possunt. Et ut quosdam terminos, velut cancellos, sermoni nostro statuamus, extra quos non vagetur licentius, consideremus concentum, qui est inter *organum* visus, & lucem, quæ cum per se cernitur, tum in causa etiam est, cur cetera cernantur. Habes globulum non solum arte exquisitissima elaboratum, sed etiam perfectum iis qualitatibus, & proportionibus omnibus, quæ, hac lucis natura admissa, & his *refractionis* lucis legibus admissis, requirebantur necessario, ut impressio, picturaque externarum rerum fieret. Quidquid hic vides, perfectum est juxta exactissimæ Mathematicæ præcepta, aut, ut verius loquar, est scientiæ Physico-Mathematicæ argumentum. Si opus vel tantillum immutabatur, aut visio non fieret omnino, aut perturbata fieret, & confusa. Libertinos nunc ad respondendum provoco, qua de causa prima tunica hujus globuli opaca retro, ut aliæ omnes sunt, sit ante *diaphana*, aut pellucens? Nisi ut hoc modo liberum aditum radiis relinquat. Dicant, cur non unus, sed tres sint in oculo humores? Nisi quod refractione una radii simul non coaluissent, nisi post nimis longum intervallum; sed post triplicem refractionem tanto temporis intervallo coeunt, quantum satis est, ut externæ res retinam tangentes in ea pingantur. Dicant, cur humor crystallinus non sit figuræ sphæricæ, non *lentis* planæ, non concavæ, non *plano-concava*, non *concavo convexa*, sed ex utraque parte convexæ? Nisi quod hæc una figura, nullaque alia, natura lucis posita, apta erat, & necessaria refractionibus, quæ in oculo, ut visio fieret, requirebantur. Dicant, cur extra hos duos globulos adsint duo illa tegumenta, quæ palpebræ nominantur, ex pelle mollissima, sed quæ difficillime discerpatur, constituantur? Cur hæ regantur a musculis, qui dicto citius eas explicent, complicentque? Cur munitæ sint prominentibus, & duris pilis, qui inter se parum dissiti eas cingunt, ornantque? Quorsum hæc omnia? nisi ut tegant, tamquam subtilissimo velo opera illa tanto artificio constructa, & ea tutentur a quovis externo impetu, ut objiciantur luci, cum somnus est capiendus; ut excludant ingratarum rerum, ne mentem perturbent, imaginem; ut repellant iis pilis nimiam radiorum copiam, arceantque corpuscula per aerem volitantia ab ingressu in oculi receptaculum, ne motum ejus impediant, aut quovis modo eum lædant. (a) Quomodo ergo in his, innumerisque aliis relatio-

(a) *Palpebræ, quæ sunt tegumenta oculorum, mollissima tactu, ne læderent aciem: aptissime factæ & ad claudendas pupillas, ne quid incideret, & ad aperiendas: idque providit (natura) ut identidem fieri posset cum maxima celeritate. Munitæque sunt palpebræ tamquam vallo pilorum, quibus & apertis oculis, si quid incideret, repelleretur, & somno conniventibus, cum oculis ad cernendum non egeremus, ut qui, tamquam involuti, quiescerent. Latent præterea utiliter & excelsis undique partibus sepiuntur. Primum enim superiora superciliis obducta sudorem a capite & fronte defluentem repellunt; genæ deinde ab inferiore parte tutantur subjectæ, leviterque eminentes. Nasus ita locatus est, ut quasi murus oculis interjectus esse videatur.* Cic. de Nat. Deor. l. II. n. 57.

lationibus congruentiæ, & proportionis necessariæ inter media finesque, inter *subjecta & objecta*, inter oculum & lucem non fatebimur, sicut in quovis alio effectu fatemur, esse causam adaquatam, quæ sapientia, & potentia infinita prædita rerum *exemplaria* inter se componens, & eas adumbraret ejusmodi *harmonia*, & perficeret tam exquisite, propositumque finem certitudine tanta pertingeret? An dicendum potius erit, eum, *qui finxit oculum, non considerare?* Quod diximus de visionis organo respectu lucis, dicendum est etiam de aliis sensibus respectu rerum sibi objectarum. Quod autem & in sensibus, & in animali corpore advertitur advertitur in mundo toto ex innumerabilibus constante partibus non solum inter se colligatis, conjunctisque, sed unaquaque quarum potest aliquo modo considerari tamquam centrum commune aliarum omnium, ad quam referantur singulæ ipsaque referatur ad singulas: ita ut singulæ sint sibi mutuo & media, & fines. Hæc tamen innumera relationum vis turbas nullas, confusionem nullam parit; quandoquidem immobiles sunt termini illi, qui naturas secernunt, servantque multiplicitatem partium in systematis unitate. Hinc ergo est illud inferendum, universum hoc factum esse ab Artifice, qui uno intuitu totum, quantum est, illud vidit, omnia ejus phænomena vidit, omnia quæ consequutura erant in partibus tam dissitis, tam diversis, tam minimis, in tot junctionibus tam variis, tot in casibus adeo admirandis vidit; ab Artifice, inquam, libero, & potentissimo, qui ex infinitis rationibus opportunissimas eligens rem quamlibet prævidit, infinitaque potentia hoc, qualecumque est, condidit universum. Jam opificem hunc tam sapientem, tam potentem, bonumque dicimus esse Deum illum, cujus cœli enarrant gloriam, & cujus potestatem annuntiat firmamentum; Deum illum, cujus sempiterna virtus, & divinitas per ea, quæ facta sunt, conspicitur, si modo oculorum acie non careamus, ut eam non videamus.

§. X. Quomodo non dicam vere, sed aliquo modo verisimili huic argumento responderi possit, non video. Tamen tantum abest, ut manus dent, ut etiam jactabundi dicant nonnulli, hunc esse locum topicum superstitiosorum; esse argumentum populare elegantibus descriptionibus concinnatum, non esse Geometricam demonstrationem; ac proinde cum non ostendat necessaria evidentia supremi Numinis existentiam, si quosdam imperitos movere potest, non esse ejusmodi, quod ratiocinatores sibi similes convincat. Nihil me movet aliud ad afferendas has insanias dignas prorsus quæ contemnantur, nisi hoc, ut Lectores cognoscant hostium Religionis ingenium, & ut allatum argumentum, iis refutatis, omnino evidens evadat. Ac primum quod ad Geometricam demonstrationem attinet, ab iis requiro, ut bona fide respondeant, si in aliquo deserto nemore palatium secundum artis leges magnifice extructum videant, cujus variæ partes sibi adamussim respondeant, totumque simul, partesque utilitati, voluptati, usuique domesticorum quam exactissime inserviant; requiro, inquam, ab iis, ut respondeant, an diu habeant ancipites, & dubii in decernendo, num palatium illud sit sapientis artificis opus, an fortuitus ludus particularum tenuissimarum, quæ dilapsæ ex prominenti montis rupe, discissæ, motæque, & simul conjunctæ sine cujusquam opera ex se tantum eam in formam coaluerint? Annon verum est, vel solo ejus molis intuitu eos consilium, opusque Artificis industrii, & periti conjicere claritate tanta, quanta demonstratio aliqua Euclidis de aliquo Theoremate eos certos facit? Quod si umquam scirent, se in alterutro errare, annon potius procul dubio suspicarentur, aliquem paralogismum inesse in Euclidæa demonstratione, quam crederent, se falli, putantes palatium illud ædificatum ab homine qui cogitat, non a confracta rupe? Igitur, ego hinc colligo, etiam præter demonstrationes Mathematicas invicta certitudine quædam veritates tenentur, quæ ad quantitatem, quam illæ scientiæ considerant, non pertinent; & quin gradatim mens nostra transeat ab axiomatibus ad postulata, ab his ad syllogismos, tum ad corollaria, sola contemplatione alicujus rei sæpe rapitur ad inferendam rem aliam evidentia, & certitudine ejusmodi, ut nihil hæsitet, nihil dubitet. Si ergo, quin opus sit ad hoc Geometrica demonstratione, pulchritudo, ordo, perfectioque ædificii ine-

ineluctabili modo demonstrat, illud non potuisse casu fieri, sed scientia, & potestate sapientium artificum; cur umquam, nisi ex pervicaci impudentia defectus Geometricæ demonstrationis objicietur, ne agnoscatur existentia Creatoris sapientissimi, & omnipotentis, cum ex pulchritudine, magnitudine, & ordine Universi longe evidentius elicitur?

Quamquam non sum in ea opinione, ut credam, ex hactenus dictis nostram illationem carere eo ratiocinii fundamento, quo certitudo demonstrationum innititur. Enascitur illa radicitus a firmissimo principio, quod nostrorum assensuum *analysim* nobis facientibus statim objicitur. & ex quo deducitur demonstratio tam clara, & evidens, ut juxta, Geometriæ demonstrationes, sit certa. Sic paucis verbis eam habeto: Quoniam *nulla res est sine ratione adæquata, sive, sine principio illo, per quod intelligitur, quare res sit*: Hinc sequitur, unum, aut plura phænomena, in quorum certa essentia seu principio *adæquata ratio* invenitur, probare existentiam illius Entis, seu principii.

Hæc propositio est extra omnis dubitationis aleam, reduciturque statim ad principium omnium primum, quod *contradictionis* dicitur. Si enim hæc phænomena non probarent existentiam illius entis, in quo solo reperitur *ratio adæquata* eorum essentiæ, sequeretur, ipsa existere, quin existat id, *sine quo nequit intelligi, cur existant*, quod implicat contradictionem. Pergamus porro: Hujus Universi hactenus a nobis breviter considerati, quod continet in se phænomena non solum per se ipsa sigillatim perfecta, sed admiranda harmonia sibi invicem correspondentia, & inter se ut media, finesque aptissime perfecta; hujus Universi, inquam, in uno Ente solum sapiente, libero, potente, bono *adæquata ratio* reperitur. Qui fingit casum, aut fortuitam unionem particularum fingit pro *ratione adæquata* operis *rationabiliter* facti principium *sine ratione*; immo fingit (ut patet ex demonstratis) rem, quæ nullo modo fieri potest; immo nihil; sicut scilicet nihil, aut res quæ esse non potest, fingitur in systemate Spinosæ, eorumque omnium, qui dicunt, mundum fuisse ab æterno, quin a Deo conderetur; quod in capite, quod proxime sequitur, ostendemus. Hoc universum ergo, dispositioque phænomenorum, quæ in illo cernuntur, probant existentiam Entis liberi, potentis, boni, quod est Deus O. M. quem colimus.

§. XI. Quamquam autem tanta evidentiæ luce argumentum illustravimus, ut illi tantum futilia, & inania verba increduli possint opponere, tamen haud rem injucundam Lectori fecerimus, si insistentes vestigiis hucusque impressis sermonem producamus, neque a contemplatione hujus mundi oculorum aciem alio avertentes ad sublimissimum metaphysicæ demonstrationis gradum argumentum extollamus: Non solum enim *casus* hypothesim, sed quodvis aliud antiquorum, & recentiorum Atheistarum (de quibus uberius in proxime sequenti capite dicemus) systema radicitus illa convellit. Divus Thomas pluribus suorum operum in locis, semperque validissime de illa agit. Ita ergo ajo: Vidimus paulo ante, motum, multoque minus dispositionem partium non esse essentialem materiæ proprietatem; ac proinde causa extrinseca, incorporea, sapiente, & potente opus esse, ut illa hanc, & illum accipiat. Jam huic materiæ, partibusque cunctis, quæ hoc universum constituunt, non solum motus & dispositio conveniunt, sed *ne existentia quidem essentialiter convenit*; sic enim materia & partes existunt, ut potuissent non existere; & sane facile nos eas concipimus tamquam non existentes, aut alia, diversave ratione dispositas; quod certe non fieret, si existentia esset earum essentialis proprietas. Ergo totum hoc universum, & quidquid in eo continetur, est *entium contingentium* cumulus; ergo extra hunc mundum est *Ens necessarium* per se ipsum existens, a quo res hæ cunctæ habuerunt essentiam illam, quam e se ipsis habere non possunt. Quod ratiocinium innititur hoc primo principio, quod superius attulimus, *nullam rem esse sine ratione adæquata, aut sine principio illo, per quod intelligitur, quare res sit*. Quoniam ergo *Entia contingentia*, qualia sunt materia, partes, effectusque omnes, quos in mundo cernimus, non habent in se suæ essentiæ *adæquatam rationem*; concipere enim possumus eas & existere, & non existere; ex necessaria consequutione ex his rebus gradum facientes dispicimus ens illud,

illud, in quo earum *adæquata ratio* reperitur, & quod voluit, eas existere, & tali modo existere; inferimus autem ipsum vi naturæ suæ, hoc est ex se ipso, existere; & ideo necessario existere, & hoc esse Deum. (*a*) Qua consequutione per demonstrationem deducta gradum statim facimus per legitimas, necessariasque illationes ad conjicienda illius supremi Entis incomprehensibilia evidentissima bona; & hinc ad profligandas invictis argumentis perversas opiniones, quas de Deo cum veteres, tum recentes libertini finxerunt. D. Thomas Aquinas & in parte prima Summæ Theologicæ, & in Libro primo contra Gentes egregie hoc opus est exequutus. Nos contenti erimus pauca ex illo delibare, eumque ducem sequentes ita disputare.

§. XII. Existit ergo Deus, hoc est, ille qui *est per se*, ac proinde ex necessitate naturæ existit: ille ergo est *æternus*, cum non potuerit accipere ab alio vim existendi; nec ideo concipi potest temporis momentum, in quo non extiterit. (*S. Thom. I. con. Gen. c. CX. n. 4.*)

Deus est Ens *supremum*, quoniam a nemine pendet, qui *est per se*; totumque pendet ab eo, qui habet in se *rationem adæquatam existentiæ* omnium rerum. (*Ibidem*)

Deus est *perfectissimus*; nulla enim perfectio deesse potest illi, cui, *cum sit per se*, plenitudo essentiæ de essentia convenit, neque coarctari potest ratione ulla. (*I. P. quæst. 4. art. 2.*)

Deus est ens *simplicissimum*; quidquid enim compositum est, defectum habet in partibus, & ipsum totum pendet a partibus. Hoc autem repugnat Enti perfectissimo, & supremo. Est ergo Deus simplicissimus. (*Lib. I. cont. Gent. c. 18.*)

Deus est *infinitus*. Cum enim sit perfectissimus, non reducitur ad ullum entium genus; sed quidquid perfecti, bonique est, ei per essentiam convenit; illius ergo perfectio, & existentia nullis circumscribuntur terminis. (*Lib. I. cont. Gent. c. 43.*)

Deus est *immutabilis*. Quod enim mutatur, aut acquirit aliquid, quo prius carebat, aut quid amittit, quo prius fruebatur; hoc in eum nequit cadere, qui per essentiam est perfectissimus, & infinitus. Immutabilis est igitur Deus. (*I. P. q. 6. art. 1. & 2.*)

Deus est *unus*, neque plures concipi possunt; siquidem cum perfectissimo Enti nulla perfectio deesse possit, neque defectus ullus in illud cadere; nulla ratio esse posset, cur duo entia perfectissima inter se distinguerentur. Præterea, cum nihil Enti infinito deesse possit, necessum est, ut sit unum; quoniam si plura essent, deesset singulis (saltem quoad extensionem perfectionum) id quod haberent alia, ac proinde non esset infinitum. Implicat ergo contradictionem asserere, esse plures Deos. Deus ergo est unus.

Deus est purus *Spiritus intelligentia, voluntate, libertate, omnipotentia* præditus: quoniam hæ sunt perfectiones simplices, (*b*) hoc est, quæ nullum vitium in sua notio-

---

(a) *Videmus in mundo quædam, quæ sunt possibilia esse, & non esse, sicut generabilia, & corruptibilia. Omne autem, quod est possibile esse, causam habet, quia cum de se æqualiter se habeat ad duo, scilicet esse, & non esse, oportet, si ei approprietur esse, quod hoc sit ex aliqua causa... Ergo oportet ponere aliquid, quod sit necesse esse... Et hoc est Deus, cum sit prima causa.* S. Th. I. con. Gen. c. XV. n. 4.

(*b*) Duo genera perfectionum opus est distinguere: aliæ *simplices*, aliæ dicuntur *mixtæ*. Primæ sunt illæ, quæ in sua notione vitium nullum involvunt, neque majori perfectioni opponuntur. Hujusmodi sunt *Sapientia*, *bonitas*, *vita*, & aliæ tales. Et hæ omnes sunt in Ente perfectissimo, & de illo *formaliter*, aut directe enuntiantur; unde dicitur Deus *sapiens* est, Deus est *bonus*, *justus*, *vivens* &c. Perfectiones *mixtæ* sunt illæ, quæ aliquem defectum in sua notione includunt, aut excludunt ab illo Ente, in quo sunt, aliquam majorem perfectionem; hujusmodi est *ratiocinatio*, quæ aliquam ignorantiam significat; hujusmodi *motus*, & aliæ hujus generis multæ. Jam perfectiones hæ non sunt in Ente perfectissimo reipsa, neque de illo directe enuntiantur. Non dicitur ergo, Deus *ratiocinatur*, Deus *movetur*; sunt tamen in eo *eminenter*, & *virtualiter*, quia ille has perfectiones in res creatas indit; estque in eo attributum illis longe præstantius, quod earum defectum suppleat. Ita pro ratiocinio nostro est in Deo *omniscientia*, & sua immensitate, & infinita agendi vi motum nostrum exsuperat. Doctrinæ hæ sunt evidentes & a notione Entis perfectissimi derivantur *naturaliter*, easque omnes Theologiæ magistri admittunt, legique potest D. Thomas *I. P. q. 4. art. 2. & I. con. Gen. c.* 28. Hinc facile conjici potest, quantum erraverit clarus Joannes Clericus, cum in *Pneumatologia Sect. III. cap. 3. §. 17.* ita scribit: *Si quis quæsiverit, quare Deus a nobis potius Spiritus, quam Corpus vocetur, cum non minus habeat proprietates corporum, quam spirituum, reponimus, omnium quidem entium proprietates in Deo esse: ideoque ad unum genus entium eum accurate loquendo magis referri, quam ad* alte-

notione habent; ac proinde convenire debent Enti perfectissimo (*Lib. I. con. Gen. c. 44. n. 5.*) cui etiam novimus eas convenire; idque ex contemplatione rerum creatarum, quarum solum in Ente sapiente, incorporeo, potente, libero *adequatam rationem* reperimus.

Deus est *provisor supremus*, quem nihil latet, cui nihil resistit, quem nihil fugit; immo cuncta novit, cuncta conservat, cuncta movet, & imperio non minus suavi, quam forti secundum sua consilia, quin aberret, & vincatur, res corporeas, & incorporeas ad statutum finem perducit. (*I. p. q. 22. a. 2.*) Hæc Dei proprietas a perfectione illius naturæ, a *contingentia*, *& dependentia* rerum conditarum necessario derivatur.

Deus est *justus*. Ordo necessarius, & æternus in ejus natura primitus effulget; atque huic ordini, in quo servando justitia tota est, Deus suis decretis immobilis adhæret. Notiones immutabiles hujus ordinis ille in mentibus humanis imprimit; hinc nascitur jus, quod naturale dicitur; quo servato, vel violato, homo est vel justus, vel injustus; quem proinde Deus hujus ordinis fons, custosque suppliciis, aut præmiis æquus semper afficit. Id totum ex notione Entis perfectissimi, & ab ejus nota supremi moderatoris recta deducitur. (*I. p. q. 21. art. 2.*)

Deus est *sanctus*; ipse enim novit infinitas perfectiones suas; has necessario, & essentialiter amat; in hoc amore, qui est rectissimus, & perfectissimus, sanctitas, quæ voluntatis perfectio est, essentialiter consistit. Deus igitur sanctus est.

Deus est *verax*. Intellectus Divinus regula prima est, mensuraque omnis veritatis. Quapropter Deus est veritas purissima, & ipsa veritas per essentiam. Nequit ergo ille decipi. (*I. p. q. 16. art. 5.*) Sed est etiam per essentiam *sanctitas* ipsa, in quo nulla est macula; nequit ergo fallere. Ergo Deus verax est.

Deus est *Beatus*. Ipse se comprehendit, qui est infinita veritas, se ipsum amat, qui est infinitum bonum; ab hac cognitione, ab hoc amore voluptas infinita paritur; id autem totum veram beatitatem constituit; idque totum est una, eademque res in Deo, hoc est eadem ejus essentia. Deus ergo est Beatus, & essentialiter Beatus, & infinite Beatus. (*I. con. Gen. c.* 100. 101. 102.)

Deus est hominum Beatitudo. Etenim Beatitas, seu ultima felicitas cum sit *status comprehensione omnium bonorum perfectus*, omniaque bona isthæc in Deo contineantur, qui est Ens perfectissimum, qui ad eum possidendum pervenit, illum videndo est omnino beatus: quoniam nullum est in eo desiderium, quod non satietur; ut desideria singula recensens D. Thomas ostendit. (*Lib. III. con. Gen. c. 63.*) Deus ergo est suprema nostra beatitas. Aliæ perfectiones naturali rationis lumine conjici possunt ex notione illa, quam de Deo effingimus per contemplationem harum rerum conditarum, quæ via est, cui institimus in hac demonstratione, quamque nobis indigitat D. Paulus ut cognoscamus non solum essentiam, sed etiam attributa Dei, ad Romanos scribens: *invisibilia Dei, & ejus æterna potentia, & divinitas per ea quę facta sunt intellecta conspiciuntur.* Sicut autem in hoc brevi divinorum attributorum specimine asserendo D. Thomam sequuti sumus, ita si hæc, & alia copiose, & firmissimo ratiocinio hoc ab illis deducta, suisque illustrata luminibus avet cernere, adeat Lector ejusdem Doctoris, quæ citavimus, opera; ejus cum rectitudine, acumine, & claritate cogitandi, nescio, an quisquam recentiorum ausurus sit se conferre.

Inter

alterum non posse. Sed quoniam usus obtinuit, ut denominatio fiat a nobiliori parte, hoc est ab ea, cujus attributa aut plura sunt, aut minoribus laborant defectibus, Deus merito spiritus potius q am corpus dicitur. Omnes hi errores sunt turpissimi. Perfectiones omnes, quæ concipi umquam possint, in Deo sunt: id quidem verum est; sed ratione longe dissimili in eo sunt, ut modo diximus. Spiritus notio absolute sumpta nullum vitium involvit, neque majori perfectioni opponitur; est ergo illa perfectio *simplex*, proinde *formaliter* est in Ente perfectissimo: & ideo Deus directe, & proprie Spiritus dicitur: *Deus Spiritus est*. Notio corporis & includit defectus, & opponitur majori perfectioni, ut per se patet; ideoque attributum hoc in Deo locum non habet, & graviter erraret qui scriberet, *Deus non minus habet proprietates corporum, quam spirituum.* Deus sua potentia creat corpora, & Essentia sua complectitur quidquid boni est in omnibus entibus corporeis, sed modo *eminenti*, & ratione omnino *diversa*; hæc est causa (non ea, quam Clericus protulit) cur Deus nec dicitur, nec vero sine impietate potest dici *corpus*, aut *corporeus*.

§. XIII. Inter celebriores nostrorum temporum, & ingenii scriptores acumine, & ratiocinandi vi est Roussojus, cujus opera primario in Bibliothecis Libertinorum loco sunt: in suo libro, quem *Emile* inscripsit, postquam ille satis eleganter, & clare Dei existentiam demonstravit argumentis ex *motu*, & ex mira Universi *Dispositione*, en quomodo ratiocinari pergit: (*a*) *Credo ergo, mundum regi a voluntate potente, & sapiente; id video, sive potius sentio; atque hoc est illud, quod me juvat scire. At hic idem Mundus estne æternus, an creatus? Num unum tantum est verum principium? an duo? an plura? quænam est autem eorum natura? Nihil horum scio; quid autem hoc scire ad me attinet?* verba hæc quæ certe debent prudentibus lectoribus admirationem movere, & stomachum, sunt ejusdem generis, ac illa, quæ idem Auctor eodem libro de Evangelio scribit; ubi cum illud tamquam Scripturam vere a Spiritu Sancto inspiratam laudarit, continuo hæc addit: (*b*) *Tamen hoc idem Evangelium scatet rebus incredibilibus, quæ rationi adversantur, rebus, quæ concipi & admitti ab homine cordato nequeunt.* Quid sentiendum est de hac scribendi ratione? Habes paucis lineolis *jacta* eodem tempore, & *eversa* fundamenta Religionis Naturalis, quæ est Dei existentia, & Religionis Revelatæ, quæ est Evangelii divinitas. Crederet quisque, & quidem jure, ingenium primæ classis, ut jactatur Roussojus, ignorare non potuisse, quam male inter se cohærerent, immo secum invicem pugnarent hæ propositiones, ac proinde eum ita scribere, ut incautis verba det, amicisque ridendi materiam præbeat. At qui dici potest hoc? in epistola enim ad Archiepiscopum Parisiensem hæc notatu digna verba audet scribere, (*c*) *Hostes mei... vel inviti hoc me honore cohonestabunt, me de rebus omnibus vera scribere, me esse auctorem unum hujus sæculi, multorumque aliorum etiam* (*qua spiritus vi opus est, ut hæc scribantur!*) *qui bona fide scripserit, nihilque dixerit aliud, nisi quod verum putavit esse.* Age vero, concedamus ergo illi decus hoc, ut sit *unus* verax e scriptoribus sæculi præsentis, præteriti, futurique; at nostrum erit eodem tempore eum monere, cum hac scribendi *veracitate* & cum hac prædicanda ab omnibus *bona fide* illum inauditam incredibilemque cogitandi rationem conjungere. Quod ad Evangelii divinitatem attinet, fusius Libro III. agemus. Agamus nunc de Dei existentia, quam ille probat, ut diximus, ex phænomenis, quæ in Mundo videmus; ac deinde ait, se nescire, utrum *mundus æternus sit, an creatus*. An magnum est ostendere harum assertionum *antilogiam*? Si mundus non esset creatus; ergo phænomena, quæ in mundo sunt, existentiam Dei non probarent; ipse enim ejus auctor non esset. Sed si phænomena, quæ cernimus, præcipue motus, & ordo, Deum demonstrant, sicut revera, ex sententia etiam nostri philosophi, aperte eum demonstrant, cum non possint nisi ab illo produci; ergo ex demonstrationis hujus vi de mundi creatione ambigi non potest. Respondebit fortasse Roussojus, se dubitare solummodo de materiæ creatione; hoc est, num hæc semper per se ipsa fuerit, qua Deus usus fuerit tamquam *passivo principio*, ut mundum crearet, dispositis miro ordine partibus, inditoque motu illo, quem adhuc in mundo cernimus, ut videtur sentire in prædicta epistola ad Belmontium? (*pag. 51. & seq.*) At hic illum ipsum tam acute cogitantem appello. Materies non creata esset *Ens ex se*; ergo esset ens prorsus necessarium, & liberum a quocumque; ergo non posset subjici liberis actionibus, impulsibus, modificationibus alterius principii. Atqui (repono ego) modificationes, dispositiones, & motus materiæ sunt a Deo; hoc enim modo invicte

(a) *Je crois donc, que le Monde est gouverné par une volonté puissante & sage; je le vois, ou plutôt je le sens, & cela m'importe à savoir: mais ce meme Monde est il éternel, ou creé? y a-t-il un principe unique des choses? y en a-t-il deux, ou plusieurs, & quelle est leurs nature? Je n'en sai rien, & que m'importe?* Emile Tom. III. pag. 56.

(b) *Avec tout cela, ce meme Evangile est plein de choses, qui repugnent à la raison, & qu'il est impossible à tout homme sensé de concevoir, ni d'admettre.* Emile Tom. III. p. 168.

(c) *Mes ennemis auront beau faire avec leurs injures; ils ne m'ôteront point l'honneur d'etre un homme veridique en toutes choses, d'etre le seul Auteur de mon Siècle, & de beaucoup d'autres, qui ait écrit de bonne foi, & qui n'ait dit que ce qu'il a cru.* Lettre a M. de Beaumont p. 70.

victe ejus existentia probatur, sicut una nobiscum Philosophus hic ostendit; *non est* igitur *materia ex se*. Ergo demonstratione illa approbata, nequit in dubium revocari materiæ creatio. Crederem, his argumentis nulla ratione posse fieri satis. Non me fugit tamen, in epistola prædicta ad Archiepiscopum Parisiensem Philosophum nostrum proferre Ecclesiæ Patres non creatæ materiæ Patronos; at locum hunc accurate alibi discutiemus, ubi ostendemus, quot in errores *facti* Genevensis Scriptor *bona fide* sit prolapsus. Materiam increatam Sancti Patres, vereque sapientes putarunt adversari non solum principiis præcipuis Religionis, sed etiam clarissimis sanæ Philosophiæ notionibus. Remur, argumentum a nobis superius allatum, desumptumque *a contingentia* ipsius materiæ esse satis evidens. Alia & quidem fortissima afferentur alibi; non enim hic longius de hoc acturi sumus, cum simus contenti, rebus hactenus prolatis ingenii, rectique ratiocinandi modi recentiorum nostræ Religionis adversariorum specimen aliquod dedisse.

CAPUT TERTIUM.

Impiorum objectiones contra Dei existentiam expenduntur, & solvuntur.

I. *Error primus eorum, qui dicunt Mundum esse ab æterno.*
II. *Neque ex hac hypothesi potest deduci, & confirmari Atheismus.*
III. *Fingere infinitam causarum seriem est nimis infirmum sophisma, quod nihil Atheis opitulatur. Mechanices leges examinantur.*
IV. *Opinio antiquorum philosophorum de Mundi æternitate nihil pro Libertinis facit.*
V. *Nullum momentum afferri potest, quod progrediatur ultra originem Mundi a Moyse descriptam. Inane perfugium ad Sinensium Chronologias.*
VI. *Fatua cogitatio Auctoris Epistolarum Persicarum.*
VII. *Alia ejusdem objectio jam refutata a D. Thoma.*
VIII. *Spinosæ systema.*
IX. *Absurda, quæ ex eodem derivantur quoad Deum.*
X. *Alia absurda Spinosiani systematis.*
XI. *Refellitur Spinosa ex suismet ipsius principiis. Fundamentum totius systematis ab ambiguis vocibus extricatum, ostensumque laborare vitio* petitionis principii.
XII. *Alia argumenta* circuli vitiosi, *unde hujus corruit ædificium. Advertuntur quædam de Spinosæ asseclis.*
XIII. *Objectiones novissime propositæ in Anglia contra argumentum pro existentia Dei propositum Capite superiori examinatæ, solutæque.*

§. I. DEi summe sapientis, potentis, bonique, & perfectissimi existentia tam clare elucet in creatione, & conservatione hujus universi, ut numquam veritas hæc fuisset a Libertinis in dubium revocata, si haberetur ab ipsis in eo genere, in quo sunt veritates mere physicæ, & Mathematicæ. Sed quia confessio tanti Numinis eorum mentes perversas, & nequam sus deque turbaret, & perterrefaceret, nil intentatum relinquunt, ut obscuris sophismatibus invisæ luci aditum omnem intercludant. Ajunt ergo, argumentum a nobis hactenus allatum ostendere quidem, dari omnino non posse systema Epicuri, eorumque omnium, qui opinantur, fuisse in tempore creatum mundum hunc cæco, fortuitoque concursu atomorum, seu particularum, emergentium viribus suis ab immenso chaos con-

conjunctarumque tot pulchris formis, modisque, quot in universo cernuntur; sed inquiunt, se hanc novam rerum creationem respuere; immo se asserere, Mundum hunc fuisse semper, & a tota retro æternitate ejusmodi, qualem nunc intuemur. Quapropter in hac infinita diuturnitate temporum, in hac infinita causarum; & mutationum vicissitudine nihil aliud ipsi cernentes nisi generales leges Mechanicæ, necessum non esse, ajunt, sua quidem sententia, ut hæc causa prima sapiens, potensque, Mundi creatrix, moderatrixque ponatur.

Hos ita blaterantes audiens videor mihi videre Cacum illum (a) *semivirum*, & *semiferum*, (liceat mihi hanc afferre imaginem, quæ mirum in modum rei convenit) qui in Aventini specu multa vi ab Hercule pressus, oppugnatusque lapidibus, armisque, cum nihil reliqui haberet aut ad resistendum, aut ad evadendum, cœpit e faucibus ingentes fumi globos evomere, & antrum cæca caligine involvens a prospectu, & ab ictibus prævalidi hostis ratus est se posse subducere. Ita Libertini his æternitatis, & infiniti ambagibus, his effectuum, causarumque innumeris vicissitudinibus veluti atri globis fumi, nituntur sibi, nobisque eripere prospectum clari veritatis luminis, quod nobis primam supremam causam ostendit, & se a telis tutari, unde hoc argumento eorum impietas prosternitur. Sed frustra omnia. Atque eccum qua claritate res conficiatur.

§. II. Demus ipsis paulisper, mundum extitisse ab æterno, quid inde inferent? ergo Deus non est? vah distortam illationem! Mundus, ut ostendimus, complexus phænomenorum est ita conjunctus cum principio sapientissimo, omnipotente, optimo, ut ipsum unum in se contineat illa, & unum illa conservare possit. Ergo etiamsi concedamus, mundum ab æterno fuisse, habet tamen necessario hanc junctionem cum hoc principio, ut sine illo possit nec esse, nec conservari. Ergo Mundus ab æternitate creditus tantum abest, ut Deum destrueret, ut argumento etiam esset existentiæ illius, hoc est, illius causæ, sine qua nec subsistere, nec esse mundus potest.

Quod si quispiam diceret, cum debeat causa tempore effectum suum præcedere, mundi æternitate supposita, non posse amplius causam ullam concipi, quæ illum crearit, & ex rerum consequutione in hac hypothesi Deum excludi; responderet ad id D. Thomas; (b) eam causam quidem necessario præcedere tempore debere effectum suum, quæ agit, & producit effectum suum per motum, cum concipi nequeat motus nisi successive, aut in spatio, in cujus termino fit effectus, causa in principio. At si in instanti, non successive fiat actio, non est opus, ut causa præcedat *duratione* effectum suum; quare cum Deus non successive per motum, sed actu simplicissimo suæ voluntatis mundum crearit; etiamsi ab æterno vellemus mundum concipere, non idcirco effectus nota ex illo deleretur, neque ex Deo veræ causæ. Nihil ergo hoc æternitatis nomine consequerentur Libertini, nisi præterea probarent, molem hanc ens liberum esse, & per se existere; quod non solum ab omni æternitate extiterit, sed etiam ita extiterit, ut non potuerit non esse, quippe quod in se habet & suæ existentiæ & suorum attributorum *adæquatam rationem*. At qui, at quandonam hoc deliramentum probarent? Motus unus, quem vidimus non de essentia inesse in materia, satis eos refellit, probatque, Mundum haud in se rationem suæ existentiæ habere, sed pendere ab extrinseca causa materiæ creatrice, dominaque.

§. III. Hoc idem dicatur de æternis pro-

(a) *Ille autem (neque enim fuga jam super ulla pericli)*
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu!
Evomit, involvitque domum caligine cæca;
Prospectum eripiens oculis, glomeratque sub antro
Fumiferam noctem, commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis &c. Æneid. l. 8. v. 251.

(b) *Quod dicitur agens de necessitate præcedere effectum, qui per suam operationem fit, verum est in his, quæ agunt aliquid per motum, quia effectus non est nisi in termino motus; agens autem necesse est esse etiam cum motus incipit: in his autem, quæ in instanti agunt, hoc non est necesse.* Lib. II. cont. Gent. c. 38. Vide etiam 1. P. q. 46. a. 2.

procreationum seriebus, infinitisque causarum ordinibus ab incredulis confictis. Spinosa, de quo paulo post copiose loquemur, ambages scilicet harum infinitarum causarum captat ad explicandum motum, quin ad æternum Numen confugiat. *Corpus* (inquit ille Ethic. par. 2. prop. 13. Lem. 3.) *motum, vel quiescens, ad motum, vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum, vel quietem determinatum fuit ab alio; & sic in infinitum*. Ridiculum sophisma! At qua de causa, peto, debet postremum hoc corpus ab alio corpore ad motum determinari? Eo quod natura sua est iners. In secundo vero corpore, quæro, cur necessaria est hujusmodi determinatio? Eo quod natura sua est iners. At corpora per hanc seriem progredientia mutantne naturas suas? Minime vero. Ergo etiamsi procedant in infinitum, si cuncta erunt corpora, cuncta erunt inertia. Ut igitur habeatur motus, oportebit, ut extra hanc infinitam seriem sit principium aliquod non materiale, non corporeum, quod motum, quem ex natura sua non habent, in illis imprimat. Quamvis ergo admittatur hypothesis progressionis infinitæ causarum, non possunt tamen Athei, quin tandem aliquando in Deum desinant, phænomena hujus molis, etiamsi æterna conciperetur, explicare. Quapropter sunt nugæ nugarum ineptissimæ istæ *Mechanices leges*, quas ii semper crepant, & quarum ope comminiscuntur Mundi machinam ab ipsa æternitate existere, & regi. Si sine Deo motus non datur in materia, qui erunt sine Deo Mechanices leges, quæ sunt motus leges? Quamquam demus ipsis cum Nevvtono, aliquo modo concipi, planetarium systema vi harum legum orbitas suas peragere; hoc tamen certum est, ope harum legum (ut fatetur acutissimus hic Philosophus (*princip. Schol. General.*) non potuisse ea corpora illo ordine admirando, & pulcherrimo disponi, quem nunc in systemate planetario servant; ergo systema hoc, etiamsi fingatur æternum, ex origine sua tamen pendet ab extrinseco principio sapientissimo, & omnipotente, quod ita illud concinnavit, unaque indidit illi motum, quem ex se non habebat, temperavitque hujusmodi motum iis constantissimis legibus, quibus nunc etiam agitur. Quibus Mechanices legibus ceteroquin (ut id leviter tangam) etiamsi explicari plurima phænomena hujus universi possint, omnia tamen explicari non possunt. Testatur id P. Malebranchius patronus, ut quisque novit, acerrimus legum generalium, quique, quantum in se fuit, & earum simplicitatem, & fœcunditatem exposuit. *Corpora organica* (inquit ille (*a*)) *nequeunt produci ope unarum communicationis motus legum . . . quæ ad duas reduci possunt . . . at constat, has duas leges, aliasque similes mole constituere non posse machinam, cujus instrumenta sunt innumera, & quorum singula usum peculiarem habent*. His ergo Mechanices legibus, hac infinita causarum serie, hac mundi æternitate nihil Athei consequuntur; necessario enim hujus molis origini debet interesse Deus, hoc est ens sapientissimum, omnipotens, liberrimum, optimum, ab hoc mundo diversum, sine quo nequit ipse aut moveri, aut esse, aut concipi.

§. IV. Atque ita revera opinati sunt (quamquam quosdam in errores inciderint) insigniores antiqui Philosophi, Pythagoras, Plato, Xenocrates, Dicæarcus, Aristoteles, aliique, qui licet crediderint mundum æternum, tamen numquam eum dixerunt *increatum, liberum, ex se existentem*, sed a Deo, id est *ab Ente sapiente, incorporeo, primo motore immobili, causa originali, & primaria, exemplari primo, & æterno* eorum omnium, quæ extra se sunt in Universo. Quod & Huetius (*Alnet. quæst. Lib. I. cap. 5.*) & Clarchius (*de l'existence de Dieu, Tom. I. chap. 4.*) plurimique nostrorum temporum Scriptores demonstrant; quod jam longe ante adverterat D. Thomas (*I. P. quæst. 46. art. 2. ad 1.*) & D. Augustinus (*b*). Injuria ergo Athei nostrates jactitant nomen, & auctoritatem eorum, qui

(a) *Les corps organisés ne peuvent etre produits par les seules loix de la communication des mouvemens . . . qui se peuvent reduire a deux . . . mais on voit bien, que ces deux loix, & autres semblables ne peuvent pas former une machine, dont les ressorts sont infinis, & dont chacun a son usage*. Meditat. VI. n. 5.

(b) De Civit. Dei Lib. X. c. 31. Verba S. Patris sunt hæc: *Quamquam & de Mundo, & de his quos*

qui licet non recte opinarentur (ut alio loco fuse probabimus) *& irent in adinventiones mentium suarum*; hoc tamen satis patet, propterea quod mundum ab æterno crediderint, non ideo Atheos illos fuisse, immo fatentes principium omnium rerum Deum, istorum impietatem damnasse.

§. V. Sed a diverticulo revertamur in viam, petamusque a nostris Philosophis, ut pro ea qua pollent, doctrina, & eruditione, producant ea monumenta, e quibus æternitas mundi innotescat. Nos eum creatum dicimus ab hinc sex mille annis, idque dicimus fidentes dictis antiquissimi omnium Scriptoris, qui quidem nobis notus sit, isque fuit Moyses (cujus divina auctoritas clarissime a nobis probabitur alibi) & cum ejus Historia omnia monumenta, quæ habemus, mirifice conveniunt; hoc est, omnes una voce describunt nobis hanc rerum creationem novam, & in tempore; neque vestigium ullum investigare fas est, quod nos deducat ultra prædictam *Epocham*. Dicamus ergo nos quoque Atheis nostrorum temporum, quod Philosophis æternitatis mundi propugnatoribus ajebat Lucretius (*Lib. V. v. 325.*)

. . . . Si nulla fuit genitalis origo
Terrai, & Cæli, semperque æterna fuere,
Cur supra bellum Thebanum, & funera Trojæ
Non alias alii quoque res cecinere Poetæ?
Quo tot facta virum toties cecidere? nec usquam
Æternis famæ monumentis insita florent?

Ita lacessebat suos adversarios Lucretius jam ab hinc decem, & octo sæculis, neque dubitari potest, quin hoc eodem argumento usi fuerint tercentos, aut quatuor centum annos ante alii Epicurei, hoc est a suorum præceptorum Democriti, & Epicuri temporibus. Interea ab illa ætate usque a Philosophis aliarum sectarum, qui de hoc acriter inter se digladiabantur, atque illinc usque ad nostra tempora nondum responsum est ab adversariis Religionis, & Moysis producendo aliquod monumentum, quod non solum eam ætatem præcedat, sed quod proxime accedat ad Epocham ad quam Historicus ille mundi creationem refert. Quodnam est ergo argumentum illud, quo Libertini hujus mundi æternitatem stabiliunt, cui monumenta cuncta quæ habemus adversantur? Nos ex iis novimus, quæ regiones primum cultæ fuerint; nationum migrationes, & domicilia; inventionem artium; originem consuetudinum, militarem disciplinam, politiam, Religionem; detegimus præcipue disseminatam, propagatamque traditionem de homine primo, a quo humanum genus totum derivatur, & Historiam Mundi ortus creati juxta Moysis descriptionem (quoniam fabulosa multa irrepserunt). Satis est vel per transennam Eusebium legere (*Præpar. Evang. l. I.*) ex veteribus, Huetium (*Alnetan. q. l. III. c. 5.*) & Grotium (*De verit. Relig. Christ. Lib. I. §. 16.*) inter recentiores, ut hujus veritatis testium prope innumera copia cernatur.

Scio, nostri sæculi Libertinos, ut, si fieri posset, everterent Mosaicam Chronologiam, perfricta fronte ausos fuisse afferre in medium quibusdam cum animadversionibus cum ridiculis, tum ineptis antiquitates Sinenses. Nemo ignorat, Abbatem Pradesium, in præclara sua Thesi eo temeritatis fuisse progressum, ut rejiceret tamquam non genuinas Chronologias, quæ in Libris Moysis sunt, quod cum Sinensibus congrueie non poterant. Sed præter inustas justæ damnationis notas huic impietati, operæ pretium est legere hujus Thesis examen, & peracutum, & eruditum; in quo inter cæteras hæ duæ probantur propositiones: Prædictum Abbatem Historiam Sinensium ignorare; Et licet eam novisset, non potuisse illum inde ad suam Thesim confirmandam quicquam desumere. At nonne res est admiratione digna, hos scriptores tam exquisita arte critica præditos, qui

quos in Mundo Deos a Deo factos scribit Plato, apertissime dicat, eos esse cœpisse & habere initium, finem tamen non habituros . . . . Verum id quomodo intelligant, invenerunt, non esse hoc videlicet temporis, sed substitutionis initium. Sicut enim, inquiunt, si pes ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium: quod tamen vestigium a calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius esset, quam alterum ab altero factum esset; sic, inquiunt, & Mundus atque in illo Dii creati & semper fuerunt, semper existente, qui fecit, & tamen facti sunt.

qui nequeunt concoquere Historias in Sacris Litteris relatas iis insignitas notis, quibus nullæ sunt certiores, aut optari possunt, devorare tamquam certissima monumenta has Sinenses quisquilias erutas ex ultimis Orientis angulis, scriptas lingua & litteris omnino ignotis, & fortasse ab iis nec umquam visis, nec umquam examinatis? Quamquam illustres illi viri, qui tantum laboris susceperunt, ut nobis annales illius nationis exponerent, quales sunt Hirus, Cassinus, VVistonus, præcipue vero Freretus in Historia, linguaque Sinensium admodum versatus, satis ostendunt, quam inutiles sint conatus putantium, se posse Sinensibus monumentis Moysis Chronologiam falsitate coarguere. Primum quidem ob errores, qui de Ecclipsibus, aliisque astrorum conjunctionibus in iis annalibus reperiuntur; deinde quia illa tam magna annorum series, quorum mentionem faciunt, non vera est, sed fictitia, cum nihil aliud sit, quam *productum* periodorum Astronomicarum inventarum, ut conjunctio planetarum in quibusdam junctionibus sciri posset; demum quia prædictus Freretus hujus materiæ si quis alius peritissimus, in *Memoriis*, quas Parisiensi Academiæ obtulit, ostendit, Regna Yai, & Chunæ duorum illius imperii institutorum desiisse tantum anno millesimo nongentesimo nonagesimo primo ante Æram Christianam, ac proinde non modo non superare, sed ne progredi quidem ad Epochas creationis, vel diluvii a Moyse statutas. Quod tamen in hac re præcipuum est, & ad id, quod præ manibus habemus, maxime pertinet, illud est, hæc ipsa Sinensia monumenta Libertinis æternitatis mundi propugnatoribus aperte adversari, ut docet P. Cupletus (a) qui edidit Tabulam Chronologicam Sinensis Imperii. Præmittunt antiquitatibus suis Sinenses creationem Cæli, Terræque, maris, & fœminæ diversis temporum intervallis, atque ita rem enarrant, ut non valde difficile sit inter plurima fabulosa commenta quamdam subobscuram lucem veritatis, quam in Moysis Genesi legimus, internoscere; quod plerumque usuvenire solet in traditionibus, aut fabulosis historiis aliarum gentium.

§. VI. Huic antiquorum monumentorum consensui *Epistolarum Persicarum* Auctor omnino assentitur. Quare a se fictum Usbechium ita loquentem introducit; (b) *omnes scriptores Historici de primo patre loquuntur; nobisque enascentem naturam humanam describunt*. Ergo, inquiet Lector, etiam eruditi hujus viri sententia quæstio nobis adjudicatur. Res tamen longe aliter se habet; sic enim ille prosequitur, (c) *annon conveniens naturæ est opinari, Adamum servatum fuisse a communi infortunio, ut fuit Noemus a Diluvio, & hujusmodi casus sæpe post creationem mundi accidisse?* Num ita *opinari conveniens naturæ sit*, judicet qui sapit. Omnes Scriptores, & ex iis ille, cujus Auctor (qui non erat Persa, sed Gallus) auctoritatem, pondusque ignorare non poterat, *nobis humanam enascentem naturam describunt*, *Mundumque recens creatum*; ostenduntque nobis libris suis, hanc fuisse communem traditionem, & proinde usque ad caput, unde humanum genus diffusum est, progressam. Hoc testimonio tamen cognito, ultroque recepto, credetur *naturæ convenire opinari*, rem alio modo evenisse; idque non aliam ob causam, nisi ob eas ridiculas conjecturas toties a Libertinis prolatas non aliunde, quam a suo ingenio deductas? ut æquiparetur, supereturque omnium Scriptorum, & Moysis præcipue auctoritas, qui de hac re, nempe de creatione Mundi, & primi humani generis parentis idem scribunt, an satis est *opinari*, fieri potuisse, ut Mundus non fuerit recens creatus, sed ex diluviis enataverit? Adamusque non fuerit parens pri-

(a) *Et vero, quod creationem cæli & terræ, maris & fœminæ determinatis temporibus assignent, jam satis clare fatentur, non extitisse Mundum ab æterno... adeoque facile est rationando hic conficere, Numen aliquod Supremum Sinenses cognovisse, a quo hæc omnia certis temporum intervallis procreata sunt*. In Præfat. ad Tabul. Chron. Monarch. Sinic. §. 1.

(b) *Tous les Historiens nous parlent d'un premier Père: ils nous font voir la nature humaine naissante*. Epit. 99.

(c) *N'est il pas naturel de penser, qu'Adam fut sauvè d'un malheur commun, comme Noè le fut du dèluge, & que ces grands èvenemens ont ètè frèquens sur la terre depuis la creation du Monde?* Ibidem.

primus, sed post naufragium humanæ stirpis reparator? qua *naturalis convenientiæ opinandi vi* credendum nobis erit, si res ita sese habuisset; ut hic Gallus-Persa scribit, universam traditionem debuisse contrarium asserere, Historicosque, qui de Diluvio verba fecerunt, quo tempore accidit, noluisse de alluvione illa loqui, quæ primi parentis ætate contigit; sed ei temporis puncto illos creationem mundi affixisse? Quamquam conficta hæc tam crebra diluvia esse non poterant, nisi in quibusdam peculiaribus regionibus: (quoniam universale diluvium juxta natura ordinem dari non potest; ac proinde *non convenit naturæ opinari*, multoque minus credere, hæc infortunia sæpius evenisse) atque ideo non debuisset inter has calamitates cerni humana enascens natura, quo modo eam nobis Historici describunt. Elapsi ex his infortuniis confugissent ad nationes incolumes, aut harum coloniæ, alluvione jam exsiccata, occupassent desertas terras. Hinc & servatæ, & amplificatæ fuissent artes, & disciplinæ, quod & res, & experientia non evenisse confirmant; neque unquam in eam infantiam primam prolapsus fuisset mundus, in qua versatum fuisse Scriptores omnes, ipso hoc fictitio Persa fatente, narrant.

§. VII. Videt, vel me tacente, sapiens lector hujus ratiocinii robur, quod multis argumentis, ex Historia, & monumentis, quæ habemus, deductis, posset uberius confirmari: quod fecisse scimus quosdam egregios viros, qui summo studio materiam hanc pertractant. Sed non opus est diutius hic immorari; immo remur, Epistolarum Persicarum Scriptorem, qui se acuti ingenii virum jactabat, numquam repositurum fuisse has recoctas crambes, nisi hac ratione viam sibi sternere intendisset ad Metaphysicum argumentum, vere Achilleum, & quod nobis terrificæ demonstrationis instar objicit. En illud. (*a*) *Qui norunt naturam, quique de Deo satis claram notionem habent, possuntne concipere, materiam, & res creatas non fuisse nisi ab hinc sex mille annis? Deum distulisse per totam æternitatem promere potentiam suam? & ab hesterno die tantummodo uti voluisse omnipotentia sua in rerum creatione?* Nisi harum interrogationum pondere pressus manus das, & fateris perterritus, neque Moysem, neque Hebræos, neque Christianos omnes *novisse naturam, neque satis claram de Deo notionem habuisse*, cum putarunt, mundum creatum fuisse ab hinc sex mille annis tantum, en quomodo te urget dilemmate hocce; *An forsitan id factum est, propterea quod ille* (Deus) *aut non potuerit, aut noluerit?* Hinc nullum effugium: *atqui si non potuit uno tempore, ne alio quidem potuit: ergo noluit. Sed quoniam in Deo nulla est successio, si demus, eum semel aliquid voluisse, usque ab initio voluit.* Pergamus ad illationem. *Ergo* (*b*) *non debent anni Mundi numerari; numerus granorum arenæ maris nequit cum illis magis conferri, quam temporis momentum.*

Sermo hujusmodi per dilemma allatus, animo vultuque tam elato *a Scriptore primæ classis*, qualis habebatur harum Epistolarum auctor, in spem triumphi Libertinos erigit. Enimvero fictus *Telliamedus Indus Philosophus* (siquidem more hodierno hostes religionis in scenam prodeunt ementito nomine *Persarum*, *Judæorum*, *Indorum*, *Thracum*) bonus hunc sermonem devorat, eumque producit veluti rationis fulgur, quo omnia argumenta contra mundi æternitatem tamquam tenues nubes dissipentur. Tamen hoc est nullius ponderis sophisma, quod jam ab annis quingentis sibi iisdem pene verbis proposuit D. Thomas Aquinas, & nullo labore difflavit. (*c*) Vide qua facilitate. Æterna, infinitaque est in Deo poten-

(a) *Ceux qui connoissent la nature, & qui ont de Dieu une idée raisonnable, peuvent-ils comprendre, que la matière & les choses créées n'aient que six mille ans? que Dieu ait différé pendant toute l'éternité ses ouvrages, & n'ait usé que d'hier de sa puissance créatrice? Seroit-ce parce qu'il ne l'auroit pas pu, ou parce qu'il ne l'auroit pas voulu? Mais s'il ne l'a pas pu dans un temps, il ne l'a pas pu dans l'autre: c'est donc parce qu'il ne l'a pas voulu; mais comme il n'y a point de succession dans Dieu; si l'on admet, qu'il ait voulu quelque chose une fois, il l'a voulu toujours dès le commencement.* Extrait de la Lettr. 99.

(b) *Il ne faut donc pas compter les années du Monde: le nombre des grains de sable de la mer ne leur est pas plus comparable qu'un instant.* Ibidem.

(c) En objectio, quæ legitur: *Lib. II. contr. Gent. c. 32. Quidquid Deus nunc vult, quod sit, ab æterno voluit quod sit. non enim novus motus voluntatis ei advenire potest: nec aliquis defectus, vel im-*

tentia; æterna, immutabilisque est voluntas; num idcirco debuit ab æterno esse mundus? Nequaquam. Deus enim ab æternitate usque voluit, ut mundus esset; sed voluit, ut non esset ab æternitate; voluit, ut inciperet ab hinc annis sex mille; quapropter antea incipere non debuit. Igitur quin Deus potentiam suam amiserit, quin voluntatem mutarit, quinimmo, ut perficeret voluntatem suam omnipotentem, & immutabilem, in tempore, non ab æternitate creatus mundus fuit, propterea quod ab æternitate Deus voluit, ut tunc inciperet. Potestne huic responso quicquam reponi? Liceat nunc mihi iis, qui suspiciunt Heroas istos, aliud dilemma proponere. Aut Philosophi hi Persæ, & Indi non detexere sophisma in suo sermone latens, aut detegere illud noluerunt; si non detexerunt, ubi sunt illi *ingeniosi viri* tanto acumine præditi, sicut sese mutuo per excellentiam vocitant? si detexerunt, ubi sunt illi *viri honesti?* Neque quispiam mihi dicat, in hujusmodi opera introduci Judæos, Persas, Indos secundum sua principia loquentes; ego enim respondeo de Religione numquam disserendum esse a probo viro per jocum, & comice; & quicumque probus est, numquam debere fingere, Thracem, aut Hebræum de rebus impiis, & obscœnis loquentes, quibus hujusmodi libercull scatent, obsonium proinde Libertinorum palato gratissimum. Industrius scriptor, cujus specimen inscriptum, *Les lettres Persannes convaincues d'impieté*, habemus, inquit (dans l'Avertissement) *eos, qui aliquid sciunt* ... *non esse monendos, Persam loquentem esse Gallum satis notum, qui quod ipse de Religione sentit, fingit effutire Persam*. Hoc idem dici posset de quibusdam aliis auctoribus hoc modo personatis. Nuper tamen traditum memoriæ fuit, fictum Persam jam cum inibi esset ut migraret e vivis, nervos intendisse omnes, ut Christiano, non Persarum more decederet. Quod argumento est, hos *Spiritus fortes* in iis anfractibus & animis cadere, & systematum oblivisci. Faxit Deus, ut vere resipuerit, & nunc pace perfruatur.

§. VIII. Sed monet nos tempus, ut omnium opinionum contra Summi verique Dei tanta evidentia, & certitudine a rebus cunctis nobis demonstrati existentiam, monstrosissimam exponamus. Benedictus Spinosa origine Judæus, impie vita functus, est Heros ille, qui fertur Atheismum ad methodum redegisse, quia revera in sua Ethica Geometrica methodo non minus fatuam, stolidamque, quam infandam impietatem concinnavit. Fideliter referam ejus sententias extractas ab eodem opere, quod post ejus fata lucem aspexit. In rerum natura unam tantum, individuamque substantiam, & hanc præditam infinitis attributis, inter quæ recensetur præcipue extensio, & cogitatio, esse sentit. Omnia corpora, quæ in hoc universo videmus, sunt formæ, seu modificationes hujus unius substantiæ, quatenus est extensa: omnes mentes sunt modificationes hujus unius substantiæ, quatenus cogitat: & hæc una substantia cogitans simul, & extensa, quæ æterna, necessaria, & perenni actione generat complectiturque omnia hæc corpora, cunctas has mentes, totumque, ut summatim dicam, Universum, Deus est. Ecce paucis *Pantheismus* ille, scilicet error, qui non secernit Deum O. M. ab hac Mundi machina. Error, qui fortasse fuit antiquorum quorumdam (quod eorum verba videntur significare) sed qui ab impio *Recutito*, de quo loquimur, totius veneni sui vi infectus licet ambiguis vocibus involutus, obscurisque dicendi modis in aciem productus fuit. Nos ejus falsitatem deprehendemus, primum quasdam absurdarum illationum, quæ ex eo consequuntur, asserentes; deinde in-

impedimentum potentiæ ejus adesse potuit: vel aliquid aliud expectari potuit ad universalis creaturæ productionem . . . . *Necessarium igitur videtur, quod ab æterno creaturam in esse produxerit*. Responsionem habes cap. 35. cujus hæc tantum verba afferam. *Divinæ voluntatis non retardatur effectus, quamvis non semper fuerit, voluntate de eo existente. Nam sub voluntate divina cadit non solum, quod ejus effectus sit, sed quod tunc sit: Hoc igitur volitum, quod est tunc creaturam esse, non retardatur, quia tunc incepit creatura esse, quando Deus ab æterno disposuit*. Rogamus Libertinos, ut legant octo tantum Capita, in quibus tractat D. Thomas hinc, & inde quæstionem de Mundi æternitate, discentque, quid sit ingenii acumen, & ratiocinandi rectitudo. Vide eumdem S. Doctorem in *Summa Theologica p. 1. q. 46. art. 1. ad 10.*

indigitabimus falsa principia, a quibus stabilitur.

§. IX. Et quidem quoad primas. Nisi Spinosa Dei nomen ficte usurpat & captiose, ut Atheismum tegat, quæ dici possunt magis adversantia notioni illius Entis supremi, quam eum simul cum Universo confundere, eumque receptaculum, & complexum omnium corporum, omnium spirituum, omniumque utrorumque affectionum efficere? esset ille Beatissimus (ut creditur esse Ens summe perfectum) simulque omnium miseriarum domicilium; sanctissimus, simulque centrum omnium scelerum; immutabilis, eodemque tempore omnibus mutationibus obnoxius; ille unus, simulque in tot partes discerptus, in quot dividitur, immo dividi extensio potest, quæ ex sententia hujus impii est essentiale attributum divinæ naturæ; esset ipse simplicissimus, simulque compositus ex omnibus membris, omnibusque corporibus, quæ molem hanc constituunt. Illationes hæ perversæ, & summopere in Deum injuriæ necessario derivantur ex Spinosiano systemate, immo ex iis duabus propositionibus *Præter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia* (*Ethic. part.* 1. *prop.* 14.) & *quidquid est, in Deo est, & nihil sine Deo esse, neque concipi potest* (*ib. prop.* 15.) (*a*) Non jam eo in intellectu, quo Deus, est causa omnium rerum creatrix, sed quo est principium internum, substantiale, & quod rem quamlibet constituit, ut in credita demonstratione allatæ secundæ propositionis impius Apella clare loquitur. Quisnam Deus est iste tot contradictionibus adeo secum invicem pugnantibus obnoxius? Quid plura? Deus sententia ipsius Spinosæ (*b*) *est substantia constans infinitis attributis, & omnium bonorum cumulo*. Debet ergo esse sapiens, liber, supremusque rerum omnium rector. Atqui id totum Deo detrahitur in hoc systemate, (*c*) cum *a natura finales causæ tollantur*, cum dicatur *Deus in suis operibus nullum sibi finem* proponere; ipsum *non creasse oculos, ut videant, non dentes, ut mandant, non solem, ut illuminet*; *sed omnia* (*d*) *invincibili necessitate a divina natura determinari, ut existant, & hoc modo operentur: Deum* (*e*) *non esse causam, sed agere ex necessitate naturæ; resque non potuisse a Deo produci, neque alio modo, neque alio ordine disponi, ac producta sunt, dispositaque*. (*f*) Jam subtrahere a Deo sapientiam, libertatem, providentiam, eumque concipere temere agentem sine delectu, sine proposito, sine animali, cæco insuperabili impetu, aut impulsu naturæ, est auferre substantiæ illi, quæ juxta ejusdem Spinosæ definitionem *habere debet infinita attributa*, vel ut alibi asserit, (*g*) *debet omnia bona in se complecti*, est, inquam, auferre essentialia attributa, & bona maxime necessaria, uno verbo, est Deum ipsum de medio tollere. Illa ergo dicit, quæ Dei notioni repugnant, & tot verborum involucris purum, putumque Atheismum tegit. Cum non possit ergo cum hac rerum farragine conjungi, & componi, (ut modo ostendimus) natura, & Dei essentia, sequitur, in Spinosæ systemate subsistere Mundum cum omnibus partibus, ex quibus constat, per se, sine *adæquata causa*, quæ illum crearit, disponat, & moveat; quod capite proxime præcedenti fieri non posse, & repugnare demonstravimus.

§. X.

(a) Quænam sit demonstrationum vis, quibus Spinosa putat ostendere hujusmodi errores, innotescet ex rebus, quas dicturi sumus.

(b) *Per Deum intelligo ens absolute infinitum, hoc est, substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam, & infinitam essentiam exprimit*. Ethic. P. 1. Definit. 6.

(c) *Omnia, quæ hic indicare suscepi præjudicia, pendent ab hoc uno, quod scilicet communiter supponant homines, omnes res naturales, ut ipsos, propter finem agere, ipsum Deum omnia ad aliquem finem dirigere pro certo statuant &c*. In Appendice ad 1. Part. p. 34.

(d) *In rerum natura nullum datur contingens, sed omnia ex necessitate divinæ naturæ determinata sunt ad certo modo existendum & operandum*. Propos. 29.

(e) Corol. 1. Prop. 32. *Deum non operari ex libertate voluntatis*. Et in Append. p. 33. *Omnia a Deo fuerunt prædeterminata, non quidem ex libertate voluntatis, sive absoluto beneplacito, sed ex sola Dei natura sive infinita potentia*.

(f) Prop. 33. *Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam productæ sunt*. Demonstr. *Res enim omnes ex data Dei natura necessario sequutæ sunt, & ex necessitate naturæ Dei determinatæ sunt ad certo modo existendum, & operandum, &c*.

(g) Epist. 40. *Affirmo, nonnisi unicum posse ens esse, cujus existentia ad suam naturam pertinet, illud nimirum ens tantum, quod omnes in se habet perfectiones, quodque Deum nominabo*.

§. X. Aliæ apertæ contradictiones in hujus impii systemate latentes a doctissimis viris deprehensæ sunt, ostensæque, quæ revera ita claræ sunt, ut vel cæcus eas videat: illæ sunt ejusmodi: I. prædictam esse hanc substantiam attributis essentialibus *extensionis* simul, & *cogitationis*; quæ duæ diversæ *affectiones* adeo differunt, minusque *componi* simul, & *esse* in eadem substantia possunt, ut citius cera & rotundam, & triangularem figuram simul habere possit, ut capite mox sequenti demonstrabimus: II. esse hanc Spinosianam substantiam *unam*, & *individuam*; nihilo tamen secius esse *extensam*; quod tantum repugnat, quantum repugnat unum, & idem posse dividi, & non posse dividi: jam patet, substantiam extensam debere habere partes; & quod componitur ex partibus extensis, in partes suas secari potest, & singulæ harum secatarum partium substantiæ sunt a se invicem distinctæ. Quod argumentum a Baelio (*Diction. Histor. art. Spinosa Rem. N.*) præcipue examinatur quocumque sub aspectu, & in Spinosam jacitur impetu tanto, ut refelli non possit: III. Mundum, omnesque ejus partes, ordinem etiam, motumque earum existere (in hypothesi Spinosiana) necessario, ita ut nec posset non esse, nec posset esse aliter, idque ex necessitate invicta, & absoluta: Quod falsissimum est; patet enim concipi posse corpora & in motu, & in quiete, Planetas hoc, & alio ordine dispositos, majorem, minoremve stellarum numerum; immo tam molem hanc simul existentem, & non existentem; qui conceptus (posita mundi, ordinisque, qui in ipso cernitur, existentia necessaria) tantum abest, ut concipi possint, quantum abest, ut triangulum rotundum possimus concipere. Hoc etiam argumentum, quod quidem est evidentissimum, contra *fati necessitatem* ab hoc impio, omnibusque Atheis creditam videre poteris vehementissime agitatum a Samuele Clarchio, (a) qui ex hac parte Spinosam est aggressus. Quamvis jam (ut advertit modo prædictus Auctor) satis confutata dicenda est sententia illa, ex qua demonstratum est, necessaria consequutione repugnantes illationes derivari; ac proinde cum ex hactenus dictis labefactata omnino eversaque Spinosiana impietas sit, tamen me operæ pretium facturum duco, si cominus, & coram Libertinum hunc invasero, & evidenter demonstravero falsitatem, & insaniam eorum principiorum, quibus horrendus ejus *Pantheismus* totus innititur.

§. XI. Jacit Spinosa fundamentum totius systematis definitionem non solum obscurissimam, verum etiam dolose ambiguam, & ex ea erecta ab illo præcipua theoremata sunt omnia captiosa, & proinde per se ipsa corruunt. Rem jam aggrediamur.

Ejus præcipua definitio est definitio substantiæ his concepta verbis: *Per substantiam intelligo id, quod in se est, & per se concipitur: hoc est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.* (Ethic. Part. I. Definit. 3.) (b) Modus hic definiendi estne ex more Geometrico adeo in hoc libro ostentato? At Spinosa id dolo malo egit, ut deciperet Lectorem incautum, tegeretque his ambiguorum verborum involucris venenatam totius systematis radicem. Quæso, accurate advertite. Cum ille definit substantiam esse id, *quod est in se*, duplicem significationem hæc verba habere possunt; I. id, *quod est in se*, hoc est, quod *est ex se*, exclusa causa, quæ illud producat: II. id *quod est in se*, id est, *quod est per se ipsum*, excluso *subjecto*, quod illud sustentet. *Modi*, ut exempli gratia, esset motus, figura, & alii tales, non existunt *ex se*, quoniam indigent causa, a qua producantur: sed neque existunt *per se*; requirunt enim subjectum, quo inhæreant, ut pila. Ens autem perfectissimum existit *per se*, & *ex se*. Non enim indiget subjecto, a quo sustentetur, sed ne habere quidem causam potest, a qua producatur. Equus *per se* existit, cum nullo subjecto *inhæreat*; at non existit *ex se*, cum habuerit causam, a qua fuit productus. Spinosa substantiam definiens, præter

(a) *De l'existence de Dieu*. Tom. I. chap. 4. Legatur etiam de hac re Leibnitius *Essais de Theodic.* §. 171.

(b) Affert Spinosa hanc eamdem *substantiæ* definitionem in epist. 27. ad Simeonem Uriesium, & alibi etiam. Videbat ille, eam esse sui systematis fundamentum, quod proinde totum corruit, cum ipsa per se cadat.

ter morem omnium scholarum eam definientium *id, quod per se existit*, ad differentiam modorum, *qui in aliis tamquam in subjecto existunt*, usus est ambigua dictione existit *in se*. Nos hic ab eo petimus; aut ille hoc verbo intelligit, proprium esse generatim substantiæ *existere ex se ipsa*, amandata causa, quæ illam producat, aut esse generatim substantiæ proprium *existere per se ipsam*, amandato subjecto, quo *inhæreat*, ut est proprium modorum? Nihil hic est medii. Si secundum intellectum amplectitur, qui est ille, quo omnes concipiunt generice substantiam, sapit, & id quod verum est, asserit; sed evertitur funditus totus quantus est ejus liber, ejusque *Pantheismus*; ex eo enim, quod proprium est substantiæ *existere per se ipsam*, & non inhærere in subjecto, nulla illarum illationum, quas ille deducit, consequitur. Si vero intellectum primum amplectitur, vultque, proprium esse substantiæ generice *existere ex se ipsa*, exclusa causa, quæ illam producat, non recte judicat, enuntiatque quod falsum est, illudque asserit quod omnes negent, illudque dicit, quod nusquam in libro suo probavit: jacitque tanquam fundamentum stabile suarum propositionum id, quod est hujus contentionis seges. Transeamus ad alias definitionis partes, & præeunte allatæ distinctionis face, illius fraudem detegemus. *Per substantiam intelligo id, quod in se est*, additque, *& per se concipitur*. Si credit Spinosa, substantiæ conceptum esse tam absolutum, ut nullam importet relationem cum subjecto, quod eam sustineat, ut motus eam importat ad mobile, rotunditas ad ceram, vere sentit, sed hoc nihil *Pantheismo* opitulatur: si vult, conceptum substantiæ ita esse absolutum, ut a se removeat quamcumque relationem ad causam, quæ illam producat, falsum effutit, quod numquam est probaturus. Idem dicendum est de aliis verbis, quæ sequuntur, quæ impius Apella addit explicaturus allatam substantiæ definitionem; *hoc est, substantia est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat*. Si significare vult, in conceptu unius substantiæ non opus esse, ut includatur conceptus alterius substantiæ, quo illa tamquam in subjecto suæ subsistentiæ inhæreat, id illi concedimus; at hoc nil valet ad inferendas suas illationes: Si significare vult, conceptum substantiæ debere a se excludere relationem ad aliam substantiam, ad quam ipsa referatur veluti effectus ad causam, id negamus, neque ille umquam id probabit. Vafer tamen Hebræus hunc alterum intellectum in mente habebat; ex ipso enim uno poterat derivare totum suum *Pantheisticum* systema; volebatque in ea definitione includere tamquam fundamentum id, quod erat totius controversiæ caput; hoc est, esse de essentia substantiæ, ut *existat ex se*, exclusa quacumque causa, neque posse umquam concipi in substantia una relationem effectus ad substantiam aliam, tamquam ad causam ipsius procreatricem.

§. XII. Atque hoc intendisse Spinosam, quod tamen ab eo numquam probatum fuit (hoc tamen erat Theorema, quod demonstrare debebat) patefaciemus ad trutinam revocantes duas tantum ex ejus præcipuis propositionibus, quæ dici possunt fundamenta collabentis ædificii. Prima sit hæc (Corol. Prop. 6.) *Hinc sequitur substantiam ab alio produci non posse*. At qui hanc propositionem demonstrat? ita: *demonstratur etiam facilius ex absurdo contradictorio. Nam si substantia posset produci ab alio, ejus cognitio a cognitione suæ causæ deberet pendere* (per Axioma 4.) *adeoque* (per Definit. 3.) *non esset substantia*. Videt, vel me tacente, Lector, quo impius spectarit: tamen ut id clarius evadat, efformemus integrum illius syllogismum. „ Si una substantia posset „ produci ab alio, cognitio illius debe„ ret pendere a cognitione suæ causæ „ (per Axioma 4.) Atqui cognitio sub„ stantiæ non potest pendere a cognitio„ ne alterius (per Defin. 3.) ergo sub„ stantia non potest produci ab alio. „ Mittamus nunc propositionem, quæ dicitur a Scholis *Major*, de qua possemus aliquid dicere: non enim semper cognitio effectus pendet a cognitione causæ, sed solum cum consideratur, ut effectus. Veniamus ad assumptionem, quam dicunt *Minorem*, quam ut probet, confugit ad substantiæ definitionem; luce ergo clarius est, in ea definitione intendisse Spinosam, substantiam esse *ens ex se* excludens relationem ad aliud ut *causam*, cujus ope possit cognosci; namque definitio substantiæ in hoc uno sensu potest probare il-

lam assumptionem. Atqui, repono ego, hæc substantiæ notio est falsa, nec umquam a Spinosa confirmata fuit; labatur ergo, oportet, credita demonstratio illi innixa, & proinde corruit Theorema, *substantiam non posse ab alio produci*. Erit fortasse qui dicat, hanc substantiæ notam, ut sit *ex se subsistens* (quam quidem notam a Spinosa in celebri sua definitione eidem substantiæ adscribi, nemo inficias iverit) ab eo probari in propositione, quæ continuo subsequitur, quæ talis est: (prop. 7.) *ad naturam substantiæ pertinet existere*. Euge, at inquio ego, quænam est hujus propositionis confirmatio? Propositio proxime præcedens. En verba illius demonstrationis: (Demonstratio) *substantia non potest produci ab alio* (per Corol. Proposit. præced.) *erit itaque causa sui, idest ipsius essentia involvit necessario existentiam, sive ad ejus naturam pertinet existere*. Q. E. D. Estne magnum quid, deprehendere hic latitantem *circulum illum vitiosum*, seu illam *principii petitionem*, quod est unum ex ineptissimis, maximeque pudendis sophismatibus? Probat Judæus in propositione septima *pertinere ad substantiam existentiam*: qua de causa? *quia substantia non potest produci ab alio* (per Corol. propos. 6.) At qui probat, *substantiam non posse produci ab alio*? *quia substantia existit in se*, hoc est *ex se ipsa* (per definit.) (a) Ergo tamquam argumentum sumit id, quod est in quæstione, sive probat propositionem eadem propositione: est enim unum, idemque dicere *esse de essentia substantiæ, ut existat*, ac dicere, *substantia ex se existit*. Hoc est sophisma illud, quod dicitur *petitio principii*, nihilque probat. Spinosianus Pantheismus igitur probatus hoc sophismate per se corruit.

Jactabundi ergo, tumentesque Spinosistæ librum sui Præceptoris strictim, Geometricaque methodo conscriptum pro Pantheismo nobis objiciant. Dicant, *hanc substantiam*, quæ ejus sententia nil aliud est, quam hoc universum, per eum demonstrari, non fuisse creatam, esse infinitam, individuam, unam, æternam, & quidquid iis lubebit; concedemus has omnes illationes unas ex aliis recte, feliciterque deduci: de qua tamen re possent multa, immo plurima dici, cum in ejus libro passim offendantur puerilia, & turpia sophismata; quod posset clare ostendi si ad severam trutinam tota hujus impii Ethica revocaretur: quia tamen omnes hæ illationes innituntur fundamento, quod est caput ipsum quæstionis, supponuntque tamquam verum, quod est falsissimum, neque umquam probatum fuit, nec vero probabitur umquam, ideo omnes collabuntur. Quare Spinosæ liber nihil est aliud nisi farrago sophismatum deductorum horum ab iisis geometrica methodo, qui hæc duo tantum geometrice demonstrat, hoc est dolosam Auctoris impietatem, nimiamque suorum asseclarum credulitatem.

Verum qua de causa, inquiet aliquis, systema, quod continet illationes tam absurdas, ut supra vidimus, quod scatet tam falsis propositionibus, quod innititur

(a) Ut quisque videat, nos sine fallacia id agere, & ut omnem cavillandi ansam adversariis subtrahamus, fatemur, Spinosam probare Corollarium illud: *substantiam ab alio produci non posse* non solum per definitionem substantiæ, quæ est secunda ejus probatio a nobis citata, sed etiam per propositionem sextam, quæ talis est: *una substantia non potest produci ab alia substantia*: ex quo videretur, hoc modo posse se Spinosa extricare ex *circulo vitioso*: at analysi paulo longiori illum eodem reducimus: siquidem quomodo ille probat sextam propositionem? ope propositionis secundæ. En ejus demonstrationem. *In rerum natura non possunt dari duæ substantiæ ejusdem attributi* (per proposit. præced.) *hoc est* per proposit. 2. *quæ aliquid inter se commune habent*. *Adeoque* (per proposit. 3.) *una alterius causa esse nequit, sive una ab alia non potest produci*. Q. E. D. Jam qua ratione probat ille Propositionem secundam? Sola substantiæ definitione: Ex eo enim quod substantia est ens ex se subsistens, idemque removens e suo conceptu relationem ad quamcumque aliam substantiam tamquam ad causam, infert, duas substantias diversa attributa habentes, nihil commune inter se habere: ecce tibi ejus verba: *duæ substantiæ diversa attributa habentes nihil inter se commune habent*. Demonstratio patet ex definitione 3. *Unaquæque enim in se debet esse, & per se debet concipi, sive conceptus unius conceptum alterius non involvit*. Ergo probatio septimæ propositionis *ad naturam substantiæ pertinet existere*, dependet a Corollario propositionis sextæ; Corollarium pendet ab eadem propositione sexta; propositio sexta a secunda; secunda propositio a definitione substantiæ: ergo propositio septima redit tandem aliquando etiam ex hac parte ad definitionem substantiæ: quæ est talis, *substantia est id, quod est in se* (hoc est ut ostendimus) *quod a se subsistit*. Hæc est *petitio principii*. Jam hoc principium est falsum, numquamque probatum. Ergo tota Spinosiana ratiocinatio est *circulus vitiosus*, nihilque concludens.

principis tam male jactis, non modo ab omnibus non contemptui haberi verum etiam plausu excipi, ut nostris temporibus quoque quosdam audias loquentes de illo tamquam mysteria continente, & interdum etiam affirmantes, Spinosam Atheismum in systema redegisse; neque quemquam hactenus repertum fuisse, qui illud collato pede, æquisque armis aggrederetur, & prosterneret? Primum respondeo, studium, quo nostra ætate multi ad impietatem aguntur, in causa esse cur quodlibet etiam ineptissimum sophisma, quod eam promoveat, approbetur. Deinde tenebras, quibus Libertinus scriptor errores suos cooperuit, involvitque nimis obduxisse infandum horrorem, illudque virus, quod communis sensus canem pejus, & angue odisset. Nullus ex acutissimis subtilissimisque scholasticus est, in cujus opere tot ambages, tanta caligo sint, nec sophista ullus ex ingeniosissimis, qui tot ambiguas voces, tot fallacium ratiociniorum quasi anfractus adhibuerit, ut deciperet, quot in Spinosæ libro offendis. Mihi tamen persuadeo, nostrorum Libertinorum paucissimos (quod genus hominum ut plurimum effœminatum est, & molle, amantiusque Cantiuncularum, quam Theorematum) legisse, meditatosque hujus impii Ethicam fuisse; minimumque esse etiam eorum numerum, qui possint illius sophismata detegere. Restrictior tamen methodus geometrica (quæ fuit altera Spinosæ versutia) qua compositum librum vident, agmen illud definitionum, axiomatum, demonstrationum, citationum inter se colligatarum, quæ omnia illi specie tenus respiciunt, quin vim pensitent, iis perstringunt oculos, habentque attonitos; & quamvis nihil intelligant, sibi tamen persuadent, Spinosam quæ scripsit intellexisse, illisque tribus litteris Q. E. D. ad calcem suarum creditarum demonstrationum adjectis Deum æque ac Religionem evertisse.

Ceterum viri doctissimi plurium nationum, diversarum sectarum confutarunt Spinosianum Atheismum, hi quidem ex una parte, ex alia alii eum aggressi, quorum nomina apud Joannem Albertum Fabricium (*de Veritate Relig. Christ.* c. 13.) leges; quosdam nos quoque supra memoravimus, quibus addere placet eximium P. Lamium ordinis S. Benedicti Congregationis S. Mauri (*Nouvel Athéisme renversé, ou refutation du systeme de Spinosa*) qui in fine proximi elapsi sæculi strenue diruit novum hunc Atheismum opere ad hoc composito: & inter recentissimos memoramus, quo honore decet, doctissimum P. Gerdilum (a) ordinis S. Pauli Decollati, qui post Jaquelotium, Budæum, Heineccium, aliosque, attentius examinavit radicem Spinosiani systematis, quæ est definitio substantiæ a nobis quoque superius discussa, evulsaque. Hac una ratione duximus esse instituti hujus operis impium e fronte urgere, fatentes ceteroquin, posse eum confutari innumeris aliis modis, examinando nimirum singula ejus Theoremata, ostendendo illationum falsitatem, neque raro deductas illationes secum minime convenire.

§. XIII. Hæc nobis scribentibus incidit in manus Tom. XLVIII. *Biblioteque Raisonnée*, opus, in quo passim magno cum animi dolore legimus in compendium redactum quidquid mali, impiique contra Religionem, & disciplinam quotidie ultra montes editur. In secunda parte igitur hujusce voluminis refertur liber Londini editus, qui titulum præfefert *Reflexions Critiques sur divers sujets. Vol. 8. Londres* 1751. Credit Auctor, argumentum Dei existentiæ a nobis hactenus agitatum ab existentia, magnitudine, pulchritudine, ordine, motuque hujus universi desumptum, quod omnibus sæculis, & ab omnibus doctissimis viris judicatum fuit quam ab omnibus conspectam, tam invictum, per quod quisque hanc veritatem agnosceret, esse *populare*, aptum ad rudes homines convincendos, at non Philosophum. Ipse infirmum, sophisticum, fallax illud putat, intueturque cœlum, terram, animalia, plantasque, quin in iis vestigium ullum reperiat illius sapientissimi, & omnipotentis artificis, quem omnes homines sunt semper in illis intuiti. *Considerans* (inquit Scriptor hic) *propius argumentum hoc, credidi in eo dete-*

(a) *Dell' esistenza di Dio, e della immaterialità delle Nature intelligenti*. Hæc dissertatio reperitur in opere P. Gerdili inscripto *introduzione allo studio della Religione*.

detegere eos defectus , quos adverto ; quodque in eo animadverti , me jure edere posse existimavi . Nunquam in ea fui opinione , ut crederem, argumentum hoc , quod existentiam Dei probare dicitur, & hanc vim quidam illi tribuunt , ideo ducendum esse sanctius , minusque examini , discussionique subjiciendum (a) Egregie quidem . Hæc enimvero est ætas, qua & pulchra producuntur inventa , & præjudicia eliminantur. Audiamus ergo hominem hunc libere cogitantem , & quid detexerit de omnium errore quoad nostrum argumentum. Argumentum hoc, inquit ille, nos ingratiis nostris impellit ad progressum absurdum in infinitum ; probantes enim ab existentia , & concentu hujus Mundi existentiam ipsius auctoris, interrogabimur, quisnam sit auctor hujus auctoris, atque ita deinceps usque ad infinitum. *Ego* (b) (sunt hæc ipsius verba) *initio statim in magnis versabar angustiis , ut scirem , quisnam potuisset creare Mundum tam bene dispositum , rerumque admirabilium plenum. Ut me ex hac difficultate subducerem, in majorem me projecistis, id est, ut scirem, unde esse potuerit excellentissimus auctor , accuratus artifex , qui totum id produxit. Non una me modo difficultas urget , sed duæ , & altera prima major.* O ingenium vere magnum , cui suboriri possunt hujusmodi cogitationes , quodque his difficultatibus ad incitas redigitur! *Cum per mundi hujus contemplationem perveni ad detegendum excellentissimum Auctorem, & accuratum artificem hujus* mundi , vidi *Ens infinitum* virtute , & ideo natura ; ac proinde Ens liberum, habensque in se *adaquatam rationem suæ* existentiæ: Hoc Ens necessario est *Unum*, ut ostendimus , neque , nisi ab amente duo concipi possunt: Ergo in ipso inquisitionum mearum est terminus , & evidenter cerno fieri non posse, ut ultra illud progrediar. (Vid. D. Thomam *lib. 1. cont. Gent. c. XV.*) En angustias apertas, en difficultatem sublatam. At alteram objectionem audiamus.

Nos (inquit Anglicus Scriptor) (c) *non cognoscimus nisi exiguam mundi partem . Jam nonne est absurdum credere, partem tam parvam posse fundamento esse systematis, quod debet rationem reddere Principii rerum omnium, quæ sunt ?* Hac est difficultas nisi prima pejor, saltem æque ac prima inepta. Vilissimum quodque insectum , nedum hactenus cognitus orbis, satis superque nobis demonstrat existentiam Entis necessarii, sapientissimi, omnipotentis , quod omnia creavit. Cognitio, esse alias plagas , alias res , alias qualitates in hoc mundo nobis ignotas, nos impellit ad fatendum , esse alia clara argumenta Dei existentiæ , qui unus potest nos docere , cur illæ res sint. Ut autem scientiarum, & artium progressu quotidie magis deteguntur hæ plagæ, & phænomena, clarior apparet eorum audacia , qui negant per harum rerum existentiam Deum posse cognosci.

At videamus , quanta sit tertiæ objectionis vis. (d) *Fieri non potest , ut hujus Mundi dispositio quicquam probet , nisi ope Metaphysices probetur , principium existentiæ esse agens , esse ens intelligens, & existens ex seipso* . At qui ita scribit , clare ostendit nullum sibi præsidium a Metaphysica , & a Logica suppeditatum fuisse , sed perturbatas , confusasque notiones tantum se in mente habere. Existentia primi entis probari (e) non potest ea demonstratione, quæ gradum facit a causa ad

(a) *En considerant de près cette preuve , j'ai cru y voir clairement les inconveniens , que je remarque. Et ce que j'avois observè la-dessus , je me suis cru en plein droit de le publier . Je n' ai point pensè , que parce que cette preuve porte le nom de preuve de l' Existence de Dieu , & que nombre de gens le lui donnent , elle en dût etre plus sacrèe , ni qu'elle dût etre au-dessus de l' examen , & de la critique.* Bibliot. Raison. Tom. 48. Part. 2. artic. 2 pag. 2.7.

(b) *Je n' avois d' abord qu'un embaras ; c' etoit de savoir ce qui peut avoir produit ce Monde si bien ordonnè , si plein de merveilles. Pour m' en tirer , vous me jettez dans un autre un peu plus grand , sçavoir d' où peut etre venu le merveilleux Auteur , le subtil Artisan , qui a fait tout cela . Au lieu d' une m rueille , en voici deux , & la dernière rencherit meme sur l' autre .* Ibid. p. 272.

(c) *Nous ne connoissons qu' une très-petite partie du Monde . Or n' y a-t-il pas de l' absurditè de vouloir , qu' un si petite partie serve de base au Systeme , qui doit rendre raison du Principe de tout ce qui est ?* Ibid p. 275.

(d) *Il est impossible , que la structure du Monde devienne jamais preuve de rien , jusqu' a ce qu' on ait fait voir par le secours de la Metaphysique ; que le Principe de l' Etre est un Agent , un Etre intelligent , & existant par soi .* Ibid. p 276.

(e) Pauca , sed clarissima S. Thomæ verba explicant hanc veritatem. Ea talia sunt. *Duplex est demonstratio , una quæ est per causam , & dicitur propter quid , & hac est per priora simpliciter : alia est* per

ad effectum, diciturque a *priori*; *prima* enim causæ causa nulla est; verum potest probari, & reipsa probatur evidenter alia demonstratione, per quam ex effectu cognoscitur causa, diciturque a *posteriori*. Ex mundi ergo creatione considerata, & ex phænomenis, quæ in ipso sunt, repertis necessario connexis cum causa sapientissima, potentissima, liberrima, ac propterea a materia prorsus diversa, metaphysicæ ope, quæ me hoc docet principium, *Nullam rem esse sine adæquata ratione*, deduco, hanc sapientissimam, liberrimam, omnipotentem, a corporeo Mundo diversam, unicam veramque ejus existentiæ, effectuumque in ipso visorum, causam existere, & hanc esse Deum. Hos gradus tollere, & putare posse nos saltu ad *invisibile*, *neque per se nobis cognitum Ens* ascendere, distortæ Metaphysicæ impetus hic est, talisque videtur esse *Critici* nostri Metaphysica, & ut verius dicam, subdolum commentum est, ut vera via, quæ nos ad Deum ducit, intercludatur. Sed perpendamus postremam ejus objectionem, quæ, ut Bibliothecæ auctor ipse testatur, negotium magnum Christianis Philosophis facessit, cui que objectioni, ut quidam opinantur, nondum factum est satis. *Novimusne* (inquit Anglicus auctor) (a) *satis rerum naturam, ut dijudicemus, Mundum non posse habere existentiam, nisi eo modo, quo nos concipimus? Quis scit, num in Ente plurimi fontes sint, quorum nos ne notionem quidem habeamus? Quis scio, num in ente sint potentiæ aptæ ad producendos hos, illosque effectus?* At respondeamus ad singulas invictissimi hujus Achillis partes. *Novimusne satis rerum naturam, ut dijudicemus, Mundum non posse habere existentiam nisi eo modo, quo nos concipimus?* Dico, nos eum cognoscere, quantum satis est, ut certissime, & evidenter de hoc capite dijudicemus. Quidni? Materiam, motum, & ordinem in Mundo videmus; ergo concludimus, Mundum hunc non potuisse habere existentiam nisi a principio summe potente, sapiente, & libero. Materia, ex qua Mundus hic, quem videmus, constat, est iners, & aque se habet ad motum, & ad quietem; ergo principium hoc, a quo mundus existentiam habuit, est a materia diversum. Jam hoc principium a materia diversum, quod eam moderatur, quod potentia sua eam movet, suaque sapientia tot admirabilibus modis eam disponit, & in ordinem digerit, est illud ipsum, quod nos novimus, ac Deum nominamus. Nos ergo novimus satis rerum naturam, ut dijudicemus, Mundum non posse habere existentiam nisi eo modo, quo a nobis concipitur, hoc est a solo Deo. Dicimus præterea: nos scimus, materiam, resque omnes, quæ hoc mundo continentur, ita existere, ut possent non existere: jam quidquid contingens est, indiget causa, quæ illud determinet, ut existat, potius quam ut non existat. Causa autem hæc debet certe existere necessitate naturæ, id est ex se ipsa existere; & hinc eam esse perfectissimam quovis bonorum genere, & hujusmodi esse Deum scimus. Novimus ergo invicta demonstratione, Mun-

per effectum, & dicitur demonstratio quia, & hæc est per ea, quæ sunt priora quoad nos. Cum enim effectus aliquis nobis est manifestior, quam sua causa, per effectum procedimus ad cognitionem causæ. Ex quolibet autem effectu potest demonstrari propriam causam ejus esse, si tamen ejus effectus sint magis noti quoad nos, quia cum effectus dependeant a causa, posito effectu necesse est causam præexistere. Unde Deum esse secundum quod non est per se notum quoad nos, demonstrabile est per effectus nobis notos. 1. part. quæst. art. 2. Scio nihilominus doctos Theologos, & Metaphysicos putare, posse probari Dei existentiam etiam eo genere demonstrationis, quæ aliquo sensu dici possit *a priori*; non quia sit ulla causa prima, & extra Deum, ex qua ejus existentia procedat, & hinc a nobis hæc deducatur; sed quia pro modulo nostro concipiendi, & juxta ordinem, qui est in nostris notionibus, concipimus aliquid in Deo tamquam *primum*, & *fontem* existentiæ; & ex ipso nimirum per discursum hanc derivamus. Talis est notio *Entis perfectissimi*, & *entis necessarii*, ex quibus notionibus, tamquam *e radicibus*, aut *causis formalibus* concipimus, demonstramusque ejus existentiam derivari. Hæc doctrina tamen non efficit, ut non sit falsum, quod Philosophus a nobis oppugnatus asserit, hoc est probari non posse ex creatione hujus mundi existentiam sui Creatoris, sempiternamque ejus virtutem, & divinitatem etiam sine Metaphysicis ratiociniis. Probatur, inquam, invicte etiam hoc modo: immo hic est gradus primus, per quem ascenditur ad alia ratiocinia de natura, & perfectionibus illius divini Artificis.

(a) *Connoissons-nous assez la nature des choses, pour decider qu'un Monde ne peut venir à etre que de la maniere que nous le concevons? Qui sait, s'il n'y a pas dans le sein de l'Etre mille ressources, dont nous n'avons pas meme l'idée? Qui sait, s'il ne se trouve pas dans l'Etre des forces productrices pour telles, & telles productions?* ib. p. 277.

Mundum ex absoluta, & Metaphysica necessitate esse non posse nisi per Deum.

At quis scit (pergit porro Philosophus) *num in ente plurimi fontes sint, quorum nos ne notionem quidem habeamus? Quis scit* (progreditur ulterius) *num in ente sint potentiæ aptæ ad producendos hos, illosque effectus?* Te miserum, Pyrrhonisme! Quis scit, repono ego, num in aere sint potentiæ, quæ ita mentes hominum perturbare possint, ut, quodam confecto itinere, videantur sibi vidisse, & fuisse in quadam urbe, quæ appellatur Constantinopolis, de cujus existentia tam certi sumus, etiamsi ipsa revera non sit nisi conficta, & imaginaria? Respondeat quæso Philosophus noster huic, *quis scit*, experieturque, num ego semper retorquere sciam in eum argumentum, ita ut illum eo redacturus sim, ut vel confiteatur, se inepte dubitare, vel ut stupidus ceu Marpesia cautes obmutescat. At immorari piget tam levi comparatione. Scimus, & certissime scimus, in sinu Entis a Deo diversi, de quo adversarius loquitur, nec esse, nec vero esse posse istos fontes, has vires aptas ad producendos eos effectus, quos in mundo cernimus. Probet nobis censor id saltem fieri posse. Perscrutetur, ut lubet, materiam, & id totum, quod in hac mole oculis nostris objicitur, indigitetque nobis aliquod remotissimum vestigium potentiæ, visque, quæ sit apta ad creandam, disponendam, conservandamque hanc molem eo modo, quo eam videmus. Hoc est caput illud, in quo elaborandum esset totis viribus a Libertinis, non ut refarciant libercules jocis, conviciis, fabulis in Religionem. Negamus aperte, & qua maxima possumus voce negamus, præter Deum esse, aut esse posse Mundi *adæquatam rationem*. Aventne ipsi tandem aliquando in hac causa referre triumphum? En modum; constituant sibi systema, quo, Deo prorsus amandato, explicari possit, non dicam clare, sed utcumque ferenda hypothesi unum tantum phænomenum, verbi causa motus; nosque plaudentes eos audiemus, eademusque causa. Sed cum ipsi fateantur, harum virium, horum fontium ne *notionem* quidem se *habere*, nosque ex altera parte cum ostendamus Principium, quod sua potentia, sapientia, libertate infinita *rationem adæquatam* hujusce molis nobis suggerit; cumque hæc ipsa vastissima moles viceversa ordine suo, pulchritudine, effectibusque omnibus evidenter nobis demonstret necessariam suam conjunctionem cum hujusmodi principio, atque hinc cum validissime probetur ejus existentia, interrogo, modo aliquid sapiat, num quisquam possit esse, præter cæcum, & obstinatum, qui hujusmodi systema contemnere possit, ut amplectatur id cujus ne notionem quidem ullam se habere fatetur? Concedatur id quidem, dicet quispiam; viri sanæ mentis, prudentisque non sit de impiis loqui: videmur tamen, nondum ostendisse, fieri prorsus non posse, ut *hi fontes, hæ potentiæ sint in* rerum natura. *Præter corpora, & spiritus possunt esse* (inquit Censor noster *ibid. p. 278.*) *alia entia, aliæque substantiarum species nobis ignota*. Probemus ergo fieri non posse, ut ex his fontibus potentiisque moles hæc, quam videmus, derivetur.

Auditis, quæ huc usque diximus, vir prudens, veritatisque studiosus hujusmodi difficultatem non deberet proponere satis solutam allatis superius argumentis. Tamen hoc quoque effugium intercludamus, concludamusque argumentum. Ajo ergo, contendoque, fieri non posse, ut sint in natura *vires fontesque*, a quibus Mundus, præter Deum, possit esse, & habere existentiam. Audiant adversarii, qua claritate id præstem. Aut hæ vires diversæ sunt ab hoc mundo corporeo, aut sunt *eædem* cum ipso. Si dicuntur eædem cum mundo, dicitur id, quod dari nequit; materia enim cum sit de essentia sua stupida, & iners, in ipsa nequeunt esse vires, fontesque illius opificii, in quo inest ordo, motusque. Extensio, & cogitatio sunt actiones magis (a) oppositæ quam figura triangularis, & quadrata; ergo eædem simul esse non pos-

(a) Diceret fortasse aliquis, eos, qui nomine naturæ, aut Dei Spinosæ (cujus vestigiis Philosophus noster insistit) intelligunt complexum omnium Entium hujus mundi, posse respondere: *Naturam, aut substantiam Spinosæ* cogitare in iis partibus, quæ intellectu pollent: Sed hæc est futilitas, quæ per se corruit: primum enim petitur, quomodo hoc convenire possit *cum illa unitate substantiæ*, quam quis-

possunt in uno eodemque subjecto. Sin autem hæ vires dicantur a mundo corporeo diversæ, tunc urgeo, vel pendent ipsæ a principio superiori, a quo regantur, vel non pendent: si pendent a principio, quod eas regat; ergo ipsæ non sunt causæ primæ hujus mundi, sed causa prima est illud principium: si vero liberæ sunt ab eo principio, quod eas moderetur, res asseritur, quæ fieri nequit; quod probatur illationibus, quæ inde inferuntur. I. Mundi opificium est systema ita totum colligatum, ut quælibet pars etiam minima habeat fines suos relatos ad alias, illisque qualitatibus sit affecta, collocataque eo certo loco, motaque iis statutis viribus, quæ omnia majori universi pulchritudini majorique emolumento præcipue humani generis conveniant. Si sol, ut exemplo utar, esset vel minor, vel a nobis remotior, tellus non ederet fruges, quibus aleremur; & si diversis qualitatibus aut radii solares præditi essent, aut tellus, pateremur idem infortunium. Sublata Luna, aut ejus situ & motu immutato, exsiccarentur maria, perirentque pisces: Solo æquatis montibus, nulla essent flumina; pereunte atmosphæra, aut elasticitate aeris pereunte, nos continuo intumesceremus, & moreremur. Ut summatim dicam, totum hoc universum quacumque ex parte connexum & in singulis suis membris, & omnibus eorum affectionibus in unum conspirantibus, aptisque his ad illas cernimus; videmusque eam *multiplicem unitatem*, quæ & pulchritudinem, & utilitatem parit. Est igitur mundus hic opus mentis, quæ uno intuitu omnia vidit, & ad finem unum omnia membra, partesque creavit, disposuit, colligavit. Si separemus ergo has imaginarias *vires*, *hos fontes* ab hoc principio, quod eas & hos moveat, componat, regatque, nihil aliud quam confusionem perturbationemque cernemus; namque etiamsi fingere vellemus, ope harum virium constitutionem, dispositionemque hujus illiusve partis haberi posse, harmonia tamen, unitasque omnium harum partium inter se, nisi supremum Rectorem constituimus, numquam posset explicari (a). II. Hæ *vires*, hi *fontes* diversa a mundo corporeo, quæque dicuntur hujus mundi causæ, necessario debent esse prædita sapientia, & potentia; cumque fingantur libera omnino a prima causa, seu principio, sequitur, ea ex se subsistere, & proinde esse necessaria, æterna, infinita. En ergo ab Atheis approbatum, quod approbare minime volebant, scilicet, *Ens a Mundo corporeo diversum, ex se subsistens, necessarium, æternum, sapiens, potens, infinitum*, hujus *molis principium*, quale nimirum nos dicimus *Deum* esse; ab ipsis tamen per errorem admissum: cum enim multiplicentur hæ vires, multiplicantur & entia ex se existentia, & infinita, quod omnino repugnat. Fieri ergo non potest, ut aut sint, aut esse possint *in entis sinu hæ vires, hi fontes*, cujuscumque naturæ fingantur esse, *quæ*, etiam Deo sublato, *possint esse hujus mundi causæ*. At quid his confutationibus immoramur diutius? Ad caput ipsum veniamus, urgeamusque adversariarum intra vallum ipsum. Hoc ens, in cujus sinu opinatur Anglus Philosophus esse plurimas vires, plurimos fontes apta ad producendos hos illosque effectus, hoc ens, inquam, quod certe in ejus systemate nec est, nec potest esse diversum a materia, ex qua componitur Mundus, non existit jam ex se, non existit de essentia, non existit ex necessitate naturæ, ut sæpius probavimus supra. Hoc ergo *ens*, sive hæc materia indiget causa suprema a se diversa, ex se, & necessario existente, a qua acceperit eam existentiam, quam ex se ipsa non habet. Etiamsi ergo concederemus, in

quisque novit, esse unum ex præcipuis capitibus Spinosiani systematis: Deinde partes hæ substantiæ cogitantes aliæ, diversæque a substantiæ partibus *extensis*? quantum ad rem præsentem attinet destruuntur omnino secunda parte nostri dilemmatis, ut videt per se lector. Quamquam dicamus summatim, omnia hæc tam subtiliter dicta ab his nihil esse aliud quam subdolas artes. Spinosa siquidem, ejusque asseclæ in rerum natura nihil præter materiam esse credunt.

(a) Multi e SS. Patribus, ut tuerentur contra Patronos Polytheismi Dei unitate hoc eodem argumento sunt usi. Afferam Origenis verba l. 1. cont. Cels. *Quanto præstabilius est, ea credere, quæ perfecta hujus mundi harmonia credere nos jubet, unumque Mundi hujus, qui unus est, fabricatorem venerari? Fieri omnino nequit, ut tale opus, cujus partes tam apte inter se cohærent, & concinnunt, opificium suum multis architectis debeat: quemadmodum incredibile est, ut cæli motus a multis animis dirigantur.* Legi potest etiam D. Athanasius *lib. I. cont. gent.*

in sinu hujus entis, aut materiæ esse eas vires, aut fontes, quorum ope Mundus hic fuisset dispositus ea ratione, eaque forma, qua est, nihilominus ex necessaria consequutione Deum ut supremam, primamque mundi causam cognosci oporteret, cum ipse sit causa illius entis, in cujus sinu vires mundi creatrices finguntur. Motus ergo, ordo, dispositio, pulchritudo, cæteraque phænomena, quæ hactenus contemplati sumus, sunt, eruntque quovis tempore Dei existentiæ epidicticum argumentum; ab illo enim, & non aliunde proficisci debent, creatæ fuerunt, dispositæ, temperatæque illæ admirabiles vires, quarum unarum ope hoc universum existere quidam falso opinantur. Quod si ita est, videt quisque eversum esse παράδοξον illud *mysticum* Censoris, quod multorum verborum involucris, sententia ipsius *Bibliothecæ auctoris* nihil aliud quam purum, putumque Pantheismum, aut Spinosismum continet; en, inquam, etiam per has postremas animadversiones ad nihilum prorsus illud redactum; patefactosque simul malos istorum dolos, qui durissimo ore, verbisque mysteria involventibus solent producere in medium, *magnam intrinsecam Archaam, Animam, aut vitam Mundi, Vulcanum, caloremque telluris;* quæ omnia verba idem sonant ac intrinseci *fontes, & vires*, quibus recentes Pantheistæ, ut eamdem impietatem significent, turpiter abutuntur. At hæc verba sensu prorsus sunt vacua; iisque notiones omnino repugnantes Spinosistæ subjiciunt; neque alius quisquam, quam contumacissimus, prorsusve cæcus eas notiones universi causas potest credere, Deo O. M. a materia mundoque diverso prorsus, sed materiæ mundique, & cujusque rei auctore, & moderatore uno excluso. Atque ita, nisi meus me fallit amor, solutæ sunt omnes objectiones, quas contra evidens, invictumque argumentum Dei existentiæ Anonymus Anglus Censor in lucem protulit. Eas proponere placuit, non quod suspicaremur, posse eas claritatem nostræ demonstrationis apud sanæ mentis homines quicquam imminuere; sed ut quisque hinc conjiceret, cujus vis sint difficultates, quas hoc sæculo, quo artes, scientiæque adeo florent, contra fundamentum Religionis præcipuum, qui dicuntur *Spiritus fortes*, solent afferre.



CAPUT QUARTUM.

De Spiritualitate Animæ humanæ.

I. *Doctrinis existentiæ Dei, & animæ humanæ innituntur fundamenta Naturalis Religionis.*
II. *Natura animæ alia demonstratio existentiæ Dei. Objectio duorum Materialistarum refutata.*
III. *Systemata de junctione animæ cum corpore. Ipsa pendet a sola Dei voluntate, cujus ideo illa aliud nobis suppeditat argumentum.*
IV. *Proponitur quæstio de spiritualitate animæ. Volterus extollit Lochii opinionem de materia cogitante.*
V. *Primum argumentum differentiæ inter materiam, & ens cogitans.*
VI. *Conatus irriti Lucretii volentis explicare materialiter sensum, & cognitionem.*
VII. *Falsa Volteri opinio putamis, habita Dei omnipotentiæ ratione, materiei tribui cogitationem posse. Hinc deducitur aliud argumentum Dei existentiæ.*
VIII. *Sophisma Volteri difflatum.*
IX. *Unitas est cogitationi essentialis: demonstratio evidens, substantiam cogitantem non esse materiam, sed spiritum.*
X. *Confirmatur eadem veritas theoria sensationum.*
XI. *Alia demonstratio desumpta a libertate.*
XII. *Absurdum Helvetii systema in libro inscripto* De l'Esprit.
XIII. *Confutatio hujus systematis: excellentia animæ humanæ, verumque ejus discrimen ab anima brutorum animantium.*

§. I. CUM ostenderimus iis argumentis, quibus mens sana assentiri debet, existentiam primi Entis a rebus omnibus creatis diversi, sapientissimi, omnipotentis, liberrimi, omnium bonorum cumulo beatissimi, rerum omnium creatoris, supremique moderatoris, nunc de alio præcipuo, & maxime necessario veritatis capite ad disserendum descendimus. Erit disputatio hæc de anima humana, quam spiritalem, immortalem, liberamque, quantum ad institutum a nobis consilium pertinet, demonstrabimus. Cum enim Deus creator, rectorque supremus & anima in suis actionibus libera, immortalis, corpore nobilior, in natura sint velut ii cardines, (a), in quibus naturalis religio vertitur, & ex ipsis per legitimas illationes omnes aliæ veritates dimanent; ex rerum consequutione sunt duo illa maxime invisa capita, in quæ modo clanculum Libertini suis sophismatibus vehementius invehuntur. Curant saltem sibi, illisque, a quibus audiuntur, claram, puramque lucem obscurare; eorumque exemplo, de quibus Horatius (b) loquitur, conantur humo affigere, si fieri posset, *particulam illam divinæ auræ*, quæ & sui, & supremi auctoris sui iis molestum argumentum confirmat.

§. II. Priusquam autem propositum aggredimur, placet advertere, hoc sermone, eodemque tempore, quo illustramus doctrinam de anima rationali, alia invictaque ratione nos huc usque demonstratam Dei sapientis, omnipotentis, liberi, moderatoris, rectorisque supremi, a mun-

(a) *Quapropter geminis fundatur nostra columnis Religio . . . .*
Esse Deum auctorem rerum, justique tenacem.
Esse animos nullo perituros temporis ævo. Anti-Lucret. lib. IX. v. 1115.

(b) . . . . *Vides ut pallidus omnis*
Cœna desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ. Lib. I. sat. 2. v. 76.

mundo diversi, spiritalis, immortalisque existentiam comprobare. Vel enim anima humana extitit ab omni retro æternitate ex se, & libera a quacumque causa, quod dici non potest, cum non sit ipsa ens omnino perfectum, nec habeat proinde in se *rationem adæquatam* suæ existentiæ; aut dicendum est, ipsam ex nihilo erupisse, quin ulla causa eam produxerit: quod nemo nisi plane nihil sapit, dixerit. Ergo ex necessaria consequutione ab aliqua causa creata fuit. Jam vero quis umquam erit, qui opinari possit, causam hanc stupidam esse, & inertem, ut est materia, & non potius complecti, ut scholæ dicunt, eminenter omnes perfectiones, quibus hæc anima ornatur? Cum sit ergo anima rationalis, quod mox ostensuri sumus, substantia spiritualis, immortalis, libera, dotes hæ inerunt in illa increata causa, quæ hanc creavit; erit igitur illa etiam libera, spiritalis, æterna, qualem nimirum dicimus esse *Regem sæculorum immortalem, & invisibilem, unum, sapientem, cui* hoc excellens opus *honorem dat, & gloriam per sæcula infinita*.

At nos hic de via deducunt duo *Materialistæ* primæ classis, Tolandus (*Lett. III. sur le mouvement*) & Gildonus (*Oracles de la Raison p. 186.*) argumento a paritate deducto; quod nonnisi pueris metum incutere potest. Deus, inquiunt ipsi, ut asseritis, dedit materiæ figuram, divisibilitatem, & alias tales qualitates; tamen ille per vos, nec dividuus est, nec figuram habet. Ergo etiam e sinu, aut e substantia non prædita intellectu, ut est materia, egredi poterat anima cognoscens, volens, libera. Comparatio, cui nititur hæc objectio, est ita par, sicuti est illa, quæ intercedit inter tenebras & lucem. Cognitio, voluntas, libertas sunt perfectiones veræ, & simplices, divisibilitas, & figura important defectum aliquem, ut etiam aliæ corporum qualitates, quidquid boni habent, permiscetur cum defectibus, neque cum majori perfectione stare potest. Causa igitur animæ creatrix qualitates primas habere debet, causa materiæ creatrix nec potest, nec debet formaliter secundas habere. Causa creatrix animæ debet habere primas, cum quia cum debeat causa hæc esse perfectissima (ut alibi probavimus) carere non potest intelligentia, voluntate, & libertate, quæ sunt *perfectiones simplices*; tum quia cum debeat causa creatrix continere *causam adæquatam* sui effectus, in ente stupido, inertique, cujusmodi est materia, entis intelligentis, agentis, liberi *adæquata ratio* esse non potest; quæ solum in ente libero, agente, intelligente reperitur. Non e sinu ergo materiæ anima egredi potest, sed a solo Deo produci, qui propterea his perfectionibus præditus esse debet. Causa materiæ creatrix debet quidem in se habere causam adæquatam illius essentiæ, & existentiæ, & qualitatum, & hæc in Deo est, qui *virtualiter* in se continet quidquid boni in materia est, & sua potentia, & sapientia omnia producit. Radix autem defectuum, & terminorum, qui sunt in materia, est imperfecta ejusdem materiæ natura; & hi non requirunt rationem adæquatam in causa creatrice, neque possunt locum in Deo perfectissimo habere, a quo non per *dimanationem* (in quo versatur Pantheistarum error) sed per creationem materia, resque omnes corporeæ derivantur. (*a*) Sed ad propositum redeamus.

§. III. Aliud evidens argumentum existentiæ, sapientiæ, potentiæ, libertatisque æterni Numinis ab junctione hujus ipsius animæ cum corpore deducitur. Ecce illud paucis. Fingamus nunc esse verissimum quod modo probaturi sumus, esse animam substantiam spiritalem; ipsa magis distat, & differt a corpore, quam ignis ab aqua, quam saxum a stella, & quidquid umquam possumus concipere, quod distet, differatque summopere ab altero. Corpus est substantia extensa, locum occupat, movetur a loco ad locum, & per contagionem aliis cum corporibus copulatur. Anima est substantia carens extensione, & partibus, quæ locum non occupat, quæ per motum nec accedit, nec recedit a loco, quæ nec tangit, nec tangi potest, (*b*) neque proinde copulari, permiscerique cum re extensa potest. Verum hæ duæ

(*a*) Legatur S. Thomas *I. Part. q. 4. art. 2.* & quod diximus in hac materia c. 2.
(*b*) *Tangere enim, & tangi, nisi corpus nulla potest res.* Lucret. Lib. 1. V. 305.

duæ substantiæ (quis nescit?) uniuntur in homine conjunctione tam arcta, tam mutuo fidoque commercio, ut a consentaneis corporis motibus statim in anima cogitationes affectionesque excitentur; affectionibusque, & cogitationibus animæ corporis motus correspondeant. Si illud pungitur, dolet hæc; si illud bene se habet, hæc lætatur; vult anima extendi brachium, brachium paret; & extenditur; vult caput inclinari, inclinatur; imperat motum toti corpori, totumque corpus movetur. Itaque quodnam aliud vinculum colligare potuit duas substantias tam dissimiles, & inter eas commercium hoc instituere, nisi libera omnipotentis opificis voluntas, qui utramque creavit? *Corpora* (inquit recens Auctor Bullierus *Essai Philosoph. sur l'ames des betes part. 2. c. 15.*) *habent naturalem relationem cum corporibus; spiritus cum spiritibus similem fortasse habebunt; at inter spiritus & corpora relationes nulla alia esse possunt, nisi quas sola Creatoris voluntas esse voluit, quasque ipsa una conservare potest.* Dicet revera peritus Mechanicus, cum ab extrinseca aliqua re impressio aliqua fit in sensuum organo, continuo nervos, qui a manu verbi causa ad cerebrum extenduntur, tremitum concipere, qualem in tactis lyræ fidibus fieri videmus; vel spiritus animales, qui per nervos ipsos magna in copia commeant, ab illo extrinseco pulsu motos, & sursum actos usque ad cerebri medullam excurrere, ibique eamdem impressionem, quam acceperunt, excitare, minus, magisve altum pro minus magisve vehementi accepto impulsu in ea molli substantia imprimentes vestigium. Ingeniose quidem, ajo; sed id totum est intra corporis terminos. Ut impulsus ad animam perveniat, infinitum adhuc percurrendum spatium video; cur in illa excitet cogitationes, aut sensationes, nullam video proportionem, virtutem nullam aut in nervorum tremitu, aut in cerebelli vestigiis, aut in trepido motu spirituum animalium, qui, utcumque tenues, & agitatos eos credamus, corpora tamen semper sunt; ac proinde afficere, & impellere substantiam, quæ non est extensa, partibusque caret, quibus eorum impulsus, impressionesque accipiat, nequaquam possunt. Incubuerunt quidem doctissimi Philosophi, præcipue nostrorum temporum, omni studio in explicandum hoc phænomenum; omnibus tamen (qui aliqui probabile dixere) tandem aliquando ad liberam omnipotentis creatoris voluntatem confugiendum fuit. Alii dicunt, cum Deus copularit simul has duas substantias, eum sanxisse inter illas hanc legem, quam *commercii* dicunt, vi cujus, quin una physice in aliam influat, pro data *occasione* certarum impressionum in corpore factarum, hujusmodi cogitationes, & affectiones excitentur in spiritu, & vice versa pro data occasione harum affectionum, & cogitationum in spiritu, hi motus sequantur in corpore, quorum motuum tamen, & cogitationum, horum Philosophorum sententia, Deus est sola, & vera causa. Atque hoc est systema *causarum occasionalium* perillustris P. Malebranchii (a). Dicunt alii, corpus, & animam esse quasi duo *Automata*, vel machinas, se moventia, hoc modo elaborata, ut in uno, hoc est in corpore, deinceps explicetur series motuum, & in alio, hoc est in anima, expediatur series modificationum, hoc est cogitationum, & affectuum. Spiritalis machina nihil influit in corpoream, neque hæc in illam; sed earum conjunctio consistit in eo, quod omnipotens opifex suprema sua voluntate colligavit hæc duo *Automata*, quorum unum esset *repræsentativum* status alterius: cum explicentur in eo corpore series motuum *analogorum*, & harmonicorum ad seriem modificationum, quæ explicari debebant in illa anima: & deinceps cum in ista explicentur hujusmodi cogitationes, affectionesque, quæ motibus il-

(a) Objectum fuit, hoc systema non redolere Philosophiam, cum confugiat ad primam causam Deum, ut hunc effectum explicet: *Deus in Machina*, ut ajebant Prisci, potius quam assignet causam proximam, & physicam, a qua producatur. *At vultis ne vos* (Malebranchii nomine doctus Gallus respondet) *Philosophum causas investigare, quæ non sint? Fingamus, nos detexisse in notione corporis, & spiritus fieri non posse, ut in se mutuo agant; necessario dicendum erit, voluntatem Dei esse causam immediatam eorum junctionis. Hoc non est introducere Deum in physicam; est reducere physicam ad causam suam primam.* Vid. Bulierus loc. citat. supra; & *Histor. Academ. Regiæ Scient. a. 1705.*

illius responderent, quin inter utrumque vinculum ullum aliud sit, aut commercium, quam auctoris dextera, qui eo modo utrumque creavit, simulque conjunxit. Non secus, inquiunt Philosophi hi, ac duo horologia æque constructa moventur, horasque indigitant simul ex præparato, quamvis influxus nullus inter ea sit. Atque hoc summatim est systema *harmoniæ præstabilitæ* a præclaro Leibnitio excogitatum. (*a*)

Alii demum dicunt, animam peculiari modo fuisse a Creatore cum corpore conjunctam, & ab eo illi facultatem datam illud physice movendi, & agitandi; corporique etiam hanc potestatem datam animam, quacum est conjunctum, physice movendi. Diciturque hoc systema *physici influxus*, quod licet paucis verbis enuntietur, non est tamen tam facile captu; cum explicandus adhuc restet modus, quo influxus hic physicus esse possit inter duas substantias tam dissimiles, immo diversas. (*b*) Ex quibus rebus omnibus colligitur; Phænomenum conjunctionis animæ cum corpore post diligentissimas, & subtilissimas Philosophantium contemplationes, præsertim his temporibus, postque lucem tantam ab Anatome, & ab artibus mechanicis allatam, colligitur, inquam, hoc phænomenum per quodcumque physicum systema intelligi, explicarique non posse. Quapropter natura ipsa duce compellimur ad confugiendum ad causam unam, quæ illud explicare potest, ad liberam nimirum, potentissimamque Creatoris Dei voluntatem, a quo duæ substantiæ tam diversæ poterant tam arcte inter se conjungi, ut una posceret opem alterius, ambæque tam amice conjurarent. (*c*) Quod elegantissimis, elaboratisque carminibus canit, explicatque Lib. IX. Anti-Lucr. v. 1007. Cardinalis Poliniacus.

. . . . Unde est igitur, quod mutua sese
Commoveant; certisque in corpore motibus ortis,
Notities menti adveniat, tum certa cupido?
Atque ex notitia, certaque cupidine mentis
Quidam enascantur motus, & corpore gliscant?
Naturas adeo duplices quæ fibula nectit?
Quidquid enim nectit partes, ad utramque necesse est
Pertineat: sic vitta manus, sic lora jugales,
Vincula sic ulmo vitem, sic stamina pannos.
At vinclum, si corpus erit, qui prendere mentem;
Et si incorporeum, qui prendere membra valebit?
Ergo infiniti conjunxit sola voluntas. (*d*)

§. IV. Sed tempus nos monet, ut hypothesim ad thesim reducamus, demonstremusque id, quod hactenus tamquam verum nobis concedi postulavimus, hoc est animam humanam esse vere incorpoream, seu veri nominis spiritum. Sperare juvat, me id consequuturum a benigno Lectore, si proposuero veris, suisque terminis circumscriptam quæstionem. Disceptatur ergo inter nos, & *Materialistas* (hoc nomine appellantur ii, qui negant esse Spiritus) num pars una materiæ, quæcumque sit, in pulverem redigi, attenuari, affici, disponi, & agitari ita possit, ut hac subtilitate, figura, motu possit componere Homeri poema, Euclidis libros, orationes Ciceronis? Hic

(a) Hoc systema valide fuit impugnatum, cum difficile sit ostendere, qui salvari possit humana libertas, & cum dubia fiat mundi corporei existentia; quare jure a doctioribus rejicitur.

(b) In actis Lipsiensibus an. 1759. refertur dissertatio hoc titulo; *meditationes de Harmonia mentis humanæ cum corpore sibi juncto, cujus causa exquiruntur. Auctore Jo. Jacobo Hentschio.* Refutatis duobus systematibus *causarum occasionalium, & Harmoniæ præstabilitæ*, Auctor defendit tertium *influxus Physici*. Theorema præcipuum, quo credit, illud defendi & explicari, est hoc; *Mentem humanam vi, seu conatu esse præditam, fluidissimam in nervis corporis materiam per actionem in distans movendi, nulla ipsius vi in corpus transeunte.* Nisi tamen fallor, hic in tenebris, ut ante, versamur: Et hic *Physicus influxus* positus in actione *in distans*, & qui nullam vim in corpore imprimit quod movet, nobis arcanum est, nisi velimus dicere, apertam contradictionem involvit.

(c) *Modus, quo corporibus adhærent Spiritus, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, & hoc ipse homo est.* S. August. de Civit. Dei Lib. XXI. cap. 10.

(d) Legatur opus P. Francisci Lamy; *De la connoissance de soi-meme. Traitè second Par. 2.* In quo quatenus spectat ad unionem corporis & spiritus, & varia systemata, valde diffuse agitur, & omnia accurate examinantur. Legatur præcipue *la Reflexion* 4. in qua ostenditur, solum Deum esse posse auctorem hujus admirandæ junctionis. Nemo, mea quidem sententia, ex recentioribus scriptoribus clariori methodo, nemo verius, illustriusque hoc doctissimo Philosopho de anima Rationali egit.

est quæstionis status; unde quæritur, num id, quod in nobis cogitat, sit materia, an spiritus? At fierine potest, dicet quispiam, ut aliquis sit, qui de hac re dubitet? Sunt vero, sunt qui dubitant: at qua audacia, quo contemptu totius mortalium generis, quod fatuum putant, & miserrimum, quod nequit sibi persuadere, animam luteam se habere? Ne grave nobis sit paullisper eorum causam audire actam a claro Gallo Poeta, qui est Voltærus. A scena Academiæ Philosophorum in Anglia adscriptus in XIII. *suarum Epistolarum* Apotheosim Lochii extollit laudibus inter Deos relati, ob opinionem, quam imbiberat de anima. Initiumque capit a deprimendis omnibus quotquot ante illum de hoc argumento verba fecerant, omnes veluti gregem indoctorum amentiumque traducens, qui *nihil prorsus sapiebant*. (a) *Divinus Plato Aristotelis Magister, & divinus Socrates, divini Platonis præceptor dicebant* (ut ipse putat) *animam corpoream, & æternam*. (b) *Quod ad Patres* (c) *Ecclesiæ attinet* (effutire pergit) *multi primorum sæculorum, multi, inquam, crediderunt animam humanam, Angelosque, & Deum corporeos. Plurimi Scholastici* (d) *prodierunt subinde*; hoc est *Doctor irrefragabilis, Doctor Subtilis, Doctor Angelicus, Doctor Seraphicus, Doctor Cherubicus, qui quidem sibi persuaserunt, se animam clarissime agnoscere; sed tamen ita loquuti sunt, quasi vero vellent non intelligi. Cartesius natus ad detegendos antiquitatis errores, ut suos in eorum locum substitueret, opinatur animam esse idem ac cogitationem . . . Malebranchius in suis sublimibus fallacibus contemplationibus, credit, nos omnia in Deo videre . . . Post tot* ra-

(a) *Avant lui* (Locke) *des grands Philosophes avoient décidé positivement ce que c'est que l'Ame de l'homme, mais puisqu'ils n'en sçavoient rien du tout, il est bien juste, qu'ils ayent tous été d'avis differens*. Lettr. XIII.

(b) *Le divin Platon Maitre du divin Aristote, & le divin Socrate Maitre du divin Platon, disoient l'Ame corporelle, & éternelle*. Ibid.

(c) *Quant aux Peres de l'Eglise, plusieurs, dans les primiers siecles, plusieurs, dis-je, ont cru l'Ame humaine, les Anges & Dieu corporel*. Ibid. Non est hic opportunus locus postulandi a Voltæro rationem, cur asserat de Philosophis, & de Patribus id, cum nullum afferat argumentum, & fortasse cum eorum opera ne legerit quidem. Ostendemus alibi, quid veteres sentirent de veritate Religionis Naturalis. At hic præteriri non potest, quin juste coarguatur censura, qua vellicat *multos, & multos Ecclesiæ Patres Primorum sæculorum*, quod *Deum corporeum crediderint*. At qui sunt hi Patres? Crederet quisque, si hunc Poetam audimus, totam pene Ecclesiam eorum temporum in hunc turpissimum errorem incidisse. Patres enim sequitur populus. At si Deum corporeum putabant, quomodo cohærere poterat cum hac sententia fides præcipuorum Christianæ Religionis mysteriorum, quibus hæc sententia certe repugnat? Habes paucis opinionem, quam Poeta hic censor protulit e suo penu de iis primis novræ fidei præceptoribus. At si antequam hanc sententiam proferret, voluisset aliquem nostrorum Theologorum consulere, verbi gratia, Petavium, vidisset, errorem de *Deo corporeo* adscribi iis temporibus Melitoni Sardicensi Episcopo, controversiam de opinione Tertulliani adhuc esse sub judice, & in Lactantio esse sententias censura dignas. Hi sunt *plurimi illi* Patres, quos hoc errore obstrictos nobis objicit. Antropomorphitæ cœperunt opinionem suam edere imperante Theodosio Seniore: at hi erant indocti hæretici, non Ecclesiæ Patres. Vide eumdem Petavium *de Deo, Deique propriet. Lib. II. c. 5.*

Post Patres primorum sæculorum Voltærus in scenam producit D. Bernardum; *qui* (inquit ipse) *testante id P. Mabillone docet, animam post mortem non videre Deum in Cælo, sed reaversari tantum cum Christi humanitate*. Si Voltærus hujus Patris opera pervolutasset, aut saltem legisset Mabillonis *præfationem ad Tom. III. Operum hujus Patris*, in qua discutit caput hoc illius doctrinæ, offendisset textus, qui nullum dubitandi locum relinquunt de recta ejus sententia, qui statim post mortem divinam visionem Sanctis concessam asserit, ob quos textus num...at. vidisset, doctum Benedictinum explicare juxta verum sensum etiam alia loca, in quibus videtur D. Bernardus usque ad extremam resurrectionem visionem beatificam sanctis differre. Sed quidquid de hoc sit, quæ relatio est inter hanc sententiam, & quæstionem de natura Animæ? quorsum, ne ignoretur quid senserit D. Bernardus de spiritualitate, aut immortalitate animæ (in quo rectissime sensit) afferre ejus sententiam de dilatione divinæ visionis? At, quin hæc præmitteret, nonne poterat in Bernardum lepidum dictum jacere, cujus gratia tantum in scenam eum produxerat? Eccum illud: *on ne le crut pas cette fois sur sa parole. L'aventure de la Croisade avoit un peu décrédité ses oracles*. Ibid.

(d) *Mille Scholastiques sont venus ensuite, come le Docteur Irrefragable, le Docteur Subtil, le Docteur Angelique, le Docteur Seraphique, le Docteur Cherubique, qui tous ont été bien surs de connoitre l'Ame très-clairement; mais qui n'ont pas laissé d'en parler, comme s'ils avoient voulu, que personne n'y entendit rien. Descartes né pour découvrir les erreurs de l'Antiquité, mais pour y substituer les siennes . . . s'imagina avoir démontré, que l'Ame étoit la meme chose que la Pensée . . . Mallebranche de l'Oratoire dans ses illusions sublimes . . . ne doutoit pas, que nous ne vissions tout en Dieu. Tant de raisonneurs ayant fait le Roman de l'Ame, un Sage est venu, qui en fait modestement l'histoire*. Ibid.

ratiocinantes, qui de anima Romanenses fabulas ediderunt, exortus est sapiens, qui modeste historiam scripsit. Quamvis nominatim auctorem non protulissem, jam Lector intelligebat, ita loquentem esse scenicum hominem, novumque *Pirgopolinicem*, qui flatu ipso legiones prosternit, *facit ac ingentes cadis acervos*.

At super tot, tantasque ruinas quid ille erigit? Lochii trophæum. Hic, ille inquit, nostrarum cogitationum partes omnes rimatur, hic ostendit, non semper animam cogitare (quorumdam sane opinio est, Voltærum numquam cogitasse) ille rejicit ideas innatas, secernit simplices a compositis, ostendit, linguas esse imperfectas, & in exprimendis sensis animi nostri nos verborum terminis semper abuti. At detur illi decus hoc, *eum hoc modo historiam animæ humanæ modeste composuisse*. Estne quid amplius? En, Voltærus reponit, *audet ipse modeste hac dicere: Nos numquam poterimus discernere, num ens pure corporeum cogitet, an non*: (a)

Hæc enimvero sunt verba aut linenda cedro, aut incidenda auro, quæ solum isthæc respiciebat epistola, in qua gradum faciens ad audacem a sermone modesto, a dubitationibus ad affirmationes proclivem se ad *Materialismum* ostendit; quique aliter sentiunt, *ut superstitiosos, & ignorantes* deridet. Pergit ergo hæc scribere: (b) *Sapiens hic* (Lochii) *sermo multis Theologis visus est cum bonorum offensione, docere, animam corpoream esse . . . Superstitiosi in societate eam personam gerunt, quam pusilli milites animi in exercitibus. Ipsi pavent, timoremque hunc allis incutiunt. Declamatumque est, Lochium induxisse in animum Religionem evertere; tamen hac in re de Religione non agitur. Hæc est quæstio mere physica, qua a Fide, & a Revelatione nihil prorsus pendet. Satis est examinare sine acerbitate, num repugnet dicere, materia posse cogitare.*

§. V. Num quæstio de *spiritualitate*, & immortalitate animæ ad Religionem spectet, ii omnes norunt, qui Religionem norunt, & ex iis quæ in hoc opere dicturi sumus, innotescet. *Sine acerbitate* interea, sed *sincere & bona fide* experiamur, num possimus nobisinetipsis persuadere, *materiam cogitare posse*. Neque opus est evagari longius, ut hæ inquisitiones fiant. Nosmetipsos *excutiamus*. Ego cogito, meamque cogitationem considero: compono plures notiones, eas separo, eas conjungo. Dicto citius e cælo ad terras migro, & plurimas remotissimas res animo pervoluto. Harum rerum naturam, proprietates, relationes perpendo: metior motus, spatia, tempora: confero res has cum illis, ex apertis, clarisque ad occultas, & latentes ratiocinando gradum facio. Neque immoror iis tantum rebus, quæ subjectæ sunt sensibus, sed etiam illas pervolvo, quæ longe sensus meos exsuperant. Novi, & sermocinor *de Ente, de ordine, de virtutibus, de veritate, de ratione, de Deo*. Axiomata constituo, ad trutinam revoco ratiocinia, problemata solvo; compono seriem ratiociniorum conceptorum ex notionibus abstractis, & generalibus; & hæc etiam dissolvens ad generalia principia ea reduco. Harum, & his similium operationum, quæ *cogitationes* dicuntur, *conscientiam* habeo, hoc est sensum intimum, maxime vividum, per quem ea novi: novi etiam *me, qui cogito*, & a quo hæ operationes dimanant, esse non posse fru-

(a) *Il ose avancer modestement ces paroles: Nous ne ferons jamais peut-être capables de connoitre, si un Etre purement materiel pense, ou non*. Ibid. Præter id, quod Voltærus hæc in Epistola dicit contra animæ spiritualitatem, video citari aliud ejus opusculum editum Hagæ Comitum an. 1740. in quadam collectione inscripta *Amusemens Litteraires Tom. II.* ubi postquam traduxit, ut modeste solet, tamquam cæcos, & audaces omnes Philosophos, & celebriores Doctores, qui recte senserunt, scripseruntque de animæ spiritualitate, & immortalitate, larva deposita, aperte dicit, hanc doctrinam esse *une invention de la Politique Egyptienne*: & quod *Dieu a donné des portions d'intelligence a des portions de Matière organisée pour penser, & qu'elle pense a proportion de la finesse des sens*. Legantur tres Epistolæ editæ simul cum defensione cogitationum Paschalii a Voltæro reprehensarum; in quibus examinantur, & refutantur doctissime hujus libertini Poetæ errores.

(b) *Ce discours sage parut a plus d'un Théologien une déclaration scandaleuse, que l'Ame est materielle, & mortelle . . . les superstitieux sont dans la société, ce que les poltrons sont dans une armée: ils ont, & donnent des terreurs paniques: on cria, que Locke vouloit renverser la Religion: il ne s'agissoit pourtant point de Religion dans cette affaire; c'etoit une question purement Philosophique très-indépendante de la Foy & de la Révélation: il ne falloit qu'examiner sans aigreur, s'il y a de la contradiction à dire, la matière peut penser*. Ibid.

ftum ftupidæ inertifque carnis, fed fubftantiam, ut eam appellabant Plato, aliique veteres (a) *fe moventem*, præditam agendi vi, & efficacitate, & ea virtute, cujus non eft materies capax. Ad hanc interea memet converto, ejus *analyfim* accurate inftituo, neque in ea quicquam reperio aliud quam extenfionem, foliditatem, figuram, quietem, aut motum. In plurimas tenuiffimas partes eam feco. His omnes, quas quidem poffim, configurationes do; has impello omnibus directionibus, omnibus motus gradibus: at nihil umquam in iis internofco, quod vel tantillum fimile fit ei, quod clare cognofco, cum dico *cogitare*; immo natura ipfa ab adfcribendo illis hoc attributum me retrahit: volentemque afferere, pulverem tenuiffimum, ferventemque fanguinem poffe eas cogitationes, & ratiocinia elicere, major me vis abfterret, quam fi dicerem, circulum effe quadratum; audientemque, cogitationem effe duram, aut mollem, triangularem, aut pentagonam, hæc monftrofa conjunctio magis me commovet, quam aut hircus-cervus, aut chimæra. Ut breviter dicam, *intimo fenfu* cogitationem novi; clare extenfionem novi; neque folum illam in hac infpicio, fed conferens unam cum alia, talem effe inter eas difcrepantiam, diverfitatem, diftantiamque video, ut licet fummopere enitar, ne fingere quidem, eas inter fe conjungi, poffim.

Teftor ingenuum candidum, bonamque fapientis Lectoris fidem, num ita qui ratione eft præditus, loquatur? Ob oculos hoc idem argumentum fupradictus P. Lamyus de notionibus fpiritalibus agens ponit (b) *Quodnam ergo harum operationum principium eft?* (inquit ille) *Eritne corpus, an anima corporea? Poteftne umquam concipi, corpus, hoc eft, maffam carnis divifam, configuratamque hoc, illove modo elicere poffe fpiritales notiones, percipere juftitiam, fapientiam, veritatem, percipere, & cognofcere fuipfam? Quis ferio credere poteft, ventum, vaporem, fpirituum animalium fumum, qui diffunditur per meam carnem, qui per mea commeat organa, poffe judicare, hoc eft percipere relationes, quæ inter res funt? An ille ebulliens difcurrenfque per caput meum in caufa eft, cur fpiritus colligent inter fe demonftrationes, admirabilem illum illationum connexum, qui interdum uno intuitu concipitur? Eftne tandem verifimile, hanc organorum corporeorum, animaliumquefpirituum complexionem confiderare, difcutere, prævidere, perpendere, velle, defiderare, bonum eligere poffe? Eas hoc luteum aptum efse ad folvendas quæftiones, & problemata? Atqui fi res ita fe habet, cur in folvendis quæftionibus, quæ funt aliquanto abftractiores, difficilioresque, obftruuntur, quantum per nos licet, organa fenfuum, materia nofmet expedimus, eius motus impedimus, efficimufque, ut per eos nullum ipfa in nobis excitet impulfum ex ea parte, quæ ad quæftionum enodationem incumbit? Nonne ex hoc evidenter colligimus, eam partem corpoream non efse?* Hactenus doctiffimus Gallus Monachus. Eadem veritas præterea perfpicue deducitur *ab appetitu*, hoc eft, ab affectionibus noftræ voluntatis, & ab illis præcipue, quæ re-

re-

(a) Plutarch. de Plac. Phil. Lib. IV cap. 2. Θαλῆς ἀπεφήνατο πρῶτος τὴν ψυχὴν, φύσιν ἀεικίνητον ἢ αὐτοκίνητον. Πυθαγόρας ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα. τὸν δὲ ἀριθμὸν ἀντὶ τοῦ νοῦ παραλαμβάνει. Πλάτων οὐσίαν νοητὴν, ἐξ ἑαυτῆς κινητὴν, κατ' ἀριθμὸν ἐναρμόνιον κινουμένην. Ἀριστοτέλης ἐντελέχειαν πρώτην σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ, δυνάμει ζωὴν ἔχοντος.

(b) *Quel eft donc le principe de ces grandes fonctions? fera-ce le corps, ou une ame corporelle? Peut-on concevoir que le corps, c'eft-a-dire, une maffe de chair taillée, & figurée de telle, & telle façon . . . puiffe former des idées fpirituelles appercevoir la juftice, la verité, s' appercevoir ou fe connoitre elle meme? Peut on penfer ferieufement qu'un vent, une vapeur, une fumée d' efprits animaux qui coule dans mes chairs, & fe repand dans mes organes, foit capable de juger, c'eft-a-dire d' appercevoir le rapport des chofes? Eft ce que ces efprits en bouillant, & circulent dans ma tête, compofent la fuite des demonftrations, & font cet admirable enchainement de confequences qu' on apperçoit quelquefois d'une fimple vue? Y a-t-il enfin quelque apparence que tout ce composé d'organes materiels, & d' efprits animaux foit capable de reflexions, de revues, de retours, d' examens, de volontés, de defirs, d' inclinations pour le bien? que ce tout, dis-je, petris de boue, foit quelque chofe de propre a refoudre des queftions, & des problemes? Mais fi cela eft, d' ou vient que dans la refolution des queftions un peu abftraites & difficiles, on bouche les organes des fens autant qu'on le peut, on fe degage de la matiére, on arrête fes mouvemens & on empeche que par leur moyen, elle ne faffe quelque impreffion fur cette partie de nous-meme que entreprend de refoudre les queftions; tout cela ne prouve-t-il pas clairement que cette partie n' eft rien de corporel.* De la Connoiffance de foi-meme: Trait. II. Part. 1. Reflex. 6.

rebus his corporeis superiores respiciunt. Hujusmodi est amor justitiæ, perfectionis, veritatis (quæ attributa ex origine, & ex essentia in Deo sunt, immo sunt Deus ipse); & hujusmodi sunt gaudium, tranquillitas, pax, quæ omnem sensum exsuperat, quæ ex hoc amore derivantur. Quis enim umquam audebit has affectiones materiæ tribuere? Quis poterit tantam sibi adhibere vim, ut sibi persuadeat, massam carnis nervis, fibrisque contextæ posse sese extollere ad amandam justitiam, summumque Bonum? Liquorem calidum, rubrumque, qui per venas excurrit, sedem esse *gaudii*, *veritatis*, & experiri posse alios jucundos tranquillitatis, pacisque affectus? Qui ita sentiret, esset alio luto, quo nos, fictus dicendus.

§. VI. Enimvero allati modo argumenti pondus gravissimum sensit Lucretius inclytus *Materialistarum* Heros, cumque vellet se illo subducere, ita opprimitur, ut clarissime ostendat, impietatem unam audere se cognitæ veritati opponere. Ille igitur de animæ natura agens, neque in Epicureæ Philosophiæ penu quicquam reperiens aliud, quam atomos, ex quibus omnia componantur, docet, animam non esse quid simplex, sed tribus constare naturis, hoc est *auræ tenui*, *calido vapore*, *& aere*, cum hæ sint tenuissimæ res, quas quidem invenire potuerit; fatetur tamen, has non sufficere, ut anima sentiat, & cogitet: Quare pergit hos versus addere: (Lib. III. v. 238.)

Jam triplex animi est igitur natura reperta:
Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum;
Nil horum quoniam recipit mens posse creare
Sensiferos motus, quædam qui mente volutent.

Egregie. Videamus quomodo sese expediat.

Quarta quoque his igitur quædam natura necesse est
Attribuatur: (ea est omnino nominis expers:)
Qua neque mobilius quicquam, nec tenuius extat,
Nec magis e parvis aut lævibus ex elementis;
Sensiferos motus, quæ didit prima per artus;
Prima cietur enim parvis perfecta figuris.

Eamdemque descriptionem hujus quartæ *expertis nominis* naturæ facit aliquot versibus interjectis: (ib. vers. 280.)

Sic tibi nominis hæc expers vis, facta minutis
Corporibus latet; atque animai totius ipsa
Proporro est anima, & dominatur corpore toto.

An non hoc satis, superque est ad ostendendam Materialistarum amentiam? Fatetur Lucretius, neque vaporem, neque calorem, neque aerem esse posse caussas sensus, & cogitationis; confugit proinde, ut effectum hunc explicet, ad id, quod nec dicere potest, quid sit; at a classe atomorum ne latum quidem unguem discedens fateri tandem infelix cogitur, hanc quartam naturam nihilo felicius aliis tribus, quibuscum convenit, cum & ipsa sit materia non secus ac illæ, posse sensum, & cogitationem parere.

§. VII. Et ipse quidem Voltærus nimiæ ignorantiæ veteres Materialistas damnat, qui credebant ex sola materia cogitationem se posse extrahere; fateturque in suis physicis elementis, ubi rursus hoc argumentum tractat, *materiam*, *& cogitationem sibi mutuo adversari*. Ergo, inquiet Lector, Poeta hic sapientior factus opinionem mutavit, Lochium deseruit, & nobiscum sentit. Nihilo vero minus, est adhuc Materialista, sed ne insciti æ, ut veteres, damnetur, eorum errori alios errores addit, quos ipsi nec audebant, nec sciebant effutire. Ipsum loquentem audiamus: *Lochius*, ait, *videtur fuisse solus, qui de medio sustulerit oppositionem inter materiam, & cogitationem, recta confugiens ad Creatorem cuiusque cogitationis, totiusque materiæ, & modeste dicens: qui omnipotens est, annon efficere potest, ut ens materiale, atomus, materiæ elementum cogitet?* (a) En felicius, quam Alexandri ense, uno ictu dissolutum nodum. Quod si quis fortasse hac doctrina commoveatur ira, Voltærus veritatis amore accensus eum *superstitiosum*, *impiumque appellat*. (b) *Prodit superstitio-*

(a) *Loche paroit le seul, qui ait oté la contradiction entre la matière & la pensée, en recourant tout d'un coup au Createur de toute pensée, & de toute matière, en disant modestement: celui qui peut tout, ne peut-il pas faire penser un etre matériel, un atome, un élément de la matière?* Metaph. prim. part. Chap. 6. (b) *Le superstitieux vient a son tour, & dit qu'il faut bruler pour le bien des leurs*

stitiosius, aitque, comburendos esse in suarum animarum salutem eos, qui opinantur, cogitari posse solius corporis ope. (Hæc est imago illa, qua pingit, deridetque pluribus suorum operum in locis Catholicam Religionem temerarius scriptor; quasi vero illa constaret grege superstitiosorum hominum, qui ferro, & igne armati nonnisi strages, incendiaque intentent.) *At quid hi dicerent*, (pergit porro) *si ipsi impietatis scelere essent constricti ? Enimvero quis erit, qui audacter asserere audeat, non posse creatorem sensu, & cogitatione materiam afficere ?* Negabimus, ratiocinatores hujus generis sibi jus non arrogare traducendi per jocum Religionem, & quidquid sancti umquam est ? Prius tamen quam huic sermoni respondemus, advertere placet, ex Voltæri, & Lockii sententia, Materialistas esse Atheos non posse; sed cogi ad confitendam Dei existentiam; ipse enim unus, ut materia possit cogitare, potest, debetque efficere. Quandoquidem Deus, qui vim cogitandi materiæ impartitur, non potest esse pura materia; debet siquidem ipse quoque cogitare. Materialismus ergo destruit se ipsum, & præter materiam aliud quid esse, fateri debet. Hic autem, quoniam sese occasio objicit, advertamus, humanam animam Dei existentiæ esse semper invictum argumentum; vel enim ipsa dicitur, ut nos eam esse asserimus, spiritalis substantia; & in hoc systemate & sua natura, & junctione cum corpore ejus Entis infiniti, & omnipotentis, a quo creata fuit, & cum corpore conjuncta, existentiam (quod superius probavimus) nobis ipsa demonstrat; vel creditur pura materia, & in hac hypothesi, cum ipsa cogitare non possit nisi omnipotentis auxilio, hujus Entis omnipotentis, infiniti, incorporei existentiam itidem probat.

§. VII. Sed redeamus ad fortissimum Voltæri argumentum. Deus, ille inquit, est omnipotens. Ita : ergo negare, eum posse vim cogitandi dare materiæ, est impium. At ego respondeo: immo id asserere est amentiæ. Essentiæ rerum non sunt objectum divinæ omnipotentiæ, sed existentia. Potest Deus efficere, ut triangulum existat, aut non existat; at efficere nequit, ut triangulum sit rotundum. Quid ita ? quia hoc implicat contradictionem; nam hoc in casu, & esset, & non esset Triangulum. Atqui inter materiam & cogitationem, id ipso Voltæro fatente, *est contradictio*; non potest igitur efficere Deus, ut materia cogitet. Ut contradictio tolleretur, mutandæ essent naturæ, ut materia non esset amplius materia, aut cogitatio non esset amplius cogitatio: tunc autem quæstio nulla esset. Hæc nota sunt cuicumque vel prima limina Metaphysicæ salutavit.

Quamquam intelligit-ne Voltærus quid sibi velit, cum asserit, *posse Deum cogitationem, & sensum materiæ impertiri ? aut Deum* (ut paulo post subjungit) *posse organa nostra magis elaborata sentiendi, percipiendi, cogitandi, quod humanam rationem appellamus, facultate donare ?* (a) Quid ? an credit, hanc facultatis cogitandi communicationem cum cerebro fieri eo pacto, quo nimirum in Anglia inseritur *Variolum* infantibus, ponendo in brachio valentis pueri ultro inciso leviter alicujus eo morbo oppressi pustulam, (quod inventum ille summopere extollit, commendatque in XI. suarum Epistolarum, ut Christianæ Europæ errorem demat.) An putat, facultatem hanc, ut episodium annectitur Poemati, annecti organis nostris ? Quam sibi hujus facultatis, quæ humana ratio dicitur, & quam organis nostris magis elaboratis Deus dat, notionem sibi affingit ? Estne illa spiritalis, an corporea res ? Si spiritalis, jam convenimus, neque umquam fortasse inter nos contentio erit. Si corporea, hæc esse non potest, nisi purissimus sanguis, vividior fibrarum vis, motus celerior musculorum, ac proinde hæc organa, & cerebrum magis inter se uniantur, dilaten-

leurs Ames, ceux qui soupçonnent, qu'on peut penser avec la seule aide du corps: mais que diroient-ils si c'étoient eux mêmes, qui fussent coupables d'irreligion ? En effet quel est l'homme, qui osera assurer sans une impiété absurde, qu'il est impossible au Créateur de donner à la matiêre la pensée, & le sentiment ? Lettr. XIII. sur M. Locke.

(a) *Eh qui peut empecher Dieu de communiquer à nos organes plus déliés cette faculté de sentir, d'appercevoir, & de penser, que nous appellons raison humaine ?* Lett. XIII.

hentur, corrugentur quacumque libuerit forma, & ratione. Consideret enim, & meditetur; in hac categoria nil aliud præter extensionem, quietem, motum, positionem, figuram, materiamque reperiet. Si in his putat inesse cogitandi facultatem, prolabitur in Lucretii, veterumque Materialismum; falsum dicit; dicit id, a quo sensus cujusque intimus, ratioque abhorret. Quid ad hæc Voltærus respondere potest? Nihil aliud prætexere potest, nisi verborum involucra, ne, si fieri potest, clara cernatur veritas. *Videtur quidem* (ait (a)) *nihil commune cum attributis, quæ novimus in Ente extenso, quod corpus dicitur, cogitatio habere. At cognoscimusne omnia hæc attributa corporum? Videtur temerarium admodum esse Deo dicere, motum, gravitatem, vegetationem, vitam corpori dare potuisti, cogitationem eidem dare non potes?* Enimvero qui ita scribit, nihil cogitat. Cum dicimus inter cogitationem, & materiam contradictionem interesse, confugi haud amplius potest ad occulta attributa, quæ in corporibus esse possunt. Neque est amplius *temerarium*, sed solum minus *conveniens* asserere, Deum materiæ cogitationem impertiri non posse; cum potius dicendum sit, eam hujus attributi capacem non esse. Licet in circulo esse possint occultæ qualitates, hæ tamen numquam in causa erunt, ut dubitem, num ille possit esse quadratus: neque *temerarium* existimabo umquam esse dicere, non posse circulum ab omnipotente Deo habere quatuor angulos rectos, qui quadrati sunt proprii. Quid ita? quia inter proprietates circuli mihi notas, & proprietates quadrati interjacet contradictio. Si igitur inter proprietates materiæ mihi notas, & proprietates cogitationis a me cognitas contradictio est; confugere ad occulta materiæ attributa, & ad Creatoris omnipotentiam, ut utramque conjungam, purum putumque est deliramentum: At, inquiet quispiam, potestne reipsa contradictio hæc inter nota materiæ, & cogitationis attributa demonstrari? Respondeo, ex hactenus a me dictis eam satis demonstrari. Voltærus videtur id confiteri, ubi ait, Lochium *confugere ad Creatorem sublata contradictione inter cogitationem, & materiam*. Cum in hoc summa quæstionis sit, Lectori placeat, quod proxime sequitur argumentum, quod meo quidem judicio rem, quæ præ manibus est, summopere illustrat, diligenter considerare.

§. IX. Quod cogitat debet esse *unum*; materia ex se essentialiter *unitatem* removet. Ergo materia neque cogitat, neque cogitare potest. Explicemus, probemusque eodem tempore singulas argumenti partes. Materia, sive substantia extensa constat partibus extensis, & a se distinctis. Jam inquio, fieri non posse, ut substantia hujusmodi conflata ex distinctis, extensisque partibus sit ratione prædita, aut cogitandi capax. (b) Nam quod innotesceret ex una parte hujus extensæ substantiæ, non innotesceret ex alia; illa notio, quæ partem unam tangens illi nota esset, esset alteri ab ea intactæ ignota. Quomodo ergo judicium, quod consistit in conferendo, tum in uniendo, aut separando duas notiones, fieri posset? Quomodo possent conjungi, aut conferri inter se duo judicia, in quo ratiocinium consistit? Quæritur exempli causa *num tres anguli trianguli simul sumpti æquales sint duobus rectis*? Si mens est extensa, trianguli notio ita menti sese objiciet, ut angulus unus ex una parte eam contingat; & hic illi innotescet; at non innotescent illi alii duo, qui alias duas distinctas ejus partes contingent. Qui ergo,

(a) *La pensée, il est vrai, semble n'avoir rien de commun avec les attributs, que nous connoissons dans l'être étendu, qu'on appelle corps: mais connoissons-nous toutes les proprietés des corps? c'est une chose qui paroit bien hardie, que de dire a Dieu, vous avez pû donner le mouvement, la gravitation, la vegetation, la vie à un etre, & vous ne pouvez lui donner la pensée*. Metaphis. Prim. Part. Chap. 6.

(b) Hoc fortissimum argumentum est D. Thomæ, qui illud ponit in loco primo inter argumenta, quibus ostendit, *substantiam intellectualem non esse corpus*. Lib. II. cont. Gent. c. 49. En illius verba: *Nullum enim corpus invenitur aliquid continere, nisi per commensurationem quantitatis: unde & si se toto totum aliquid continet, & partem parte continet: majorem quidem majore, minorem autem minore; intellectus autem non comprehendit rem aliquam intellectam per aliquam quantitatis commensurationem, cum se toto intelligat, & comprehendat totum, & partem; majora in quantitate, & minora. Nulla igitur substantia intelligens est corpus*.

go, & a quo efformari poterit notio integræ quantitatis horum trium angulorum, si a tribus materiæ distinctis partibus separatim cognoscuntur? Præterea, quomodo conferri poterit quantitas trium trianguli angulorum simul sumpta cum quantitate duorum angulorum rectorum, si hi quoque alias extensæ mentis partes occupantes his tantum occupatis partibus erunt noti? Quis igitur, & qua ratione enuntiabit illud, *ajo, tres trianguli angulos simul sumptos æquivalere duobus rectis*? Sed hac mente extensa non solum judicium fieri posset, sed, inquio, ne perceptionem quidem unius objecti haberi posse. Quare in me non solum esset illud *ego*, quod judicat, sed ne illud quidem *ego*, quod percipit. Cum enim quælibet substantiæ extensæ pars componatur ex aliis duabus minoribus partibus, & ita deinceps; statui pars una non potest, quæ integram, individuamque objecti cognitionem habeat; sed cuilibet objecto, immo cuilibet objecti parti infinitæ mentis distinctæ partes, quæ habent infinitas distinctas minores cognitiones, correspondebunt. Ita exempli gratia triangulum congrueret quidem cum tribus extensæ mentis partibus, sed cum quævis harum partium vere, & reipsa constet aliis partibus minoribus usque, nulla mentis pars totam anguli perceptionem haberet, sed cognitio hæc divisa esset in infinitas exiguas cognitiones, quot nimirum erunt mentis cognoscentes partes. Ergo donec non perveniatur per analysim *ad individuum, & ad unum*, reperiri non potest illud *ego*, quod percipit. Hoc *individuum*, hoc *unum* in materia extensa non est. Ergo illud *ego*, quod cognoscit in me, *ego* quod judicat, *ego*, quod ratiocinatur est substantia extensione carens; ergo incorporea; ergo spiritalis: quoniam nihil aliud hoc nomine hic intelligitur, quam substantia cujusvis extentionis expers, & prædita ratione; hujusmodi autem est anima.

Petrus Bælius, Libertinis gratissimum nomen, in suo Historico Dictionario (art. *Leucippe Remarque E.*) quasi ex tripode vocem emittens, ostendesque veritatis vim cognoscere, appellat modo allatum argumentum *invictam objectionem* (a) in eos, qui opinantur, materiam cogitare posse. Ne Lectorem pigeat audire ejus verba. „ Objectio hac (inquit „ ille) nititur unitati proprie dictæ, „ quæ convenire debet entibus cogitantibus: si enim substantia, quæ cogitat, „ non esset *una* eo modo, quo globus „ est unus, numquam ipsa totam cerneret arborem. En id ostendendi modum. Finge in globo quatuor mundi „ partes descriptas. Nihil in hoc globo „ vides, quod Asiam totam contineat, „ immo ne totum quidem flumen. Pars, „ quæ Persidem repræsentat; non est eadem „ ac illa, quæ regnum Siami repræsentat; „ secernisque partem dexteram, lævamque „ in ea parte, quam Euphrates alluit. „ Hinc ergo consequitur, si globus hic cognoscere posset figuras, quibus ornatur, „ dicere tamen eum non posse: *ego Europam totam, totam Galliam, Amstelodamum, Flumen Vistolam cognosco*; sed singulas globi partes eas tantum figuras „ cognoscere, quibus tanguntur. Porro „ sicut portio hæc adeo esset exigua, ut „ locum nullum integrum repræsentaret, „ ita esset prorsus inutilis, quam globus „ posset cognoscere: ex hac enim tenuitate nulla cognitio haberetur: Enimvero hi essent cognitionis actus valde „ dissimiles iis, quos in nobis ipsis experimur; quandoquidem hi totum objectum videndum nobis objiciunt; quod „ est evidens argumentum, subjectum a „ tota imagine horum objectorum affectum dividi non posse in plures partes, ac proinde hominem, quatenus „ cogitat, non esse corporeum, aut materiale, aut non constare pluribus entibus.. „ Hactenus petrus Bælius, qui deinceps quibusdam Materialistarum paralogismis respondens majori in luce vim argumenti ponit.

§. X. Aliam animadversionem, quæ ex sensationum theoria dimanat, & facile, clareque admodum hanc animæ unitatem, & individuam simplicitatem nobis demonstat, breviter attingam. Attendite: nostrorum sensuum singulorum organa inter se differunt: lux, coloresque per oculos cernuntur: odoramur per nares; per aures sonus auditur; per *papillas* per nerveam

(a) *Une objection: qu'ils n'ont jamais pu resoudre.*

veam intrinsecamque linguæ substantiam diffusas sapores distinguntur : & *papillæ nerveæ*, quæ intra cutem sunt, inserviunt tactui. Omnes hæ sensationes, quas per hæc organa percipimus, maxime inter se differunt; in me tamen est quid, quod omnes eas complectitur, eas inter se comparat, eas secernit, & de iis judicat. Eodem tempore horti pulchritudinem video, flores olfacio, fructus gusto, avium melos audio, lenemque aeris flatum sentio. Quid plura? confero inter se has varias sensationes, gradus noto, vim cognosco, voluptatem harum voluptati earum antefero. Jam sensuum organa profecto judex hic non sunt: etiamsi enim sensus sentirent, cum tamen nullus ultra objecta sibi convenientia extendatur, hic unus sentiret; neque de *sensatione* aliorum sensuum judicium ullum ferre posset. Nec ideo tamen judex hic est aliquid extensum, verbi gratia cerebri substantia, ad quod omnia externa organa per nervos referuntur; hæc substantia, inquam, non est *sensationum* Judex. Cum etenim cerebrum variis e partibus componatur, sicut quælibet percipit peculiarem unius tantum organi impressionem, ita etiam unam tantum singularem sensationem perciperet; ac proinde nihil sciret de sensatione alterius; tantumque abesset, ut illa posset sensationis alterius partis collationem judiciumque facere, quantum abest, ut oculus judicare de saporibus possit, de lumine auris. Hic judex ergo, qui uno eodemque tempore in se has omnes sensationes colligit, eas inter confert, distinguitque, debet esse quid simplicissimum, individuum, unum; ergo a materia omnino diversus est, & proinde est substantia spiritualis, qualem nimirum animam esse dicimus. (*a*)

Hæc jam scripseramus, immo editus jam fuerat primum liber hic, cum ad nos pervenit libellus quidam *Dictionaire Philosophique portatif* inscriptus, cujus Voltærum vox una omnium auctorem jactat. (*b*) Dignus sane ille est, qui credatur auctor: opus siquidem ejus ingenium præ se fert, estque illo dignum. Itaque in articulo *de Anima*, repetitis pluribus cogitationibus, quas alibi scriptitarat, quasque nos confutavimus paulo ante, ad novum opus se parat Philosophus hic, nempe ad argumentum de animæ spiritualitate a nobis modo illustratum evertendum; paucisque verbis quo solet tumido ore, elataque fronte prolatis se rem confecturum putat. Afferamus ejus verba. (*c*) *Scimus, negationem, affirmationemque dividuas non esse, non esse materiæ partes. Tecum sentio. Materia tamen, quæ cæteroquin nobis incognita est, qualitates habet, quæ nec materiales sunt, nec dividuæ. Habet illa ad centrum a Deo constitutum gravitatem; jam hac gravitas partibus caret, dividi nequit. Vis corporum motrix non constat partibus. Corporum organicorum vegetatio, vita, instinctus non sunt substantiæ partes habentes, dividi non possunt. Rosæ vegetatio, equi vita, canis instinctus non magis dividi possunt in partes duas, quam dividua sit sensatio, negatio, affirmatio. Egregium ergo tuum illud argumentum ex cogitationis indivisibilitate desumptum nihil omnino probat.* Hactenus Voltærus. Enimvero recte, & ut natura jubet, sentire videretur, qui sentiret hominem, quo magis & senescit, & studio vacat, eo doctiorem, sapientioremque evasurum; multi tamen putant, rem aliter prorsus se se in hoc Poeta habere. Et revera hoc ejus ratiocinium hujus rei argumento satis perspicuo esse potest; quandoquidem (si nominibus suis

res

(a) *Quid quod eadem mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem sonum: quæ numquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, & is omnium judex solus esset. Cicero Lib. I. Tuscul. Quæst.* Qui quidem legi meretur.

(b) *Voltærus in epistolis, quas inscripsit e Parnaso, fatetur se quidem hujus dictionarii auctorem fuisse, sed non solum; plures alios ait symbolam contulisse suam. Stilus tamen, ut recte Valsecchius animadvertit, eum prodit.*

(c) *Nous sçavons, qu' une negation, & une affirmation ne sont point divisibles, ne sont point des parties de la matiire; je suis de vôtre avis. Mais la matière, à nous d'ailleurs inconnûe, possède des qualitès, qui ne sont pas materielles, qui ne sont pas divisibles; elle a la gravitation ver un centre, que Dieu lui a donnèe. Or cette gravitation n' a point de parties, n' est point divisible. La force motrice des corps arganisès, leur vie, leur instinct, ne sont pas non plus des êtres à part des être divisibles: vous ne pouvez pas plus couper en deux la vegetation d' une rose, la vie d' un cheval, l' instinct d' un chien, que vous ne pouvez couper en deux une sensation, une negation, une affirmation. Vôtre bel argument donc tirè de l' indivisibilitè de la pensèe ne prouve rien de tout.*

res sunt appellandæ) tot illud errata, quot fere verba continet; estque putidum sophisma, quod nullo modo argumentum nostrum evertit, immo potius confirmat. Singillatim id demonstremus. *Scimus* (inquit ille) *affirmationem*, *negationemque non esse dividuas*, *non esse materiæ partes* : *tecum sentio*. Nihil ego nunc requiram amplius, ut concludam, ergo negationem, affirmationem, cogitationem, cum ex sua essentia sint *una*, substantiæ extensæ, dividuæque, cujusmodi est materia, proprietates esse non posse : ac proinde animam his affectionibus præditam non esse materiam, sed spiritum. Nequaquam : (inquit ille) materia siquidem qualitates habet, quæ nec materiales sunt, nec dividuæ. Eja age, eas recense. *Habet ea gravitatem ad centrum a Deo constitutum; jam gravitas isthæc partes non habet*, *& non est dividua*. At ubinam gentium sumus, Voltære mi? gravitas partibus caret, & non est dividua? An ignoras celebre illud Philosophorum theorema, *gravitatem corporis esse in proportione cum massa*, & ut augetur, minuitur, dividitur massa, augeri, minui, dividi gravitatem? Sed quin appellemus Philosophos, qui id demonstrent, quis tam rudis est, ut ignoret, duodecim librarum pondus dividi in sex, & harum partium singulas in tot, quot libuerit, minora pondera posse subdividi? Habet igitur gravitas partes, est igitur dividua, tuumque argumentum primum paralogismus est. Ad trutinam revocemus secundum. *Vis corporum motrix non est partium compositio*. Nil melius. Verum ecquis hoc tibi obtrudit, vim corporum motricem esse materiæ proprietatem? Nos alibi ostendimus, materiam esse *inertem*, & principium motus esse non posse origine sua nisi in ente superiore, & alio a toto corporeo systemate; & hunc Deum esse. Jam vis motrix in Deo est suametipsa voluntas omnipotens, spiritalis, simplicissima, cujusmodi ille est. Quod si eam vim motricem intelligis, qua corpus aliud corpus impellit, movetque; satis interim sit dicere, corpus hoc impellens tantum hujus motricis vis amittere, quantum cum alio communicat, ut hinc colligas, hujusmodi vim esse dividuam, & hoc tuum secundum exemplum quocumque sub intellectu acceptum contra te facere, & nedum argumentum concutiat meum, illud magis, magisque confirmare.

Cætera examinemus. *Vegetatio corporum organicorum*, *eorum vita*, *eorum instinctus non sunt substantia partes habentes*. *Rosa vegetatio*, *equi vita*, *canis instinctus non magis dividi possunt in partes duas*, *quam sensatio*, *negatio*, *affirmatio*. Puræ, putæque nugæ sunt hæ, quæ fucum imperitis facere possunt, non vero illi, qui in hoc doctrinarum genere vel leviter est versatus. Tibi sane damus, vegetationem, instinctum, vitam corporum organicorum non constare partibus : illud tamen certissimum est, hos esse substantiarum partibus constantium, qualia sunt corpora organica, modos, aut affectiones, aut proprietates; sicut etiam illud certum est, hos modos, aut affectiones ad motum reduci. Et sane qua alia in re nisi in evolutione, & accretione, & incremento partium rosæ vegetatio consistit? Quid canis instinctus significat (quoad spectat ad corpus organicum, sive ad materiam, de qua tantum hic loqui potes) ? nihil aliud profecto, nisi constantem, immutabilemque actuum, motuumque tenorem secundum leges a naturæ Auctore sancitas. In quo autem horum organicorum vita sita est, nisi in æquabili, perennique solidorum, fluidorumque ea componentium motu? Jam dubitari nequit, quin motus suam quantitatem, suos modos, suasque partes habeat, in quas dividi possit, dividaturque. Est ergo meridiana luce clarius, affectiones a te allatas (exceptam semper vim primam motricem volo) e sua essentia materiales proprietates esse; quoniam ita ad materiam spectant, ut sine illa, & extra illam concipi non possint : & esse proprietates dividuas, ut est materia ipsa, in qua inhærent, dividua. At vero cogitatio non solum sine materia concipitur, sed ab intellectu, utcumque nitatur, conveniens materiæ concipi nequit, neque potest ullo modo dividi, cum de sua essentia concipiatur *una*. Quod si ita est, ut Philosophum honestum decet, veritatem profiteri debes, potiusque quam concludas, *ergo egregium illud argumentum ex cogitationis divisione desumptum nihil probat omnino*, *debes colligere ita*, *ergo ratiocinatio mea ex gravitate materiæ*, *ex vi motrice*,

trice, ex vegetatione, ex instinctu, ex vita corporum organicorum deducta est errorum farrago, est ridiculum sophisma, quod non modo non labefactat argumentum, quo probatur, animam esse spiritalem, sed etiam illud magis fulcit, confirmatque. Pudet, fatebor candidus quod sentio Lectori, in refutandis hujusmodi ineptiis me diutius immoratum fuisse. Hoc tamen specimen duorum postremorum liberculorum (*Dictionaire portatif, & Philosophie de l' Histoire* gemellorum fratrum) Libertini Poetæ notas patefaciet; qui quo magis felle, venenoque in Deum, & Religionem scatent, eo ratiocinatione, rectoque sensu magis carent. Objectiones contra doctrinam nostram, quæ totum articulum conficiunt, sunt ejusdem fere roboris; sicut, quam facile ostendere, tam fastidium lectorum effugere possemus. Sed in viam redeamus.

§. XI. Invictissimum aliud argumentum, quod Thesis ipsa contra Materialistas omnes suppeditat, demum deducitur ab attributo, quod intimo sensu quisque novit, humanæ animæ convenire, nosque in libri hujus capite VI. ex professo exponemus. Dos hæc est libertas. Ut mittamus ergo hic dicere, cum dos hæc versetur de judiciis generalibus, & abstractis, non posse illam, ut ex demonstratis patet, pertinere ad materiam, quæ hujusmodi judicia facere profecto nequit; demonstratio mea nunc est hujusmodi. Materia, quæ sua natura est iners, ut probavimus, necessario subjicitur Mechanicæ legibus, quibus, quin ex superari possint, vincique, status quietis, motusque determinatur; sicut his ultimis temporibus præsertim insignes Philosophi & rationibus, & experientiis docuerunt. Jam *libertas* est facultas sese movendi, aut quiescendi, eligendi, agendi, & non agendi, æque ad hunc, illumve statum se habens, & in hoc potius, quam in illo permanendi; nullis mechanices legibus obnoxia; immo iis superior adeo, ut interdum homo libertate sua impediat in se aliquam actionem, quæ fit in corpore suo sine voluntate sua, sed fit ex mechanicæ legibus, semperque, qualis est verbi causa *respiratio*, ut fusius supradicto loco dicemus. Libertas ergo hominis, intimusque ejus sensus non est attributum materiæ, sed substantiæ a materia diversæ, se moventis, rationalis, quam dicimus esse spiritum. Hæc demonstratio, quæ illustrior evadet, cum de libertate agemus, potuit flectere animum omnium ferocissimum, audacissimumque, quos his annis novimus, Roussojum intelligo, qui hæc scribit: (a) *Imperat natura cuique animali, brutumque paret. Vim imperii eamdem sentit homo; at ipse scit, se liberum esse a parendo vel resistendo. In hoc autem intimo hujus libertatis sensu spiritualitas animæ præcipue dignoscitur. Nam explicat quidem Physica aliquo modo sensuum mechanismum, idearumque fictionem;* (minus feliciter tamen, ut vidimus) *at in facultate voluntatis, seu potius electionis, & in sensu hujus potentiæ non reperies nisi actus spiritales, quorum nullus per Mechanica leges explicari potest.* Hactenus ille, qui inter plurima deliramenta vel lippis, & tonsoribus nota, identidem tamen sapit; illique melius quanto e voto res successisset, si constanter verum lumen tanquam ducem sequutus fuisset ingenioque suo ad veritatis defensionem esset usus, sicut turpiter abusus illo est ad eam impugnandam. Quod ad Voltærum spectat, quem non alia de causa in hanc arenam produximus, nisi ut opinionibus suis nobis præberet ansam de anima rationali doctrinam magis illustrandi, opportunum ducimus, illum admonere verbis iis, quibus Cicero quemdam Aristoxenum Musices magistrum admonuit, quem, cum voluisset de anima humana scribere, dixissetque, eam esse quamdam Harmoniam, graviter orator his castigavit: (Tuscul. Disput. Lib. I. n. 18.) *Sed hic quidem* (Aristoxenus) *quamvis eru-*

di-

(a) Discours sur l' inegalitè des hommes par M. Rousseau Prim. Part. p. 19. *La nature commande à tout animal, & la bête obeit. L'homme eprouve la meme impression, mais il se reconnoit libre d'acquiescer, ou de resister, & c'est sur-tout dans la conscience de cette libertè, que se montre la spiritualitè de son ame. Car la Physique explique en quelque maniere le mechanisme des sens, & la formation des idèes; mais dans la puissance de vouloir, ou plûtot de choisir, & dans le sentiment de cette puissance on ne trouve que des actes purement spirituels, dont on n'explique rien par les loix de la Mecanique.*

ditus sit, sicut est, hac magistro concedat Aristoteli: canere ipse doceat; bene enim illo proverbio Græcorum præcipitur:

Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.

§. XII. Novissimus tamen, quod quidem ego sciam, qui in hoc certamen descenderit, impugnaritque non minus temeraria, quàm absurda ratione naturam, & nobilitatem animæ humanæ, tutatusque Materialismum fuerit, is illustris Helvetius fuit in eo libro, quem *De l' Esprit* inscripsit, quem æquius multo inscribere debebat *de Materia*. Initio statim arte illa ussitata hujus generis scriptorum, & a nobis paulo ante in Volteiro animadversa, vult, quæstionem hanc de animæ spiritualitate, & materialitate haberi ut rem nullius momenti, & in utramque partem accipi promiscue posse, cujus utraque hypothesis sui libri systemati conveniat, (Nonne hoc unum satis esset, ut statim hujus libri notam, vimque dignosceremus?) Tum sic scribit,,, nos rationis lumine cognoscere non ,, posse naturam principii cogitantis, ,, neutram duarum sententiarum demon- ,, strari posse; opus fuisse, ut Ecclesia ,, nobis eredere caput hoc imperaret.,, Num animæ spiritualitas ostendi possit, ex hactenus dictis sapiens Lector judicabit. Ut autem appareat, quantum fides hujus capitis ab Ecclesia jussa ponderis habeat apud Philosophum hunc, & utrum duorum membrorum ficti systematis de natura animæ ipse amplectatur, sufficiet audire systema, quod ipse constituit, quo, ut dicam quod reverà sentio, nullum & majoribus, pluribusque erroribus scatet, nullum magis a ratione abhorret, nullum est magis incongruum. Ut ergo ille nobis explicet, quid sit in homine spiritus, aut principium cogitans, docet (*a*) duas facultates, seu potentias passivas in nobis esse, quarum unam *sensibilitatem physicam* appellat: & est facultas recipiendi diversas impressiones, quas in nobis excitant res extrinsecæ; alia *memoria* dicitur, quæ est continuata sensatio, sed debilis. Tenes animam totam hominis. Quod si fortasse diceres, hujusmodi facultates in brutis animantibus inesse, ac proinde minus idoneas esse, quæ nobis explicent, quænam anima humana sit, non commovetur impavidus Philosophus, immo fatetur, *esse illas communes cum cæteris animantibus*. At qualis ergo erit (quæritis) differentia nos inter & ea? Reponit, *eam consistere in quadam extrinseca organorum dispositione* (*b*). Avetis cognoscere & rationem, & explicationem? Ea talis est. (*c*) *Si natura*, ait, pro manibus, *flexilibusque digitis desisset brachium desinem in equi pedem, quis dubitet, homines sine artibus, sine domicilio, quin a bestiis se defendere possent, occupatos unice in parandis sibi cibis, & a bestiis ferocibus in se tuendis, adhuc non esse errabundos in desertis locis, ut fugitivum gregem?* Audin' sublimes, admirandasque doctrinas? Pergit ille in longa nota ad paginæ calcem explicare, & confirmare inventum hoc; hoc est nos ab equo non differre, nisi quod digitos habemus, non pro digitis ungulam: quod theorema est præ-

(a) Discours I. Chap. I. *Nous avons eu nous deux facultés, ou si je l' ose dire, deux puissances passives, dont l'existence est generalement & distinctement reconnue. L'une est la faculté de recevoir les impressions differentes, que font sur nous les objets exterieurs: on la nomme* sensibilité physique: *l'autre est la faculté de conserver l'impression, que ces objets ont fait sur nous, on l'appelle* memoire: *& la memoire n'est autre chose, qu'une sensation continuée, mais affoiblie.*

(b) Ibid. *Ces facultés, que je regarde comme les causes productrices de nos pensées, & qui nous sont communes avec les animaux, ne nous occasioneroient cependant, qu'un tres-petit nombre d'idées, si elles n'etoient jointes en nous à une certaine organisation exterieure.*

Hic opportune advertatur nostri Philosophi scribendi diligentia. Vocatisse duas has facultates *deux puissances passives*, duas potentias passivas; & paulo post eas dicit *les causes productrices de nos pensées* causas nostrarum cogitationum productrices. Hæc notiones *potentiarum passivarum, & causarum productricum* nonne opponuntur invicem? Sed ille his vocibus *causarum productricum cogitationum*, quas ille tribuit *sensibilitati physicæ, & memoriæ* vult Lectorem decipere. Nihil enim aliud revera spectat, neque aliud in homine cognoscit nisi unas sensationes. Quare scribit in eodem Capite pag 14. *Ego concludo, omne judicium non esse nisi sensationem*; & p. 15. *in homine omnia reducuntur ad sensationem*; & hoc est fundamentum ejus absurdi systematis.

(c) Ibid. *Si la nature au lieu de mains & de doigts flexibles, eut terminé nos poignets par un pied de cheval, qui doute, que les hommes sans arts, sans habitations, sans defense contre les animaux, tout occupés du soin de pourvoir à leur nourriture, & d'eviter les bêtes feroces, ne fussent encore errans dans les forêts comme des troupeaux fugitifs?*

præcipuum fundamentum scientiarum Moralis, Politicæ, Theologiæ totius hujus libri fama super æthera noti. Hinc advertit, quæstionem de anima brutorum animantium nulla alia de causa tanta animorum contentione fuisse agitatam, (a) *nisi quod, ut decebat, attente investigata non fuit in discrimine physici hominis brutique animantis causa, cur hoc sit illo inferius, quod dicitur bellnarum anima*. Anima igitur hominis, belluarumque tota consistit in *Physico*, aut saltem differentia unius animæ ab alia pendet tantum a *Physico*; nominatimque a digitis, & ungulis? Ita (ille respondet;) hinc fit, ut bruta animantia cogitationes, quibus præditus est homo, habere non possint. (b) *Omnium brutorum animantium pedes* (inquit) *desinunt in cornu, ut in bove, in cervo, aut in ungulas, ut in cane, in lupo, aut in uncos ungues, ut in Leone, in fele. Jam hæc differentia inter manus nostras pedesque brutorum animantium ea spoliat . . . industria necessaria ad aliquod instrumentum tangendum, ad invenienda quædam, quæ manuum usum requirunt*. Ergo omnes alias animadversiones, & inventa, quæ non pendent ab instrumentis tangendis, poterunt belluæ advertere, & invenire non secus ac homo, & homo, manibus, digitisque captus non erit in hoc genere lupo, aut fele sapientior? Egregiam vero Philosophiam! Hæc tamen quædam alia detrimenta, quæ præ nobis belluæ habent, recenset, (ib.) *Brutorum animalium* (sunt ejus verba) *vita generatim brevior nostra est; proinde non finit, ut ea tot animadversiones faciant, nec ideo tot notiones habere possunt, quot homo habet*. Quis scit, num, si equus annum sexagesimum attingeret, latifundium sapientiæ evasurus esset? at hic aliud discrimen addit (ibid.) *Bruta animantia a natura potentius munita, indutaque melius, quam nos, indigent minus, ac proinde paucioribus inventis opus habent*. Eorum dura pellis, uncique ungues eorum inscitiæ causa est (c) (inquit) *bruta animantia non constituunt nisi fugitivorum societatem respectu hominis . . . . qui est animal, quod omnium maxime multiplicatum fuit. Jam quo magis species animalis, quod possit advertere, multiplicata est, eo magis species hæc animalis, notionibus, ingenioque abundat . . . ex collectis ergo omnibus his differentiis in physico hominis, & brutorum animantium conjici ratio potest, cur sensibilitas, & memoria, facultates communes hominum cum brutis animantibus non sint, ut ita dicam, in belluis nisi infœcunda facultates*.

Ego, ut ingenue dicam, non sine horrore, & stomacho hæc tam absurda deliramenta exscripsi, idque eo consilio feci, ut horum Philosophorum cultores hæc *videant, & erubescant*, sapiensque Lector advertat, ad verbum adimpletas minas illas, hominem sua ratione abutentem futurum *sicut equum, & mulum, quibus non est intellectus* (Psal. 31.): Hominem suæ conditionis amplitudinis oblitum *comparatum esse jumentis insipientibus, & similem factum esse illis* (Psal. 48.). Et revera a quo sanæ rationis homine hierrores palmares dici possunt, quibus auditis quicumque, modo sensu communi gaudeat, se summopere commoveri sentit? Si argumentum ullum esse posset, quo probaretur, hominem non alia de causa ab equo distingui, nisi quod digitos habet; hoc, ut mea fert opinio, solum posset desumi ex eo, quod homo ejusmodi, qui possit & concipere talia, & scribere talia, in rerum natura reperiatur. Quod a nobis hoc capitulo expositum fuit, satis abunde evertit, deletque omnino hoc monstruosum systema. Quædam tamen breviter adnotabo, ut clarius falsitas, & deformitas illius appareat.

§. XIII. Primum quidem quæ distorta phi-

(a) Ibid. *On a beaucoup ecrit sur l'ame des bêtes: on leur a tour-à-tour otè & rendu la faculté de penser; & peut-etre n'a-t-on pas assez scrupuleusement cherches dans les differences du physique de l'homme & de l'animal, la cause de l'inferiorité de ce qu'on appelle l'ame des animaux.*

(b) *Toutes les pâttes des animaux sont terminès ou par de la corne, comme dans le boeuf, & le Cerf, ou par les ongles, comme dans le Chien, & le Loup; ou par des griffes, comme dans le Lion, & le Chat. Or cette difference d'organisation entre nos mains, & les pâttes des animaux les prives... de l'adresse necessaire pour manier aucun outil, & pour faire aucune des decouvertes, qui supposent des mains.*

(c) *C'est en combinant toutes ces differences dans le physique de l'homme, & de la bête, qu'on peut expliquer, pourquoi la sensibilité, & la memoire, facultès communes aux homme, & aux animaux, ne sont pour ainsi dire dans ces derniers que des facultès steriles.*

philosophandi ratio est umquam hæc? Cur, cum explicandum sit, quid in nobis sit spiritus, aut cogitandi facultas, promitur, & fuse exponitur *physica sensibilitas*, vel *passiva facultas* recipiendi diversas impressiones, quas objecta extrinseca in nobis excitant? Num intelligit quæ dicit? Facultas passiva recipiendi impressiones, quas in nobis excitant extrinseca objecta, residet vere in corpore, cujus varia organa diversis modis ab externis objectis tanguntur; & hanc facultatem scimus communem cum brutis animantibus nobis esse. Ita autem Creatore volente, vi impulsus facti ab extrinsecis objectis in nostro corpore sensationes ab impressione corporea prorsus diversæ in spiritu nostro excitantur; utrum autem hæ sensationes in belluis excitentur, nec Philosophus noster evidenter demonstrare poterit, neque nostra multum intereſt hic investigare. Sed quod ad rem maxime facit, hoc est, ut explicetur humani spiritus facultas, velle considerare tantummodo *sensibilitatem physicam*, & ex ea deducere, nos non differre a belluis, nisi quod hæc *physica sensibilitas* ob extrinsecam organorum dispositionem in ipsis est aliquanto infœcundior, quam in nobis, est, non dicam solum turpissime errare, sed etiam insanire.

Quid ni? Judicare, ratiocinari, considerare, disponere nostras notiones, nostra ratiocinia, estne fortasse *physica sensibilitas*? Excitantur quidem in me ab extrinsecis objectis sensationes saporis, odoris, coloris; & hinc doloris, aut voluptatis: At est in me facultas, quæ hujusmodi sensationes considerat; relationem, quæ inter illas est, ponderat; metitur gradus, naturam earum scrutatur, & has illis antefert. Judicium hoc profecto non est aut color, aut sapor, aut dolor, aut voluptas; proinde *sensibilitas physica* non est. Est ergo in me a *physica sensibilitate* diversum quid & ea superius (a). Non me latet, id Philosophum nostrum negare, & audacter dicere, (*Discours I. c. 1. p. 11.*) *tunc judicare aliud non esse quam sentire*. At quicumque sapit, harum duarum rerum apertissimam distinctionem videt; siquidem earum una, hoc est *sensatio* excitatur ab impulsu extrinsecorum objectorum; altera, hoc est *perceptio & judicium* habet eamdem sensationem ut *objectum immediatum*. Pergamus porro. Non solum judicamus de nostris sensationibus, sed classem notionum longe multumque a sensationibus diversarum, & mirum quantum eas superantium in nobismetipsis reperimus. Hujusmodi sunt idea *veritatis*, *justitiæ*, *ordinis*; hujusmodi sunt notiones *Entis necessarii*, *entis contingentis*; principia *rationis adæquatæ*, *contradictionis*, & aliæ plures notiones his similes a quavis materia abstractæ, & ex rebus singularibus non deductæ. (Leg. D. Augustinus *Lib. X. Confes. c. 10.*) Est etiam in nobis facultas, quæ tota occupatur in hac pulcherrima idearum supellectili, quæ explicat, aptatque hæc principia, quæ pervolutat, componit, defæcatque has notiones, unas ab aliis deducit, & longas ratiociniorum, demonstrationumque series facit. Respondeat Philosophus noster ad quodnam *sensibilitatum physicarum* genus hæ pertineant? Per quod sensus organum irrepserit in me *veritas*, *ensque necessarium*? Quæritur, num facultas, ad quam pertinet notionum *harum veritatis*, *& entis* contemplatio, examen, dispositio, *sit facultas illa passiva jussa recipere impressiones, quas nobis faciunt objecta extrinseca*? Nonne somniantis esset id opinari? Sicut veritas, ordo, justitia, nec.

(a) D. Augustinus pluribus in locis suorum operum de hoc capite agit. Excellentiamque nostram propriam & infinitam præ brutis animalibus in ratione sensationum judice posita probat, illustratque. In lib. *de Vera Religione* cap. XXIX. ita loquitur. *Sed quia errare nobilia quoque animantia vivere, atque sentire nemo ambigit; illud in animo humano præstantissimum est; non quo sentit sensibilia, sed quo judicat de sensibilibus. Nam & vident acutius, & cæteris corporis sensibus acrius corpora attingunt pleraque bestiæ, quam homines: sed judicare de corporibus non sentientis tantum vitæ, sed etiam ratiocinantis est, qua illa carent, nos excellimus. Jam vero illud videre facillimum est, præstantiorem esse judicantem, quam illa res est, de qua judicatur. Non solum autem rationalis vita de sensibilibus, sed de ipsis quoque sensibus judicat: cur in aqua remum infractum oporteat apparere, cum rectus sit: & cur ita per oculos sentire necesse sit. Nam ipse adspectus oculorum renuntiare id potest, judicare autem nullo modo. Quare manifestum est, ut sensualem vitam corpori, ita rationalem utrique præstare.* Nihil in hac re clarius dici potest. Leg. idem S. Doctor *Lib. II. de Liber. Arbitr. c. 3. & 4.*

nec sunt corpora extensa, nec sensuum affectionibus obnoxia, ita non sunt in ea classe externorum objectorum, quæ possunt nos impellere. Facultas ergo illa, ad quam spectat contemplari, & explicare has notiones, nec sensus est, qui a corporibus tangitur, nec *phantasia*, quæ conservat impressionem horum corporeorum objectorum dissitorum, nec, ut utar verbis nostri Philosophi, *sensibilitas physica*, quæ nobis cum brutis animantibus est communis; hæc enim non extenditur ultra impressiones extrinsecorum objectorum. Est ergo in hominibus supra hanc *physicam sensibilitatem* sublimis, excelsaque facultas, ad quam earum notionum abstractarum, generalium, spiritalium cognitio, & de iis ratiocinatio spectant; & hæc facultas scilicet est illa, quæ *intelligentia pura* appellatur, quæque constituit discrimen verum inter nos, & belluas, nostramque præstantiam præ illis. Sentit Philosophus noster hujus argumenti pondus; putat tamen, semet expedire posse, & efficere, ut amici sui credant, justitiam, bonitatem, & alias hujus generis notiones, judiciumque quod fit de illis, esse sensationes, idque hac imagine, quam idcirco affero, ut clarior hujus Auctoris falsa opinio appareat. (a) *Tres sint tabulæ: in una depictus sit rex justus, qui ad mortem reum damnat; in altera rex clemens, qui a vinculis reum solvit, & in libertatem vindicat; in tertia hic idem reus, qui pugione armatus vix e vinculis egressus quinquaginta cives dat letho. Quisnam* (ille inquit) *est, qui has tabulas prospiciens non judicet, justitiam, quæ morte unius rei impedit cædem quinquaginta hominum pluris, quam clementiam in rege esse faciendam? Tamen judicium hoc reipsa nihil aliud est, quam sensatio.* Tamen (respondeo) sermo hic nil aliud, quam dementiam redolet. Sensatio tota, solaque est in visione eorum colorum in tabulis pictorum; & si nihil aliud esset in homine nisi *physica sensibilitas*, nihil ulterius sciret. Cognoscere ergo in rege, qui morte reum mulctat, *justitiæ actum*; in rege, qui a carcere liberat reum, *actum clementiæ*, est judicium illius facultatis, in qua generalis justitiæ, clementiæque notio residet, & cum his generalibus notionibus particulares eventus comparat, illumque justum, clementem hunc judicat. Hinc autem considerans quæ sequantur ex his duabus sententiis, easque conferens cum abstracta *boni communis* generali notione per illationem, aut ratiocinium, aliud judicium deducit, quod est hoc, justitiam illius regis clementiæ hujus esse præponendam. (b) Illa in nobis ratiocinatur ratio, & unusquisque, qui equus, aut lupus non sit, (sine discedam a decoris nostri Auctoris notionibus) sermonis hujus veritatem cognoscit. Illa ergo trium tabularum imago, qua Philosophus noster probare studet, nihil aliud nisi *sensibilitatem physicam* in nobis esse, & ita eludere invictissimum ratiocinium, quod ex notionibus abstractis, & spiritalibus eruimus pro *Intelligentia pura*, quæ vere nos diversos a belluis efficit, & supra eas nos plurimum extollit, cum puerilis est, tum etiam est inepta.

Quod si ita se res habet, ecce eversum præcipuum theorema, & vere dicere possumus fundamentum totius systematis *de Spiritu*. Statuit, quantum in se est, Auctor hic, nisi *physicam sensualitatem* esse in nobis, hoc est, facultatem illam, quæ impressiones extrinsecorum objectorum recipit. Hæc, ut illi arridet, nobis cum brutis communis est, a quibus non

(a) Discours I. Chap. I. p. 12. *On presentera trois tableaux, dans l'un il y peindra le Roi juste, qui condamne, & fait executer un criminel; dans le second le Roi bon, qui fait ouvrir le cachot de ce meme criminel, & lui detache ses fers: dans le troisieme il representera ce meme criminel, qui s'armant de son poignard au sortir de son cachot, court massacrer cinquante Citoyens: or quel homme à la vue de ces trois tableaux ne sentira pas, que la justice, qui par la mort d'un seul previent la mort de cinquante hommes, est dans un Roi preferable a la bontè? Cependant ce jugement n'est reellement qu'une sensation.*

(b) S. August. Epist. 147. alias 112. ad Paulinum n. 38. *Ipsa discretio videtur mente, non corpore; & ea, quæ mente conspiciuntur, non indigent ullo corporis sensu, ut ea vera esse noverimus.* Idem significant verba incomparabilis Doctoris in Lib. II. de liber. Arbitr. cap. 16. *Quidquid te delectat in corpore, & per corporeos illicit sensus, videas esse numerosum, & quæras, unde sit, & in te ipsum redeas, atque intelligas, te id quod attingis sensibus corporis, probare, aut improbare non posse, nisi apud te habeas quasdam pulchritudinis leges, ad quas referas quæque pulchra sentis exterius.* Leg. S. Doctor etiam in capitibus seq.

non distinguimur, nisi ab extrinseca compositione digitorum & non ungularum, & hæc facultas, ejus sententia, materiæ, non secus ac attractio convenire potest. Absonum systema, quod æque evertit moralem disciplinam, societatem, & Religionem, quæ hoc fundamento nititur. Si enim semel concedatur, quidquid est in homine ad sensationem reduci; ergo in illo non sunt notiones abstractæ, & generales; & ex necessaria rerum consequutione in ipso ratiocinium non inest. Si non inest ratiocinium, neque libertas inest, si deest libertas, neque meritum erit, neque culpa. Ergo neque præmium erit, neque pœna. Nulla ergo moralis lex erit amplius homini observanda proposita. Quid plura? Nullum alium ipse sibi scopum, finem nullum alium proponit, nisi sensibilem. Nihil ergo quærit aliud, nisi emolumenta sua, atque ad illa necessitatis impetu, ut feræ belluæ ad prædam, fertur. Natura ergo sua homo hic hostis est societatis, quæ commune bonum privato anteponit. In homine denique ejusmodi, in quo sensationes tantum sunt, vera Dei notio esse non potest, nec amor proinde, & cultus illius, non observantia, immo ne cognitio quidem ejus legis, non timor pœnarum, non spes præmiorum, cum sibi persuadeat, se, non secus ac bruta animantia, totum morte perire, nec quicquam sui superesse. Nulla est ergo, si eum audimus, Religio. Hæ sunt teterrimæ illæ illationes, quæ ex principio *Physicæ sensibilitatis* derivantur; quæ amplificatæ, pluribusque erroribus eleganter expositis, obscœnisque fabulis ornatæ systema de *Spiritu* constituunt. Nos, cum suscepti operis ratio postulabit, modo unam, modo alteram harum illationum refutabimus: inutile tamen non fuerit eas radicitus hic evulsisse. Etiamsi enim concederetur (quod fieri non potest, nec umquam concessuri sumus) posse *sensationem physicam* esse materiæ affectionem, evidenter probavimus, esse in nobis facultatem majorem, ad quam spectat de sensationibus judicare, & contemplari, & disponere notiones, quæ sensus, & materiam, ultra quam credibile est, exsuperant. Jam hæc facultas, quæ, ut diximus, *pura intelligentia appellatur*, animæ ea ornatæ spiritualitatem evidenter probat. Hæc excellentissimam notam, qua bestiis præstamus, significat; hæc est ratiocinii sedes, & ideo libertatis fons; hæc efficit, ut secernamus honestum, & turpe, ut meritum nobis parere possimus, & in crimina incidamus, ut Deum cognoscamus, a quo regimur, cui subjicimur; hæc nos docet, ut eum colamus, ut ab illo post hujus corporis dissolutionem, quæ nobis cum brutis animantibus communis est, nostræ vivendi rationis præmium expectemus, beatam patriam. Hæc sunt fundamenta Moralis disciplinæ, societatis, Religionis derivata ex principio cum simplici, tum evidenti, principio opposito illi, quod ut Religio, societas, & disciplina morum evertatur, in libro *De l' Esprit*, statuitur, cujus falsitas tantum nobis patet, quantum nobis constat, nos quiddam habere præstantius, quo equus, bosque carent. Opus est fateri, stabilem firmamque esse Religionem, quam summa Dei bonitate profitemur, si ejus hostes, ut illam oppugnent, ad errores tam apertos, immanesque debent confugere.

CA-

CAPUT QUINTUM.

De Animæ Humanæ immortalitate.

I. *Hæc est veritas omnium ingratissima Libertinis, ut fatetur Lucretius.*
II. *Opiniones Montaneæ, Domini a Sancto Evremontio, & Voltari. Fidem derident, dum dicunt; se rejicere causam hanc ad ejus tribunal.*
III. *Genera duo Materialismi, unum edoctum a quibusdam veteribus Doctoribus, alterum ab hodiernis Libertinis; illud, non vero hoc componi potest cum fide immortalitatis animæ.*
IV. *Incorruptibilitas animæ demonstratur.*
V. *Sub alio adspectu idem argumentum affertur: vis creata rem nullam in nihilum redigere potest.*
VI. *Nequeunt Libertini de animæ in nihilum eversione loqui, quin Deum esse confiteantur.*
VII. *Argumenta, quæ evincunt, Deum non esse redacturum in nihilum animam humanam, sed esse eam immortalem conservaturum.*
VIII. *Hæc argumenta nihil concludunt pro Brutorum animantium anima.*
IX. *Consensus gentium de immortalitate animæ. Verbum Dei gradus ultimus evidentiæ.*
X. *Opinio Puffendorfii jure, ac merito rejecta a Leibnitio.*

§. I. Anima, quæ sit substantia a corpore diversa, corporis mutationibus non est obnoxia. Quare si illud utpote quod constat partibus, solvitur, corrumpiturque, hæc, quæ caret partibus (simplex enim est, & spiritalis) cum morte vinculum, quo cum materia conjungebatur, solvitur, incorrupta, & immortalis superest. Hæc veritas omnium est ingratissima, & maxime adversa Libertinis. Alia Religionis capita facile amplecterentur; aut saltem audacia tanta, totque conatibus ea non aggrederentur, nisi ex necessaria consequutione vitam animæ æternam alia in regione, in qua expectanda sunt indicta supplicia ab illo Judice, cujus numen ludibrio habent, superfuturam esse docerent. Intelligunt hi, veritatem hanc, sicut commendat integram castamque proborum hominum vitam, eamque ab eorum dicteriis vindicat, ita damnare suam vi vendi rationem veluti stolidam negligentiam. Qua voluptate, qua pace frui ille potest, qui cum certo sciat (neque enim Pyrrhonicus ullus fuit adhuc, qui de hoc ambigeret) se quovis momento a morte posse corripi; si credit, animam, hoc est illam suimetipsius partem, quæ est principium cognitionis, sensusque, esse immortalem, credere etiam debet, se post mortem æternis suppliciis puniendum? Debet ille semper trepidare, inquit Lucretius (*Lib. I. v.* 108.)

Et merito: nam si certum finem esse viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Religionibus, atque minis obsistere vatum:
Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas;
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Hæc est (inquit *Lib. III. vers.* 37.) umbra illa terribilis, quæ nobis ubique adest, nec umquam nos quiescere patitur; est hoc virus illud, quod voluptatem quamcumque nobis turbat. Vis ergo adhibeatur omnis ut hæc immortalitatis fides, metusque mortis, quam tam atra vita sequutura est, penitus e corde evellantur.

Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia suffundens mortis nigrore, nec ullam
Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit.

§. II. Ad hanc negligentiam, seu verius ad hanc amentiam se devenisse, jactitabat Clarus Montanea, cujus *specimina* nuncupata Pyrrhonismo, & turpitu-

dini sunt ex libris Libertinis jucundissimis. *Ego* (inquit) *obstipo capite stolide memet morti committe, quin eam considerem, & intuear, tamquam voragini atra obscuraque, qua statim me absorbeat, suffocetque in ictu oculi alto somno stupiditatis contemptusque pleno* (*a*). Et alibi timorem damnans, irridensque sollicitas curas quorumdam se ad mortem parantium ita scribit (*b*): *mors momento temporis accidit; per quadrantem hora lucta, ex qua nihil consequitur, & nullum detrimentum, particularia præcepta non meretur.* Dominus a Sancto Evremontio, qui iisdem vestigiis a Montanea impressis institit, pro certo habet, rationem humanam immortalitatem animæ probare non posse, immo hoc opus *damnat velut diffidentiam pollicitationis, quam Deus nobis dedit, per quam tuti esse possumus . . . Ad Religionem*, inquit, *decidere pertinet, ad rationem decidenti Ecclesia se submittere.* (*c*) Sed cujus notæ esset fides, quam ille divinæ pollicitationi præstabat, quæque esset securitas, qua, rejectis rationis argumentis, sese sub sententiis Religionis de animæ immortalitate subjiciebat, aperte ostendit in libris suis; sed præcipue ubi describens unum ex jucundissimis suis Heroibus, scilicet Petronium, ita loquitur: (*d*) *quod spectat ad mortem, nisi fallor, ipsa totius antiquitatis est pulcherrima... Socrates, ut vere dicam, mortuus est, ut decebat sapientem virum, minime commotus: tamen id laborabat, ut certior fieret de suo statu in altera vita, quod non est consequutus. Sermocinabatur perpetuo cum amicis suis in carcere, sed molliter; & ut summatim dicam, mortem diligenter consideravit. Petronius unus mortem irridens & contemnens respexit*; Audiebatque referentes nihil de immortalitate animæ, & sapientium placitis, sed levia carmina & faciles versus. Tacit. Ann. XVI. c. 19. *Non solum egit, quod consueverat, hoc est libertate quosdam libertos donavit, alios puniit, sed etiam voluptatibus vacavit. Et cum spiritus*

(a) *Je me plonge la tête baissée stupidement dans la mort sans la considerer, & reconnoitre comme dans une profondeur muette & obscure, qui m'engloutit d'un saut, & m'etouse en un instant d'un puissant sommeil plein d'insipidité, e d'indolence.* Livr. III. chap. 9.

(b) *C'est chose trop momentanée; un quart d'heure de passion sans consequences, sans nuisance, ne merite pas des preceptes particuliers.* Livr. III. chap. 12. Petrus Costius, qui varia adnotavit ad specimina Montaneæ edita Hagæ Comitum a. 1717. curat hæc mitigare, & ed sanum sensum reducere primum allatorum locorum: sed satis est vel obiter legisse hunc Auctorem, ut ejus indoles cognoscatur, & quantum id conveniret cum corruptis sententiis ejus, quas ibi clare significat, & velle adnotationibus expurgare illa opera est scilicet, quod ait Lucianus *in Pseudomante* Αὐγείου βουστασίαν. Paschalius in suis cogitationibus c. 28. id confirmat, nobisque justam notionem horum *speciminum* præbet: quos sæculum corruptum nimio affecit honore; „ Les defauts de Montagne sont grands. Il „ est plein des mots sales & deshonnêtes. Cela ne vaut rien. Ses sentimens sur l'homicide volon„ taire, & sur la mort sont horribles. Il inspire une nonchalance du salut, sans crainte, & sans „ repentir. Son Livre n'étant point fait pour porter à la pieté, il n'y étoit pas obligé, mais on „ est toujours obligé de n'en pas détourner. Quoi qu'on puisse dire pour excuser ses sentimens trop „ libres sur plusieurs choses, on ne sçaurnit excuser en aucune sorte ses sentimens tous payens sur „ la mort: car il faut renoncer à toute pieté, si on ne veut au moins mourir chretiennement: or „ il ne pense qu'a mourir lachement, & mollement par tout son livre. „ Plures alii scriptores aliarum nationum, sectarumque hoc eodem modo loquuntur, & vehementiori etiam, quod ad Montaneam spectat, quem idcirco longa præfatione ejus ex adoptione filia Gurnæa voluit defendere; sed post muliebrem illum sermonem Petrus Bælius ausus est scribere: „ Après tout, oseroit-on dire, que „ mon dictionaire epproche de la licence des Essais de Montagne, soit à l'égard du Pyrrhonisme, „ soit à l'egard des saletès? „ *Tom. IV. p.* 3025. Comparationis ratio, nedum præstantiæ cum Theatro illo tam profano, temque immodesto ostendit, quid sentiendum sit de speciminibus, eorumque lectoribus.

(c) *Vouloir se persuader l'immortalité de l'Ame par la raison, c'est entrer en defiance de la parole que Dieu nous a donnée, & renoncer en quelque façon à ta seule chose, par qui nous pouvons en être assurées . . . C'est à la Religion de decider; & à la Raison de se soumettre.* Tom I.

(d) *Pour sa mort après l'avoir bien examinée, ou je me trompe, ou c'est la plus belle de l'antiquité . . . Socrate est mort veritablement en homme sage avec assèz d'indifference. Cependant il cherchoit à s'asseurer de sa condition en l'autre vie, & ne s'en asseurit pas. Il en raisonnoit sans cesse dans la prison avec ses amis assez foiblement; & pour tout dire, la mort lui fut un objet considerable. Petrone seul a fait venir la mollesse, & la nonchalance dans la sienne*: Audiebatque referentes nihil de immortalitate animæ, & Philosophorum placitis (Tacit. Ann 16.) *Il n'a pas seulement continuè ses fonctions ordinaires, à donner la liberté à des esclaves, à en faire châtier d'autres, il s'est laissè aller aux choses, qui flatoient: & son Ame au point d'une separation si facheuse, etoit plus touchée de la douceur, & de la facilité des vers, que de tous les sentimens des Philosophes. Petrone à sa mort ne nous laisse qu'une image de la vie. Nulle action, nulle parole, nulle circostance ne marque l'embarras d'un mourant. C'est pour lui proprement que mourir est cesser de vivre, & le* Vixit *des Romains justement lui appartient.* Tom. III. p. 9.

ritus inibi erat, ut funestissimo ictu separaretur a corpore, suavitatem, & dulcedinem versuum magis, quam Philosophorum sententias degustabat. Petronius imaginem suæ vitæ nobis in morte relinquit. Factum, dictum, res demum nulla in eo apparet, quæ angustias morientis hominis denotet. In eo mors revera est cessatio vitæ; & illud Romanorum Vixit *jure ac merito de illo dici potest*. Consideret sapiens, prudensque Lector, num qui genus hoc mortis adeo suspicit, putatque illam ex tota antiquitate pulcherrimam, de Religione recte sentiat, & rationem suam fidenter Dei verbo subjiciat, quod nos de immortalitate animæ dubitare non finit. Sed non hoc est indicium unum, quo nobis patefacit Auctor hic *systema suum* de anima, & Religione: systema tamen, quod potius ejus ingenium, quam ratiocinandi vim nobis ostendit; neque enim in Theologia naturali, aliisque scientiis in contemplatione versantibus valde excellebat. Sufficit, ut supra innuimus, obiter ejus opera inspicere, in quibus Epicuri Ethica præter cæteras laudibus effertur (*a*); & nosse illius mortis adjuncta contemptu, & cæcitate mortis Petronii non absimili. Equidem memini, me audivisse a Claro viro jam præteritis annis vita functo, qui cum cujusdam Principis Legatus Londini esset, & accepisset, Dominum a Sancto Evremontio a se cognitum inibi esse, ut propediem moreretur, optimum factu duxit eum invisere, cui, postquam collocutus paulisper fuit, tandem dixit: *Age, amice, num curasti, ut tibi Deum conciliares?* Ad hæc ille; *rerum dulcissime, vellem edendi appetitum, quem jam amisi, conciliare*. Pauloque post animam efflavit. Credimusne, hominem hujusmodi ex alterius vitæ formidine dolorem ullum percepisse? Irridebat ergo probos homines, immo Religionem ipsam, cum rejectis argumentis, quibus animæ immortalitas ostenditur, ajebat, se subjici divino verbo, quod nos de illa certos facit: ostendens autem scriptis, factisque solute deridere, & ut aniles fabellas ducere quæcumque ipsa docet. Sed audiamus Voltærum, qui opportune Domino a Sancto Evremontio succedit, (*b*) *Humana ratio* (scribit ille in supra dicta Epistola) *tam infirme per se ipsam demonstrare potest animæ immortalitatem, ut opus fuerit, ut Religio eam nobis revelaret. Commune societatis bonum postulat, ut anima immortalis credatur; fides nobis id ita jubet. Obtemperandum est: res est definita*. Egregie enimvero. Verum dic, credisne revera, animam esse immortalem, ut fides credendam jubet, & commune bonum postulat? an verbis his mellitis imponere nobis vis, & fidem ipsam ludibriis exponere eam cum ratione pugnantem ostendens, pingensque Theorema de animæ immortalitate, ut Politicæ artis commentum, quo in officio plebecula contineatur? Non est magnum comperire quid sentias.

Callide quidem, sed æque clare in locis prolatis capite superiore dicis, animam humanam a substantia corporea non esse distinctam, sed consistere (aut saltem asseris, non repugnare, eam consistere) totam in dispositione subtili exquisitaque materiæ; aut organa corporis majori diligentia elaborata posse habere cogitandi, & sentiendi facultatem (*c*), quæ humana ratio dicitur. Jam patet,

 cum

(a) *Il n'y a point d'apparence, que Mr. de S. Evremond par une hypocrisie d'une nouvelle espece, il fit l'Epicurien sans l'etre . . . C'etoit un homme du Monde qui cherchoit le plaisir en tout, & qui n'avoit de connoissance des Sciences, qu'autant qu'il lui en falloit, pour le divertir dans la lecture de quelques Auteurs Latins ec.* Biblioteq. Choisie Tom. IX. p. 322. Vid. locum ib. ubi invenies a Clerico totum ingenium hujus auctoris descriptum; videbisque in eo, quid sit quod dicitur character *hominis honesti* (honnête homme) de quo adeo gloriantur quidam his temporibus.

(b) *La raison humaine est si peu capable de démontrer par elle-meme l'immortalité de l'Ame, que la Religion a été obligée de nous la réveler. Le bien commun de tous les hommes demande qu'on croye l'Ame immortelle, la Foy nous l'ordonne, il n'en faut pas davantage, & la chose est decidè*. Lettr. XIII.

(c) Hæc sententia mihi videtur aut parum, aut nihil diversa a sententia Dicæarci, qui, ut refert Cicero Lib. I. Tuscul. quæst. c. 10. ajebat: *vim omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis æquabiliter esse fusam, nec separabilem a corpore esse, quippe quæ nulla sit nec sit quidquam nisi corpus unum, & simplex ita, figuratum, ut temperatione naturæ vigeat, & sentiat*. Jam secundum hanc opinionem, & eam quorumdam Philosophorum, qui non distinguebant animam a corde, a cerebro, a sanguine, ridiculum esse, ait Cicero, sperare futuram vitam. *His sententiis omnibus nihil post mortem pertinere ad quemquam potest; pariter enim cum vita sensus amittitur. Non sentientis autem nihil est ullam in partem, quod intersit*.

cum in morte corpus corrumpatur, hanc ejus subtilem, exquisitamque dispositionem solvi; hæc elaborata organa in pulverem, & cinerem converti. Itaque juxta tua principia, patet, humanam animam in morte corrumpi, & interire. Animæ igitur immortalitas, quam fides docet, est, te judice, commentum, quod dari nequit; tuque non aliam ob causam Religionem, fidemque producis, nisi ut eam derideas fingens, eam in hac controversia sententiam pronuntiare, quæ tua sententia falsissima est, & repugnans.

§. III. Obscuras notiones (quod nemo inficiabitur) & secum pugnantes naturæ animæ quidam Ecclesiæ Patres habuerunt iis priscis temporibus, quibus res Metaphysicæ pingui Minerva colebantur, neque sententia ulla dogmatica de hac re fuerat pronuntiata. Opinabantur illi, perfectam, integramque spiritualitatem esse solius Dei peculiare attributum. Hinc quidam, & Origines fortasse primus, (*Huet. Origin. quæst. Lib. II. quæst. 6. n. 13. & seq.*) credebant, spiritum humanum, quod & de Angelis dicebant, (*Calm. Dissert. in bonos, & malos Angelos*) conjunctum esse ex natura sua cum corpore tenuissimo, & levissimo, quod quasi velum eum circumdaret, & cum conjunctus erat cum corpore, & cum ab illo separabatur, *veluti detracto pallio interiorem tunicam*. Alii, inter quos præcipue Tertullianus, (*Jacob. Pamel. Tertul. Paradox. n. 7.*) & Irenæus (*Renat. Massuet Dissert. III. prævia in Irene. art. XI.*) recensentur, etiam ulterius progressi sunt, dixeruntque, animam esse corpoream substantiam: a Materialistis tamen nostrorum temporum & in hac sententia, & in illationibus valde distabant. Rebantur, plurium eruditissimorum virorum judicio, esse animam hanc substantiam materialem quidem, sed cujusdam materiæ æthereæ, subtilissimæ, splendentis, a corpore humano diversæ, & in illud infusam, insitam, cum illo conjunctam, sed ab ipso non pendere, ita ut ex se sola cum qualitatibus suis stare posset. Atque hæc est notio illa, quam de anima humana habebant veteres illi Doctores, ut quisque legere potest apud Auctores, quos nominavimus. Quid hinc inferebant? Hocce nimirum: soluto per mortem harum duarum substantiarum nodo, corrumpi quidem, & in pulverem corpus terreum ita figuratum redigi, at non animam, quæ immo, quoniam diversæ naturæ, & ut cognitionis, & voluntatis fons, cum esset præmii, suppliciique capax, æternum supererat gloriæ, aut pœnis alterius vitæ. Ut breviter dicam, quidam e Patribus humanam animam concipiebant aut subtili corpore indutam; aut corporea natura affectam; dignique erant, ait D. Augustinus (*De Gen. ad lit. Lib. X. cap. ult.*) qui veniam consequantur, quod in hanc opinionem iverint, (rectum enim acutumque ingenium, quo præditus erat Augustinus, comperiebat falsitatem harum sententiarum, & repugnantiam, quæ est inter substantiam corpoream, & cogitantem) simul tamen immortalem eam credebant. Cæterum ambigi nequit, eos bona fide id asseruisse: siquidem eorum systema, in quo dicebatur anima esse substantia a corpore diversa, quæque posset ex se subsistere cum qualitatibus suis, licet esset falsum, tamen non repugnabat fidei immortalitatis, quæ ab illis credebatur, ut docetur a Religione, & ut unum ex præcipuis Religionis capitibus prædicabatur. At Voltærus una cum nostrorum temporum Libertinis cum dicit, rationem humanam esse proprietatem, seu modificationem corporis ita figurati, quamlibet spem immortalitatis de medio tollit. Quamnam enim immortalitatem, quamnam vitam manere potest proprietas, & modificatio, cum corrumpitur subjectum, quo inhærebat? Itaque ex obscuris, distortisque notionibus, quas quidam veteres Patres de natura animæ imbiberant, nullum emolumentum, præsidium nullum suæ impietatis possunt percipere. Materialismus eorum non corruptionem, & mortem animæ afferebat; immo hæc consequutio ab iis, qui eum propugnabant, expressim rejiciebatur. Materialismus horum evidenter cum animæ, quæ ab humano corpore non est substantia distincta, dissolutione conjungitur; quæ illatio præterea ab his & intenditur, & postulatur: Non enim aliam ob causam putandum est, eos concoquere hoc sæculo tam exculto *παράδοξον* illud tam ingens, *materiam cogitare posse*, nisi ut hinc deducant optatissimam illationem, animam humanam, cum nihil aliud sit, quam

mol-

mollis cerebri substantia, aut corporis modificatio, in hominis morte dissolvi, & interire; ac proinde alteram vitam a Religione edoctam, & ab ipsis ore tenus assertam, non creditam, commentitiam esse; tantumque abesse, ut ea sit, quantum abest, ut vivat, qui jam mortuus est, integrumque supersit, quod in cinerem abiit. Tenetis totam fraudem compertam, erroremque, ut est in se, larva deposita. At quodnam monstrum, & portentum non est hoc, inquit Doctissimus Cardinalis Poliniacus (*Lib. V. Anti-Lucret.*) esse homines, qui in eo summopere laborent, ut sibi persuadeant, se totos esse putredinem, se totos solvendos in cinerem?

Tantus amor nihili? tanta est vecordia? solum hoc
Permetuunt caci, ne mens compage soluta
Duret adhuc nimium vivax, bustoque superstes
Evolet.

§. IV. Nos tamen insistentes principiis omnino oppositis, sed superius evidenter constitutis, hanc tam invisam Libertinis animæ immortalitatem tandem aliquando demonstremus. Certo certius est, alicujus rei corruptionem nihil aliud esse, quam perturbationem, disjunctionem, separationemque earum partium, quæ inter se connexæ, colligatæque apte eam prius componebant. Hinc a reversione in nihilum distinguitur corruptio: in illa res omnino perit; in hac, sublato nodo, quo rei partes simul vinciebantur, a se invicem dividuntur, & separantur. Ita corrumpitur fructus, cum liquidæ ejus partes, solidæque non servant amplius primam compaginem; sed unæ e suis cellulis erumpunt, aliæ ordinem suum amittunt, totumque illud corpus demum in varia particularum hic subtilium, & mollium, alibi crassarum, terrestrium, & sale constantium genera dissipatur, & dissolvitur. Si id verum est, ut est verissimum, quæ corruptio accidere potest animæ, quæ spiritus est? illa, quod supra ostendimus, non est extensa: non constat igitur partibus: non potest ergo in partes dissolvi, nec proinde corrumpi. Est substantia *simplex*, *&* *una*. Quod est *unum* est individuum: nihil enim a se dividitur; in eo, quod *simplex* est, nihil est admixtum, duplex nihil, illud ergo nec secerni, nec dividi potest. Cum igitur anima neque dissolutioni, neque corruptioni sit obnoxia, ex natura sua est immortalis (a). Argumentum hoc Cicero (*Lib. I. Tuscul. Disput. c. 29.*) evidentissimum esse putat. *In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest: nec interire igitur. Est enim interitus quasi discessus, & secretio, & direptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur.* Ex hoc patet, num ratio humana sequens clara, & naturalia sua lumina *possit demonstrare Animæ immortalitatem*; & num tenebræ, quibus Libertini obscurare eam vellent hoc argumento, aliunde sint, quam ab eorum animo præjudiciis, aut nequitia obcæcato.

§. V. Sub alio aspectu, nec splendido minus hoc idem argumentum proponunt (*Le P. Lamy de la Connoissance de soi-meme; Traitè second Part. I.*) alii. Principium, inquiunt, omnium naturæ virium est motus. Illæ ergo non possunt nisi impellere, perturbare, dividere, dissolvere in tenuissimum pulverem id, in quod agunt: at qui potest impelli res extensione carens? qui discerpi, dissolvique substantia partes non habens? infinite a contactu distat, effugitque impulsum quemvis. Cum hujusmodi sit anima humana, hoc est neque extensa, neque partes habens, utpote quæ est substantia spiritalis, & simplicissima, nulla umquam vi poterit secerni, aut distrahi, ac proinde nullum patietur interitum.

(a) Dixi ex natura sua *immortalem*; cum enim demonstrata fuerit anima corruptioni non obnoxia, neque (ut modo probabimus) in nihilum redigi a naturali vi cum possit, sequitur, ejus natura considerata, ipsam esse permansuram semper. Sed quia ipsa ex sua essentia prædita est intellectu, & in hoc intellectu vita hujusmodi substantiæ est posita; hinc æque concluditur, animam, sicut est ex natura sua incorruptibilis, ita esse ex natura sua *immortalem*. Quæ consequutio ex rebus dicendis magis patebit.

At si naturæ vires corrumpere Animam, eo quod non est extensa, nequeunt, poteruntne fortasse in nihilum illam redigere? Nihil minus. Possunt quidem vires hæ motu suo agitare, secernere, dissolvere, attenuare alicujus corporis partes, at efficere non possunt, ut hæ non subsistant. Ita ardentissimæ fornacis flammæ in arborem in eas injectam parvo tempore sese insinuant, discerpunt illam, accendunt, dissolvunt; at nulla ejus arboris particula ex vi tam vehementi in rerum natura perit; dividitur quidem, & figuras induit aut cineris, aut fuliginis, aut vaporum, sed tota quanta fuit, permanet. Reductio ergo alicujus rei in nihilum longe, multumque naturæ vires exsuperat. Hujus rei ratio evidens est; nam *ab existentia ad nihilum* infinita est distantia, sicut intervallum infinitum interjacet inter *nihilum & existentiam*. Quapropter distantia hæc infinita a vi naturæ, quæ finita est & limitata, superari non potest. Sicut ergo sola Dei infinita potentia eruere potest corpus *e nihilo ad existentiam* per creationem, ita illa una potest ab *existentia in nihilum* corpus redigere. Non potest igitur anima humana ab ulla naturæ vi interitum pati.

§. VI. Jam rursus cominus congrediendum est; ita enim ex hactenus dictis quispiam colliget; qui ergo certo scimus, animam esse immortalem, si Dei potentia in nihilum eam redigere potest? Qui probari umquam poterit, hoc non futurum, & non esse per divinam omnipotentiam in interitu corporis illi pereundum? Antequam hanc objectionem refello, jubeo, Lectorem advertere quale vinculum sit inter Naturalis Religionis veritates, quo fit, ut ejus hostes hanc negare volentes aliam fateri necessum habeant; & cum aliquod ejus principium impugnare laborant, aliud inviti admittere debeant. Ergo, inquio, animæ rationalis considerata natura, nullum in ea corruptionis principium reperire fas est neque in tota rerum natura, vim ullam cernitis, quæ possit illi interitum afferre, aut in nihilum redigere; qui igitur de ejus immortalitate potestis ambigere? nisi quod Deus hunc illi interitum afferre potest. Ergo, hinc infero, dubitari de animæ immortalitate non potest, quin existentia Dei infiniti, qui sicut illam ex nihilo creavit, ita potest illam in nihilum reducere, agnoscatur. Si dissimulatis Deum cognoscere, mutanda vobis sententia est, pereundum omnino vobis esse, pereunte corpore. Si jactatis, fieri posse, ut pereatis omnino, cogimini ingratiis vestris fateri existentiam, potentiamque Dei infinitam, qui potest omnino destruere rem natura sua immortalem. Quocumque ergo vosmet vertatis, tenemini veritate, quæ lumine suo oculos vobis obstringit.

§. VII. At directo objectioni respondeamus, hunc eumdem Deum, qui omnipotentia sua potest nobis timorem reductionis animæ per se immortalis in nihilum injicere, sua justitia, bonitate, sapientiaque hujusmodi metum a nobis excutere, nosque certos facere, se numquam hac in re summa sua potestate usurum, immo animas se conservaturum immortales. Non longius aberrabo; ut id probem. Ad supremum Moderatorem, qualis Deus est, spectat præesse non solum ordini physico, qui respicit entia sensibilia, & materialia, sed etiam ordini morali, qui intelligentes respicit substantias. In eodem statu conservat semper ille ordinem physicum, subjiciens omnipotentia sua non solum invicte, sed etiam necessario corpora iis legibus physicis, geometricisque revolutionum, motuumque, quas ad perfectionem hujus mundi constituit. At moralis ordo, qui respicit entia intellectu, & libertate prædita (quod ostendemus capite proxime sequenti) non regitur impulsu omnipotentiæ, quæ subjiciat hæc entia, eorumque actiones cæca necessitate (a) legibus honestatis, sed præmiis afficiendo illa, quæ libere juxta hujus legis præcepta agent, in quo consistit virtus, puniendo illa, quæ hanc legem violabunt, in quo inest vitium. Jam licet tellus sit acies illa, in quam semper prodeunt,

& ja

(a) Dixi *non cæca necessitate*: non enim negatur; immo hic etiam cernitur omnipotentia supremi motoris, qui, ut ait D. Augustinus, *habet cordium inclinandorum, quo placet, omnipotentissimam potestatem*. Quod tamen non adimit entibus intelligentibus eam libertatem, per quam possunt mereri, & demereri; atque hinc præmio, aut pœna sunt digna.

& in qua certant virtus & vitium, non hic tamen est locus, ubi utraque suorum gestorum mercedem accipiant. Non solum hic perpetua bonorum, malorumque permixtio cernitur; sed sæpe homines illi, qui audacter quodvis præceptum lædunt, quamlibet legem parvi faciunt, læti, felicesque vivunt; contra vero qui ab honestate, & lege ne latum quidem unquem discedunt, vivunt, moriunturque haud raro miseri, afflictique. De quo Claudianus una cum aliis non paucis ad Rufinum (*Lib. I. v.* 131.) scribens querebatur, sæpe

... Lætosque diu florere nocentes, Vexarique pios ...

Hac igitur gubernandi homines ratione animadversa, quid erit de provisore justo, sapiente, bono sentiendum? Nisi eum in altera vita ostensurum esse in humanas animas amorem suum, curamque moralis ordinis, & daturum debita præmia illis, quæ præceptis obtemperantes sedulo hujusmodi ordinem servarint, suppliciisque affecturum eas, quæ cupiditatibus suis actas eum perfregerint. In altera vita debet rationem reddere sui regiminis, & Providentiam suam omnium oculis subjicere, quæ in hac vita a scelestorum hominum facinoribus, & ab innocentium oppressione pene obscurata videtur. Tantum itaque abest, ut præter morem suum velit omnipotentia sua uti in nihilum aliquando animas sua natura immortales redigendo, ut etiam legibus sapientiæ suæ, sua justitia, & bonitatis suæ ubertate ad eas immortales conservandas cogi videatur.

Argumento huic, ut probetur magis animarum perpetua duratio, alia addi possunt. Cum dederit Deus animæ humanæ immortalem naturam, hoc est non obnoxiam ulli corruptionis principio, necesse est dicere, eum idcirco velle, ut æternum vivat. Hac æterna vita, ut verum fatear, non est magis animæ debita, quam creatio; sed creatione peracta, ita illi debetur, ut asserere possimus, eadem voluntate, qua Deus eam creavit, velle, eam perpetuo vivere. Perpetuus enim, & sapientissimus divinæ providentiæ tenor in harum rerum regimine ita, ut eas creavit, rerum indoli, & ingenio se aptare debebat, ut revera se aptat; cum igitur anima habuerit naturam corruptionis, & interitus expertem, Deus, qui hujusmodi naturam libere illi dedit, immortalem debet conservare. Cui rationi tamen pondus accedet suum, si de animæ humanæ natura hæc etiam observatio fiat: nimirum illam esse præditam dotibus hujusmodi, quibus cum potest summam felicitatem sibi parere, tum peculiari ratione ut ejus artificis gloria, quo tam insignis, & pulchra creata fuit, efficere potest, ut laudetur. Potest anima nostra cognoscere ordinem, pulchritudinem, veritatem, potestque eam summe amare, & in hac cognitione, & amore eam felicitatem reperire potest, quam perpetuo exoptat. In hoc junctionis cum corpore statu hæ ejus dotes non nisi imperfecte se explicant, ejus cognitiones obscuræ sunt, ejus amores fallaces, ejus cupiditates deceptæ. Quid ergo dici potest convenientius, quam æternum creatorem, qui tam excellentibus dotibus animam ornavit, alium statuisse vitæ locum, in quo illa, corporis deposito pondere, quavis sua vi incumberet contemplationi, amori, veritatis fruitioni, bonitati, pulchritudini infinitæ, quod aliud esse non potest, quam Deus? & hac ratione adipiscatur anima perfectionem illam, ad quam adipiscendam a natura impellitur, finemque, ad quem semper tendit, ex quo in creatorem gloria refundatur; vel bonitatem suam ostentet ad tantam felicitatem opus suum animam extollens, vel justitiam illam puniens privatione ejus boni, ad quod, cum propter illud esset creata libera, tamen ordinis violatione noluit pervenire.

§. VIII. Hinc intelligit sapiens Lector, hoc argumento sumpto, ut est in se, refelli objectionem illam, quæ deduci posset ab eorum systemate, qui animantium brutorum animam substantiam spiritualem esse dicunt. Etsi enim ex eo systemate consequatur, eam esse incorruptibilem, ex eo tamen quod iis facultatibus prædita non est, quibus ornatur anima humana, hoc est, eo quod non ideas abstractas, sed sensationes tantum percipere potest, sequitur, in illa nec ratiocinium esse, nec libertatem, nec meritum, nec crimen, neque cognoscendi facultatem, & ea fruendi; in qua faculte-

te alterius vitæ felicitas consistit. Quapropter argumenta, quæ nobis persuadent, animam humanam a corpore secretam semper duraturam, animæ brutorum, etiamsi spiritalis esse dicatur, non suffragantur; quam, idcirco hujus systematis defensorum judicio dici potest, cum ad finem pervenerit suum, qui est, ut corpus animet, aut in nihilum reverti, aut ad informandum aliud corpus migrare. Legatur de hoc Bulierus (*Essai Philos. sur l'Ame des Bêtes Part. II. chap. 13.*) qui nitide, clareque hoc exponit.

Rediens nunc ad propositum ajo, me non postulare, ut modo adducta argumenta *evidentia Metaphysica* æternam animæ humanæ futuram vitam demonstrent; sicut *evidentia Metaphysica* immortalitatem animæ argumentis ab ejus natura desumptis probavimus. Erat illa quæstio *de jure* innixa animæ essentia; hæc est quæstio *de facto*, quæ pendet a libera Creatoris voluntate. Hoc tamen dico, omnia hæc argumenta simul sumpta apta esse, quæ a quovis prudente viro metum omnem, dubiumque excutiant, & quæ nobis persuadeant tanta claritate, ut ei probabile quicquam opponi nequeat, hanc liberam Creatoris voluntatem, quæ justa est, sapiensque, & bona, numquam usuram esse omnipotente sua potestate præter morem, ut substantiam immortalem creatam, & ob libertatem æterni præmii, suppliciive capacem omnino destruere velit.

§. IX. Cui argumento tamen pondus maximum accedit ex Gentium consensu, quæ plurimis modis hanc certitudinem suam de animæ æterna vita in altero sæculo nobis patefecerunt. Consensus hic alibi magis illustrabitur. Ciceronem unum audire sufficiat, qui ostendi principium non posse, unde nata sit hæc opinio, sed totam antiquitatem id sensisse, testatur, quæ (inquit Tuscul. Disput. Lib. 1. cap. IV.) *quo propius aberat ab ortu, & divina progenie, hoc melius ea fortasse, quæ erant vera, cernebat*. Itaque ab illo humani generis fonte primo diffusa est sicut de Divini Numinis existentia, sic de immortalitate animæ opinio; diffusa, inquam, est veluti a centro ad circumferentiam per nationes omnes, quæ terras incoluerunt: quapropter idem Cicero ait, (ibid. cap. 16.) *permanere animos arbitramur consensu omnium nationum. Omni autem* (pergit ille porro ibid. cap. 13.) *in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est*. Quod si id verum est, ut dubitari nequit, ex hac omnium gentium, perpetuaque simul cum allatis argumentis consensione, veritas hæc tantum persuasionis habet, quantum naturali lumine haberi potest de aliquo facto. Naturali lumine, inquam. Ultimum enim evidentiæ gradum omnium maximum deducimus a verbo ejusdem Dei, qui nos certos facit de altera vita, in qua humana anima aut præmium, aut pœnam gestorum, dum conjuncta erat cum corpore, est perceptura. Neque idcirco fidem in testimonium per jocum producimus, quod Materialistæ faciunt, qui animam a cerebri fibris non secernentes, aut asserentes, ejus immortalitatem adversari rationis lumini, dicunt subdole, credendum esse, quia fides id testatur. Quasi vero opponeretur veritas veritati, & demonstrationibus, quibus decepti falsum ducunt quidquid fides docet, persuadere ii nobis vellent, se fidei subjici, cum ejus dogmata ludibrio se habere, & contemptui potius ostendant. Nos fidei testimonium usurpamus in quæstione, cui quod hactenus ostendimus, non solum ratio non adversatur, sed etiam facibus suis recta eo, quo potest, nos ducit; cumque ultra nos ducere nequit, nos fidei committit, quæ ad evidentiæ gradum ultimum nos evehit, præstantioris illa, ad quam, cum de divina libera voluntate agatur, ipsa cogitationibus suis possit pervenire. Ostendimus, animam natura sua immortalem esse, neque esse quicquam creatum, quod illam aut destruere, aut in nihilum redigere possit. Theorema hoc evidenter ratio nobis probavit. Tum quæsivimus, num fortasse Deus in nihilum immortalem animam redacturus sit: ratio Providentiæ tenorem, bonitatem, justitiam, sapientiam supremi hujus Provisoris considerans comperit in singulis his fontibus argumenta, quibus persuademur, id Deum numquam facturum. Ad hoc accessit consensus universus, constansque gentium. Hæc evidentia tamen, quæ factum respicit, extollitur ad fastigium a fide, quæ cum auctoritate sua fallere nequit, tum convenit cum iis, quæ de animæ natura, Deique attributis nobis ratio patefecit.

§. X.

§. X. Differre tamen ab hoc, quod docuimus, videtur Puffendorfius, qui habet hæc (*in præfat. operis de offic. Hom. & Civ. p. m. 31.*) *quamquam animus hominis non solum ardenti cum affectu immortalitati velut immineat, suique destructionem vehementer aversetur: atque inde apud plerosque gentilium inoleverit persuasio de animæ a corpore separata duratione, & quod tunc bonis bene, malis male sit futurum; ejusmodi tamen circa hæc persuasio, in qua animus hominis plane, & firmiter adquiescere possit, ex solo Dei verbo hauritur. Inde & juris naturalis scita ad forum dumtaxat humanum spectans, quod ultra hancce vitam sese non extendit &c.* Hæc Puffendorfii loquendi ratio damnatur a Leibnitio (*Epist. ad Gerh. VVolth. Molanum, quæ est XVI. Volum. II. Epist. ad Diversos.*) His verbis. „ Verum enimvero licet tam verum esset, „ quam falsum est, immortalitatis animæ „ plenam demonstrationem a naturali ratione non suppeditari, sufficeret tamen „ &c.... Neque aut consensus omnium „ pene gentium, aut insitum desiderium „ immortalitatis sperni possunt, sed firmum argumentum, & obvium omnibus (ut cætera nunc præteream subtiliora) præbet ipsa divini Numinis „ agnitio . . . Neque enim dubitari potest, Rectorem universi sapientissimum, „ eumdemque potentissimum bonis præmia, malis pœnas destinasse, & exequi destinata in futura vita, quando „ in hac præsente pleraque impunita, „ impensataque transmitti constat „. Quæ quidem rationes a nobis superius examinatæ debent sapientem quemlibet permovere. Ideo prosequitur idem Leibnitius. „ Itaque negligere hic futuræ vitæ curam, quæ cum providentia divina inseparabiliter connexa est, & contentum esse inferiori quodam juris naturalis gradu, qui etiam apud Atheum „ valere possit, est scientiam pulcherrima sui parte mutilare, & multa hujus „ quoque vitæ officia tollere. „ Sicut a nobis alio in loco planum fiet.

CAPUT SEXTUM.

De Hominis libertate.

I. *Verus color, seu ingenium eorum, qui dicuntur* Spiritus fortes.
II. *Ex eorum erroribus turpioribus unus est hic, libertate carere hominem.*
III. *Vera notio libertatis, quæ se nobis prodit interiori experientia.*
IV. *Expenditur vis hujus argumenti, quæ quidem consideratio deducitur ex intimo sensu. Collinsii sophisma dissolutum.*
V. *Nemo melius D. Thoma Aquinate egit de libertate. Ejus doctrinæ sublimes, ex quibus efficitur theoria hujus muneris hominis.*
VI. *D. Thomas præoccupavit objecta neotericorum Fatalistarum. Prima Hobbesii ratio proposita, & a D. Thoma propulsa.*
VII. *Altera Hobbesii ratio adducta, & a D. Thoma profligata.*
VIII. *Errata, & sophismata Helvetii in libro* de l'Esprit *contra libertatem perpensa, & disjecta.*
IX. *Iterum argumentum ductum ex intimo sensu pro libertate innuitur. Oppositio Spinosæ ad examen revocata, & explosa.*
X. *Consequutiones pestiferæ Fatalismi.*

E Luctuosissimis morbis, quibus homo laborare potest, is est, meo quidem judicio, quem Græci *Lycantropiam* appellant. Dicunt, illum ab atra bili produci, quæ cerebri substantiam inficiens, & perturbans, confundensque impressa in eo vestigia, quæ mentis operibus inserviunt, ita miseri ægri phantasiam sus deque vertit, ut ex homine rationali in lupum, ursum, aliamve ex his feris belluis mutatus sibi esse videatur. Ideoque horum indolem, vim, ferocitatemque induens pro-

ripit se domo, commercia vitat, per nemora, & loca inhospita errare gestit; herbis pascitur, ululat, terroremque incutit ignem oculis spirans, operamque perderet qui rationibus clarissimis, aut vehementissima eloquentia eum reducere ad sanitatem vellet: alta enim mente repositam imaginem sui erroris servans aut loquentem non audit, aut ut irrisorem repellit, quicumque de ejus figura vel tantillum ambigere significat. In numero horum Lycantroporum videtur aliquandiu fuisse Bellerophon, de quo loquitur Homerus, (*Iliad. Lib. VI.*) & Heraclitus, de quo Laertius (*in ejus vita*): Et quin ad hos fontes confugiamus, mutatio, quam in suorum criminum justissimam pœnam Regi Chaldæorum Nabucodonosori evenisse, Daniel testatur, describitque (*Daniel cap. 4.*) fuit, ut fert opinio doctorum virorum, fuit hujus morbi species, quo captus superbus homo, qui in Deum etiam audacter frontem erexerat, per septem & amplius annos vitam ita duxit, ut e solio in silvas se conjecerit, ut bellua cum belluis se paverit, & vixerit. Si dicerem, ab hoc miserando Lycantropiæ morbo nostris diebus infeliciter teneri Litteratos illos, qui *Spiritus fortes* appellantur, & cupiditatibus quibuscumque suis immodicis fræna se dedisse palam profitentur, rem dicerem quam eorum superbiæ ingratam, tam mea sententia certam. Innuimus jam alibi, Petrum Bælium, qui fortasse ex intimo loquebatur sensu, testatum fuisse, *neminem posse eo impietatis incidere nisi amenti furore actum*. Doctusque Helvetus scriptor (*Muralt lettre sur l' Esprit fort*) unum ex his describit, qui cum voluisset se illius oculis objicere sub ea specie, in quam impietas eum mutarat, illi in opaco nemore instar satyri *cum duobus prominentibus cornubus in capite, cum longis auribus, erectisque, cum tetro ore, vultu hispido, & terroris pleno, cum nudo corpore, setosoque, quod desinebat in pedes fœdi animalis, se obtulit*; illique ait, *in me ipso hos turpes aspectus gesto; & species, qua me tibi objicio, tibi præ oculis ponit cupiditates, quibus obsequutus sum, & in quas alios pertraxi; illa tibi significat ingenium meum longe melius, quam copiosa quæque oratio mea significare posset*. Quamquam facessat apologi; tenemus enim convictam reorum confessionem. Ultimus, qui maximis conatibus, & audacia impietati patrocinatus fuerit, est Helvetius in libro *De l' Esprit* inscripto. Fundamentum operis, præcipuaque auctoris cura in eo tota est, ut probet, in homine nihil aliud esse, *nisi sensibilitatem physicam, quæ nobis communis est cum brutis animantibus; nosque ab illis distingui tantum ex aliquo parvo discrimine exterioris membrorum dispositionis, ita ut si natura* (sunt ejus verba alio in loco a nobis relata *cap. IV. §. XII. hujus libri*) *pro manibus, flexilibusque digitis dedisset brachium desinens in equi pedem, quis dubitet, homines sine artibus, sine domicilio, quin a bestiis se defendere possent, occupatos unice in parandis sibi cibis, & a bestiis ferocibus in se tuendis adhuc non esse errabundos in desertis locis ut fugitivum gregem?* En Lycantropum, qui fortasse morbum hunc contraxit ab alio tam præclaro Spiritu forti Roussojo, qui *in sermone de inæqualitate hominum* vividissimis eloquentiæ coloribus, de quo sibi maxime plaudit, primævum nativumque humanæ naturæ statum exprimit, veluti statum ferarum, brutorumque animantium, in quo homines per silvas vagarentur montesque rationis usu carentes, elingues, exleges, soli, quin Deum agnoscerent, a quo statu maxima cum calamitate ad hunc rationalem, politicum, religiosumque migrarint. Pauci tamen silvestres homines excepti, quales sunt Groelandenses, Ottentoti, Irocheses, aliique inhospitarum regionum incolæ, qui servant adhuc ferinæ vitæ tenorem ex parte, veram, nativamque ferini hominis imaginem repræsentant, ideoque in hoc Philosopho adeo fama noto invidiam tantæ virtutis excitant, perpetuumque desiderium. Immo ii homines sunt exemplaria illa una, quæ nos hujusmodi Philosophi semper imitari jubent, ut inde velut a puris fontibus veras humanitatis, jurisque leges hauriamus, hoc est, ferinæ potius, quam rationalis vitæ normam. Non abludit ergo a vero, qui Libertinis hanc quasi peculiarem notam inurit Lycantropiæ, licet magis aliquanto ad societatem factæ Lycantropia Bellerophontis, & Nabucodonosoris, per quam, incassum natura reclamante, persuadere nobis summa ope contendunt, silvestribus belluis ratione carentes, totosque

que mortales, Deumque ignorantes similes nos esse.

§. II. Ex teterrimis tamen eorum amentiæ effectibus procul dubio est opinio illa, in qua sunt, (a) agere se horologiorum instar, hoc est non ex interiori *deliberationis*, *& electionis* principio, in quo inest libertas; sed ex necessaria rotarum, instrumentorumque revolutione interioris mechanices arte, aut externa invicta causa motorum, ductorumque. Non me fugit, neque negare ausim, errorem hunc suapte natura, & necessario proficisci ex eorum systemate. Postquam Helvetius pronunciavit, hominem non differre ab equo nisi quod manus habet, non pedes, postquam in eo nihil aliud inesse scripsit, quam *physicam* sensibilitatem, an mirum est, si hæc quoque dicit, (b) *a verbo* libertatis *de humana voluntate dicta nullam notionem componi posse?* Esse ipsam rem inanem, quæ dari non potest; (c) *omnes enim cogitationes nostras, nostrasque voluntates aut esse proximos effectus, aut necessarias consequutiones impressionum, quas a rebus, quibus circumfundimur, accepimus?* Ita loquendum illi est, qui animam hominis a canis anima non secernit. Neque vero ab hoc differre debet in hac re aliorum Materialistarum sermo, in quos superioribus capitibus disputavimus. Materialismus in Fatalismum trahit; quodnam enim consilium, quænam electio in materia concipi potest? Motus *declinationis* ab Epicuro confictus in atomis, quarum vi illo a linea perpendiculari divertente, *vis fati rumperetur*, vel eviteretur fati necessitas, mensque his atomis constans hoc modo libera fieret, est dignissimum risu commentum, si quod aliud. (*Vid. Lucret. lib. II. v.* 250.) Ubi nihil aliud cernas nisi materiam, nihil aliud comperies nisi mechanismum, a quo quævis libertas infinite semper removeatur. Sed vel hæc ipsa consequutio, nimirum tam insana revocare ab errore Libertinos debebat, & afficere, ut ea principia rejicerent, quæ in errata tam turpia, & deformia eos pertrahunt.

§. III. Quæ enim res clarius ab homine sentitur, quam propria libertas, quæ *in facultate eligendi consistit*, seu in facultate amplectendi hanc, respuendi illam ex duabus propositis partibus? (d) Si se mihi objicit suspiciendum facinus, cujus primo intuitu aut damnum, aut emolumentum non video (sit hoc exempli loco, quod clarum satis est, simplexque); jam anceps hæreo, & incertus; inquiro, & examino: perpendo utrinque rationes, easque cum modis, effectibus, utilitatibusque meis confero: si hæ illis præponderant, tum delibero, eamque eligo partem, quæ magis rationibus meis convenire mihi videtur. Quod mechanismus, quod fatum, quæ necessitas fingi umquam in hoc consilio potest? in hac electione? Quis potestatem suam, eligendique facultatem non videt? Quod si adhuc dubitas, ecce tibi aliud argumentum invictum. Perpensis rationibus, discussisque omnibus causis, quæ mihi suadent hoc potius, quam illud eligere, ego, his postpositis (addam etiam postposita vehementissima cupiditate, quæ me impellit, & cui ut plurimum obsecundo) his omnibus, inquam, postpositis, tantum ut videas, me liberum in electionibus meis esse, eam partem, quam approbo, relinquo, & deteriorem sequor. Quodnam argumentum tuæ libertatis evidentius postulas? Opinantur tamen alii, aliud splendidius multo superesse (in quo argumenta, quæ excogitari possunt, continentur omnia) nos nimirum impedire posse effectum naturalium actionum, quæ, nisi esset hoc impedimentum, *mechanice* agerent. *Quamvis* (inquit Gregorius Quercæus *princip. Phi. de la Relig. Natur. cap. III.*

(a) Excipi debet ab hoc numero Roussojus, qui licet tot monstrosa paradoxa a nobis recensita modo de primæva humani generis conditione effutiverit, tamen agnoscit in homine libertatem; immo ex ipsa argumentum desumit pro animæ spiritualitate, quod advertimus cap. IV. §. XI.

(b) Discours I. Chap. IV. *On ne peut donc se former aucune idée de ce mot de liberté appliqué à la volonté.*

(c) *Il faut, que tous nos pensées, & nos volontés soyent des effets immediats, ou des suites necessaires des impressions, que nous avons recues.. par tous les objets, que nous environnent.* Ibid.

(d) *Proprium liberi arbitrii est electio. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere, altero recusato.* D. Thom. 1. p. q. 83. art. & 4. ait, *liberum arbitrium nihil aliud est, quam vis electiva.*

III. §. 13.) *respiratio habeatur involuntaria actio, & quamvis illa mechanice vere fiat, tamen in nostra est potestate respirationem comprimere, & aliquantisper hanc naturalem actionem impedire, videturque esse hoc unum ex argumentis evidentissimis, quod liberum arbitrium confirmet. Licet enim aliis in casibus posset dici, modum, qui neque videri, neque concipi prorsus potest quo determinamur, in causa esse, cur actiones nostræ liberæ videantur, in hoc tamen locum objectio hæc habere non potest; quamvis enim hoc incomprenso modo determinemur, necessitate naturæ determinamur. Jam absurdum est dicere, naturam determinare debere aliquam naturalem actionem faciendam semper eadem ratione, modoque, idque mechanicis legibus, eodemque tempore eam determinare, actionem hanc præter rationem, modumque suspendi.* At nisi velimus contexere seriem animadversionum aliarum ex aliis deductarum attendamus, ut diximus modo, bona fide impressionem tantum, quam intimus sensus impeto primo in nobis excitat. Nonne sentimus in nobis, antequam eligamus, nos neutri parti inclinatos? Nonne in nobis sentimus, nos posse æque hoc facere, aut omittere? Nonne prævidemus, statuimus, prædicimusque id, quod facturi sumus non solum hoc temporis momento, quod proxime sequitur, sed diebus, mensibus, annisque venturis freti liberæ nostræ voluntati, hoc est persuasioni, quam habemus, nos, ut nunc nostrorum operum domini sumus, sequuturo tempore tales etiam futuros? Nonne conscii nobis sumus, nos id consilii cepisse, quia volumus, quia illud elegimus? potuisse tamen nos illud non eligere, illud nolle? Undenam est aspera castigatio, qua nos ipsos (a) de pluribus facinoribus, quoties male cesserint, coarguimus, nisi propterea quod in nostra positum erat libertate aut ea non eligere facienda, aut alio modo ea conficere? Si ergo vis intimi sensus clarior est, ut revera est, quocumque argumento (nos enim per eum certi sumus de nostra existentia, de nostra cogitandi facultate, quæ duo in dubium revocari nequeant, utcumque conemur): cum hinc cognoscamus, experiamurque hoc ipso *criterio* libertatem nostram, sentiamusque, æque nos velle, cum volumus, ac velle, quia volumus, ita de hoc munere certi sumus, ita certi sumus, non subjici nos *fato, necessitati*, ut, si sobrii sumus, dubitare non possumus. *Liber sum* (ne pigeat eamdem animadversionem verbis eloquentissimi Fenelonii audire) *nec ambigere possum: conscientiam intimam, & invictam sentio, me posse velle, & nolle: esse in me optionem non solum inter hæc duo, velle & nolle, sed etiam inter diversas voluntates de varietate rerum, quæ se mihi objiciunt. Sentio, ut ait Scriptura, me esse in manu consilii mei.* (*demonst. de l' exist. de Dieu I. part. n. 66.*) & alibi (*ibid. n. 87.*) *hæc voluntas non a me fingitur, & revocandum in dubium esset quidquid magis intimi, magisque certi in nobis est, si de libero arbitrio dubitaremus. Sentio, liberum mihi esse sedere, cum ad ambulandum exurgo. Sentio id evidentia tanta, ut in mea potestate non sit serio de hoc dubitare: deciperemque me ipsum, si negare id auderem. An potest evidentia Religionis nostræ progredi ulterius? ... Fieri-ne potest, ut quis audeat conscientiam suam mendacii arguere quoad liberum arbitrium, quod timet, ne proinde cogatur Deum fateri? Cæterum asserere, libertatem hominis fictitiam esse, est vocem, consensumque totius naturæ suffocare; hoc est perfricta fronte mentiri; est negare id, quod conscientia testimonio certissimum creditur; est velle cogere hominem, ut credat, se numquam ex duabus propositis partibus alterutram posse eligere, de quibus bona fide quoties occasio fert, deliberat. Nihil est adeo Religioni gloriosum, quam cernere opus esse, ut hæc opinionum portenta dicantur, credanturque, quoties revocare quis velit in dubium quod illa docet.*

§. IV. Est revera argumentum hoc, quod ab experientia, seu intimo sensu deducitur, adeo validum, & ad persuadendam libertatem nostram efficax, ut opus esset, ut de illa dubitaremus demonstratione, qua probaretur, tantum repugnare, in nobis esse hoc Dei munus, quantum repugnat, ex duobus & qua-

(a) *Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi*
Displicet Auctori: prima est hæc ultio, quod se
Judice, nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis prætoris vicerit urnam. Juven. Satyr. 13. v. 1.

quatuor simul sumptis numerum vigesimum effici. Commentum causarum occultarum, & quæ a nobis percipi nequeunt, quæ possint nos necessario movere, ut hoc eligamus, non illud, cum experimur in nobis esse id quo determinamur, eligimusque; hoc inquam commentum, aut hæ causæ, quæ finguntur esse posse, numquam efficient, ut homo sapiens dubitet, ratione habita intimi sui sensus, qui eum non movet, sed rapit; sicuti habita ratione perpetui, concordisque sensuum testimonii, quo certi simus de corporum existentia, *idealistarum* hypothesis non efficit, ut vel ne tantillum ambigamus. Observetur tamen, *criterium* quod nos de libertate nostra certos facit, majus habere robur, quam concors sensuum testimonium. Ut ergo de libertate nostra dubitaremus, oporteret, nos in Pyrrhonismum prolabi, & credere, nos ita a Deo creatos, ut semper erremus in iis etiam, quæ experimur, & de quibus, etiam per summam vim a nobis extorquere non possumus, ut bona fide dubitemus. Sed expellit a nobis timorem hunc ejusdem Auctoris bonitas, & sapientia infinita; cum repugnet notioni Entis perfectissimi, horum, aliorumque omnium attributorum cumulo beatissimi, credere, ab illo substantias rationales huic vitæ conditioni, in qua non possent ratione sua uti, fuisse subjectas.

Huic tam claræ experientiæ, quam quisque de sua libertate habet, tenebras offundere Collinsius conatur, & recensendo varietatem opinionum, in quas, ut naturam, theoriamque ejusdem explicarent auctores, qui eam propugnant, diversi abierunt; & advertendo eorum consensum de illa, nodum esse ex implicatissimis Philosophiæ. Quare ita loquitur; (a) *Qui fieri potest, ut cum agatur de re tam clara, & quam supponimus, quemque in se experiri, hoc eveniat? Quæ difficultas esse potest in statuenda re tam evidenti, simplicique, explicandoque eo, quod experitur unusquisque? Quid opus est, ut adeo philosophemur?* At Philosophus hic ita loquens significat, nolle se internoscere discrimen, quod intercedit inter evidentiam *existentiæ* alicujus phænomeni, & notionem claram, & adæquatam illius *naturæ*, aut *causarum*. Haberi potest illa, quin habeatur hæc; velle autem ob ignorantiam hujus negare veritatem illius, est præter rationem loqui. Quis nostrum est, qui certus non sit ex intimo suo sensu, se cogitare? quis tamen audebit dicere, se clare scire, in quo vere cogitatio consistat? In quot abiere opiniones Philosophi, ut explicarent cogitationis naturam, modumque? Quis dubitabit de corporum gravitate? quis tamen se detexisse certo tumebit ejus causam? Revocabiturne ideo in dubium, num corpora sint gravia, num nos cogitemus, quod adæquatas notiones non habemus originis, naturæ, modique horum phænomenorum? Licet ergo in explicanda natura, & theoria humanæ libertatis varias opiniones, & quasdam etiam falsas Auctores habuerint, (& ii præcipue quos Collinsius nominavit, quorum quidam Metaphysicas res non multum callebant, alii præjudiciis erant præoccupati) hoc nihil infirmat eam evidentiam, quam & Philosophi, & bubulci, & docti, & insipientes ex intimo sensu suæ libertatis habent.

§. V. Ut autem omnia sophismata dissipemus, quibus conantur Fatalistæ (præcipue Hobbesius, & Collinsius, & omnium postremus Helvetius, qui eorum calcavit vestigia) perturbare materiam hanc, & in dubium revocare veritatem ita claram, ita scitu necessariam, propius ad rem accedamus ducem sequentes D. Thomam Aquinatem quo nemo, ut mea fert opinio, aut ex antiquis, aut ex recentibus scriptoribus quæstionem hanc de hominis libertate acutius, verius, clariusque multis suorum operum in locis tractavit. Theoriam hujus animæ dotis ex intimo sensu, & ex notionibus acutissimæ metaphysicæ componit. Quot sophismata inventa a veteribus Fatalistis fuere contra veritatem hanc, quot a nostro-

(a) *Mais comment tout cela peut-il arriver dans un fait si clair, & qu'on suppose que chacun éprouve en lui-meme? quelle difficulté faut il avoir à établir un fait clair & simple, & à marquer ce que chacun sent? Quel besoin y a-t-il de tant philosopher.* Recherches sur la liberté p. 261.

ſtrorum temporum Libertinis tam audacter rurſus in medium proferuntur, ipſe ſtabilibus, firmiſque ſuis principiis ſtatutis claritate ſumma, & felicitate admirabili diſſolvit. Voluptas maxima percipitur, quoties, quod ſæpe evenit, inter argumenta, quæ ſibi ſanctus Doctor opponit, & paucis verbis refutat, offenduntur iiſdem terminis allati paralogiſmi, quos quibuſdam adſcititiis novis ornamentis decoratos ab Hobbeſio, Spinoſa, Collinſio, aliiſque hujuſmodi Heroibus recentes Atheiſtæ extollunt. Non me fugit, eruditis noſtri ſæculi viris *ambroſiaque & nectare paſtis* minus arridere opera viri illius incomparabilis, quod ſæpe cum occurrant dicendi modi, qui ſcholam Peripateticam redolent, credunt, doctrinam totam ex ea derivatam eſſe. At ſi hujuſmodi viri hæc opera pervolverent, iis ſub vocibus (quæ iis temporibus ſolæ uſurpabantur) reperirent notiones ita ſublimes, abſtractaſque præcipue in rebus Metaphyſicis, quæ nulli peculiari Phyſicæ ſyſtemati addictæ progrediuntur uſque ad immutabilem veritatum primarum, & æternarum ordinem, ex quo verum, rectumque ratiocinium in quovis peculiari argumento proficiſcitur. Quod præcipue a Leibnitio, & a VVolfio ſcriptoribus Proteſtantibus, & acutioribus Metaphyſicis non ſemel in laudem ſancti Aquinatis Doctoris fuit animadverſum. At redeamus, unde digreſſi ſumus, explicemuſque cum D. Thoma libertatis theoriam. Reperit ille interius hujus dotis fundamentum in natura ſubſtantiæ ſpiritualis, ratiocinandi capacis, ut eſt anima noſtra (*a*). Statuit igitur ut terminum ſimul, & fundamentum libertatis neceſſarium amorem boni (*b*), ſeu noſtræ felicitatis, ad quod natura impellente ferimur, & ita ferimur, ut fieri non poſſit, ut aliud quid ametmus præter bonum, vitemuſque quid aliud præter malum. Huic ergo neceſſario amori libertas incumbit. Hinc enim initium voluntas ducit ſe movendi, ſeque determinandi ad amorem earum ſingularium rerum, in quibus illud bonum, ad quod fertur naturæ impetu, inſit. Utitur ad hoc opus examine, & judicio intellectus (*c*). Et ſicut judicium illud, quod ei proponit veluti amabilem propriam felicitatem, aut commune bonum, eſt judicium immutabile, & neceſſarium, *determinatum ad unum*, ut ſcholæ loquuntur; ita quoad particularia objecta non magis ad hoc, quam ad illud impellitur, & fertur. Quamlibet ergo in partem intellectus fertur, & pro cognitionibus ſuis, animi cupiditatibus, & pro diverſitate interiorum, exteriorumque adjunctorum omnia animo æquo perpendit, conſulit, componit, tandem judicat, hoc, illud eſſe bonum. Tum voluntati, quaſi *imperio*, (*d*) aut *judicio* practico, quod dicunt illud proponit amore dignum. Voluntas mota ſua felicitate illud eligit, illud amat. Hic modus eſt, quo in omnibus actionibus (niſi fiant ex impetu cæco, quem *indeliberatum* dicunt) ſe habent homines. Etiamſi hujuſmodi progreſsus, ſucceſſioque actuum fiat interdum exiguis temporis intervallis, tamen ſi quis ſe excutiat, ſentiet ita in ſe fieri. Itaque hinc evidentiſſima claritate libertas, quam in homine eſſe contendimus, elucet; & quodlibet Fataliſtarum ſophiſma diſſolvitur. Siquidem hoc eſt ſubſtantiæ liberæ proprium, ut non trahatur, non moveatur *paſſive* ab externa, aut

(a) *Neceſſe eſt, quod homo ſit liberi arbitrii ex hoc ipſo, quod rationalis eſt.* I. P. q. 83. art. I.

(b) *Neceſſe eſt quod ſicut intellectus ex neceſſitate inhæret primis principiis, ita voluntas ex neceſſitate inhæreat ultimo fini, qui eſt beatitudo. Finis enim ſe habet in operativis, ſicut principium in ſpeculativis... Oportet enim, quod illud, quod naturaliter alicui convenit, & immobiliter, ſit fundamentum, & principium omnium aliorum: quia natura rei eſt primum in unoquoque, & omnis motus procedit ab aliquo immobili.* I. P. q. 82. art. I.

(b.) *Homo agit judicio, quia per vim cognoſcitivam judicat aliquid eſſe fugiendum, vel proſequendum. Sed quia judicium iſtud non eſt ex naturali inſtinctu in particulari operabili, ſed ex collatione quadam rationis, ideo agit libero judicio, potens in diverſa ferri. Ratio enim circa contingentia habet viam ad oppoſita... Particularia autem operabilia ſunt quædam contingentia; & ideo circa ea judicium rationis ad diverſa ſe habet, & non eſt determinatum ad unum: & pro tanto neceſſe eſt, quod homo ſit liberi arbitrii ex hoc ipſo, quod rationalis eſt.* I. P. q. 83. art. I.

(d) *Imperare eſt actus rationis, præſuppoſito actu voluntatis, in cujus virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus.* I. 2. q. 83. art. I.

aut mechanica vi, sed agat *(a)*, moveat se, & incumbat ad explicandas vires suas ut causa præcipua, (subjecta tamen semper causæ *increatæ*, & ab ea dependens); id evidenter cernitur in modo allata theoria, in qua voluntas vi amoris necessarii in bonum a Deo in se insiti, utitur intellectu ad inquirendum bonum singulare amandum: intellectus voluntati illud objicit, ipsa illud eligit, amatque. En arbitrii agendi vis. At hoc voluntati non est satis: voluntas agit etiam in actibus *spontaneis*, hoc est in illis, qui ex ipsa nascuntur ita, ut aliter evenire non possint. In nostra agendi ratione liquido apparet differentia inter *spontaneum*, *& liberum*; quæ subdole Fatalistæ confundunt, dicentes voluntatem *liberam*, quod eximatur solum a *violentia*, non autem a *necessitate*. Ita Collinsius testatur, se defendere liberum arbitrium, *si per hoc verbum* (inquit ille *(b)*) *intelligatur facultas, quam habet homo agendi id quod vult, aut quod sibi arridet*; ajens cæteroquin (quod pluribus sophismatibus adstruere nititur (eum semper subjici *fatali* necessitati. Hæc non est *libertas*, sed *spontaneitas*; quo nomine illa appellari debebat ab hoc Philosopho, ejusque asseclis. *At credendum est* (opportune ait Joannes Clericus *(c)* loquens de Lexico Chavini, in quo etiam *liberum* cum *spontaneo* confunditur) *eos, qui novas invexerunt notiones noluisse mutare sermonem vulgi, timentes, ne detegerentur humani generis consensum oppugnare*. In actibus ergo nostris, ut dicebamus modo, cernitur differentia inter *liberum*, & *spontaneum*. Amor boni *in communi* seu nostræ felicitatis, est amor *spontaneus* genitus a voluntate, sed per insuperabilem necessitatem; regitur enim ille judicio *necessario* intellectus, qui necessario, & ex impulsu ineluctabili Auctoris naturæ judicat, felicitatem esse amandam, & voluntas sponte, sed necessario eam amat. Amor electionis, quo peculiare bonum diligitur, quantum differat ab illo primo, quo amatur bonum in communi, ex intimo sensu cognoscimus; Divique Thomæ doctrinæ, quæ eodem intimo sensu innituntur, liberum omnino amorem hunc esse, demonstrant. Nam amor hic regitur ante ab intellectus judicio, qui, quin determinetur, aut impellatur aliquo objecto, aut peculiari assensu, excurrit, ut libet, per quævis bonorum genera utilium, honestorum, jucundorum, verorum, apparentium, nec ullum reperiens, in quo insit perfectio amati boni, aut quod necessario, & unice conjungatur cum adeptione felicitatis, de assensu suo præstando non est valde sollicitus. Si tandem aliquando determinatur ad præponendum hoc, vel illud ut bonum, id fit, vel quia hoc attentius consideratum fuit, vel quia creditur magis convenire præsentibus eligentis temporibus, vel quia pluribus, aut minus claris, rectisque facibus animus in hoc judicio illustratur. Itaque post hanc deliberationem si voluntas amat bonum hoc, quis in ipsa non videt amorem *electionis*, ac proinde *libertatis*? Amorem, ad quem voluntas ipsa fertur, cum adhibuerit intellectum, ut investigaret rationes, & consuleret de hoc bono amando? Amorem, quo ipsa amat objectum, propositum quidem sibi ut bonum, sed non ut bonum summum; quod sibi fuit tamquam medium oblatum, at non unum, aut necessarium ad consequendam felicitatem, quam ipsa intendit? *(d)* Specimen est hoc illius stabilis, claræque doctrinæ, qua D. Thomas

(a) *Liberum est, quod sui causa est. Quod ergo non est sibi causa agendi, non est liberum in agendo. Quæcumque autem non moventur, neque agunt, nisi ab aliis mota, non sunt sibi ipsis causa agendi. Sola ergo moventia se ipsa libertatem in agendo habent: & hæc sola judicio agunt*. S. Thom. 2. contr. Gent. c. 48.

(b) *Je ne combats la liberté, ou le franc-arbitre, que dans un certain sens, que l'on donne à ce terme. Je l'établis, & la soutiens, si on entend par ce mot le pouvoir, qu'a l'homme de faire ce qu'il veut, ou ce qu'il lui plait*. Recherches sur la liberté. Préface.

(c) *Mais il y a de l'apparence, que ceux, qui ont introduit des nouvelles idées, n'ont pas voulu changer le langage public de peur, qu'on ne s'apperçût qu'ils attaquoient le sentiment du genre humain*. Bibliot. Chois. Tom. XXVII. p. 1. 2. 4.

(d) *Dicendum, quod activum non ex necessitate movet, nisi quando superat virtutem passivi. Cum autem voluntas se habeat in potentia respectu boni universalis, nullum bonum superat virtutem voluntatis, quasi ex necessitate ipsam movens, nisi id quod est secundum omnem considerationem bonum. Et hoc solum est bonum perfectum, quod est beatitudo; quod voluntas non potest non velle, ita scilicet quod velit ejus oppositum*. S. Thom. q. VI. *de malo*.

mas explicat copiose, eodemque tempore probat arbitrii libertatem immunis non modo *violentiæ* (quæ numquam voluntati afferri potest, (*Vid. D. Thomam* 1. 2. *q. a.* 4.) : ex hac enim violentia fieret, ut voluntas vellet, & nollet tempore eodem rem eamdem) sed etiam immunis *necessitatis* in iis omnibus, quæ vult ut bona singularia, aut ut media ad felicitatem suam consequendam. (*a*) Producant nunc in aciem Fatalistæ argumenta sua, experienturque, quam facile dissolvantur per expositam theoriam.

§. VI. Ita Thomas Hobbesius ratiocinatur : „ Cum non possit res ulla a se „ principium capere, hoc initium debet „ illi dari ab agentis alicujus proximi, „ qui extra illam fit, actione. Si ergo „ homo inducitur ad aliquid volendum, „ quod prius non volebat, causa non nascitur ab eadem sua voluntate, sed „ ab alia aliqua re, cujus ipse potestatem non habet. Non negabo, voluntatem esse causam necessariam omnium „ actionum voluntariarum; sed cum voluntas ab aliis rebus, quæ in ejus po„ testate non sunt, pariatur, omnes a„ ctiones, quæ ab ea derivantur, & quæ „ voluntariæ nominantur, habent causas „ necessarias, ac proinde sunt omnes ne„ cessariæ. „ Hæc objectio, seu potius hic sophismatum acervus ab Hobbesio collectorum, allatusque a Doctore Harrisio (*Rèponse aux difficultès, que forment les Athèes sur l' existence, & les attributs de Dieu. Par.* 3.) (uno ex iis sapientibus viris, qui ex Boylæi cathedra in Anglia Religionis causam tuentur) præoccupatur, evertiturque a D. Thoma, immo ex iis, quæ hucusque advertimus, jam nullo negotio destruitur. En verbis ipsis sancti Doctoris propositum Fatalistarum objectionis fundamentum. *Cum ergo voluntas se consilio moveat, consilium autem est inquisitio . . . Sed cum voluntas non semper voluerit consiliari, necesse est, quod aliquo moveatur ad hoc, quod velit consiliari. Et si quidem a se ipsa, necesse est iterum, quod motum voluntatis præcedat consilium, & consilium præcedat actus voluntatis, & cum hoc in infinitum procedere non possit, necesse est ponere, quod quantum ad primum motum voluntatis moveatur voluntas cujuscumque non semper actu volentis ab aliquo exteriori, cujus instinctu voluntas velle incipiat*. D. Thom. q. 6. *de malo* art. unic. in corp. Hoc, inquam est fundamentum Hobbesii, aliorumque Fatalistarum etiam objectionis; quam objectionem brevioribus verbis, simul cum consequutione, quam illi perverse inde deducunt, integram affert idem S. Doctor inquiens: *Secundum Augustinum in L. de Trinit. nihil est sibi ipsi ut sit : ergo pari ratione nihil est sibi ipsi causa, ut moveatur. Voluntas ergo non movet seipsam, sed necesse est, quod ab aliquo moveatur; quia incipit agere post, cum prius non ageret, & omne tale aliquo modo movetur . . . Sed quod ab alio movetur, necessitatem ab alio patitur; ergo voluntas necessario vult, & non libere*. Ibid. argum. 20. Quisque videt, argumentum, quod Hobbesius in agmine primo collocarat, pluribus a sæculis vetus rancidumque in scholis fuisse. Audiamas ergo ab eodem D. Thoma ejus solutionem. *Relinquitur* (inquit ille) *quod id, quod primo movet voluntatem, & intellectum, sit aliquid supra voluntatem, & intellectum, scilicet Deus*. Auferreturne igitur hinc arbitrii libertas ? nihil sane minus. *Qui cum omnia* (pergit Sanctus Thomas) *moveat secundum rationem mobilium . . . etiam voluntatem movet secundum ejus conditionem; non ut ex necessitate, sed ut indeterminate se habentem ad multa*. (S. Th. ibid. in corp.) Hactenus S. Doctor. Movet ergo Deus causa prima, & suprema voluntatem, atquin auferat, aut perturbet in ipsa supradictum agendi modum, in quo libertas aperte cernitur. Voluntatem movet; at non brutorum animantium more in homine voluntas movetur (*b*). Illa naturali insuperabili instinctu accepta peculia-

(a) Cum statuerimus hoc modo vim & activitatem internam, & essentialem, quam intimo sensu experimur, libere agendi, hoc est movendi, determinandique nos æque, & cum electione ad nostras voluntates, & ad nostras actiones, scimus etiam, nos ut causas secundas pendere a divino supremo Motore in ipso motu, & determinatione: novimus etiam necessitatem ejus concursuum præveniientium gratiarumque supernaturalium efficacium juxta naturam, & conditionem actuum, quos patramus. Videt tamen prudens Lector, ad harum rerum examen nunc nos non provocari argumento, de quo contra Fatalistas agimus.

(b) *Quædam agunt judicio, sed non libero, sicut animalia bruta : Iudicat enim Ovis videns lupum*,

culiaris alicujus objecti impressione determinantur, impelluntur que necessario ad illud prosequendum, vel fugiendum. Accipit quidem homo ab Auctore suo impressionem, seu propensionem ineluctabilem, quæ ad bonum in communi, sive ad felicitatem eum impellit necessario, hoc est ita, ut non possit non illud amare; at quoad bona singularia, quæ nullam necessariam junctionem cum hac felicitate habent, necessitatem homo non patitur: *relictus est in manu consilii sui*; amplissimam facultatem habet volendi, nolendi, volendi hoc, nolendi illud, prout magis minusve fini suo illud conducere putat. Atque hinc arguitur, hoc modo amorem illum primum, necessariumque a Deo acceptum, nedum libertatem eripiat, esse principium, ut diximus, fundamentumque liberarum singularium electionum. Quod si quis fortasse diceret, Hobbesium, cum ait, voluntatem non esse liberam in agendo, quod *moveatur ab actione alicujus agentis*, *quod extra illam est*, *& quod in ejus potestate non est*, loqui de impressione objectorum exteriorum, quæ sensus feriunt, & phantasiam afficiunt, suisque illecebris voluntatem ad assensum attrahunt; quæ idcirco non jam libere, sed invicta necessitate velit, quod vult; respondeo, illusionem hanc etiam a veteribus, & præcipue Poetis propugnatoribus fatalis necessitatis jactatam dissolvi doctrina D. Thomæ. Docet ille sapientissime (a) illud unum objectum, quod maxime, & ex qualibet parte, & quolibet sub aspectu est bonum, ita allicit, rapitque voluntatem, ut non possit facere quominus illud amet; ipsum enim explet quodvis suum desiderium; hujusmodi est beatitudo, seu commune bonum, quod a quavis rationali creatare sic amatur, ut non possit quod illi opponitur, velle, & hac de causa dicimus, ex necessitate a Beatis in cælo Deum clare inspectum amari, quippe qui eum ut bonum infinitum noscunt, in quo bonum quodlibet reperiunt, a quo proinde voluntatem suam, ut aliud bonum ament, avertere non possunt. Cum igitur omnia alia bona, quæ voluntati objiciuntur, proponantur illi semper tamquam finita bona, aut, ut verbis D. Thomæ utar, ut bona quidem, sed non secundum quemvis aspectum, & respectum bona; possunt ipsa quidem movere, allicere, trahere ad se majori, minorive impulsu voluntatem, at eam invicte movere, & necessario determinare nequaquam possunt, ita ut hæc ad alia bona se convertere non possit, ut in iis inveniat eas boni rationes, quas in sibi propositis desiderat. Etiamsi ergo *voluntas moveatur actione alicujus agentis*, *quod extra ipsam sit*, *neque ejus potestatem habeat*, non tamen hinc consequitur, *motus suos*, *actionesque esse necessarias*, ut Hobbesius perverse sentit, dissolutoque sophismate se probare putat.

---

pum, eum esse fugiendum, naturali judicio, & non libero, quia non ex collatione, se ex naturali instinctu hoc judicat: & simile est de quolibet judicio brutorum animalium. Sed homo agit judicio, quia per vim cognoscitivam judicat aliquid esse fugiendum, vel prosequendum. Sed quia judicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis, ideo agit libero judicio, potens in diversa ferri. S. Th. 1. p. q. 83. art. 1.

Causa differentiæ animæ brutorum animantium ab anima hominum respectu libertatis legi potest clarissime explanata a Buliero in sæpius laudato opere inscripto *Essai Philosophique sur l'Ame des Bêtes*. Part. II. Chap. 12. Ecce locum opportunum valde: *La sphere d'activité (de l'Ame sensitive) est enfermée dans ses sensations. Mais ses sensations sont des perceptions confuses, qui lui deviennent presentes. Elle n'est donc point maitresse de suspendre son attention à leur égard, d'eloigner, & d'appeller celles qu'il lui plait, de les comparer ensemble par la reflexion, d'en faire naitre des nouvelles pour les opposer aux autres, ce que peut l'Ame raisonnable a l'égard de ses idées. L'Ame sensitive se remuera donc toujours dans le petit cercle des ses sensations, & n'agira qu'autant que ce qu'elle sent, lui donnera lieu d'agir. D'ailleurs n'étant pas maitresse de se donner d'autres perceptions, que celles qui l'affectent dans ce moment, si elle agit, ce sera conformement à la sensation presente, la quelle pour peu qu'elle soit vive, la determinera infailliblement. La douleur, & le plaisir sont, pour ainsi dire, les poids, & les ressorts, qui l'inclineront, & la plus fort sensation l'emportera par consequent sur la plus foible.*

(a) *Sunt quædam particularia bona, quæ non habent necessariam connexionem ad beatitudinem, quia sine his potest aliquis esse beatus: & hujusmodi bonis voluntas non de necessitate inhæret. Sunt autem quædam habentia necessariam connexionem ad beatitudinem, quibus scilicet homo Deo inhæret; in quo solo vera beatitudo consistit. Sed tamen antequam per certitudinem divinæ visionis necessitas hujusmodi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhæret, nec his, quæ Dei sunt. Sed voluntas videntis Deum per essentiam de necessitate inhæret Deo, sicut nunc ex necessitate volumus esse beati. Patet ergo, quod voluntas non ex necessitate vult, quæcunque vult.* S. Thom. 1. p. q. 82. art. 2.

§. VII. At aliam objectionem Angli Libertini audiamus, ex cujus solutione ansam capiemus magis, magisque materiam, quæ præ manibus est, illustrandi. „ Quælibet (a) causa sufficiens (inquit „ ille) debet esse necessaria: si enim illa effectum necessario non parit, ex „ alicujus rei defectu id evenit, quæ ad „ eum pariendum requirebatur. Quidquid ergo producitur, necessario producitur: non enim esse potuisset sine „ causa sufficienti. Hinc itaque sequitur, omnes actus voluntarios esse ex „ necessitate. „

Videamus quæso, num sophistæ barbari XIII. sæculi ingenii sui acumine hunc Hobbesii paralogismum adeo ab incredulis nostri sæculi celebratum, fregerint. En illum inter objectiones D. Thomæ oppositas, longeque meliori modo, quo Philosophus hic eum recoquit, allatum. *Si voluntas aliquid determinare vult*, (oportebit) *quod sit aliqua causa, quæ faciat ipsam hoc velle. Causa autem posita, necesse est, effectum poni, ut Avicenna probat, quia si causa posita adhuc est possibile, effectum non esse, indigebit adhuc alio reducente de potentia in actum: & sic prima non erit sufficiens causa. Ergo voluntas ex necessitate movetur ad aliquid volendum*. S. Thom. q. 6. de malo art. unic. arg. 15.

Quid Angelicus Doctor respondet? *Dicendum, quod non omnis causa ex necessitate inducit effectum, etiamsi sit causa sufficiens: eo quod causa potest impediri, ut quandoque effectum suum non consequatur, sicut causæ naturales, quæ non ex necessitate producunt effectus suos, sed ut in pluribus, quia in paucioribus impediuntur. Sic ergo illa causa, quæ facit, voluntatem aliquid velle, non oportet, quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari, vel removendo talem considerationem, quæ inducit eam ad volendum, vel considerando oppositum, scilicet quod hoc, quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non est bonum*. S. Thom. ibid. ad. 15.

Quælibet levis nostri consideratio, & vel tantillum bonæ fidei sufficit, ut hujus doctrinæ veritatem noscitemus, fateamurque. Quoties impulsus vehementissimus alicujus objectæ rei, dum inibi est, ut a voluntate assensum extorqueat, repellitur ab eadem voluntate ex alterutra harum causarum a D. Thoma doctarum? Quod si illa impressio, illa causa, res ejusmodi objecta sæpe assensum a nobis elicit, videmus, eam illum elicere, quia volumus; nosque vere, & reipsa potuisse alio ab ea causa intellectum avertere, aliamque oppositam nobis proponere, & illius causæ effectum hoc modo impedire. Quapropter allato Fatalistæ sophismati paucis ita possumus respondere: Quælibet causa sufficiens necessaria quidem est respectu actus, at non respectu agentis. Necessaria est quoad actionem; si enim non impeditur, necessario effectum suum producit; necessaria non est quoad agens, quod supradictis modis eam potest impedire. Quod si illud eam non impedit, tamen ob hanc veram agentis facultatem, actio, quæ ex hac sufficienti causa necessario consequitur, *necessaria* non est, sed *libera*; siquidem a consilio, & potestate illius pendet, qui sciens, volensque eligit; agit, inquam, ita tamen, ut vere, & reipsa secus agere, aut non omnino agere possit. Atque hic viam nobis sternentibus doctrinis his deductis omnibus ex intimo sensu, qui est *criterium*, quo uti debemus de hac animæ nostræ facultate loquentes, in proclivi erit aliud Collinsii erratum propellere. Opinatur ille, omnes a Fatalismo stare, qui *ajunt*, (b) *voluntatem duci intellectus judicio. Et quoties hominis res duæ objiciuntur, quarum una melior videatur altera, eum non posse eligere pejorem: hoc est, non posse illum eligere malum, quatenus mala est, aut malum, quatenus est malum*. Equidem credo, qui hæc scribit (sit venia verbo) non intelligere, aut, ut verius dicam, nolle intelligere quicquam. Quid? putabitur ergo, ut defendatur vera hominis libertas, esse dicendum, eum agere sine consilio, a quo

(a) Apud Doctorem Harrisium loco supra citato. Hoc idem sophisma habemus in Collinsii libro *Recherches sur la liberté*.

(b) *Ils reconnoissent, que la volonté suit le jugement de l'entendement, & que lorsqu'on offre a un homme deux objets, dont l'un parois meilleur que l'autre, il ne peut pas choisir le pire: c'est-à-dire, qu'il ne peut pas choisir ce qui est mauvais, comme mauvais, ou le mal autant que mal*. Recherc. sur la liberté p. 141.

a quo dirigatur, sine ratione, a qua determinetur, sed impetu cæco, incertoque voluntatis? Hoc esset agere bruti animalis instar, non hominis, hoc esset vere libertatem de medio tollere; in homine enim sine consilio non est electio, & sine electione libertas concipi nequit (*a*). At vos conceditis (pergit porro Collinsius) quoties duæ res sese objiciunt, quarum una sit melior altera, hominem eligere non posse pejorem: Nempe: & hanc, si per eum licet, necessitatem appellabimus; at non necessitatem illam absolutam, & metaphysicam, quam ille una cum Fatalistis propugnat; sed necessitatem hypotheticam, aut moralem; necessitatem demum, quæ *Prudentis* solet dici; qui dum prudenter operatur, semper melius sequitur, sed sequitur modis iis, quos supra docuimus. Qui modi demonstrant ejus electionem licet amore necessario boni innixam, tamen cum amplectitur objectum illud singulare, & illud præfert malo, aut minori bono vero, vel apparenti, esse liberam eo libertatis genere, quod a Fatalistis rejicitur.

§. VIII. Ex iis, quæ hactenus docuimus cum explicantes libertatis theoriam, tum refutantes sophismata, quibus Hobbesius, Collinsiusque a nobis eripere hoc animæ munus volunt, jure ac merito argui potest, eversa, prostrataque omnino esse falsa illa argumenta, quibus alii recentiores libertatis hostes, Helvetiusque præcipue, postremus fortasse Fatalismi patronus, veritatem adeo claram, tantique momenti impugnare satagunt. Fuerit igitur operæ pretium hujus postremi Auctoris specimen aliquod dare. (*b*) *Non potest* (inquit ille) *notio ulla hujus verbi Libertatis de voluntate dicta haberi. Quid enim per hoc verbum intelligi posset? Nihil aliud certe, nisi libera facultas aliquid volendi, aut nolendi.* Ita scilicet; ego repono; hæc est vera libertatis notio expertæ per intimum sensum, a nobis explicitæ, ut sperare nos juvat, clare, & liquido, descriptæque hoc modo a D. Thoma: *Proprium liberi arbitrii est electio. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere, alio recusato: quod est eligere.* I. P. q. 83. a. 3. & a. 4. ait: *Liberum arbitrium nihil aliud est quam vis electiva.* At hæc facultas (ita prosequitur Helvetius) dari prorsus nequit: (*c*) *sequeretur enim, esse voluntates sine causis, & proinde effectus sine causis.* Nihil hoc magis falsum. Electiones nostræ habent causas, rationesque adæquatas; si hæ tollerentur, homo ut brutum animal ageret: Libertas, quam tuemur, non solum eas reprobat, immo necessario eas requirit; eo tamen modo, quem cum D. Thoma ostendimus supra. Consideret Philosophus allata argumenta, & ea refutet, si potest: plura enim afferre non præstat. At ille nihilominus instat: (*d*) *oporteret ergo*, (si libertate præditi essemus) *ut nobis possemus velle æque bonum, ac malum; quod fieri nullo modo potest.* Immo, ego respondeo, hæc illatio, quam Helvetius a Collinsio, de quo paulo ante diximus, desumpsit, est prorsus perversa. Facultas volendi nobis bonum tantum, numquam autem malum, quatenus malum, non est libertatis defectus, sed perfectio naturæ, sive amoris illius necessarii, quem in nostram beatitatem omnium bonorum distributor Deus hominibus indidit; qui amor necessarius est fons primus nostræ liberta-

(a) Hæc perversa libertatis commentitiæ notio proponitur in libro *de l'Origine du mal* in Anglia edito Leibnitii ætate: qui nobis sensum illius Auctoris hac in re significat. *La veritable liberté depend d'une indifference d'equilibre, vague, entiere, & absolue: en sorte qu'il n'y ait aucune raison de se determiner, anterieure à la determination, ny dans celui, qui choisit, ny dans l'objet, & qu'on n'elise pas ce qui plait, mais qu'en elisant sans sujet, on fasse plaire ce qu'on elit.* Rejicit Leibnitius hanc libertatis notionem, quam ipse appellat *chimericam*, & Romanensem, & inter alia animadvertit, *que Platon, Aristote, & meme Thomas d'Aquin, Durand, & autres Scholastiques des plus solides .... mettent la liberté dans l'usage de la raison, & des inclinations: qui font choisir, ou rebuter les objets; & ils prennent pour constant, que notre volonté est portée à ses elections par les biens, ou les maux, vrais ou apparents, qu'on conçoit dans les objets.* Remarq. sur le livre de l'origine du mal.

(b) De l'Esprit Discours I. Chap. IV. *On n'a donc une idée nette de ce mot de liberté, lorsqu'on l'applique à la volonté. Que seroit-ce alors que la liberté? On ne pourroit entendre par ce mot, que le pouvoir libre de vouloir, ou de ne pas vouloir une chose.*

(c) *Ce pouvoir supposeroit, qu'il peut y avoir des volontés sans motifs, & par consequent des effets sans cause.* Ibid.

(d) *Il faudroit donc que nous pussions également nous vouloir du bien, & du mal, supposition absolument impossible*, Ibid.

tatis, & electionis, ut copiose jam exposuimus. At hic nimirum addit: (a) *Si felicitatis desiderium est principium nostrarum cogitationum, actionumque omnium; si homines perpetuo tendunt in bonum aut verum, aut apparens; ergo voluntates nostræ nihil sunt aliud nisi hujus impulsus effectus.* Scilicet, inquio; at non effectus proximus; & necessarius. *Ergo* (concludit Philosophus) *non est in nobis libertas.* Vah distortissimam conclusionem! Ab amore necessario boni, seu felicitatis transit homo ad investiganda objecta illa, in quibus hoc bonum insit, aut quæ ad hanc felicitatem eum perducant: sicut autem hic in terris in rebus creatis perfectum hoc, & essentiale bonum nusquam reperitur, (est enim solus Deus clare aspectus, & ideo necessario amatus in cælo) hinc fit, ut summa æquitate *activa*, liberaque potestate intellectus amplissimam, ut ita dicam, bonorum aut verorum, aut apparentium regionem peragret, illudque tandem, quod sibi convenientius putat, voluntati proponat, quod ipsa libera potestate eligit, & amplexatur. Quamvis ergo voluntates nostræ sint, ut scribit Helvetius, necessarii propensionis in felicitatem, aut commune bonum effectus; non tamen sunt necessariæ, sed omnino liberæ, utpote quæ, licet ab illo amore primo excitentur, tamen inquisitione, & consilio reguntur; & ad singulare objectum, quod non est idem ac bonum per essentiam, se convertunt. *Sit ita* (Philosophus ait (b)): *at verbum hoc liber tunc eumdem intellectum habebit, quem* illuminatus; *nihilque ex eo fit aliud* quam ut hæ duæ notiones perturbentur: ut quisque *pluribus, paucioribusque cognitionibus illuminabitur, partem aut magis, aut minus bonam eliget; quamcumque eligat, desiderium sui boni semper erit hujus electionis causa.* Miserum enim vero humanum genus, quod per tot sæcula, donec Scriptor hic subtilis, acutusque terris datus est, ignoravit harum notionum *liberi, & illuminati* intellectum. At nonne tu is es, qui, ut veritati tenebras offundas, turpiter eas confundis? *Lumen* pertinet ad intellectum, ad voluntatem præcipue pertinet *Libertas*. Illud electionem præcedit, hæc in electione est sita. Quid habes quod opponas? *Oppone*, inquit, *hominem, quo pluribus, paucioribusque cognitionibus illuminabitur, electurum partem magis, minusve bonam. Sit ita*; ut ais: *quamcumque tamen eligat*, ajo, *desiderium felicitatis causam hujus electionis futurum*. Non gravate totum hoc concedo. Ergo quid hinc colligis? hujusmodi electionem non futuram liberam? Hæc est cantiuncula illa, quam a Collinsio didicisti; illusio, perpetuaque astutia vestra turpissima. Pars, quam amplectitur homo etiam ex maxime *illuminatis*, cum non sit aut ipsa felicitas, quæ illum inflammet, aut medium unum, & necessarium ad illam adipiscendam, libere ab illo eligitur; hoc est ita illam amplectitur ut posset & non amplecti; & sæpissime revera accidit, ut partem meliorem cognoscens, & jam cum in procinctu est, ut illam eligat, deteriorem, semper tamen sub boni specie, eligat. *Finis* (inquit D. Thomas, cum sibi opposuisset hoc sophisma a suis usque temporibus. quæst. VI. de malo, artic. unico ad 8.): *est ratio volendi ea, quæ sunt ad finem. Unde non similiter se habet voluntas ad utrumque.* (Ad 9. dicendum quod). *Quando ad finem non posset perveniri nisi una via, tunc eadem ratio esset volendi finem, & ea, quæ sunt ad finem. Sed ita non est in proposito. Nam multis viis ad beatitudinem perveniri potest . . . . Et ideo licet homo ex necessitate velit beatitudinem, nihil tamen eorum, quæ ad beatitudinem ducunt, ex necessitate vult.* Hæc est veritas omni exceptione major, cum hinc experientia, isthinc purissimis rectissimæ Metaphysicæ notionibus comprobetur. Omnino destruit illa sophisma, quod tu, ut diximus, didicisti a Collinsio, & hic ab Hobbesio nostrorum

(a) *Si le desir du plaisir est le principe de toutes nos pensées, & de toutes nos actions, si tous les hommes tendent continuellement vers leur bonheur réel, ou apparent, toutes nos volontés ne sont donc que l'effet de cette tendence, En ce sens on ne peut donc attacher aucune idée nette à ce mot de liberté.* Ibid.

(b) *Oui, répondrai-je; mais libre n'est alors qu'un synonime d'*éclairé, *& l'on ne fait que confondre ces deux notions: selon qu'un homme aura plus, ou moins de procedur . . . . Il prendra un parti meilleur, ou moins bon: mais quelque parti qu'il prenne, le desir de son bonheur lui fera toujours choisir le parti, qui lui paroitra le plus convenable à ses interets.* Ibid.

rum temporum Fatalistarum signifero. In quorum confutatione, & hi, & alii errores tui contra libertatem, quod receperam, me præstiturum, prorsus confutantur. Scio, te demum post hos omnes impetus censoria voce definire, (a) *libertatem esse problema, quod explicari non potest; denique omnes cogitationes nostras, voluntatesque esse effectus proximos, aut necessarias consequutiones impulsuum, quos ab objectis, quibus sepimur, accipimus.* Ego quoque affirmo, hanc illationem ex natura sua derivari ex illo systemate, quo per summum dedecus a te transformamur omnes in bruta animantia sola *sensibilitate physica* prædita; (b) qua libertas æternum, & geometrice exulat. Sicut credo, me probavisse, esse quid amplius in nobis, quam quod in bove, & equo sit, hoc est animam intellectu, & ratiocinio ornatam, a qua impressiones sensuum examinantur, collatæque cum generalibus ejus boni, quod sui amore nos accendit, notionibus, eliguntur, aut rejiciuntur, in quo vere libertas consistit, (c) ita diutius immorari piget refellendo hoc tuum paradoxum, & si quod aliud huic simile, quod licet millies refutatum fuerit, rursus afferere gestis.

§. IX. Videbimur fortasse nonnullis longius, quam patiatur opus hoc nostrum, argumentum hoc de theoria humanæ libertatis nos tractavisse: sed ad id ipsi Fatalismi Patroni nos coegerunt. Cum enim ipsi hac in proposita materia ostentent quoddam inane acumen, quo incautos decipiunt, nostrum erat ostendere horum argumentorum infirmitatem, parique, sed justo, veroque acumine omnes animæ nostræ actiones examinare singulatim, & progredi ad cognitionem originis, ut ita dicam, progressusque illius libertatis, cujus cæteroquin existentia, ut supra diximus, conscientia nostra ipsa clare nobis patefit. Et sane quamvis a nobis explicari modus non posset, quo voluntas nostra determinatur, & eligit (quod alioquin videmur nobis hactenus planum fecisse, Divi Thomæ doctrinæ vestigia sequendo) haud tamen hæc in nobis determinatio, & electio neganda foret; licet ipsi Libertini abutentes nostri spiritus terminis, quibus fortasse nihil est minus cognitum, quam suarum actionum *œconomia*, plura sophismata ad infuscandam libertatem nostram proferre possent. Satis est, ut bona fide in nos ipsos paulisper descendamus, ut convincamus illos, ut nos liberos noverimus tanta claritate, ut nonnisi tamquam commenta, & deliria, quæ in hac materia effutiunt, sint habenda.

Non sit Lectori injucundum, sicut superius hoc argumentum deductum ab experientia versantes audivimus Collinsii sophismata, hic etiam cum illud refricuerimus, audire Spinosæ paralogismos, qui expositarum doctrinarum ope evertentur. Ita aperte pronuntiat Libertinus hic Philosophus: *in mente nostra nulla est absoluta, sive libera voluntas: sed mens ad hoc, vel illud volendum determinatur a causa, quæ etiam ab alia determinata est, & hæc iterum ab alia, & sic in infinitum.* (Ethices *Par. II. prop.* 48.) Hæc insania par est illi, per quam, ut vidimus, motum corporum explicare volebat; qui tamen cum ob illam causarum inertium seriem, quæ concipi, nedum dari, nequit, numquam esset, ita ob seriem hanc infinitarum *indeterminatarum* causarum actus nullus aut liber, aut necessarius a volun-

(a) *Comment pourroit-on philosophiquement expliquer le probleme de la libertè? . . . Il faut que toutes nos pensèes, & nos volontès soyent des effets immediats, ou des suites necéssaires des impressions, que nous avons reçues.* Ibid.

(b) Vide supra locum Bulieri in nota C. VI. §. VI.

(c) Afferam S. Thomæ locum, qui adhærens semper suis principiis planum facit, confirmatque quod hactenus diximus; evellitque radicitus quamlibet objectionem, distortamque notionem vero Libertatis humanæ systemati oppositam.

Forma apprehensa est principium movens, secundum quod apprehenditur sub ratione boni, vel convenientis: actio enim exterior in moventibus se ipsa procedit ex judicio, quo judicatur aliquid esse bonum, vel conveniens per formam prædictam. Si igitur judicans ad judicandum se ipsum moveat, oportet, quod per aliquam altiorem formam apprehensam se moveat ad judicandum: quæ quidem esse non potest, nisi ipsa ratio boni, vel convenientis, per quam de quolibet determinato bono, vel convenienti judicatur. Illa igitur sola se ad judicandum movent, quæ communem boni, vel convenientis rationem apprehendunt. Hæc autem sunt sola intellectualia. Sola igitur intellectualia se non solum ad agendum, sed etiam ad judicandum movent: sola igitur ipsa sunt libera in judicando, quod est liberum arbitrium habere. Lib. II. cont. Gent. cap. XLVIII.

tate proficifceretur. At qui, inquiet aliquis, afserere Spinofa poteft, determinari nos ab externa caufa, ut velimus, determinari autem ita, ut omnis nobis adimatur libertas, cum noftram determinationem, electionem, libertatem tam evidenter experiamur? En qua ratione putat, expedire fe pofse. *Homines* (inquit) *fe liberos effe opinantur, quandoquidem fuarum volitionum, fuique appetitus funt confcii, & de caufis, a quibus difponuntur ad appetendum, & volendum, quia earum funt ignari, nec per fomnium cogitant*. (Ethic. *Par. 1. in appendice*.) Id totum explicat in epiftola LXII. hoc exemplo. *Concipe jam, fi placet, lapidem, dum moveri pergit, cogitare, & fcire fe quantum poteft, conari, ut moveri pergat. Hic fane lapis, quandoquidem fui tantummodo conatus eft confcius, & minime indifferens fe liberrimum efse, & nulla alia de caufa in motu perfeverare credet, quam quia vult. Atque hæc* (pergit porro) *humana illa libertas eft, quam omnes habere jactant, & quæ in hoc folo confiftit, quod homines fui appetitus funt confcii, & caufarum, a quibus determinantur, ignari*. Hoc eft argumentum illud epidicticum, quo hic Fataliftarum dux putat, fe pofse libertatem folo æquare. At fruftra. Numquam lapides loquentes audivi; crederem tamen, fi lapis a Spinofa in exemplum adductus & fciret, & noftris interrogationibus refpondere pofset, mendacii convicturum Fataliftam. Quidni? Scio, me libere ambulare, non folum quod novi me ambulare, fed quia novi æque clare, fuifse in mea poteftate electionem ambulandi, & non ambulandi, & me ambulationem elegifse iis de caufis, quæ effecerunt, ut illam quieti præponerem; & quia fcio demum, efse in mea poteftate voluntatem, quam hic & nunc ambulandi habeo, mutandi, quoties libuerit. Nihil horum lapis dicere pofset: fed tantum, nofse quidem fe moveri, at quin habuerit electionis principium, quin facultatem habeat morandi, & mutandi directionem. Hoc evenit in lapidis motu, ac proinde ipfe, licet hanc cognitionem fui motus haberet, numquam liber efset; hæc omnia longe alia in me experior; ac proinde me liberum efse fcio. Sed quid opus eft, ut impium convincamus, lapides alloqui? Nonne in nofmetipfos defcendentes ftatim hoc difcrimen voluntatum advertimus, necefsarium unum, liberum alterum, novimufque notionem, quam Spinofa de noftra libertate putat fe habere, falfi nos coarguifse? Felices efse volumus, volumufque id voluntate fumma, fcimufque id nos velle; ex altera parte deambulationem exempli gratia volumus, novimufque, nos eam velle. At quot difcrimina non experimur inter has duas voluntates? Nos beatitatem noftram volumus, fed certi fumus, non pervenifse nos ad hunc beatitatis amorem per deliberationem, aut per electionem: experimur, nos eam velle; fed experimur fimul, nos nullo umquam tempore pofse velle contrarium; en quomodo, quamvis hanc cognitionem amoris habeamus, numquam tamen nos liberos ducimus, fed neceffitate coactos ad felicitatem noftram volendam. Contra vero dum volumus deambulationem, liberos nos reputamus, non folum quia nobis confcii fumus de hac voluntate; fed quia confcii fumus, nos eam elegifse confulto, & quia confcii fumus, nos pofse eam intermittere, cum nobis arriferit. Eft ergo falfum, ideo nos credere nos liberos, quia certi fumus de actibus noftris, at ignorare caufas, quæ nos impellunt; liberos nos efse fcimus, quia nobis manifefta eft electio, qua agere eligimus, manifefta poteftas, quam de noftris voluntatibus habemus, cognofcimufque caufas, quibus ad agendum determinamur. Rurfus Divi Thomæ allatas fupra doctrinas confideremus, & impii Judæi fallacia evidentiffime refutabitur. Hoc unum addo pauciffimis verbis. Spinofa ait, homines fe liberos credere, quia ignorant caufas, a quibus determinantur ad necefsario agendum. At fi hæ caufæ, inquio, ab omnibus *ignorantur*, fi (ut quidam Fataliftæ eas vocant) funt *infenfibiles*, & *imperceptibiles*, quo principio ductus eas admittit, quo *criterio* eas cognofcit, fentit, & percipit Spinofa? An intimo fenfu? minime vero gentium. Hic enim efficit, ut clariffime cognofcamus, nos efse liberos. An argumentis externis, & Metaphyficis ratiociniis? nequaquam; quandoquidem inanitas eorum fophifmatum jam liquido oftenfa eft. Confideretur itaque Fataliftarum in hac caufa ratiocinandi methodus. Volunt, *id non efse*, quod quotquot funt homines, & nofcunt, & fentiunt,

&

& experiuntur *esse*, voluntque *esse* id, quod nec ipsi, nec quisquam hominum aut sentiunt, aut percipiunt *esse*. Num ita opinantes pervenerint necne ad Pyrrhonismi, vel ut verius dicam, ad amentiæ terminos, judicet per se ipse Lector.

§. X. At, quod dicitur, manum aliquando de tabula, & a conscientia, quam audivimus de libertate nostra nos certos facientem, transeamus ad alia, videamusque quæ eversio notionum, verborum, politiæ, societatis ex adoptato Fatalismo derivetur. Impetu primo de medio Religio tollitur; quam luctuosissimam consequutionem placet exponere verbis modo supradicti Helvetii: (a) *Thraces inter sua religionis articulos credunt Necessitatis dogma, principium, quod cujusque Religionis fundamenta diruit, propter quod proinde ut Deistæ haberi possunt*. At quis habendus esset hic idem Scriptor, ejusque liber, in quo hoc idem dogma inculcat? Poteritne amplius queri, librum suum, quo Religiones omnes oppugnat, Principes flammis adurendum jussisse? Sed revertamur in viam. Jacet orbata meritis virtus (b), non vituperium, non pœnam vitium meretur. Nemo enim amplius præmiis, laudibusque affici debebit, qui si virtutem colit ex ineluctabili necessitate colit, nec scelestus ille puniri, qui leges, juraque omnia, & quidquid sancti usquam est, violat, cum non possit non aliter agere. Dum fatali necessitati subjicitur homo, eximitur a quovis officio; nulla lege, nullo præcepto, nullo peccato adstringitur. Quomodo se ipsum arguet, castigabitque, cum homicidia, furta, rapinas, proditiones patrarit, si sibi persuaserit, hæc omnia necessitate, & insuperabili fato tractum se commisisse? Quam ergo fidem amicus amici verbis habebit, vir uxoris fidei, princeps præsidiorum tutelæ, quæ invigilant regni quieti, si possunt pro sua voluntate & tueri, & occidere regem? si non potest, etiamsi velit, uxor castitatem thalami servare? si ex necessitate non stat amicus promissis? Hæc, & alia multa his similia ex fatali, & insuperabili necessitate consequuntur. Omnia ergo cum ipsis conventa pactaque inutilia sunt, & ridicula; spes omnes in iis positæ sunt inanes: supplicia, præmiaque iis data sunt injusta. Quod si ita est, nonne actum jam erit, conclamatumque de societate, quæ his rebus conservatur regiturque? Nonne actum erit de Principibus, qui legibus, armisque Remp. custodiunt? Nonne actum erit de humano genere toto, quod his vinculis continetur, propagaturque? Quis ingenti horrore non corripitur fingens mente tantum hæc tam scelesta, & deformia, cum momento uno temporis mutatæ sint notiones omnes, quæ excitantur in hominibus, auditis legis, culpæ, meriti, pœnæ, laudis, vituperii, virtutis, justitiæ vocibus, quæ omnia moralis disciplinæ fundamentum constituunt; aliasque audiat substitutas omnino contrarias quæ nihil significant? Notiones, quas nobis objiciunt supradictæ voces, significant homines esse liberos; a quibus si libertas auferatur, voces illæ inanes fiunt. Natura ipsa infremit, & quicumque ejus motus intelligit, non potest, quin perhorrescat reputans se versari cum hominibus, qui tam perverse sentiunt. Tamen harum doctrinarum magistri sunt illi ipsi, qui felicitatem regnis afferre, honestatem docere humanum genus se profitentur. Prævidet, vel me tacente, lector, quam late hoc argumentum pertineat, & quot sub aspectibus illud proferre possem, ut concluderem etiam per pestiferas consequutiones contra hos audentes talia Philosophos, & voce una concordique omnium gentium, naturæque totius propugnarem hominis libertatem, quam ipsi soli sibimetipsis mentientes per summam audaciam, seu potius amentiam rejiciunt. At quis putet, argumentorum vi eos, qui conscientiæ

(a) *Les Turcs dans leurs Religion admettent le dogme de la nécessité, principe destructif de toute Religion, & peuvent en conséquence être regardés comme des Deistes*. De l'Esprit. Disc. II. Chap. 24.

(b) *Hæc opinio tollit rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones, quia non solum contrariatur Fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis Philosophia consistit*. S. Thom. q. 6. de malo art. unic.

suæ vocem non audiunt, ad bonam frugem reduci posse? Spinosa cum suis asseclis permittit, posse a Principe scelestos homines armis comprimi: non quod (inquit ille) scelesti pœnam suorum criminum mereantur, cum ex fatali necessitate ea patrarint, sed ut hæ infecta membra e societate amputentur. Juxta hanc sententiam videtur jure dici posse, cum Fatalistæ suo systemate sint maxime omnium hominum exitiosi, & humano generi perniciosi, auferendos esse de medio ab iis, qui bonum commune curant; eoque potiori jure, quominus queri possent de suis vindicibus, & adversariis, qui eorum principia sequentes iis respondere possent, si illi necessitate aguntur, ut Fatalistæ & scelesti sint, se quoque pari necessitate agi ad justitiam, & severitatem. Verum procul absint a nobis hæ tam funestæ sententiæ; id unum habeamus satis, veritatis vi oppugnasse nos eorum amentiam, & luce meridiana clarius cuicumque sanæ mentis ostendisse,

Quod large dedit, ex nihilo dum cuncta vocabas,
Naturaque sua quo convenientius ullum
Haud est, quod fecit tanti DEUS IPSE, fuisse
Munus præcipuum Arbitrium, quo ornata voluntas
Incedit, quo homines cuncti, soli que fruuntur. (a)

(a) *Lo maggior don, che Dio per sua larghezza*
Fece creando, ed alla sua bontate
Più conformato, e quel che ei più apprezza,
Fu della volontà la libertate,
Di che le creature intelligenti
E tutte, e sole furo, e son dotate. Dantes Parad. cam. 4.

CAPUT SEPTIMUM.

De Jure.

I. *Religio non solum menti lumen affert suis veritatibus supernis, sed etiam integra, puraque morum disciplina voluntatem dirigit.*

II. *Ethices hostes sunt, qui se jactitant* Spiritus Fortes. *Systema Ethicum Helvetii in libro* De l'Esprit.

III. *Quod est idem, ac sistema Hobbesii, & Spinosæ, quod tamen Helvetius collocat in fundamento præter modum absurdo.*

IV. *Vera notio Ethices hominis, natæ, innixæque ipsa rerum natura. A veritate honestas, ab errore turpitudo nascitur.*

V. *Divina ratio cum æternis ideis, earumque ordine congruens est* lex æterna. *Impressio hujus in ratione hominis est* lex naturalis. *Præclara D. Thomæ doctrina.*

VI. *Præcepta, quæ lex naturæ præscribit homini quoad Deum, quoad se, quoad alios homines.*

VII. *Immutabilitas, firmitasque legis naturæ. Honestas interior actionum. Error Puffendorfii, Cocceji, aliorumque hac in re detectus, & impugnatus.*

VIII. *Argumentum adversus immutabilitatem interiorem juris naturalis. Solvitur, nostraque confirmatur opinio.*

IX. *Vis obligandi, quam habet lex naturæ, unde scaturiat; ad quos pertineat sanctio legis.*

X. *Ex statutis doctrinis deducitur falsitas præcipuorum theorematum Ethices Helvetianæ superius expositæ.*

§. I. Postquam superioribus capitibus constituimus, propugnavimusque præcipua theorica Religionis naturalis capita; transeamus nunc ad disputatio-

tionem earum legum, quæ mores nostros dirigere debent, quæque naturalis juris nomine comprehenduntur. Religio enim non solum hominis intellectum perficit, eum evehens ad sui principium primum, quod est Deus, imprimensque in illo sensus ejus infinita natura dignos, & rectas illius animæ, quam ad imaginem, similitudinemque suam ille creavit, notiones: sed transit ad dirigendam voluntatem, eam ad ultimum finem suum, qui idem Deus est, convertens ope illorum æternorum, & immutabilium æquitatis, honestatisque præceptorum, quorum ille fons est, exemplar, custos. Hæ Religionis, ut ita eas appellem, partes duæ ita inter se conjunctæ sunt, ut ex una necessaria consequutione altera consequatur, & hac sublata, auferatur & illa.

§. II. Et sane omnium temporum Libertini, & ii præcipue, qui nostra ætate vigent, postquam aggressi sunt evertere dogmata ad Dei existentiam, aut ad humanæ animæ naturam spectantia, concutiendis naturalis juris fundamentis, & muniendæ quibuscumque sceleribus viæ animum applicuerunt; nisi malimus dicere, quia ad libitum, & ut cupiditatibus transversum agebantur, volebant vitam ducere, ideo in hæc sanæ Ethices theoremata impetum fecerunt, & ut impune scelesti essent, impietatem sunt professi. De ingenio hoc recentiorum Spirituum Fortium copiose Libro III. disputabimus, ubi etiam systemata Epicuri, Hobbesii, Spinosæ nativis depicta coloribus de Naturali jure exponemus. Ne grave sit Lectori, si hic aditum nobis aperimus ad disserendum de variis principiis ejus morum Disciplinæ, quam Religio docet, proferimusque breviter id, quod de proposita materia Helvetius in suo opere toties memorato *De l'Esprit* nuper scripsit. Queritur initio, (a) *cum scientiæ omnes, nempe Poesis, Geometria, Astronomia citato cursu ad perfectionem tendant, Ethicam solam videri e cunis egressam fuisse modo, ita ut Ethicam humani generis infantiæ tantummodo habeamus*. Hæc enimvero est digna Helvetiano ingenio sententia! Hostes interea, ejus judicio, Ethices progressuum sunt Fanatici, & Semi-politici, quibus nominibus juxta consuetam allegoriam horum scriptorum veniunt Religionis ministri, & ii omnes, qui sequentes naturæ, rationisque præcepta adversarios cujuslibet juris perhorrescunt. „ Ab his duobus hominum ge„ neribus (pergit ita scribere (b)) „ hactenus humanum genus in ignoran„ tiæ tenebris captivum fuit, non secus „ ac olim toties terræ facies a diluvii „ aquis obtecta fuit; ita ut ille dubi„ tet, num in terris aliqua sit insula, „ aliqua ora, ubi virtus, veritates tutæ „ consistere possint, ut cum hominibus „ communicentur. Ingentem confiden„ tiam! ingentem amentiam! „ Ergo amore hominum accensus quasi ipse electus divinitus sit ad patefaciendam toti humano generi sanæ Ethices lucem, ita exclamat. Opus est erroris altare evertere: *Opus est fascinationem fortiter dissolvere, qua horum improborum hominum potentia sustinetur, & gentibus vera principia Ethices aperire*. Eum ergo attente audiamus: *Docendæ sunt, esse se, quin sentiant, actas in bonum apparens, aut verum, dolorem, & voluptatem esse motores unos universi moralis, & sui ipsius amorem esse basim, in quam jaci possint fundamenta utilis Ethices*. (c) Hoc est primum oraculum ipsius edentis judicio inauditum terrarum orbi, at Lectoris quidem sententia tam priscum, quam Epicurus ipse. Revera pro-

(a) *La poesie, la geometrie, l'astronomie, & generalemene toutes les sciences tendent plus ou moin rapidement à leur perfection, lorsque la morale semble à peine sortir du berceau... nous n'avons pour ainsi dire que la morale de l'enfance du Monde*. Discours II. chap. 23.

(b) *Je sais, qu'avant d'attaquer une erreur généralement reçue, il faut envoyer comme les colombes de l'arche quelques verités à la découverte, pour voir, si le deluge des prejugès ne couvre point encore la face du Monde: si les erreurs commencent à s'ecouler, & si l'on apperçois çà & là dans l'univers quelques Isles, où la vertu & la verité puissent prendre terre pour se communiquer aux hommes*. Discours II. Chap. 24.

(c) *Il faut d'une main hardie briser le talisman d'imbecillitè, au quel est attachée la puissance de ces genies malfaisans: decouvrir aux nations les vrais principes de la morale: leur apprendre qu'insensiblement entrainès vers le bonheur apparent ou réel, la douleur, ou le plaisir sont les seuls moteurs de l'univers moral, & que le sentiment de l'amour de soi est la seule base, sur la quelle on puisse jetter les fondemens d'une morale utile*. Ibid.

progreditur ille, & *voluptati, & dolori*, & philautiæ, fontibus Ethices primis addit *emolumentum proprium*, tamquam veram, solamque humanarum actionum caussam, immo unam, veramque virtutis regulam. (*a*) *Principia Religionis* (ita ille) *de morali disciplina non possunt convenire nisi parvo Christianorum numero* (quasi vero naturale jus, lexque æterna quibus Christiana Ethica fulcitur, toti humano generi non conveniant). *Philosophus, qui suis in libris loquitur de universo, debet ea virtutis fundamenta constituere, quibus nationes omnes uti possint; ac proinde debet eam superstruere* (virtutem) *fundamento proprii emolumenti. Huic principio opus est eo adhærere arctius, quo magis ex caussis proprii emolumenti homines hauriunt, quo virtutem possint acquirere*. Enim vero jure Philosophus hic veretur, in terrarum orbe insulam esse, aut oram (saltem cultam ab animantibus ratione, & sana mente præditis) quæ velit hanc Ethicam, & hujusmodi virtutis notionem ita adversantem communi consensui recipere. Ille tamen nihilo secius urget opus, & statuit, iteratque veluti veritatem firmissimam, (*b*) *sensibilitatem physicam* (ex qua oritur voluptas, dolorque) *& peculiare emolumentum fuisse auctores juris*. Et ut id planius faciat, fabulam Roussoii exscribens (*c*) fingit homines palantes „ primis mundi „ temporibus quasi per nemora bruta ani- „ mantia, exleges omnino, & inertes. „ (*d*) Boni, malique nomina inventa „ tantum sunt, ut sensus *voluptatis*, & „ *doloris* significarentur. Jam hæ sensa- „ tiones excitarunt in homine amorem „ sui emolumenti, amorque hic eum im- „ pulit, ut cum aliis societatem iniret; „ ut autem hæc societas permaneret, „ necessaria erant conventa, aut pacta, „ quorum fundamentum esse debebat emo- „ lumentum: tunc primum actiones *ju-* „ *stæ, injustæque natæ* sunt, quæ non fue- „ rant antea: Ergo *physica* sensibilitas, & „ emolumentum proprium fuere aucto- „ res totius juris. (*e*) „ Quod si conclusionem hanc neges, en tibi *Scholium*, quo ille demonstrationem suam confirmat. (*f*) „ Hæc veritas fulcitur hoc „ jurisprudentiæ axiomate; *utilitas est* „ *mensura humanarum actionum* „; cui axiomati addere poterat illud Horatii Poetæ Epicurei

Atque ipsa utilitas justi prope mater, & æqui.

Hoc summatim est fundamentum juris, & Ethices istius Philosophi. *Voluptas*, & *utilitas* regulæ sunt justi, honestique: actiones humanæ ex his duobus capitibus qualitates desumunt suas. Quidquid voluptatem fovet, virtutem redolet, & est bonum; quidquid ad emolumentum spectat & rectum, & justum duci debet. Sed sicut hæc utilitas, aut *propria*, aut *patria* vicissitudinibus & mutationibus est obnoxia, ita ipsæ actiones, quæ jam e sua primæva natura, nostri Philosophi sententia, sunt indifferentes, ex justis fiunt injustæ, ex turpibus honestæ: quare ille generice dicit „ a Legislatore statuendum esse tempus, quo quælibet „ actio desinat esse justa, & fit injusta. „ Quæ generales theoriæ confirmantur, expli-

(a) *Parce que ces principes ne pourroient convenir qu' au petit nombre des Chrétiens répandus sur la terre, & un Philosophe, qui dans ses écrits est toujours censé parler à l' univers, doit donner à la vertu des fondemens, sur les quels toutes les Nations puissent egalement bâtir, & par consequent l' édifier sur la base de l' intérêt personnel. Il doit se tenir d' autant plus fortement attaché à ce principe, que des motifs d' intérêt personnel, maniés avec adresse par un Legislateur habile suffisent pour former des hommes vertueux*. Discours II. Chap. 24.

(b) *La sensibilité physique & l' intérêt personnel ont été les auteurs de toute justice*. Discours III. Chap. 4. (c) Ibidem.

(d) *Les mots de bien, & de mal ont eté créés pour exprimer les sensations de plaisir, ou de douleur physique, que nous recevons des objets exterieurs*. Ibid. Chap. 9.

(e) *Je decouvre facilement la source des vertus humaines: je vois, que sans la sensibilité à la douleur, & au plaisir physique les hommes sans desire, sans passions, également indifferens à tous, n'eussent point connu d' intérêt personnel: que sans intérêt personnel ils ne se fussent point rassemblés en societé, n'eussent point fait entr' eux de conventions, qu' il n' y eut point eu d' intérêt general, par consequent point d'actions justes ou injustes, & qu' ainsi la sensibilité physique, & l' intérêt personnel ont été les auteurs de toute justice*. Discours III. Chap. 4.

(f) *Cette verité est appuyée sur cet axiome de jurisprudence: l' intérêt est la mesure des actions des hommes*. Ibid.

plicanturque ab Helvetio, (a) quantum pertinet ad voluptatem, regulis, exemplisque ab omnium sæculorum turpitudine haustis, de quibus Frons *Cynica* tantum non erubescit; quantum spectat ad *utilitatem*, eam constituit supremum numen, cui immolari debeat, quoties id illa postulabit, Religio, innocentia, pacta, bona fides, amici, propinqui, affinesque.

§. III. Pro certo habeo, doctum Lectorem jam per se cognovisse, hoc juris systema novum non esse, sed renovatos fuisse errores Epicuri, Hobbesii, Spinosæ, aliarumque talium humanæ societatis pestium, totiusque juris hostium. Dicere tamen ausim, Philosophum nostram, audacia, qua hæc monstra crepat, & confusione permagna, qua notiones omnes pervertit, fortasse cunctos superare. At certe peculiare ejus decus est, eum præjecisse huic Ethicæ *voluptatis*, & *utilitatis* illud fundamentum, ea principia, quæ firmiter illam sustinent; quod prædictis Libertinis numquam in mentem venerat. Verum quænam, inquiet quispiam, sunt hæc fundamenta? En illa: in sermone primo operis sui (sicut alibi diximus) (b) statuisse, & multis argumentis conatum fuisse demonstrare, homines non differre ab equis nisi quod habent digitos. Jam quis non videt, huic populo legislatorem hujusmodi fuisse dandum? Palam ergo dicamus in dedecus illius, qui ludibrio habet humanum genus totum, & ut ab errore retrahantur ejus nimium incauti, simplicesque laudatores: statuit Helvetius quasi essentialem animæ humanæ notam *sensibilitatem physicam*, quæ *nobis communis est cum brutis animantibus*, arbitraturque se probare, cognitionem nullam majorem hac *sensibilitate physica* in nobis esse; sive, quamlibet nostram cognitionem in *physica sensibilitate consistere*. Ex hac sensatione excitantur in nobis *voluptas*, & *dolor*; illud est bonum unum, cujus capaces simus, hoc malum unum, quo possimus affligi, Veritas, ordo, justitia, virtus, honestas *sensationes* nequaquam sunt; proinde excluduntur omnino ab Helvetii Ethica, aut si interdum offenduntur, sunt voces inanes. Nulla sunt alia proposita homini bona, & mala, quam quæ sensibus percipiuntur. Ex his igitur deduci debent præcepta *juris naturalis*, quod ex necessaria consequutione etiam cum belluis illi commune est, sicut cum belluis *communis est* illi *physica sensibilitas*. Hoc est firmissimum illud fundamentum, quod jecit Ethicæ Epicuri, & Hobbesii, quæ antea lababat; quandoquidem cum esset prorsus irrationalis, non poterat tam facile homini convenire, dum tandem docendi gentes negotium in se suscepit Helvetius, hominem nihil esse aliud quam *animal*. Præclarum theorema hoc demonstrat ille, ut diximus, conferendo animam hominis cum anima brutorum animantium, & ostendendo ex sola exteriori corporis constitutione hominem ab illis distingui; addendo præterea huic theoremati speciosissimam consequutionem illam, hominem agere horologii instar; hoc est, spoliatum libertate omni, ex revolutione quorumdam instrumentorum, aut ex fatali invicta necessitate, ut nimirum operantur belluæ. Hæ duæ theses evidenter probant Ethicam Hobbesianam, & Helvetianam, quæ revera est, debetque dici belluarum Ethica, evertuntque totum, quantum est, naturale jus. Quæ enim alia disciplina morum sequenda, quæ præcepta, quæ leges homini præscribi possunt? Ille neque honestatem, neque jus nosse potest, quandoquidem præter sensationes nihil habet aliud, neque ad honestatem, & jus mores suos conformare potest, cum *physica sensibilitas* alio eum impellat. Afferamus ex innumeris locis recentis Philosophi locum unum, aut alterum, in quo absurdissimum systema, & ejus consequutiones jam ex iis, quæ diximus, satis manifestæ paucis in

(a) In præfatione libri *De l'Esprit* patefacit Helvetius hoc consilium suum vere novum, *velle se progredi ab actibus ad causas, & Ethicam conscribere velut physicam experimentalem*. Egregium vero consilium; quod ut exequatur, colligit in unum omnes turpitudines relatas in historiis, & in romanensibus libris. His fulciuntur theoremata puræ Ethices; Lectoribusque traditur modus quo vere virtutem acquirant.

(b) Nimirum Cap. III. hujus libri, ubi afferuntur Auctoris textus.

in lineolis collectæ cernantur. (a) *Videtur in universo morali, sicut & in physico nonnisi principium unum Deus posuisse in rebus omnibus præteritis. Quidquid est, quidquid erit, non est nisi vicissitudinum necessaria successio . . . Videtur dixisse ille homini; te sensibililate orno: ejus ope tu instrumentum mea voluntatis cæcum, & minus idoneum, quod noscas altitudinem meorum consiliorum, debes ignarus perficere mea consilia. Voluptati, dolorique te tuendum committo; utrum que speculabitur tuas cogitationes, actionesque, excitabit tuas simultates, tuas amicitias, tuos amores, furoresque tuos: te desideriis inflammabit, & cupiditatibus: tibi patefaciet* (dolor & voluptas) *veritates: te in errores impellet; & cum causa fuerit, cur innumera errata commiseris, & diversa systemata Ethices, & juris tibi concinnaverit, tibi ostendet progressu temporis* (quod tempus huic Philosopho nondum advenit) *principia simplicia, in quorum explicatione latet ordo, & moralis universi bonum*. Nescio, an offenderim umquam farraginem tot errorum lineis tam paucis contentorum. Egregia sane metaphysica, dignaque Philosopho tanto, *qui scriptis suis universum humanum genus alloquitur*. Non erit tamen difficile ex tot perversis notionibus expiscari absurdissimum systema, a cujus *necessaria* explicatione per *voluptatem*, *doloremque* tota Ethica hominis eruitur; cui proinde non debent ut crimina objici indignissima facinora, quæ non sunt nisi *necessaria revolutio* eorum instrumentorum, in quibus (si novum systema audimus) sita est ejus natura. (b) *Solus sapiens* (ita illationem confirmat Philosophus noster) *cognoscit homines: eorum malitia illum non irritat; ille, ut Democritus, non videt in eorum numero nisi aut fatuos, aut pueros, queis irasci minus deceret, cum potius venia digni sunt, quam ira*. Ille demum eos ita respicit, ut artifex respicit machinam, quin humanitati insultet. (c) Hæc est Helvetii Ethica. Gratiæ habendæ æterno Numini sunt, quod tota innititur duobus principiis, quæ non solum sunt falsa, ut probavimus superioribus capitibus, sed horribilia ita, ut vix ac audiuntur, etiam minus doctis horrorem incutiant. Nullo igitur negotio & jaciemus tamquam fundamenta Naturalis juris veritates ipsis oppositas, & super iis constituemus firmissimum sanæ, veræque Ethices systema. Ecce illas. Homo non est brutum animal, sed est animal rationale. Homo non est *machina*, sed agens libertate præditum.

§. IV. Atque ut a primo propositæ divisionis capite exordiamur; cum homo sit *animal rationale*, duplex, ut ita dicam, est ejus natura, *sentiens* una, *rationalis* altera; & utraque habet *cognitionem* suam, suum *appetitum*. *Cognitio* primæ sensibus, & phantasia, quasi cancellis, continetur, e quibus non egreditur; ejusque *appetitus* est rerum corporearum, & sensibilium, quatenus voluptatem, aut do-

(a) *Il semble, que dans l'univers moral, comme dans l'univers physique, Dieu n'ait mis qu'un seul principe dans tout ce qui a eté. Ce qui est & ce qui sera n'est qu'un developpement necessaire... Il semble qu'il ait dit à l'homme: Je te dove de la sensibilitè, s'est par elle qu'aveugle instrument des mes volontès, incapable de connoitre la profondeur des mes vuës, tu dois sans le savoir remplir tous mes desseins. Je te mets sous la garde du plaisir & de la douleur: l'un & l'autre veilleront à tes pensèes, à tes actions, engendreront tes passions, exciteront tes aversions, tes amitiès, tes tendresses, tes fureurs, allumeront tes desirs, tes craintes, tes esperances, te devoileront des veritès, te plongeront dans des erreurs, & aprés t'avoir fait enfanter mille systemes absurdes, & differens de morale, & de legislation, te decouvreront un jour des princepes simples, au dèveloppement des quels, est attachè l'ordre & le bonheur du monde moral.* Discours III. Chap 9.

(b) *Le seul sage connoit les hommes. Leur mechancetè ne l'irrite point: il ne voit en eux, comme Democritus, que de ces fous, ou des enfans, contre les quels il seroit ridicule de se fâcher, & qui sont plus dignes de pitiè, que de colere. Il les considere ensin de l'oeil, dont un mechanicien regarde le jeu d'une machine, sans insulter à l'humanitè.* Disc. III c. 14.

(c) Ex iis, quæ capite superiore demonstravimus, & ex iis, quæ in hoc dicemus, patet satis, errorem hujus Philosophi refutatum esse. Ab eo tantum quærimus, cur, si *sapiens* est, qualem certe se putat, in hoc opere tam aspere invehitur in Ecclesiæ ministros, quos *furentes* appellat, in Politicos, in moralistas *hypocritas*, & contra orbis partem maximam, quæ illius systemati adversatur? Cur non respicit omnes, ut Democritus, dignos venia, non odio? Ab eo quærimus quorsum hos sermones de Ethica, de legislatione, de politia scripserit? Quorsum Pelvanthæam hanc consarcinarit fabulis, exemplis? Proculdubio dicet, ut doceat nationes, ut mores corrigat. At, si *sapiens* est, debet *totum humanum genus respicere, ut artefex respicit machinam, quin insultet humanitati*. Quæ amentia jam est isthæc, Ethicæ lectiones explicare machinæ, ut motus suos, & necessarias revolutiones mutet? Hoc vero est humanitati insultare.

dolorem afferre possunt. In his versatur malum, bonumque, quod hujusmodi naturæ convenit, quodque solum ab illa noscitur, solumque ab illa quæritur, aut vitatur. Hæc naturæ parte, vel facultate, homo neque cognoscit, neque appetit *ordinem*, neque juris, aut legis capax est, neque electionis, neque meriti: est illa nobis cum brutis animantibus communis; usus que hujus solius naturæ *sentientis* aperte cernitur in hominis infantia; quandoquidem cognitione sua, suoque appetitu ea ætate aut parum, aut nihil præstat brutis animantibus.

Præter naturam hujusmodi tamen experientia omni exceptione majore (quod satis abunde Capite IV. ostendimus) reperimus in nobismetipsis facultatem, aut vim, aut naturam, quæ rationalis dicitur, quæ brutis animantibus longe, multumque præstat, quæ per ætatem corporis viribus firmatis, in nobis sese explicat. Hæc est forma hominis propria *intellectu* prædita, & *voluntate*. *Intellectu* cognoscit ille *ordinem*, & *veritatem*, cognoscit etiam, in amore hujus *ordinis*, & *veritatis* consistere bonum, quod sibi tamquam brutis animantibus præstantiori convenit, & in secessione ab hoc *ordine*, & ab hac *veritate* consistere malum, quo sua nobilior pars fœdatur, & quod sibi, ut homini, adversatur. Ne audire pigeat D. Thomam ita opportune loquentem: *Homo in specie constituitur per animam rationalem, & ideo id, quod est contra ordinem rationis, proprie est contra naturam hominis, in quantum est homo. Bonum autem hominis est secundum rationem esse, & malum hominis præter rationem esse.* (1. 2. quæst. II art. 2.)

Voluntate ergo, qui etiam appetitus rationalis dicitur, amat homo bonum ab *intellectu* sibi propositum: ut, cum præcedenti capite exposuimus *Libertatis* theoriam, docuimus. Quamobrem si intellectus dum apprehendit, & judicat de rebus, naturæ, ordinique earum conformatur, aptaturque, *vera* est hæc cognitio; si se ab iis removet, est *erronea*: ita etiam voluntas, si juxta verum illud judicium objecta amet, ejus amor est *honestus*: si erroneum judicium amplexa objecta amet, *turpis* est illius amor. Ex veritate ergo intellectus oritur voluntatis honestas, & ab illius errore hujus turpitudo. Typus autem, exemplarque veritatis, honestatisque est natura, & ordo æternus, & immutabilis rerum, ut mox dicemus. Atque hæc sunt vera hominis Ethicæ principia.

§. V. Dicamus igitur de ordine quatenus ad propositam materiam spectat. Nascitur ille, incumbitque naturæ eidem rerum, quarum aliæ sunt superiores, aliæ inferiores, aliæ inter se æquales. Splendet ordo hic in Deo, velut in primo lucis fonte, in quo non solum ejus innumeræ perfectiones cernuntur, at in ejus essentia, ut in *Archetypa idea*, & necessaria rerum omnium, quæ fieri possunt, hæ res omnes, & ordo ille, quem inter se habent, æternus, & necessarius cognoscuntur. Seipsum Deus comprehendit, & ejus divina *ratio* æternis rerum ideis, æternoque earum ordini, perfecte consentanea *lex æterna* appellatur. Ille juxta hanc res omnes creatas tum cœlestes, cum terrestres disponit, gubernatque, ita tamen ut rationalibus mentibus inferat eadem suæ ipsius æternæ legis præcepta, cujus lumine seque, aliosque dirigant; quæ præcepta in mentibus nostris insita *Lex naturalis* vocatur. Itaque naturalis lex in nobis nihil est aliud, quam æterna Dei ratio sempiternis rerum, earumque ordinis necessariis ideis perfecte cunveniens. (a) Confirmemus doctrinam hanc sublimem, verissimamque eodem tempore documento D. Thomæ excellentissimo. *Lex, cum sit regula, & mensura, dupliciter potest esse in aliquo: uno modo sicut in regulante, & mensurante: quia in quantum participat aliquid de regula, vel mensura, sic regulatur, vel mensuratur. Unde cum omnia, quæ divinæ Providentiæ subduntur, a lege æterna regulentur, & mensurentur, ut ex dictis patet,* (art. præc.) *manifestum est, quod omnia participant aliqualiter legem æter-*

(a) Ex his supremis fontibus haurit notione juris, legisque Cicero *Lib.* I. *de legibus*, ubi plurima dicit valde sapienter, quæque radicitus evellunt Ethicam recentiorum Libertinorum. Ita ille duces præstantissimos viros sequens legem definit, de qua loquimur, n. VI. *Lex est ratio summa insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio cum est in hominis mente confirmata, & confecta, lex est.*

aeternam, in quantum scilicet ex impressione ejus habent inclinationes in proprios actus, & fines. Inter caetera autem rationalis creatura excellentiori quodam modo divinae providentiae subjacet, in quantum & ipsa fit providentiae particeps, sibi ipsi, & aliis providens. Unde & in ipsa participatur ratio aeterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem. Et talis participatio legis aeternae in rationali creatura lex naturalis dicitur. Unde cum Psalmista dixisset, (Ps. 4.) sacrificate sacrificium justitiae, *quasi quibusdam quaerentibus quae sunt justitiae opera, subjungit*; multi dicunt, quis ostendit nobis bona? *cui quaestioni respondens dicit*: signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: *quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, quid malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud sit, quam impressio divini luminis in nobis. Unde patet, quod lex naturalis nihil aliud est, quam participatio legis aeternae in rationali creatura.* (1. 2. q. 91. a. 2.) Hoc est sapere, hoc ratiocinari est.

§. VI. Gradum nunc faciamus ad dicendum de praeceptis hujus naturalis legis, eorumque proprietatibus. Diximus, legem hujusmodi fulciri natura eadem rerum, & ordine necessario, & aeterno, qui inter ipsas est. Jam tria, quae constituunt fundamentum totius aedificii, sese objiciunt rationi; *Deus, ego, & mei similes*. Relationibus, seu ordinibus, qui inter haec tria objecta sunt, naturae legis praecepta innituntur, seu verius ex iis nascuntur. Deus est Ens infinite perfectum, a quo tamquam a causa prima donor existentia, vita, conservatione, & quovis bono. (Id ratio evidenter cognoscit, ut superius demonstravimus.) Ergo Deo ut supremo Numini praestare debet homo *fidelitatem, reverentiam, servitutem*. (*a*) *Fidelitas* ei prohibet nulli, nisi illi, attribuere notam, quae communicari non potest, Divinitatis. *Reverentia* inhibet, aut levi de causa, aut per contemptum ejus nomen usurpare. *Servitus* Religionis officia illi praecipit. Hoc est illud jus, quod dici potest *divinum, & religiosum*, quod natura ipsa nos docet, cujus in natura eadem, & in ordine necessario, immutabili, aeterno qui est inter Dei, & hominis ideam, fundamentum est. Hinc me *ad me ipsum* converto, sentioque, me rapi ineluctabili vi ad amandam meam felicitatem, & ad fugiendum malum: Haec ergo (inquit D. Thomas (*b*)) erit mihi prima naturae lex, seu fundamentum moralis meae disciplinae. Quoniam vero duae partes, seu naturae in me sunt, sentiens, quae cum brutis animantibus mihi communis est, & rationalis, quae me vere hominem constituit; discerno inter eas ordinem quemdam necessarium, immutabilem, aeternum, superioris, & inferioris, dominae, & servae. Ergo ex naturae lege potest, debetque bonum utique naturae conveniens, hoc est sentiens, & rationale amare, ita tamen, ut inter hos amores servetur ordo ille, qui naturaliter est inter duas partes, ex quibus oriuntur. (*c*) Amor boni sentientis debet & in objecto, & in circumstantiis ad rationem conformari, eique subjici, ita ut hujus actus non impediat, neque iis finibus adversetur, quos ipsa cognoscit in natura naturae Auctorem statuisse. Si modum hunc ille non servat, tum id, quod ut inferioris partis bonum amatur, fit malum partis superioris; quod est ordinis perversitas, ac proinde peccatum. Ebrietas ergo, intemperantia, inordinatus venereorum usus, cupiditates demum omnes non cohibitae, quae omnia rationis usum impediunt, aut animae libertatem, & aequitatem ejus judiciorum perturbant,

jure

(a) Vid. D. Thom. 1. 2. q. C. art. V.

(b) *Omne agens agit propter finem, qui habet rationem boni. Et ideo primum principium in ratione practica est, quod fundatur super rationem boni.... Hoc est ergo primum praeceptum legis, quod bonum est faciendum, & prosequendum, & malum vitandum: & super hoc fundantur omnia alia praecepta legis naturae.* 1. 2. q. 94. art. 2.

(c) *Secundum naturalem ordinem corpus hominis est propter animam, & inferiores vires animae propter rationem.... Ex eo autem, quod est ad aliud ordinatum, debetur ei auxilium provenire, non autem aliquod impedimentum. Est igitur naturaliter rectum, quod sic procuretur ab homine corpus, & inferiores vires animae, ut ex hoc & actus rationis, & bonum ipsius minime impediatur, magis autem juvetur. Si autem secus acciderit, erit naturaliter peccatum. Vinolentiae igitur, & comessationes, & inordinatus venereorum usus, per quae actus rationis impeditur, & subdi passionibus, quae liberum judicium rationis esse non sinunt, sunt naturaliter mala.* D. Th. Lib. III. cont. Gent. c. 1[illegible].

jure naturali vetantur. Eodem jure itidem prohibetur homo eas voluptates percipere, quas natura cum speciei propagatione conjunxit, extra legitimum illud commercium, quod ad hunc finem natura ipsa instituit; cum hujusmodi abusus rationi adversetur, utpote qui directo opponitur fini, & ordini naturæ, & hinc peculiari ratione Deo creatori, & moderatori naturæ injurius (a). Hoc est illud jus, quod *personale* dici potest. Tandem me rursus inspiciens video me ab Auctore meo creatum *societati*. Hoc ex eo etiam conjicio, quod ego solus per me ea habere non possum, quæ ad humanam conservationem requiruntur. Etiam id deduco ex spiritus impetu, ex cordis affectibus, aliisque hominis motibus, qui ex natura feruntur ad emolumentum, conservationemque mutuam societatis. Summa autem, & præcipua hujus junctionis conciliatrix est similitudo, & cognatio, quæ non solum corporis, & sanguinis, sed rationis etiam, mentisque inter me, aliosque homines intercedit. Hæc suavissima vi in eos me rapit, potentiusque qualibet lege, & convento societatis vincula adstringit. Quare systema illud, quod per hosce dies pari eloquentia, fallaciaque e tenebris Hobbesianis Roussojus extraxit, quodque ab eo desumpsit Helvetius *hominis naturæ sua solitarii, silvestrisque* pura putaque fabula est, indigna non dicam Christiano, qui & originem, & conditionem primævam humani generis a Fide didicit, sed Philosopho, & quicumque se sanæ mentis esse profitetur, sicut nos alibi quovis argumentorum genere evidentissime demonstravimus (b). Horum ergo præceptorum, sine quibus humana societas stare nequit, observantia ab eadem natura, quæ me societati creavit, jubetur. Horum autem officiorum mensura, seu regula est eadem prædicta cognatio, & naturæ similitudo, quæ intercedit inter me, aliosque homines, qui potest etiam necessarius *similitudinis ordo* dici. Hoc me docet, *alteri facere id, quod vellem mihi fieri*, atque ideo vetat, *me lædere quemcumque*: jubetque, *me dare cuique suum*; quæ sunt *socialis juris* principia duo præcipua (c). Satis, opinor, clare ostendimus, quomodo deriventur necessariis, evidentibusque consequutionibus a natura rerum, & ab æternis ordinibus, qui inter eas sunt, præcepta prima juris naturalis, quæ erga se, erga alios homines debet homo observare. Ex quibus præceptis facile poterit sapiens, rectaque ratio deducere velut consequutiones alia præcepta minus generalia, quæ nostram morum disciplinam tam puram quoad doctrinas, quam immutabilem, firmamque quoad principia constituunt.

§. VIII. Ut autem quædam de hac legis Naturæ immutabilitate, & firmitate summis labiis delibemus, ipsa necessaria illatione ex propositionibus hactenus probatis derivatur. Quandoquidem ex iis, quæ hucusque demonstravimus, per se sapiens Lector cognoscere potest, pravitatem,

(a) *Sicut ordo rationis recta est ab homine, ita ordo naturæ est ab ipso Deo. Et ideo in peccatis contra naturam, quibus ipse ordo naturæ violatur, fit injuria ipsi Deo Ordinatori Naturæ*. D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 12. ad 1.

(b) In Acroasi, *de primæva hominum conditione adversus Roussojum habita in Gymnasio Patavino* III. Non. Novemb. an. MDCCLXII. En locum unum. *Qui igitur per superos immortales, solos, palantes, segreges, absque civitate, domo, connubiis, aris, priscorum sæculorum homines confingis tibi, atque hunc naturalem esse hominis statum comminisceris; cum ipsa hominis natura sicuti Religioni, ita & societati eum natum esse demonstret? Evolve, quæso te, humani cordis affectus; nonne miserationem, nonne pietatem, nonne amorem, nonne charitatem vel duro in pectore cernis? At in quos miserationem? an non in indigos? in quos pietatem? an non in parentes? in quos amorem? an non in conjugem, liberosque? in quos charitatem? an non in patriam, & cives suavissimo quodam naturæ impetu dirigis, & effundis? Et adhuc hominem non ad societatem cum suis ineundam, sed ad antra incolenda & silvas a natura efformatum esse contendes? Quid porro dicam de humanæ mentis vi ad investigandum acutissima? de humanæ vocis præstantia ad cogitata efferenda expeditissima? de humanæ eloquentiæ potestate ad ciendos animi motus, voluntatesque impellendas, quo velis, unde autem velis deducendas aptissima? Num hæc largitus homini Creator est, ut in concionem cogeret saxa, & quercus, ut cum lupis, & pardis misceret alloquia, ut specus, & nemora cogitationibus inventisque suis locupletare posset, & informare? Quid ais? quo te vertis?* &c.

(c) S. Thom. Lib. III. cont. Gent. cap. 129. *Est homini naturale, quod sit animal sociale, quod ex hoc ostenditur, quod unus homo solus non sufficit ad omnia, quæ sunt humanæ vitæ necessaria. Ea igitur sine quibus societas humana conservari non potest, sunt homini naturaliter convenientia. Hujusmodi autem sunt unicuique quod suum est conservare, & ab injuriis abstinere.*

æternam, in quantum scilicet ex impressione ejus habent inclinationes in proprios actus, & fines. Inter cætera autem rationalis creatura excellentiori quodam modo divinæ providentiæ subjacet, in quantum & ipsa fit providentiæ particeps, sibi ipsi, & aliis providens. Unde & in ipsa participatur ratio æterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem. Et talis participatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur. Unde cum Psalmista dixisset, (Ps. 4.) sacrificate sacrificium justitiæ, *quasi quibusdam quærentibus quæ sunt justitiæ opera, subjungit*; multi dicunt, quis ostendit nobis bona? *cui quæstioni respondens dicit*: signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: *quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, quid malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud sit, quam impressio divini luminis in nobis. Unde patet, quod lex naturalis nihil aliud est, quam participatio legis æternæ in rationali creatura.* (1. 2. q. 91. a. 2.) Hoc est sapere, hoc ratiocinari est.

§. VI. Gradum nunc faciamus ad dicendum de præceptis hujus naturalis legis, eorumque proprietatibus. Diximus, legem hujusmodi fulciri natura eadem rerum, & ordine necessario, & æterno, qui inter ipsas est. Jam tria, quæ constituunt fundamentum totius ædificii, sese objiciunt rationi; *Deus, ego, & mei similes*. Relationibus, seu ordinibus, qui inter hæc tria objecta sunt, naturæ legis præcepta innituntur, seu verius ex iis nascuntur. Deus est Ens infinite perfectum, a quo tamquam a causa prima donor existentia, vita, conservatione, & quovis bono. (Id ratio evidenter cognoscit, ut superius demonstravimus.) Ergo Deo ut supremo Numini præstare debet homo *fidelitatem, reverentiam, servitutem*. (a) *Fidelitas* ei prohibet nulli, nisi illi, attribuere notam, quæ communicari non potest, Divinitatis. *Reverentia* inhibet, aut levi de causa, aut per contemptum ejus nomen usurpare. *Servitus* Religionis officia illi præcipit. Hoc est illud jus, quod dici potest *divinum*, *& religiosum*, quod natura ipsa nos docet, cujus in natura eadem, & in ordine necessario, immutabili, æterno qui est inter Dei, & hominis ideam, fundamentum est. Hinc me *ad me ipsum* converto, sentioque, me rapi ineluctabili vi ad amandam meam felicitatem, & ad fugiendum malum: Hæc ergo (inquit D. Thomas (b)) erit mihi prima naturæ lex, seu fundamentum moralis meæ disciplinæ. Quoniam vero duæ partes, seu naturæ in me sunt, sentiens, quæ cum brutis animantibus mihi communis est, & rationalis, quæ me vere hominem constituit; discerno inter eas ordinem quemdam necessarium, immutabilem, æternum, superioris, & inferioris, dominæ, & servæ. Ergo ex naturæ lege potest, debetque bonum utique naturæ conveniens, hoc est sentiens, & rationale amare, ita tamen, ut inter hos amores servetur ordo ille, qui naturaliter est inter duas partes, ex quibus oriuntur. (c) Amor boni sentientis debet & in objecto, & in circumstantiis ad rationem conformari, eique subjici, ita ut hujus actus non impediat, neque iis finibus adversetur, quos ipsa cognoscit in natura naturæ Auctorem statuisse. Si modum hunc ille non servat, tum id, quod ut inferioris partis bonum amatur, fit malum partis superioris; quod est ordinis perversitas, ac proinde peccatum. Ebrietas ergo, intemperantia, inordinatus venereorum usus, cupiditates demum omnes non cohibitæ, quæ omnia rationis usum impediunt, aut animæ libertatem, & æquitatem ejus judiciorum perturbant, jure

(a) Vid. D. Thom. 1. 2. q. C. art. V.

(b) *Omne agens agit propter finem, qui habet rationem boni. Et ideo primum principium in ratione practica est, quod fundatur super rationem boni.... Hoc est ergo primum præceptum legis, quod bonum est faciendum, & prosequendum, & malum vitandum: & super hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ.* 1. 2. q. 94. art. 2.

(c) *Secundum naturalem ordinem corpus hominis est propter animam, & inferiores vires animæ propter rationem.... Ex eo autem, quod est ad aliud ordinatum, debetur ei auxilium provenire, non autem aliquod impedimentum. Est igitur naturaliter rectum, quod sic procuretur ab homine corpus, & inferiores vires animæ, ut ex hoc & actus rationis, & bonum ipsius minime impediatur, magis autem juvetur. Si autem secus acciderit, erit naturaliter peccatum. Vinolentiæ igitur, & comessationes, & inordinatus venereorum usus, per quæ actus rationis impeditur, & subdi passionibus, quæ liberum judicium rationis esse non sinunt, sunt naturaliter mala.* D. Th. Lib. III. cont. Gent. c. 19.

jure naturali vetantur. Eodem jure itidem prohibetur homo eas voluptates percipere, quas natura cum speciei propagatione conjunxit, extra legitimum illud commercium, quod ad hunc finem natura ipsa instituit; cum hujusmodi abusus rationi adversetur, utpote qui directo opponitur fini, & ordini naturæ, & hinc peculiari ratione Deo creatori, & moderatori naturæ injurius (a). Hoc est illud jus, quod *personale* dici potest. Tandem me rursus inspiciens video me ab Auctore meo creatum *societati*. Hoc ex eo etiam conjicio, quod ego solus per me ea habere non possum, quæ ad humanam conservationem requiruntur. Etiam id deduco ex spiritus impetu, ex cordis affectibus, aliisque hominis motibus, qui ex natura feruntur ad emolumentum, conservationemque mutuam societatis. Summa autem, & præcipua hujus junctionis conciliatrix est similitudo, & cognatio, quæ non solum corporis, & sanguinis, sed rationis etiam, mentisque inter me, aliosque homines intercedit. Hæc suavissima vi in eos me rapit, potentiusque qualibet lege, & convento societatis vincula adstringit. Quare systema illud, quod per hosce dies pari eloquentia, fallaciaque e tenebris Hobbesianis Roussojus extraxit, quodque ab eo desumpsit Helvetius *hominis naturæ suæ solitarii, silvestrisque* pura putaque fabula est, indigna non dicam Christiano, qui & originem, & conditionem primævam humani generis a Fide didicit, sed Philosopho, & quicumque se sanæ mentis esse profitetur, sicut nos alibi quovis argumentorum genere evidentissime demonstravimus (b). Horum ergo præceptorum, sine quibus humana societas stare nequit, observantia ab eadem natura, quæ me societati creavit, jubetur. Horum autem officiorum mensura, seu regula est eadem prædicta cognatio, & naturæ similitudo, quæ intercedit inter me, aliosque homines, qui potest etiam necessarius *similitudinis ordo* dici. Hoc me docet, *alteri facere id, quod vellem mihi fieri*, atque ideo vetat, *ne lædere quemcumque*: jubetque, *me dare cuique suum*; quæ sunt *socialis juris* principia duo præcipua (c). Satis, opinor, clare ostendimus, quomodo deriventur necessariis, evidentibusque consequutionibus a natura rerum, & ab æternis ordinibus, qui inter eas sunt, præcepta prima juris naturalis, quæ erga se, erga alios homines debet homo observare. Ex quibus præceptis facile poterit sapiens, rectaque ratio deducere velut consequutiones alia præcepta minus generalia, quæ nostram morum disciplinam tam puram quoad doctrinas, quam immutabilem, firmamque quoad principia constituunt.

§. VII. Ut autem quædam de hac legis Naturæ immutabilitate, & firmitate summis labiis delibemus, ipsa necessaria illatione ex propositionibus hactenus probatis derivatur. Quandoquidem ex iis, quæ hucusque demonstravimus, per se sapiens Lector cognoscere potest, pravitatem,

(a) *Sicut ordo rationis recta est ab homine, ita ordo naturæ est ab ipso Deo. Et ideo in peccatis contra naturam, quibus ipse ordo naturæ violatur, fit injuria ipsi Deo Ordinatori Naturæ.* D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 12. ad 1.

(b) In Acroasi, *de primæva hominum conditione adversus Roussojum habita in Gymnasio Patavino* III. Non. Novemb. an. MDCCLXII. En locum unum. *Qui igitur per superos immortales, solos, palantes, segreges, absque civitate, domo, connubiis, aris, priscorum sæculorum homines confingis tibi, atque hunc naturalem esse hominis statum comminisceris; cum ipsa hominis natura sicuti Religioni, ita & societati eum natum esse demonstret? Evolve, quæso te, humani cordis affectus; nonne miserationem, nonne pietatem, nonne amorem, nonne charitatem vel duro in pectore cernis? At in quos miserationem? an non in indigos? in quos pietatem? an non in parentes? in quos amorem? an non in conjugem, liberosque? in quos charitatem? an non in patriam, & cives suavissimo quodam naturæ impetu dirigis, & effundis? Et adhuc hominem non ad societatem cum suis ineundam, sed ad antra incolenda & silvas a natura efformatum esse contendes? Quid porro dicam de humanæ mentis vi ad investigandum acutissima? de humanæ vocis præstantia ad cogitata efferenda expeditissima? de humanæ eloquentiæ potestate ad ciendos animi motus, voluntatesque impellendas, quo velis, unde autem velis deducendas aptissima? Num hæc largitus homini Creator est, ut in concionem cogeret saxa, & quercus, ut cum lupis, & pardis misceret alloquia, ut specus, & nemora cogitationibus inventisque suis locupletare posset, & informare? Quid ais? quo te vertis?* &c.

(c) S. Thom. Lib. III. cont. Gent. cap. 129. *Est homini naturale, quod sit animal sociale, quod ex hoc ostenditur, quod unus homo solus non sufficit ad omnia, quæ sunt humanæ vitæ necessaria. Ea igitur sine quibus societas humana conservari non potest, sunt homini naturaliter convenientia. Hujusmodi autem sunt unicuique quod suum est conservare, & ab injuriis abstinere.*

tem, aut bonitatem actionum jussarum, aut inhibitarum a naturalibus præceptis, esse interiorem, & in iis insitam, quatenus ipsæ natura sua aut discordant, aut conveniunt cum ordinibus æternis, & immutabilibus, qui inter essentias rerum intercedunt, quæ ut diximus, veritatis, & honestatis primævæ regulæ sunt. Quapropter bonitas, aut pravitas harum actionum concipitur prior tempore qualibet lege, sicut prior quovis libero jussu, aut legislatione divinæ voluntatis concipitur ordo æternus, & necessarius inter ideas, quæ sunt in divina essentia tamquam in exemplari, & archetypo rerum omnium. Ex quo sequitur, potuisse quidem Deum creare, aut non creare hominem, at non potuisse legem aliam naturali contrariam, aut ab ipsa diversam in ejus mente inserere. Quod nos ita planum facimus. Deus, quippe qui est sanctissimus, & perfectissimus, non poterat aliam legem homini præscribere nisi rectam, honestamque. Jam honestas, veritasque actionum a natura jussarum mutari non potest, quin immutabilis, æternusque inter rerum ideas ordo mutetur. Ordo autem hic mutari nequit, nisi essentia ipsa Dei mutetur, in quo ut in exemplari & fonte eædem ideæ cum suo ordine elucent; mutatio porro hæc fieri omnino nequit. Cum ergo honestas, aut turpitudo humanarum actionum, de quibus loquimur, interior sit, & necessaria, non poterat Deus aliam naturali contrariam, aut ab ipsa diversam legem homini dare. Est ergo lex hæc prorsus immutabilis (a). Versat acute, ut solet semper, Angelicus Doctor caput hoc Lib. III. cont. Gen. Cap. CXXIX. cujus hoc est theorema. *In actibus humanis sunt aliqua recta secundum naturam, & non solum quasi lege posita*. Primum argumentum (b), quo id probat, est illud, quod desumitur ab ordine naturali, qui est inter res, quodque nos paulo ante illustravimus: cui alia sex addit incomparabilis Magister, quibus omnibus ostendit, quo vis, & acumen sui ingenii ratiocinando posset progredi; probatque evidentissime, hanc *interiorem honestatem* naturalium præceptorum priorem (quoad conceptum) qualibet lege esse, & ideo esse necessariam, immutabilem, æternam (c). D. Thomam sequuntur vulgo Theologi, & ejus opinio de hac re approbatur a doctis Protestantibus: ex eis unum Grotium (*de jure belli, & pacis in præfat. §. IX.*) nominabo, quem quisque novit, quantum juris naturalis doctrinam calleret. Errat itaque Puffendorfius, (d) errantque cum illo ii omnes neoterici Jurisperiti, qui putant, nihil *ex natura sua* esse turpe, nihil honestum, sed ita dici omnino libero Legislatoris jussu, aut inhibitione; Quod si verum esset, sequeretur, Deum potuisse nobis dare alium Decalogum a dato; quod quicumque audit, perhorrescit. Error tamen horum Scriptorum oritur, quod regulam primam omnis veritatis, honestatisque non investigant, quod patet ex fundamento, cui eorum systema innititur. *Et sane* (inquit Puffendorfius *Lib. 1. de jure natur. & gent. c. XI. §. 6.*) *qui extra impositionem divinam actionum humanarum æternam aliquam statuunt regulam, nil aliud mihi videntur agere, quam ut Deo adjungant principium aliquod coæternum, extrinsecum, quod ipse in assignandis rerum formis sequi necessum habuerit*. Sophisma hoc repetit etiam in hac proposita materia Samuel Coccæjus (*in Dissert. Proœmialibus ad Grotium illustr. Dissert. 1. cap. 2 sect. 3. §. LVIII.*) sophisma, inquam, apertissimumque errorem: siquidem prima, & æterna veritatis, & honestatis omnis mensura non est aliquod principium, aut causa aliqua extra Deum, sed est ipsa Divina

(a) S. Thom. 1. 2. quæst. C. art. 8. ad 2 *Dicendum, quod sicut ... dicit II. ad Thimoth: 2. Deus fidelis permanet, negare seipsum non potest.* *Negaret autem seipsum, si ordinem suæ justitiæ auferret, cum ipse sit sua justitia. Et ideo in hoc Deus dispensare non potest, ut homini liceat non ordinate se habere ad Deum, vel non subdi ordini justitiæ ejus; etiam in his, secundum quæ homines ad invicem ordinantur.*

(b) 1. *Ex præceptis legis divinæ mens hominis ordinatur sub Deo, & omnia alia, quæ sunt in homine, sub ratione. Hoc autem naturalis ordo requirit, quod inferiora superioribus subdantur. Sunt igitur ea, quæ lege divina præcipiuntur, secundum se naturaliter recta.*

(c) Leg. S. Thom. in summa Theol. 1. 2. quæst C. art. 8.

(d) Lib. 1. de Jure Nat. & gent. C. XI. §. 6. *Haudquaquam necessarium arbitramur cum nonnullis statuere, quædam per se citra omnem impositionem esse honesta, aut turpia, & hæc facere objectum juris naturalis, & perpetui.*

vina essentia, quatenus ut idea Archetypa repræsentat res omnes, & ordines necessarios, & æternos inter eas. Hoc exemplar contemplatur ille *in rebus formandis*, ut eleganter canebat Boetius (*Lib. III. de Consol. Metr. IX.*)

. . . . *Tu cuncta superno*
Ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine
formans.

Atque huic exemplari divina ratio necessario, perfecteque conformis *lex æterna* appellatur. Creat ergo libere hominem Deus, & ab æterno exemplari ejus naturam necessario exscribit. Legem ei dat, quæ naturalis dicitur, at ejus præcepta non derivant honestatem primam ab hac impressione divina, sed prius quoad conceptum, illa eam habent in idea ordinis æterni, & in æterno exemplari, cujus lex naturæ in homine insita est necessaria participatio. Quapropter verissime dicimus; honestatem naturalium præceptorum non secus, ac *rerum essentias*, non esse objectum Dei libertatis, & omnipotentiæ, sicut sunt *existentiæ*; sed honestatem actionum, rerumque essentias habere primum, & necessarium exemplar, & regulam in ipsa divina essentia, & illam & has esse immutabiles, & æternas, ut immutabilis, æternusque est Deus ipse. Quas certissimas notiones infeliciter quidem impugnare conatur supradictus Coccejus (*Dissert. Proœm.* 1. *C.* 2. *Sect. III. §. LXI.*) oppugnator Grotii, qui nostros Theologos sequutus eas admittit, tueturque.

§. VIII. Vellent nos de tramite deducere quidam ex propugnatoribus contrariæ sententiæ, inter quos Coccæjus (*ibid.* §. *XLIX.*) argumento cum vetere, tum infirmo, quale est illud a quibusdam exemplis desumptum, quæ, cum Deus jusserit, inquiunt illi, aliud ac naturale jus vetat, ostendunt, hujusmodi jus non esse immutabile, & *honestatem* non esse interiorem in actionibus, sed ab una Legislatoris voluntate pendere. Jussit, dicunt, Abrahamo, ut occideret filium, permisit Hebræis, ut furarentur Ægyptiorum divitias; nec furtum ergo, nec homicidium interiorem essentialem habent turpitudinem, nec proinde jus naturale est adeo firmum, & immutabile, ut asseruimus.

De hoc argumento D. Thomam (1. 2. *quæst. C. art. VIII.*) sequentes Theologi nostri copiose agunt. Suscepti operis finis haud finit nos longius progredi. Quasdam doctrinas luce clariores innuemus, quibus producta objectio omnino solvitur. Opus est initio statim distinguere hinc *prima principia* juris naturalis, isthinc *consequutiones*, quas ab ipsis recta colligit ratio. Illa, ut rectissime D. Thomas docet, insunt *in ordine naturæ*, hæ *in ordine rationis*, qui ordinem illum consequitur. Jam principia prima juris naturalis nec per se, nec ob quamcumque circumstantiam, aut eventum ita mutari possunt, ut homo ad ea observanda non teneatur; quod ad secundas attinet, illæ quidem stabiles semper, immobilesque permanent; interdum tamen materia, seu objectum, quod illæ respiciunt, tot talesque circumstantias habet, ut desinat esse objectum illius legis; hinc homo ab illo jussu exequendo liber fit. Complura exempla id confirmant. Hoc a D. Thoma (1. 2. *quæst.* 84. *art.* 2. allatum est admodum perspicuum. Ratio me docet, mihique præcipit, ut domino depositum restituam. Si tamen prævideo, eum illud postulare, ut bellum patriæ inferat, restituendum non est. Quid? An hic lex de deposito mutatur? Minime vero gentium. At circumstantia subducit materiam a lege ita, ut tunc, quasi me non respiciat, me non obliget. Hoc idem dicendum est de duobus exemplis, quæ nobis objiciuntur. Prohibitio furti, & homicidii (hoc est rem invito domino auferendi, & injuste interimendi) præcepta sunt in se immutabilia, æternaque: neque Deus permisit aut Israelitis, aut Abrahamo, ut ea violarent. Quid ergo accidit? Ægypti divitiæ non erant amplius materia primæ divinæ inhibitioni subjecta, ex quo Deus rerum omnium Dominus earum dominium ab Ægyptiis abstulerat, transtuleratque ad Hebræos. Hi ergo asportantes secum thesauros Ægyptiorum præceptum de non furando non læserunt. Israeli vita non erat amplius objectum, quod Decalogus prohibet; quandoquidem Deus jure illo, quod a se alienare non potest, quo decernit de vita, & morte hominum, Isaacum

elegerat, quem in hostiam Abraham immolaret; sacrificium itaque illud non erat injusta occisio, nec proinde adversabatur præcepto de non occidendo, sed servitutis ab homine præstandæ imperanti supremo suo Creatori actus erat. Quæ cum perspicua sint, & verissima, quisque videt, adductis exemplis theorema nostrum non infirmari, sed confirmari potius. Cum etenim tunc ob aliquas circumstantias præceptorum materia, quæ secundaria dici possunt, mutetur, rationis ordo, quo fulciuntur, immobilis permanet, firmusque. Exceptiones autem, quæ evenerunt ex mutatione ejusdem materiæ, reducuntur ad eadem *prima principia juris* proxime innixa ordini naturæ, qui nobis aperit supremam Dei potestatem, cui subduntur omnia, & is est, qui nec mutationem, nec exceptionem patiatur. (*a*)

§. IX. Atque hinc, quin longius progrediar, cognoscere per se potest Lector, quæ quantaque sit vis, quam habet naturalis lex, hominem obligandi ad præcepta sua observanda. Ipsa, ut diximus, participatio est æternæ Dei legis, ab illo, qui supremus dominus noster est, mentibus nostris insitæ. Quid aliud autem velle hinc poterat, nisi ut nos obligaret, ut secundum lumen hoc ageremus, ut viteremus id, quod nobis indigitat, esse turpe, ut sequeremur id, quod nobis ostendit esse honestum? Omnia attributa, quæ in Deo cognoscimus, nobis demonstrant, non posse Deum dissolutum esse, vel legem hanc violemus, vel adimpleamus. Consideremus sapientiam, sanctitatem, supremam potestatem, justitiam, providentiam illius Entis infiniti, & judicemus, num possit non omnino velle, ut homines a se creati, conservati, hoc lumine ducti ordinem illum, cujus ipse fons est, exemplar, custosque supremus, moribus suis servent? Eoque magis, quod ex hujus ordinis custodia homines perfectionem, finemque consequuntur, qui eorum naturæ convenit, creatoremque suum ea afficiunt gloria, qua ab hominibus potest affici; hunc ordinem autem violantes ab ea perfectione, & fine recedunt, qui ipsis naturaliter convenit, & in Deum, ut inquit Angelicus Doctor, Naturæ ordinatorem injurii sunt. Si ergo Deus non potest in hac re esse indifferens, si pro suis attributis non potest, quin ab hominibus exigat legis naturalis observantiam; hæc ergo nos obligat; ergo quin peccemus lædi a nobis non potest. Quæ consequutiones demonstrant, esse certissimum (quod negat quidem cum Fatalistarum agmine Helvetius, quod nos tamen dilucide refutavimus) præditum esse hominem libertate: quandoquidem hæc una efficere potest, ut vel pareat legi, vel eam violet, & hinc aut mereatur, aut demereatur. Quod autem hæc duo theoremata *obligandi vis legis* unum, *libertatisque hominis alterum*, qua libertate potest eam & lædere, & servare, invictissime probat, est *sanctio*, quam supremus Legislator apposuit, suppliciorum, aut præmiorum in altera vita decretorum. Res per se ipsa loquitur: neque argumentis opus est, ut confirmetur: qua enim alia de causa minis, pollicitationibus legem sancivit, nisi ut homines animum inducerent ad eam exequendam? quorsum præmia proposuit, aut pœnas, nisi quia ille, cui proponuntur, liber est ab illis, hisve promerendis? Quod si quis a me quærat, unde certi simus de hujus sanctione legis; respondebo, eam consequi cum

(a) D. Thomas 1. 2. q. 100. art. 8 ad 3. *Quando filii Israel præcepto Dei tulerunt Ægyptiorum spolia, non fuit furtum, quia hoc eis debebatur ex sententia Dei. Similiter & Abraham cum consensit occidere filium, non consensit in homicidium, quia debitum erat, eum occidi per mandatum Dei, qui est dominus vitæ, & mortis. Ipse enim est, qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus justis, & injustis pro peccato primi parentis. Cujus sententiæ si homo sit executor auctoritate divina, non erit homicida, sicut nec Deus. Et similiter etiam Osee accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non est mœchatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam, quæ sua erat secundum mandatum divinum, qui est auctor institutionis matrimonii. Sic igitur præcepta ipsa decalogi, quantum ad rationem justitiæ, quam continent, immutabilia sunt: sed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad singulares actus (ut scilicet hoc, vel illud sit homicidium, furtum, vel adulterium, aut non) hoc quidem est mutabile, quandoque sola auctoritate divina, in his scilicet, quæ a solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio, & in aliis hujusmodi; quandoque etiam auctoritate humana, sicut in his, quæ sunt commissa hominum jurisdictioni. Quantum enim ad hoc homines gerunt vicem Dei, non autem quantum ad omnia.*

cum ab argumentis de animæ immortalitate expensis, probatisque; tum ex perpetuo, unoque omnium gentium consensu, quæ crediderunt semper, dari judicem invisibilem proborum, scelestorumque remuneratorem rectissimum. Hæc perpetua, unaque consensio (ut modo videbimus) cum derivari non possit nisi a traditione, quæ a centro illo proficiscitur, a quo humanum genus descendit, nobis demonstrat, se a Dei ipsius voce originem habere: quod in sequentibus capitibus planum a nobis fiet, certissimisque argumentis firmabitur.

§. X. Atque hoc summatim est disciplinæ moralis hominis paucis quidem, sed claris, certisque, & inter se colligatis theorematibus a nobis systema compositum. Multo magis illud confirmari, & illustrari potuisset doctrinis ex divina revelatione, quam existere probabimus Libro II. petitis. Sufficiant tamen, quæ hactenus attulimus a sola ratione desumpta ad refutandos eos Philosophos, qui de jure differentes subtilium ratiociniorum vanitate, systemata cuilibet æquitati, & rationi contraria putant se posse statuere. Quoniam autem in hujus capitis initio Ethicam, qua his, quibus vivimus, temporibus, Auctor libri *De l'Esprit*, conatus est *humanum genus* totum imbuere, exposuimus, operæ pretium erit ejus operis præcipua paradoxa simplicibus illationibus ex rebus hactenus expositis deductis evertere, quibus eodem tempore concutientur, diruenturque *impietates monstrosissimæ* Hobbesii, quas recentissimus scriptor opere suo e tenebris in lucem revocavit.

I. Ostendimus, in homine præter partem sentientem, cui sensilis dolor, & voluptas convenit, etiam rationem inesse, qua cognoscit ordinem, veritatem, & honestatem; cognoscitque etiam, in amore hujus ordinis, hujus veritatis, honestatisque consistere bonum illud, quod ad se, quatenus est homo, pertinet. Est ergo falsum primum Helvetii Theorema, *voluptatem, & dolorem solos esse universi moralis moderatores*: nisi forte *universi moralis* nomine inaudito dicendi modo significare velit gregem animantium brutorum, pro quibus conscripta sit tam commentitia philosophia. (a)

II. Probavimus, Legem Dei æternam, a qua derivatur naturalis, esse regulam primam omnis æquitatis, & honestatis. Est ergo non minus monstrosum, quam falsum illud Helvetii theorema, *sensibilitatem Physicam, & utilitatem cujusque esse omnis juris auctores*: Quæ sententia ab Hobbesio, & Spinosa desumpta etiam a nobis allatis alibi argumentis confutatur. Nonne vidimus, jura tria justitiæ nomine comprehendi, jus divinum, personale, sociale? Et hæc esse fulta ordinibus necessariis, & æternis, qui intersunt inter res creatas, & creatorem, inter partem sentientem, & rationalem, inter hominem, & hominem? Qui ergo hæc *physica sensibilitas*, aut *utilitas propria* (quod Helvetius dicit) possunt esse hujus juris auctores, propinque juris omnis? Quod si juris hujus, quod homini convenit, *sensibilitas physica*, & *propria utilitas* auctores esse nequeunt, dicamus quidem, hujusmodi systema, quod de medio Religionem, rationem, & societatem tollit, continere justitiam, & disciplinam moralem brutis animantibus convenientem, quæ nihil aliud inquirunt, quam sensile bonum; at non homini suapte natura rationali, sociabili, religioso. Ita castigat hos recentes legumlatores cum anti-

G 2 quus

(a) Negandum non est, bonam hominum partem rapi voluptatum illecebris, & sensuum impulsibus; at sicut ex hominis naturæ consideratione, qui est ethices subjectum, statim apparet, hanc esse ordinis perturbationem; ita & hoc etiam confirmatur voluptatem, & dolorem sensilem (de quo uno Helvetius loquitur) non *esse solos universi moralis motores*. D. Thomas ingeniose indigitat hujus ordinis perturbationis fontem, nostrumque theorema his verbis confirmat: *in homine est duplex natura, scilicet rationalis, & sensitiva. Et quia per operationem sensus homo pervenit ad actus rationis, ideo plures sequuntur inclinationes naturæ sensitivæ, quam ordinem. Plures enim sunt qui assequuntur principium rei, quam qui ad consummationem perveniunt. Ex hoc autem vitia, & peccata in hominibus proveniunt, quod sequuntur inclinationem naturæ sensitivæ contra ordinem rationis* Huculque D. Thom. 1. 2. quæst. 71. art. 2. ad 3. Cujus doctrina semper sibi constans dicta a nobis in hoc capitulo illustrat.

quus, tum profanus poeta Hesiodus his versibus (*Opera, & dies vers.* 272.) (a)

O Perseu, alta tene mente semper monitum istud;
Quod justum est, rectumque serva, nec inferre velis cui
Prorsus vim; mortalibus sic jubet qui moderatur
Orbem Æternus. Piscibus, belluisque, atque volucrum
Dedit gregi se invicem deverare, carent quod Jure; sed mortalibus jus dedit, gignitur unde Optimum.

III. Quid plura? ostendimus, partem superiorem hominis, ut legis præcepta præscribunt, debere moderari voluptatum usum, ut nec mentem perturbent, nec in ordines aut naturæ aut rationis delinquant. Non est ergo justitiæ fons *sensibilitas physica*, sed *justitia*, quæ in mente inest, cohibet, moderaturque *physicam sensibilitatem*. Ex quo perspicue apparet, non esse necessariam solam Fidem, Religionem solam (quod se credere Helvetius ostendit); sed rectam rationem unam posse illa *voluptatis altaria* evertere, & retrahere hominem ab illis voluptatibus, horroremque illi injicere earum turpitudinum, quæ sine maxima indignatione legi non possunt in Ethica hujus auctoris; ut audivimus supra (Cap. 1. n. 7.) verbis gravissimis ab amplissimo Parisiensi viro illi objici.

IV. Etiam illud ostendimus, factum esse ad societatem suorum similium a natura hominem, ac proinde ab eadem natura eum jussum fuisse, ut ea servaret jura, sine quibus societas stare nequit, quæ sunt, dare cuique suum, neminemque lædere. *Utilitas propria* igitur non est justitiæ auctrix, sed justitia potius hanc propriam utilitatem coercet regitque, & aliorum boni, & societatis rationem habet. Quæ duæ demonstrationes simul junctæ hoc alio sub aspectu afferri possunt. Si *physica sensibilitas, utilitasque propria sint omnis justitiæ auctores*, justum erit, quidquid sensilem voluptatem affert, quidquid utile est homini, qui nostri Philosophi sententia sola sensibilia bona inquirit: verum si id fiat, societas solvitur, fitque homo brutum animans; quid aliud hoc est, quam sus deque vertere naturæ ordines? aut ergo justitia contraria est naturæ, quod fieri nequit, aut physica sensibilitas, & utilitas propria non sunt omnis justitiæ auctrices, quod hic probare intendimus. Non me fugit, Spinosam, Hobbesiumque duces sequentem Helvetium responsurum, cum coactus fuerit homo proprio emolumento, ut in societate viveret, tunc instituta fuisse ad commune bonum conventa, pactaque, quibus & injuriæ tolluntur, & licentia reprimitur, & societas subsistit. At hæc errata sunt, quæ facile, & dilucide refutantur. Sic enim requiro; aut homo ita in societatem redactus putabit se teneri iis pactis, conventisque, aut non putabit. Si non putabit; proposito fini nihil illa pacta, conventaque proderunt; si putabit, rursus requiro, quo jure existimat hic, se adstringi iis conventis? si respondetur, jure naturali quibuslibet legibus priore ordini naturæ, rationisque innixo, jam triumphat causa, quam propugno; si reponitur, emolumento proprio, quo permotus fuit homo, ut societati nomen daret; ergo, colligo, cum hoc emolumentum quid aliud quæret, quid aliud optabit, & conventa, & pacta perrumpet, & si impune licebit, imperium tyrannice usurpabit, fœdabuntur alieni thalami, immolabitur aliena innocentia, res, vita utilitati propriæque physicæ sensibilitati, quæ in hoc systemate *sunt omnis justitiæ auctrices*, postponetur. Quid tum de societate fiet? Valide argumentum hoc Cicero tractat (*Lib. 1. de Legibus num. XV.*) ex quo hæc tantum exscribam verba, quæ & propositionem, & consequutionem nostram confirmant. *Quod si justitia est obtemperatio scri-*

(a) Ὦ Πέρση, σὺ δὲ ταῦτα μετὰ φρεσὶ βάλλεο σῇσι.
Καί νυ δίκης ἐπάκουε, βίης δ' ἐπιλήθεο πάμπαν.
Τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων,
Ἰχθύσι μὲν, καὶ θηρσὶ, καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς,
Ἔσθειν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶν ἐν αὐτοῖς.
Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίστη
γίνεται.

scriptis legibus, *institutisque populorum*; (at prius his legibus institutisque est æternum naturale jus) *& si*, *ut iidem dicunt*, *utilitate omnia metienda sunt*, (viden' Libertinorum nostrorum systema?) *negliget leges*, *easque perrumpet*, *si poterit*, *is*, *qui sibi eam rem fructuosam putabit fore*. *Ita fit*, *ut nulla sit omnino justitia*, *si neque natura est*, *& ea*, *quæ propter utilitatem constituitur*, *utilitate alia convellitur*. Quæ Ciceronis verissima sententia, quæ systema nostrum firmat, paucisque verbis Helvetianam Ethicam refellit, eodem tempore nobis ostendit, hos recentiores Philosophos, qui nihil aliud crepant plenis buccis, quam *Patriotismum*, *societatem*, *commune nationum commodum*, pro quibus se laborare, scribere inventa sua, & cogitata publici juris facere dicunt, hos Philosophos, inquam, vi sui systematis esse infensissimos hostes non solum Religionis, quam ut evertant, operam suam omnem huc conferunt, sed etiam societatis, communisque boni. Diruunt enim, quantum in ipsis est, fundamentum illud unum, stabile cæteroquin, & immobile, in quod societas, leges, pax, quod solum est jus naturæ a nobis expositum, probatumque præcedere tempore quamlibet humanam legum-lationem, æternum, immutabile, a Deo profectum, & ab eo sancitum, incumbunt. Huic autem juri *utilitatem*, *& voluptatem*, & hinc enatam quamdam infirmam legum-lationem, quæ iisdem illis principiis everti-tur in quibus stabilitur, substituunt. Quod fusius Libro hujus operis III. demonstrabimus.



CAPUT OCTAVUM.

De consensu Gentium de Religione.

I. *Vis consensus universi, perpetuique totius humani generis. Capita præcipua, de quibus investigabitur hic consensus.*
II. *Testimonia generalia consensus gentium de Religione.*
III. *Omnis antiquitas scriptis idem testatur. Historici Hebræi, Græci, Latinique: monumenta Sinensia.*
IV. *Idem testantur Poetæ ab Homero usque, & Hesiodo: locus celebris Lucretii.*
V. *Quid sit dicendum de Philosophis.*
VI. *Symbola veterum Romanorum, Græcorum, Etruscorum ostendunt, populis insitam fuisse opinionem divinitatis, & post mortem vitæ.*
VII. *De precibus pro Defunctis apud nationes omnes; digressio.*

§. I. CUM præcipua Religionis capita examinaverimus, eorumque veritatem perspicuis rationibus ostenderimus; facturi operæ pretium erimus, si alio oculos convertemus, & investigabimus, quid Nationes de hac eadem Religione senserint, quam nostrorum temporum Libertini rejiciunt. Ut intelligat statim Lector, hujus capitis quantum sit pondus, brevem hanc propositionem subjicio, quæ meo quidem judicio instar axiomatis habenda est, *in toto terrarum orbe hominum neminem esse*, *qui possit sua scientia auctoritatem universam*, *perpetuamque totius humani generis æquiparare*. Esset hoc privilegium singulare, quo eximeretur hic ex invicta vi, qua omnes homines in errores trahuntur, fueruntque tracti semper, ideoque qui se illo munitum jactaret esse, nisi id etiam geometrica demonstratione clarius probaret, stultus merito censendus esset. Num hoc privilegium impio tribuendum sit, ex rebus hoc in capite dicendis nullo negotio Lector per se cognoscere poterit: cum de universo perpetuoque gentium omnium de Religione consensu disputare hic in animo habeamus. Quoniam autem duo sunt, ut alias advertimus, hujus religionis cardines, Dei existentia, & animæ immortalitas, de his præsertim sermo a nobis fiet. Hujus autem consensus vi per-

pensa, ejusque causa inventa, argumenti robur, quod inde deducitur, ostendemus, erroresque, quibus Libertini illud eludere tentant, refutabimus.

§. II. Præterquamquod immensi laboris esset, longius etiam a suscepti hujus operis consilio aberrarem, si omnia monumenta, scriptorumque testimonia, quæ de religione populorum quavis ætate quamvis orbis partem incolentium testantur, vellem colligere. Non pauci eruditissimi viri de hoc argumento egerunt, e quibus legi possunt Augustinus Steucus Eugubinus (*De perenni Philosophia*) Daniel Huetius, (*Alnet. quæst. Lib. II.*) Gerardus Vossius (*De Idololatria*) Radulphus Codvvortius (*Systhem. Intell. Tom. I.*) ut plures alios cum veteres, tum nostrorum temporum prætereamus. Pauca afferemus testimonia, quæ tamen, quod intendimus, conficient. Disputans Plutarchus in Colotem Epicureum Philosophum, (*a*) (prope finem) inquit; *si totum orbem peragres, invenies urbes sine litteris, sine rege, sine domibus, pauperes sine nummis, theatris, gymnasiis. At urbem sine templis, sine Diis, quæ non preces fundat, quæ non juret, non consulat oracula, non litet, ut commoda consequatur, & non conferat huc operam suam, ut sacrificiis avertuncet infortunia, nemo reperit, reperietque. Immo facilius duco, ædificari posse sine solo urbem, quam posse civitatem cogi, & subsistere, fide Deorum sublata.* Idem sentit Cicero pluribus in Philosophicorum operum locis, in quibus ambigi nequit, eum ut sentiebat, scripsisse, præsertim cum non de sententiis, sed de re nota omnibus agatur. *Itaque* (inquit *Lib. 2. de Legibus c. 8.* Atticum alloquens) *ex tot generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei; ipsisque in hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat.* Hoc idem scribit *Tuscul. Disput. Lib. 1. cap. 13.* de Dei existentia, & animæ immortalitate loquens: *Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo hominum tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio; multi de Diis prava sentiunt: id enim vitioso more fierit solet: omnes tamen esse vim, & naturam divinam arbitrantur. Neque vero id collocutio hominum, aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturalis putanda est.* Et non multo post (*cap. 16.*) (*b*) *Sed ut Deos esse natura opinamur, qualesque sint ratione cognoscimus; sic permanere animos consensu nationum omnium: qua in sede maneant* (post corporis mortem) *qualesque sint, ratione dicendum est.*

§. III. Quam vera horum duorum illustrium scriptorum testimonia sint (quibus plurima alia hujus generis addi possent, quæ afferentur a nobis in operis progressu) perpetuæ, universæque nationum consensionis de Religione, facile cuique erit cognoscere, modo etiam obiter pervolvantur monumenta omnia scripta, aut symbola rerum vetustarum, quæ ad nos pervenerunt. Moyses sententia omnium *Criticorum* est antiquissimus scriptorum omnium, utpote qui secundum quosdam annos tercentos, secundum alios supra annos sexcentos Trojanum Bellum præcessit. Velint Philosophi nostri hac in re eum, ut Thucididem, aut Xenophontem, aut quemvis alium mere Historicum reputare, alio siquidem loco jure postulabimus, ut scriptor divinitus afflatus habeatur. Simul cum mundo religionem ortam, hoc est cognitionem cultumque veri Dei adorati a rerum primordio, & ut universi moderatoris supremi sacrificiis placati, ille nobis enarrat. Hanc eamdem Religionem per gentes ab una domo profectas propagatam, sancteque exercitam per sæcula sexdecim fas est intueri. Tum hominum crimina ro-

(a) Εὕροις δὲ ἂν ἐπιὼν καὶ πόλεις ἀτειχίστους, ἀγραμμάτους, ἀβασιλεύτους, ἀοίκους, ἀχρημάτους, νομίσματος μὴ δεομένας, ἀπείρους θεάτρων καὶ γυμνασίων. ἀνιέρου δὲ πόλεως καὶ ἀθέου, μὴ χρωμένης εὐχαῖς, μηδὲ ὅρκοις, μηδὲ μαντείαις, μηδὲ θυσίαις ἐπ' ἀγαθοῖς, μηδὲ ἀπὸ τροπαῖς κακῶν, οὐδείς ἐστι, οὐδὲ ἔσται γεγονὼς θεατής. ἀλλὰ πόλις ἄν μοι δοκεῖ μᾶλλον ἐδάφους χωρὶς, ἢ πολιτεία τῆς περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασι, σύστασιν λαβεῖν, ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι.

(b) Addamus pulcherrimam Platonis sententiam, qui lib. X. de Legibus ita ait: Μηδένα πώποτε λαβόντα ἐκ νέου ταύτην τὴν δόξαν περὶ Θεῶν, ὡς οὐκ εἰσί, διατελέσαι πρὸς γῆρας μείναντα ἐν ταύτῃ τῇ διανοίᾳ. Hoc est. *Neminem unquam, qui ab adolescentia amplexatus fuerit opinionem non esse Deos, in eadem sententia usque ad senectam perseverasse.*

totius terræ alluvione puniuntur. At vir justus cum liberis suis eximitur, posterisque primævam religionem una cum sanguine tradit. Crescunt Noemi nepotes, & in diversas orbis partes abeunt. Constituuntur regna in Asia, & extra, at eadem religio in iis permanet, habeturque fundamentum firmissimum cujuscujumque imperii. Ab ortus sui sede longe dissita quasdam quidem mutationes patitur; accessio ingens ei fit, quæ ab ignorantia, a cupiditatibus, a superstitione proficiscitur; at cognitio, cultusque Divinitatis, quod est religionis caput, permanet ubique locorum, latiusque serpit. Neque minus nationum incrementa, quam communem earum religionem Moyses narrat; licetque ab una Hebræa natione pure sancteque colatur, & aliis infandis fœdetur idololatriis, quas ille percenset, detestatur, interdicit; nulla tamen gens est, quæ sua non habeat sacrificia, quæ divinitatem non adoret. Hoc idem dicendum est de aliis Historicis, quos sacros dicimus, qui a Moyse scripserunt. Itinera, bella, commercia facta, gestaque ab Hebræo populo cum aliis nationibus cum nobis earum ingenium, moresque patefaciunt, tum peculiari modo ut plurimum earum religionem mutatam quidem, maculatamque, nunquam tamen in impietatem usque prolapsam legentium oculis subjiciunt. Si ab Historicis Hebræis ad aliarum gentium Historicos nos convertamus, se nobis Græci objiciunt, gens quidem non antiquissima, sed omnium doctissima. Apud eos artes, scientiæ, mercatura floruerunt; ideoque remotissimas regiones inviserunt vetustissimis temporibus. Græci itaque (quorum primus Herodotus est; eorum enim, qui eum præcesserunt aut operum tituli, aut pauca fragmenta supersunt) non solum ea, quæ gesta sunt ætate sua, suisque in regionibus scribunt, sed monumentorum, traditionumque, & antiquiorum scriptorum vestigia sequentes aut principe studio, aut obiter de origine, de moribus, de populorum migrationibus jam tum cognitis, & de septentrionalis regionis incolis etiam, (a) progredientesque usque ad illas duas temporis periodos, quod obscurum fabulosumque appellat Varro, sermonem faciunt. Licet autem in his libris innumera offendantur antilegomena de nationum auctoribus, de principum serie, de moribus, bellis, legibusque, tamen omnes una voce conveniunt in hoc, populos cunctos Religioni summopere fuisse deditos. Non solum Græcia ornatur passim magnificis templis, sed in hoc unum incubuisse principes, populique exculti, & barbari etiam, videntur, ut certatim Deorum ædes, quantum civica res pateretur, ornatissimas construerent. Quod si quosdam populos templa non habuisse legimus, iis caruisse illos idcirco scimus, non quod religionem ejurassent, sed quod putabant, tam angustis terminis Divinitatem circumscribi non posse, quam tamen alii populi in sacris nemoribus, aut in montium verticibus colebant. Argumenta cultus hujus sunt sacrificia vicatim facta, dies festi instituti, ludi solemnes decreti, vota, donaque, oracula consulta, preces effusæ, carmina ad modos cantata. Hi ritus sæpe turpes, crudeles etiam interdum, in quavis pene Historicorum librorum pagella occurrunt; recitantur nomina, casusque Deorum, quibus sacrilegus quidem cultus, sed a religionis tamen fonte scaturiens ab iis populis, de quibus in illis habetur sermo, præstabatur. Cum Græcis hac in re Latini Historici mire consentiunt, qui non solum Romæ, sed gentium omnium, & præcipue ferarum, barbararumque, quo pertinuerunt Romana arma, superstitiones, & numen recensent, quod, bello pacato, ut plurimum Romana donabatur civitate. Cæsar, Tacitusque legantur. Remotissimæ, frequentissimæque nationis, Sinensem intelligo, quam ex antiquis Historicis Græcis, Latinisve notitiam habere non possumus, habemus ex gentis ipsius monumentis hac ætate a Libertinis pervolutis, examinatisque pessimo consilio, ut ipsis Mosaicas Chronologias refellerent. Quantum tamen insaniunt (quod alibi ostendimus) tam certum est, demonstrare monumenta illa perpetuam illius latissimi imperii Religionem, evincere, populos illos a remotissimis usque

(a) Hujus rei testimonia haberi possunt precipue apud Athenæum.

que temporibus & mundi creationem, & Dei, & Spirituum, & alterius vitæ existentiam credidisse. (a)

§. IV. Historicis addi possunt & Poetæ, quorum princeps & antiquitate, & doctrina Homerus est,

Primus qui pittor retulit monumenta vetusta: (b)

Coævusque, aut proximus illi est Hesiodus ex *Theogonia* præcipuæ notus. Non sum ex eorum numero, qui putant omnia in Homero inesse, aut ejus Theologiam naturalem magni ducendam; opinor tamen, neque Homerum, neque Hesiodum commentatos fuisse, & cecinisse inaudita de Religione. Pleraque doctorum *Criticorum* (c) pars crimini vertunt Hesiodo, quod hæc dixerit; *unde sit quisque Deorum, num semper omnes fuerint, quanam sint quorumdam forma heri, aut nudius tertius ignorabatur. Arbitror enim, Hesiodum, & Homerum per annos quatuorcentum ad summum nos præcessisse. Hi autem sunt, qui Theogoniam Græcos docuerunt; qui cognomina Diis imposuerunt, honores, & officia dispartiti sunt, eorumque formas descripserunt.* (d) Quidquid veri ex hoc Historiæ Patris loco colligi potest, hoc est, duos illos Poetas ornasse quidem fabulosis quibusdam commentis quasdam narrationes Deorum, quæ jam vulgo cognitæ erant; sed non edidisse primos inauditam Græciæ Mythologiam, multoque minus fabulis corrupisse præcipua Religionis. *Ex receptis vulgo opinionibus* multas mutuati sunt, ut sua poemata conficerent, at *morem* servarunt in exponenda indole hominum, & nationum. Quapropter cum legamus, in Homero præcipue, tot diversas regiones, de quibus mentionem facit, scatere sacrificiis, oraculis, votis, sacerdotibus, numinibus, & tam crebro opinionem de anima corporis solutioni superstite, nec ullam gentem nominari, quæ nullos Deos coleret (quæ quidem etiam in Hesiodo, & præcipue in *Herculis Clypeo*, advertuntur), ex his libris aliud universæ populorum de Religione consensionis argumentum eruimus. Prætermitto agmen pene immensum Poetarum Epicorum, Lyricorum, Tragœdorum, Comœdorumque cum Latinorum, tum Græcorum: ex quibus colligitur, communem semper fuisse consensum de divinitate omnium moderatrice, & ideo votis exorata, futurorum provida, proinde consulta, latentium rerum conscia, mendaciis infensa, proin in testimonium per jurajuranda vocata; denium bonos remunerante, imbroborumque in altera vita vindice, ideoque a Poetis celebrata tamquam beante bonos in Elisiis, in inferis scelestos puniente. Hæ sententiæ, licet fabulis ornatæ, quolibet pene versu in Poetis offenduntur, non tamquam nova commenta, sed ut omnium nationum universæ, perpetuæque inveteratæ opiniones. At poetis quibuscumque silentio præteritis, afferamus locum unum Lucretii Epicurei Poetæ, qui cum præceptoris sui impietatem laudare satagit, hoc idem aperte testatur; ita ille canit Lib. I. v. 63.

Humana ante oculos fœde cum vita jaceret
In terris oppressa gravi sub religione,
Qua caput a cœli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans,
Primum Graius homo mortaleis tollere contra
Est oculos ausus: primusque obsistere contra:
Quem nec fama deum, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit cælum, sed eo magis acrem
Virtutem irritat animi, confringere ut arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.

§. V.

(a) Vide supra Cap. III. n. V. ubi attulimus Patris Coupleti testimonium. Legatur præterea bene longa, & erudita epistola Leibnitii *sur la Philosophie Chinise*, quæ est XVIII. Tom. II. Epistol. ad diversos editarum a Christiano Kortoltio; inscripta fuit ad Rhemondium. In hac examinantur monumenta antiquissima Doctrinæ Sinensis: ostenditque ex his colligi, eos de spiritibus recte sensisse. Sed de Sinensibus loquemur fusius alibi.

(b) *Primo Pittor delle memorie antiche.* Dante.

(c) Joannes Clericus *in notis ad Hesiodi Theogoniam*: *Eduardus Feslius in Antiquit. Homer. Lib* 1. C. 1. Lourentius Moshemius *in notis ad syst. intellect. Cudworthii cap.* 4. §. 14.

(d) Ὅθεν δὲ ἐγένοντο ἕκαστος τῶν θεῶν, εἴτε δὲ αἰεὶ ἦσαν πάντες, ὁκοῖοί τέ τινες τὰ εἴδεα, οὐκ ἠπιστέατο μέχρι οὗ πρώην τε καὶ χθὲς, ὡς εἰπεῖν λόγῳ. Ἡσίοδον γὰρ καὶ Ὅμηρον ἡλικίην τετρακοσίοισι ἔτεσι δοκέω μευ πρεσβυτέρους γενέσθαι, καὶ οὐ πλέοσι. Οὗτοι δέ εἰσι οἱ ποιήσαντες ΘΕΟΓΟΝΙΗΝ Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες, καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες. Herod. Lib. II. cap. 53.

§. V. Eodem modo loquitur initio libri tertii, ubi itidem Epicurum laudibus extollit, quod cum omnes religionem colerent, primus illi bellum indixit, illiusque jugum excussit. Quod ad alios Philosophos attinet, fuse libro II. disseram. Satis nunc erit advertere, ex illorum sententiis, etiamsi improbæ fuissent, nihil concludi posse adversus gentium consensum: quandoquidem scimus, ex pallio Philosophico eos libidinose opinandi ansam cepisse, solitosque invicem digladiari semper. Quo attentius eorum opera, quæ ad nos pervenerunt, aut quidquid de iis Stoici scripserunt, legimus, eo difficilius est pro certo definire, quid senserint, præcipue de iis capitibus, quæ ad naturaelm Theologiam pertinent. Multa tamen, illustriaque eorum veterum celebriorum Philosophorum loca habemus, ex quibus inferre possumus, eos quoque & religionem cognovisse, & Deum, quod nobis primum confirmat auctoritas D. Pauli cap. 1: ad Romanos, Patrum etiam, & præsertim primorum nostræ fidei propugnatorum, qui hujusmodi sententias collegerunt, & identidem contra ejus hostes in iis Philosophicis scholis institutos adhibuerunt. Id deinde nobis confirmant antiqua monumenta apud Laertium, Ciceronem, Plutarchum, aliosque, quibus impietatis defensoribus inuritur probrosa Atheorum nota (qui quidem paucissimi sunt, ut alibi dicemus); Quæ exceptio efficit, ut aliorum Philosophorum religionem conjiciamus, in primisque gentium religionem, quæ illos, id est impios, maxime abominabantur tamquam monstrosos homines, & interdum ut naturæ hostes tollebantur de medio. Neminem latet Socratis fatum, qui licet immerito, impietatis accusatus, hausta cicuta, interiit; Anaxagoræ, qui in judicium a Cleone vocatus ut Patrii numinis contemptor (ille tamen, ut Plutarchus in Pericle scribit, recte de Deo sentiebat) quinquaginta talentis multatus fuit in exilium pulsus. Protagoræ demum, qui cum librum composuisset, (a) in quo nec affirmabat, neque negabat Divinitatem, sed dubitare de illius existentia videbatur, Atheniensium sententia fuit e patria exul expulsus, ejusque libri in concione combusti.

§. VI. Quod si a scriptis monumentis, ex quibus perennis veterum Religio discitur, oculos convertamus ad antiqua (*figurata antiquitas dicitur*) *symbola*, ex iis etiam divinitatis, perpetuæque post mortem vitæ fides emicat. Præter Pyramides, mausolæa, sphinges, & alia his similia Ægypti Religionis barbara rudera, habemus, semperque in lucem e terræ visceribus in lucem proferuntur, statuas ex ære, ex marmore, toreumata, aras, vasa, pateras cælatas signis, lucernas, numismata, inscriptiones, sepulcrales urnas, & alia talia plurima. Major harum reliquiarum pars Græca est, & Romana; sunt tamen & quædam ad aliam pertinentes nationem, nempe ad Etruscam, aliis antiquiorem; quandoquidem ab Argonautarum, Jasonisque ætate usque Athenæus (*Lib. VII. pag. 296.*) auctoritate veteris Scriptoris fretus eam rebus maritimis valuisse dicit. Virgilius (*Æneid. Lib. 3. v. 167.* Vide Servium ad eum locum) famam antiquam sequutus facit Trojanos per Dardanum ex Etruria oriundos; Ciceroque pluries scribit ab illa ante alias religionibus addicta multas cæremonias didicisse Romanos; Arnobiusque demum *eam genitricem, matremque superstitionis* appellat (*b*). Jam omnia hæc antiqua monumenta quid frequentius ante oculos ponunt, quam Gentium religionem? Huic, tamquam summæ rerum a privatis hominibus, a viris principibus, a civitatibus, immo a nationibus legimus, ea monumenta dicata, quæ & multitudine, & materiei duritie illam seris nepotibus significarent. Divinitatis plena sunt omnia; & symbolis, & Hieroglyphicis, quæ erat eorum populorum sacra lingua, ejus providentia, majestas, immensitas, *præscientia*, æternitas, potestas, aliaque attributa exprimuntur. Hinc discimus, quomodo divina natura

(a) *Abderites quidem Protagoras.. sophistes temporibus illis vel maximus, cum in principio libri sic posuisset, de Divis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere; Atheniensium jussu urbe atque agro est exterminatus, librique ejus in concione combusti*. Cicer. de Natur. Deor. Lib. 1. n. 23.

(b) *Genitrix, & mater superstitionis Etruria*. Lib. VII. Et Livius Lib. V. c. 1. de Etruscis loquens ait: *Gens ante omnes alias eo magis dedita religionibus, quod excelleret arte colendi eas*.

tura culta fuerit a populis sacrificiis, votis, fuerit consulta de futuris, gratiæ illi actæ pro secundo exitu, multasque alias veritates ad religionem spectantes videmus. Præcipue autem alterius vitæ, hoc est animæ post mortem migrationis ad vitam aliam, in qua subsistat, vivat, sentiatque, fides oculis nostris subjicitur pluribus modis, non solum *Apotheosibus* in marmoribus, & nummis pluribus insculptis, sed præsertim sepulcris, inscriptionibus, toreumatibus, aliisque hujus generis monumentis. *Luctum in nobis carorum morte lugubres querimonias, fletumque mœrentem*, & religionem, qua colebantur, aut expiabantur vita functorum domicilia, quæ Tullio erant invictissimo argumento, creditam fuisse a populis animæ immortalitatem videmus (a): videmusque etiam præmiaque, suppliciaque, & *ævum æternum cum piis in Elysiis, teterrimum tormentorum carcerem una cum furiis in Inferis*. (b) Hæc, inquam, ut jam nota, & credita ab omnibus populis in his monumentis aut expressa signis, aut litteris videmus.

§. VII. Quoniam autem de sepulcris, defunctisque mentionem fecimus, ad alia progredi fas non est, nisi prius aliud argumentum, & quidem gravissimum afferimus, quod de existentia alterius vitæ, & de Providentia rerum omnium moderatrice ubique gentium receptus mos apud veteres effundendi *preces*, offerendi *oblationes*, & *sacrificia* pro animis vita functis nobis suppeditat. Erudite de hac reagit Morinus in Dissertatione Academiæ Parisiensi oblata, quæ hunc titulum præsefert: *De l'usage de la prière pour les morts parmi les Payens. Hist. de l'Academ. Royal des Inscrip. & belles-let. Tom. II. pag.* 119. Probat ille, hoc fuisse eorum religionis dogma, & hac in re Philosophos, Poetasque una cum populo idem sensisse. Distinguit secundum antiquorum opinionem varia domicilia, ad quæ judicio, quod post earum excessum fiebat, pro suis meritis animæ destinabantur; quarum aliæ statim erant beatæ, aliæ in suppliciorum loco, a quo tamen alieno auxilio egredi, & ad perpetuæ pacis, æternæque beatitatis loca migrare possent.

Hoc ille, præter testimonia veterum scriptorum, qui de hujusmodi defunctorum

(a) Tuscul. Disput. Lib. 1. n. 12. *Itaque unum illud erat insitum priscis illis, quos Cascos appellat Ennius, esse in morte sensum, neque excessu vitæ sic deleri hominem, ut funditus interiret: idque cum multis aliis rebus, tum ex Pontificio jure, & cæremoniis sepulcrorum intelligi licet: quas maximis ingeniis præditi nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hæsisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem, commutationemque vitæ &c.* & n. 13. *Tolle hanc opinionem* (de immortalitate animorum) *luctum sustuleris, nemo enim mæret suo incommodo. Dolent fortasse & anguntur: sed illa lugubris lamentatio fletusque mærens ex eo est, quod eum quem dileximus, vitæ commodis privatum arbitramur, idque sentire. Atque hæc ita sentiunt* (vulgi homines) *natura duce, nulla ratione, nullaque doctrina.* & n. 14. *Maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnium curæ sint, & maxime quidem quæ post mortem futura sint.* Legatur *Lilii Gyraldi de vario sepeliendi ritu libellus ab Joann. Faes animadvers. illustratus.*

(b) Nihil factu facilius esset, quam pluribus exemplis id planum facere. Quantum spectat ad Græcos Romanosque, sufficiat hoc Auctoris operis *Antiquitatis explicatæ* testimonium. *Hi putabant post hanc vitam aliam haberi, & in illa vita ut gauderent Defuncti, & valerent, precabantur. Sæpe sepulcrales inscriptiones cum voce* χαῖρε, *quæ per illud* vale *potest explicari, vel per illud* gaude. *Sunt & alia epitaphia, in quibus vivi mortuos excitare ad gaudium, & ad fiduciam videntur dicendo* εὐψύχει, θάρρει, εὐθύμει, οὐδεὶς ἀθάνατος: bono animo esto, confide, macte animo, nemo immortalis. Hujusmodi quamplurime, apud Gruterum. Mactenus P. Montfauconius *Supplem. Tom. V. lib.* 1. *cap.* 8. In Gruteri autem, aliisque *Thesauris* plurimæ inscriptiones hujusmodi inveniuntur: *Have. Have, & vale. Æternum Have. Di. Tibi. Bene. Faciant. Peto. Vos. Manes. Sanctissimi. Commendatum. Habeatis. Meum. Carum. Et. Filium. Hunc. Indulgentissimi. Esse.* Huc spectant (ut id quoque tangam) ea foramina, quæ inter inscriptiones cernuntur in quibusdam sepulcralibus lapidibus; quæ non solum inserviebant introducendis in sepulcra lacrymis; sed etiam *libamina* quæ (inani credulitate, sed hærente in fide alterius vitæ) credebantur opitulari animis defunctorum; ut docent Fabrettus, & Gorius Clarissimi antiquitatis Magistri.

Quod ad Etruscos spectat, ex illorum monumentis etiam colligitur, eos quoque credidisse, Præmia, pœnasque esse in altera vita: sicut Senator Bonarrotus, qui quantum has disciplinas calleat, nemo ignorat, advertit in *suis explicationibus, & conjecturis ad monumenta Etrusca additis ad Etruriam Regiam* Thomæ *Dempsteri*. Ita ille scribit §. 26. *Harum ergo Tabularum ope discimus, Etruscis communem cum Græcis, & Latinis de inferorum cruciatibus, qui in hac pictura expressi videntur, opinionem fuisse.* Pictura, de qua loquitur, est in Tab. 88. Tom. II. Tum ita pergit: *Ut apud Etruscos viguit Inferorum opinio; ita ipsos Beatorum loca, tamquam Græcorum, & Latinorum Elysios statuisse, collocasseque in ultimo Oceano, suadere videntur anaglypha urnarum, quarum exempla apposita ad ornamentum in fine Præfationis.* Et Lib. I. V. & VII.

rum suffragiis mentionem faciunt, significare vult formulas illas precum, quas legimus in antiquis inscriptionibus, quarum nos quoque nonnullas ad calcem pagellæ apposuimus (*Vid. num. praced.*) aliæque legi possunt in Musæis. Agit de libationibus, & de sacrificiis, & de illo præcipue, quod a Græcis dicebatur [illegible] (*a*) & a Latinis *justa*, justo, etiam Platonis sententia, ad expiandas animas defunctorum, & ad restituendam iis pristinam integritatem, per quam ex eo pœnarum loco cœlum ingredi possent. Fragmentum Ægyptianæ liturgiæ nobis a Porphyrio servatum illustrat, quod morem eumdem viguisse apud eam gentem ostendit; affertque alia antiqua monumenta hunc morem testantia; quæ sicut nos certiores faciunt consuetudinis omnium gentium opem mortuis ferendi, ita evidenter demonstrant, hoc hæsisse in mentibus omnium, non solum animas dissolutioni corporis superesse, sed esse statuta etiam præmia bonis, cruciatus in improbas, hinc etiam, esse supremam providentiam, potentiam, sapientiam, justitiam, aliaque Dei attributa, licet hæc omnia pluribus confunderentur fabulis. Desinit Morinus rectissime, & verissime advertens hoc quod, quoniam non solum confirmat quam præ manibus materiam habemus, sed etiam alia capita, quæ in progressu hujus operis discutiemus, placuit hic transcribere. Inquit ergo ille: (*b*) *Sicut valde inter se conveniunt opiniones sapientium Ethnicorum, & Christianorum* (quod spectat ad defunctorum suffragia), *hinc Haretici odiosa multa deduxerunt, quasi vero Ecclesia mos esset Ethnicorum rituum studiosa imitatio. At nullo negotio hujus criminationis iniquitas refellitur, ostenditurque, hunc pium morem ex puriori fonte in nos dimanasse, hoc est ab antiqua Judaorum, qui fuit Dei populus, Ecclesia, qua nunc quoque orat, qua Apostolorum atate orabat, qua semper pro defunctis oravit. Tantum ergo abest, ut Christiani hunc morem mutuati sint ab Ethnicis, ut etiam admodum credibile sit, Ethnicos eum ab Ægyptiis didicisse, hosque ab Hebrais, qui tamdiu cum iis versati fuerant, qui mos deinceps ad nationes omnes se extendit ad Sinenses usque, ad Indos, & ad Americanos etiam. Qua moris universitas non aliunde proficisci potest, nisi a traditione vetustissima, vel potius a notione ab ipso Deo omnium hominum impressa mentibus, de qua usurpari potest illud Tertulliani:* „ Testimonium animæ naturaliter Christianæ. „ Hucusque Morinus. Sed tempus monet, ut e diverticulo redeat in viam sermo noster; ex iis, quæ hactenus sunt a nobis dicta consequitur, quotquot monumenta aut *scripta*, aut *figurata* præteritorum temporum habemus, esse omnia testimonia, quæ de universa, constantique hominum de Religione consensione nos dubitare non patiuntur; demonstrantque etiam, nullam fuisse nationem, regionem nullam, quæ cognitione hac prorsus caruerit.

CA-

(a) De hoc sacrificio, de quo scribit Morinus, legi potest Guillelmus Budæus in suis Commentariis de lingua Græca ad vocem [illegible], *expiatio*, *caremonia*, & *sacrificium*, ubi multas auctoritates affert, quæ hoc confirmant; præcipue locum Platonis a Morino citatum, qui est in Lib. II. de Rep. Et ex quo apparet, [illegible] fuisse sacrificium pro defunctis.

(b) *Comme on peut remarquer plusieurs rapports entre les sentimens des sages Payens, & la créance de l'Eglise, les Heterodoxes en ont voulu tirer des consequences odieuses: comme si la pratique des Chrétiens à l'égard des morts étoit une suite du Paganisme: mais il est aisé de faire voir l'injustice de cette imputation, & de prouver que ce pieux usage nous vient d'une source plus pure; c'est-à-dire, de l'ancienne Eglise des Juifs, du Peuple de Dieu, qui prie encore aujourd'hui, qui prioit du tems des Apôtres, & qui a toujours prié pour les morts. Bien loin donc que les Chrétiens ayent emprunté cette pratique des Payens, il y a beaucoup plus d'apparence que les Payens eux-memes l'avoient prise des Ægyptiens, & ceux-ci des Juifs qui avoient habité parmi eux, & qu'elle s'étoit ensuite répandue dans toutes les nations de la terre, jusqu'aux Chinois, & aux Indiens, & meme aux Americains: Universalité qui ne sçauroit venir que d'une tradition très-ancienne; ou plutôt d'une notion imprimée par le doigt de Dieu dans le cœur de tous les hommes, & à la quelle on peut appliquer ce mot de Tertullien*, Testimonium animæ naturaliter Christianæ, *pag.* 425.

CAPUT NONUM.

Libertinorum Objecta adversus consensum Gentium de Religione.

I. *Dubium Cottæ de Atheismo Barbarorum coargutum a Cicerone, ab Æliano, & ab aliis. Maxime opportunus locus Luciani.*

II. *Oppositio ipsa deducta ex credito Barbarorum Atheismo renovata a nostrorum temporum Libertinis. Rejicitur contrariis testimoniis. Specimen Critices Belii.*

III. *Quibus intellectibus adhiberent antiqui nomen Athei. Vis narrationum itinerantium de barbaris gentibus.*

IV. *Quamvis concedatur, quosdam Barbaros fuisse Atheos, non ideo tamen vis universi consensus humani generis de Religione imminuitur. Observatio notatu digna de Groelandis.*

V. *Alia oppositio contra universi consensus argumentum ducta ex pluralitate Deorum. Non infirmat illa, immo confirmat consensum hominum de existentia Dei.*

VI. *Consensus universus non probat existentiam plurium deorum, ut averet Balius, sed existentiam unius Dei. Adversiones Bernardi.*

VII. *Num Ethnici in Polytheismo noverint Deum unum summum, & supremum. Testimonia veterum id persuadentia.*

VIII. *Theogeniæ Hesiodi, & Homeri quibusdam veritatis facibus illustrantur; Sapientes supra fabulas sese extulerunt, eas reprehenderunt, Deum unum confessi sunt. Loca illustria Sophoclis, Euripidis, & Menandri.*

IX. *Eamdem veritatem noverunt celebriores Ethnici Philosophi; præcipue qui post Nativitatem Christi floruere. Variis modis explicabant Polytheismum, unum tamen Deum confitentes.*

X. *Sententia quorumdam recentiorum Scriptorum de impietate veterum Philosophorum. D. Paulus descripsit nobis eorum ingenium, quod experientia comprobavit. Ultimum Belii sophisma dissolutum.*

§. I. Quam magna sit vis argumenti, quod ab hoc universo, perpetuoque Gentium de Religione consensu eruitur, optime intelligunt Libertini, qui idcirco operam suam omnem huc conferunt, ut illud infirment; at eorum consilia ansam nobis præbebunt tanto magis veritatem hanc, plurésque alias gravissimas cum illa arcte conjunctas illustrandi.

Dicunt ergo nonnulli, quamvis cultiores, celebrioresque nationes religionem semper professæ fuerint, tamen quasdam fuisse tam rudes, tam barbaras, ut ne scirent quidem, quid esset, & num esset religio: Quapropter Cotta, ut est apud Ciceronem, cum audivisset sibi objici hoc consensionis populorum ut validissimum Dei existentiæ argumentum: *Equidem* (inquit ille) *arbitror, multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio Deorum sit.* (Lib. I. de Natura Deor. c. 23.) At inaniter, & perperam dubitare Academicum hunc (Academici enim personam eo in libro Cotta sustinet) qui nationis nullius, regionis, oræ testimonium, & auctoritatem affert suæ suspicionis, Cicero ipse ostendit & in locis supradictis, & in pluribus aliis, in quibus quid sentiat exponens, universum hunc, & constantem consensum ut certissimam propositionem affert, qua Divinitatis existentia probetur evidentissime. Duo tantum loca ex Lib. II. de Nat. Deor. desumpta afferam: *Quod nisi cognitum, comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis, ætatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus, ceteras opinio-* nes

nes fictas ; atque vanas diuturnitate extabuisse . . . Opinionum enim commenta delet dies : naturæ judicia confirmat . Itaque & in nostro populo , & in cæteris Deorum cultus , religionumque sanctitates existunt in dies majores atque meliores . Et haud ita post : *Itaque inter omnes omnium gentium sententia constat . Omnibus enim innatum est , & in animo quasi insculptum , esse Deos . Quales sint , varium est : esse , nemo negat .* Præterea alia maximi Oratoris loca bene multa , qui certe haud debuisset toties , & tam asseveranter consensum hunc in medium producere , si novisset , aliquas nationes religionem nullam colere . Addantur his Ciceronis locis , ut refelleret Academicum Cottam , simulque cum illo Pyrrhonicos recentiores , alia testimonia , & primum quidem Æliani , qui , ut arbitratur Perizonius , Hadriani , aut Alexandri Severi temporibus floruit . Hic (*a*) ita Lib. II. *Variarum Historiarum capite* 31. in quo probat *neminem omnium esse Atheum* , inter alia dicit : *Quis Barbarorum sapientiam non commendabit ? Quandoquidem nemo illorum in Atheismum prolapsus est , nec dubitat , sintne Dii , an non sint , curam rerum nostrarum gerant , an non . Nulli ergo aut Indo , aut Celto , aut Ægyptio hæc in mente hæsit opinio . . . Sed Barbari isti , quos nominavi , & esse Deos , & res nostras curare , & futura præscire , sibi persuadent .* Hoc idem multo ante pronuntiarat Aristoteles , quod Æliani ætate retulerat ex Aristotele Maximus Tyrius in quodam illustri loco , quem inferius afferemus . At hinc argumentum meo quidem judicio maximi ponderis tacitus præterire non possum , quod omnium cuique Religioni infensissimus , qui fuit Lucianus , quem Antoninis imperantibus scripsisse credimus , nobis suppeditat . Hic in Dialogo inscripto *Jupiter Tragædus* n. 42. (*b*) disputantem pro Religione Timoclem inducit , qui inter alia argumenta , quæ recenset , *consensum universum omnium* populorum , qui confitentur , coluntque Deos , affert . Jam respondet Timocli Damis acerrimus omnis Religionis hostis . Et sane si scivisset Lucianus , aliquam nationem , aliquam remotam , barbaramque oram esse , quæ Atheismum profiteretur , adversario objecisset , non prætermisset id silentio : nihil enim eo loci prætermisit , quo aut e fronte , aut e lateribus hostem aggrediens non solum Polytheismum , sed religionem , providentiam , Deumque posset evertere . Lucianus autem hunc populorum consensum tacitus fatetur , & affirmat , tantumque respondet , eum nihil habere ponderis ad confirmandum id quod probare Timocles intendebat : confusio enim varietasque magna cultus erat in populis ; quod ille ostendit recensens religionem Scytharum , Thracum , Phrygum , Æthiopum , Cylleniorum , Assyriorum , Persarum , aliorumque , quorum singuli res inter se maxime diversas , ridiculasque etiam Deos habebant . In quo impii Auctoris testimonio duo ad id , quod volumus probare , maxime facientia advertimus . I. Consensionem omnium populorum de Religione receptam ab homine ejusmodi , qui erat Lucianus , receptamque in eo Dialogo , eoque loci , ubi tunc Tamis suus erat . II. Consensum hunc esse quidem argumentum , quo divinitatem esse , confirmatur ; quandoquidem nationum omnium , gentiumque hæc fuit vox una ; at non esse argumentum (ut vult Bælius , quod mox patefiet) quo Polytheismus , atque Ethnicorum numina probentur . Hac siquidem in re , ut candide Lucianus fatetur , a se invicem gentes dissentiebant . Quod fusius jam ostendemus .

§. II.

(a) Ælianus Var. Histor. Καὶ τίς οὐκ ἂν ἐπαινέσαι τὴν τῶν βαρβάρων σοφίαν ; εἴγε μηδεὶς αὐτῶν εἰς ἀθεότητα ἐξέπεσε , μηδὲ ἀμφιβάλλουσι περὶ θεῶν , ἄρά γ' εἰσὶν , ἢ ἄρα γε ἡμῶν φροντίζουσιν , ἢ οὔ . Οὐδεὶς γοῦν ἔλαβε τοιαύτην . . . οὔτε Ἰνδὸς , οὔτε Κελτὸς , οὔτε Αἰγύπτιος . Λέγουσι δὲ τῶν βαρβάρων οἱ προειρημένοι καὶ εἶναι θεοὺς , καὶ προνοεῖν ἡμῶν , καὶ προσημαίνειν τὰ μέλλοντα .

(b) Referemus locum latine juxta recentem versionem ultimæ editionis Rheititii . Amstel. 1743. TIM. *Igitur omnes homines , & populi decepti sunt , qui Deos esse putant , ac celebrant .* DAM. *Bene Timocles , admonuisti me eorum , quæ inter gentes moribus legibusque recepta sunt : e quibus nimirum maxime cognoverit aliquis , quam nihil firmum illa , quæ de Diis feruntur , habeant . Multa enim confusio , & alii alia sanxerunt : Scythæ sacrificantes Acinaci , & Zamolxidi Thraces . . . Phryges autem Menæ , & Diei Æthiopes , & Cyllenii Phaneti ; & Assyrii Columbæ , & Persæ igni , & aquæ Ægyptii . Quamquam communis quidem Ægyptiis omnibus Deus est Aqua . Privatim vero Memphitis Deus bos est . Pelusiotis cepe ; & aliis ibis , aut crocodilus , cynocephalus , aut feles . . . . Hæc quomodo non ridicula sunt o pulcher Timocles ?*

§. II. Quod si ita se res habet, eritne quispiam, qui magni faciat Romani sophistæ opinionem tot testimoniis tamque claris confutatum? Tamen hujus vestigiis Libertini insistunt, & alicujus peregrinantis, aut alicujus monumenti, quibus, si de quacumque alia materia ageretur, nullam fidem haberent, testimonium jactant, putantque se eorum ope reperire posse modo in aliqua Orientali insula inter Moluccas, & Manidas, modo in Boreali America, aut in aliquo Africæ littore eam gentem, quam ignorabat Cotta, *tam barbaram, & immanitate efferatam*, quæ nihil de Deo audierit. At hæc tam sollicite perquirendo nonne satis ostendunt, se de causa sua desperare? Quis non moveatur, nescio an dicam misericordia, an risu, cum Philosophos tam graves, tam prudentes videat mendicare causæ suæ præsidia ex horridissimis novi orbis specubus, neque pudore suffundi, quoniam de ingenio suo tantum glorientur, tantum de suo dijudicandi acumine, cum videant, doctissimas, excultissimasque omnium sæculorum nationes in hoc certamine nobiscum contra se facere, ex alia vero parte, conglobatos secum aut fœtidos Ottentoos, aut Barbaros Groelandiæ incolas, aliosque horridos silvestres populos more ferarum palantes per nemora vitam ducentes, in quibus ferocia, & ignorantia humanitate ipsa eos spoliavisse videtur? Quid quod negant homines doctissimi, horum barbarorum exiguum gregem, cujus testimonium ostentant adversarii nostri Divinitatem prorsus ignorare? Ex illis antris quoque exulat impietas, ut testantur ii, qui diutius iis in regionibus versati satis & sermonem, & mores eorum populorum norunt, ac proinde cum possint de illis judicium ferre, longe alios quoad Religionem eos nobis describunt, ac peregrinantium aut mendacium, aut imperitorum, aut narrationum ad artem, & ex composito confictarum fidem sequentes vellent Libertini, ut eos esse crederemus. Tres Scriptores præcipue gravissimis testimoniis caput hoc illustrant. Quorum unus est Joannes Ludovicus Fabricius in libro latine scripto, qui hunc præfert titulum, (a) *Apologia generis humani adversus accusationem Atheismi*; Secundus est Crotius in libro inscripto *Entretiens sur plusieurs sujets d'Histoire*, in quibus purgat ab impietate populos Canadæ, Antillarum, Brasilii. Tertius demum est Stillingfleetus in opere Anglice scripto, cui titulus *Origines Sacræ*, in cujus parte secunda accurata narratione, & testimoniis eorum, qui iis in locis degunt, vindicat ab Atheismi criminatione incolas Cubæ, Antillarum, populos Canadæ, novæque Angliæ, indigenas Paraguajæ, Brasilii, Chilii, multosque Africæ populos, ut Cafros, & Madagascarii accolas, & alios qui impietatis rei in quibusdam commentitiis narrationibus traducebantur. Et quod ad Africam pertinet, legendus est Petrus Kolbenus, quem *accuratum, diligentemque scriptorem* appellat Joannes Albertus Fabricius. (b) *In descriptione capitis bonæ spei* multus est, ut Ottentotorum, populorum omnium, inquit Crotius, quorum quidem notitiam habeamus, maxime horridorum, & cum deformitate, tum fœtore maxime stomachosorum mores describat. Credebantur vulgo in Europa infelices illi Athei, ita asserebant itinerantes, qui ab eorum corporis fœditate, & deformi figura conjiciebant fortasse eorum intellectum quavis divinitatis notitia carentem. Verum Kolbenus per annos decem iis in regionibus moratus putat, se potuisse detegere, eos credere Deum supremum, conditorem, dominumque universi, quem incomprehensibilibus attributis ornatum existimant, & eorum lingua *Gounja Ticquoa*, hoc est *Deus Deorum* appellatur. Putat præterea Kolbenus, credere Ottentotos immortalitatem animæ, licet de illius sta-

(a) Jacobus Brukerus in libro inscripto *Miscellanea Historiæ Philosophicæ, Litterariæ, Criticæ* edidit epistolas sex ineditas Cl. Leibnitii, in quarum secunda hæc scribit: *in Anglia prodiisse accepi Apologiam generis humani adversus accusationem Atheismi, cujus auctor Fabricius tueri dicitur, nullam gentem prorsus ἄθεον extitisse, quod ego verissimum judico.*

(b) *De verit. Relig. Christ. c.* 8. Citat opus Kolbeni teutonice editum in folio Norimbergæ anno 1719. at illud habemus versum in linguam Gallicam redactum in tomos tres editum Amstel. 1742.

statu in altera vita nihil certi ex iis scire potuerit. (a) Præter recensitos auctores alii etiam prudentes viri detexerant harum narrationum falsitatem, quæ eas gentes, præsertim recens inventas, & acquisitas verius esse belluas, quam homines, & ideo nullam religionem profiteri, nullum colere numen, dicebant. Legi potest Joannis Christophori VVolfii *Dissertatio de Atheismo falso suspectis*, *Sect.* 2. Bernardus (*Nouvell. de la Republic. litterair. ann.* 1705. *Fevrier. art.* 1.) Cumberlandus (*Traité Philosoph. des Loix Natur. Discours Prelimin.* § II.) & is, qui multorum catalogum contexit, nempe eruditissimus Joannes Albertus Fabricius (*De veritate Relig. Christ. cap.* 8.). Hic rejectis jam multis narrationum libris, quos Romanenses jure dixeris, qui aliquot ab hinc annis per Europam vagantur, ait, se valde mirari, Petrum Bælium acuti, si quis alius, ingenii hominem inducere in animum potuisse, ut fidem præstaret his fabellis, ut infirmaret (in quod nervos omnes intendit) argumentum, quod pro Religione ab universo consensu deducitur. Verum, quod bona venia tanti scriptoris dictum velim, quicumque aliquam notionem indolis, & operum Bælii habet; nihil sane mirabitur, cum ita sensisse. Erat quidem ille sublimi ingenio, perspicacique ornatus acumine, eruditione etiam, si minus exquisita, firmaque, at saltem magna, vividaque. Verum omnibus his pulchris decoribus cum scribendi facilitate summa conjunctis abutebatur ille turpiter, ut Pyrrhonismum, quo fovebat & impietatem spiritus, & cordis corruptionem, in dies magis magisque confirmaret. Itaque illis monumentis, seu relationibus, quæ flocci fecisset, si iis stabiliendum suisset aliquod Historiæ caput, quæque, si adversata fuissent alicui propositioni suæ, aut jocosæ narrationi, contemptui habuisset, & joco, his, inquam, monumentis utitur Bælius testimoniis quavis exceptione majoribus, ut opprimat veritatem, quam oppugnat. Hujus Bælianæ criticæ non pauca specimina dabimus hoc in opere. Qui interim vellet legere ea loca in libro inscripto *Continuation des Pensées diverses . . . . a l' occasion de la Comete* &c. aut in libro, cui titulus *Résponse aux question d' un Provincial*, certior fiet, nos vera dicere.

§. III. Antequam tamen progredimur ulterius, ne sit Lectori injucundum, si ad hoc Barbarorum cum veterum, tum recentium, quos e manibus adversariorum nostrorum extorsimus, caput quædam advertimus.

Non raro apud antiquos Scriptores vox *Athei*, aut *Atheismi* usurpata de nationibus, aut de singularibus hominibus reperitur; at longe alio intellectu ab eo, quem Libertini illi subjiciunt, & vulgo nostris diebus intelligitur; ita ut significet ignorantiam summam cujuslibet notitiæ Dei, qui a Scholis Atheismus *negativus* dicitur, aut apertam confessionem, quam opinatur, asseritque, Deum non esse, qui *Positivus* Atheismus appellatur. Ampliorem intellectum apud Vete-

(a) Ne sit Lectori injucundum legere hic locum Auctoris *Speciminis de providentia, & de physica Resurrectionis possibilitate*, ex Anglo in Gallicum sermonem versi, recusique Amstel. an. 1731. Nos eum referimus, licet non convenientem omnino cum iis, quæ in Kolbeno legimus, quia prudenter scriptus est, & nostram sententiam confirmat. ,, Quoad Ottentotos (*ita inquit Epist VII.*) miror, ,, velle deduci aliquid ex eo quod in ipsis nullum religionis vestigium appareat. Omnes conveniunt, ,, eorum sermonem nulla, quæ pronuntientur, habere verba, ac ideo intelligi non posse. Nescitur, ,, utrum credant, esse Deum; at nescitur etiam num non credant. Hoc saltem certum est, eos quam- ,, dam æquitatem servare. Hoc magnum est. Ceterum experientia mea motus adverti, non valde cre- ,, dendum esse itinerantium narrationibus. Obiter hi appellunt ad quamdam oram; vident ignotos ,, populos; vident, eos quibusdam cæremoniis uti, quas subito ad libitum interpretantur; contra ,, vero, si in iis populis nullam istarum cæremoniarum videant, asserunt, eos omni religione carere. ,, At qui sciri possunt earum gentium sensus, quarum non examinantur mores, quarum non intelli- ,, gitur sermo? Sæpius audivi itinerantes dicentes, populos Floridæ ignorare Deum, irreligiosos es- ,, se. Tamen cum in iis locis per annos decem fuerim versatus, intellexi, Religionem revelatam ,, tantum habere dogmata meliora eorum principiis. Socrates, Platones erubescerent, videntes se su- ,, perari a populis ceteroquin adeo imperitis. Ipsi tamen nullum externum cultum habent, neque ,, idola, neque templa, nec quicquam quod religionem indicet extrinsecus, sed firme credunt; es- ,, se Deum remuneratorem, vitam futuram ducendam simul cum hoc Deo supra solem, virtutem co- ,, lendam, tamquam conditionem suæ futuræ felicitatis, pœnam æternam statutam in improbos. ,, Oportet diu cum his gentibus versari, ut hæc de iis cognoscantur, & opus est eorum sermonem ,, intelligere. Qui scimus, utrum Ottentoti ejusmodi sint, quales nobis videntur? Itaque nihil con- ,, cludamus, nisi prius certiores simus.

teres vox hæc habebat. Athei appellabantur ab ipsis homines illi, illi populi, qui non servabant eas cæremonias Idololatricas, religionesque, quæ in plerisque orbis partibus colebantur. Ita Plinius (*a*) dixit Judæos *gentem contumelia numinum insignem*: & hac de causa primi Christiani accusati fuerunt Atheismi, ut in Justino, Athenagora, aliisque Christianæ Religionis Apologistis legimus. Immo id perspicue colligitur ex illustri Dionis loco, ubi narrat, Domitianum capite damnasse Clementem, & in exilium pepulisse ejus uxorem Domitillam, quia uterque Christianam Religionem profitebatur; Historicus tamen ait eos *Atheismi crimine* fuisse accusatos *ἐγκλήματα ἀθεότητος* (*in Domitiano Lib. LXVII.*). Præterea hoc nomine, & sæpius appellabantur improbissimi homines, qui scelesto vivendi tenore eas naturæ leges, quarum Deus auctor est, & custos, violabant. In hoc sensu, ut animadvertit Spanhemius, (*b*) sæpe vox hæc *Athei* usurpatur a Poetis Græcis, ut ex ipso Aristophane, Æschilo, Sophocle ille probat. Athei demum dicebantur interdum ii omnes, qui viventes exleges, societates evitantes, & commercia hominum, moribus ferinis, modisque asperioribus humanitatem omnem ejurasse videbantur. Ejusmodi, si Strabonem audimus, erant *Callaici*, seu antiqui Lusitani; de his scribit, a *nonnullis appellatos* fuisse *Atheos* (*c*) etiamsi ex ipso Strabone discamus, eos litasse. (*Lib. VII. pag. 154.*)

Jam mores consimiles dicere possunt itinerantes, se paucis immutatis reperisse (quod ex eorum narrationibus inter se collatis colligitur) in barbaris gentibus, e quibus in patriam revertuntur: gentibus, inquam, inertibus, imperitis, incultis, sine commercio, sine societatis legibus: ferocibus ingenio, effrænibus cupiditatibus, sordidis, putidis, moribus demum ferinis potius quam humanis; gentibus denique, a quibus nullum religionis cultum externum exerceri viderunt. Quidquid tamen id est, non est satis ad probandum Atheismum illum, de quo cum Libertinis altercamus. Probandum esset, iis rudibus animis Entis superioris, a quo cuncta pendent, ut a supremo domino, nullam inesse notionem; oporteret, nos earum gentium linguam callere, rimatosque fuisse earum mentium obcæcatarum recessus intimos, earum reconditos sensus nos speculatos fuisse, & detexisse, quod (ut de Ortentotis Kolbenus scribit) fieri non potest, quia adduci Silvestres illi homines non possunt, ut cum Europæis, credita ab ipsis gente versipelli, & dolosa versentur. De his omnibus, inquam, oporteret nos esse certos, adhibitaque cura, & diligentia omni, tunc affirmare possemus, nullum Entis supremi notionis vestigium nos in iis reperiisse. At difficile erit invenire, qui isthæc omnia se fecisse probet. Possunt ergo nobis itinerantes (si modo possunt) dicere, se hanc notionem in iis barbaris non detexisse; at testari nequeunt, in illis prorsus eam non esse. (*d*) Nos vero contra testem habemus, qui hæc vestigia comperit, hanc notionem Dei licet subobscuram, & confusam in Populis illis, quos Atheos esse quidam referebant, tandem aliquando, ut supra diximus, perscrutatus est, comperitque. Quod si aut tellus aliqua adhuc ignota sit, aut aliqua habeatur historia alicujus gentis præcipue in polaribus regionibus, quæ Atheismo infecta dicatur; neque historia hæc aliorum peregrinantium recentibus collationibus sit confutata, dicam, præjudicium adhuc nobiscum facere. Cum enim nobis innotescat, nationes cognitas, quæ præteritis sæculis vixerunt, quæque vivunt, cognovisse, & cognoscere divinitatem, ex analogia maxime verisimili de nationibus nobis incognitis idem sentimus; utentes hac in re (habita debitæ proportionis ratione) criterio, quo utuntur Physici, qui, aliqua proprietate in omnibus corporibus, de quibus experimenta instituere possint, detecta, generalem constituunt theoriam, eam-

(a) Lib. XIII. Nat. Hist. c. 4. *Gens contumelia numinum insignis.*
(b) *Solemne id Poetis Atticis, ut ἄθεοι ab iisdem dicantur de magno aliquo scelere convicti, & quos inde Dii graviter puniunt.* Ezech. Spanhem. in notis ad Plut. Aristoph. v. 492.
(c) *Ἔνιοι δὲ τοὺς Καλλαϊκοὺς ἀθέους φασὶν Lib. III. pag. 164.*
(d) Vide locum Anonymi Angli in nota pag. 202.

eamdem proprietatem etiam in corporibus ejusdem generis remotissimis inesse, ad quæ accedere non possunt.

§. IV. Quamquam, quod minime facere deberemus, concedamus quidem Bælio, ejusque amicis, aut in Archipelagi insulis inter Manidas, & Moluchas, aut in specubus novæ Zemblæ, aut in Groelandia (a) esse aliquos Silvestres adeo infelices, adeo cœcos, ut non modo indicium nullum Religionis præseferant, sed Creatorem, Moderatoremque universi supremum Deum ne agnoscant quidem; quid hinc deducent? Num dici non posse, consensionem hominum de Religione non esse universam? Si de aliquo Arithmetico calculo ageretur, ferendi sane essent, sed cum quæratur, sufficiatque universitas moralis consensus, quis non videt, hanc esse tantam, ut nationes, quæ Deum ignorarunt, ignorantque, cum illis, quæ divinitatem coluerunt, coluntque, compositæ sint pene nullæ dicendæ? Et sane legimus penes antiquos, recentioresque Scriptores, fuisse, & esse homines varie humano vultu monstrosos: *cynocephalos* alios, alios plumis coopertos, alios caudatos, alios aliis deformes figuris, quæ ut plurimum sunt ejusdem generis, ac multi itinerantes de immanitate, & moribus populorum a nobis maxime dissitorum referunt. Fingamus tamen, hæc omnia narrata vera esse, hominesque ita deformes fuisse; num idcirco vera minus erit hæc propositio, homines non habent eas brutorum animantium figuras, habent duos oculos,

. . . . *Os sublime tenent, cœlumque tueri Jussit*

Eos Deus? Quis dubitet? Si ii fuerunt, fuerunt monstra, hoc est non fuerunt specierum earum, quæ a specie nostra, ut ita dicam, divisæ essent; at fue-

(a) Andersonis habemus *Historiam naturalem Tulis, Groelandiæ, Freti Davisii, aliarumque Borealium plagarum*; quæ a Germano sermone versa fuit in Gallum, & Lutetiæ Parisiorum edita ann. 1750. Auctor hic ad finem Tom. II. pag. 236. agens de moribus Groelandensium quos Silvestres esse ait sine disciplina, sine legibus, inquit, *quamvis semper animadversum sit, probentque id populi illi, qui deinceps detecti fuerunt, non esse populum adeo remotum, ita imperitum, ita simplicem, qui aliquam Dei notitiam non habuerit, aut Divinitatis.... Groelandenses notionem nullam habere*. Testaturque Auctor eos, qui cum iis Silvestribus fuerant conversati, & præcipue *Missionarium Egedonem, auctoremque libri inscripti, Excursus per Groelandiam, qui idem aperte testantur*. Non magni momenti argumentum hinc pro causa sua deducere posse adversarios, etiamsi ut veras eas narrationes admittamus, clare ex iis, quæ de iis populis Auctor refert, apparet: mihi enim videtur sopita tantum, & confusa in ea natione Dei notio esse dicenda. Et sane hoc tamquam certum addit, I *esse in illa insula vestigia, quæ probant eorum hominum majores habuisse aliquam Dei, cultusque religiosi notitiam*: II. vix ac Groelandensibus prædicatur Deus hic, cæli terræque creator, & *ut convincantur* (inquit Auctor) *non potuisse solem, & alia corpora naturalia produci, nisi a Creatore, sicut eorum cymbæ ex se ipsis fieri non possunt; ipsos convinci, & fateri libenter, Creatorem fuisse; at dicere, se illum non nosse, nescire ubi sit; qualis sit*. III. inquit, *supradictum Egedonem in sua narratione pag. 64, referre, se, cum interrogasset multos ex iis, intellexisse, eos credere, mortuo homine, animam, quam dicunt* Targneck, *in cœlos migrare, corpus permanere in terra, & corrumpi; & hanc esse causam*, (pergit ille porro dicere) *cur sepeliant simul cum cadavere instrumenta cuncta, quibus mortuus usus fuerat in venando, & piscando; eoque magis, quod credunt mortuum alio migrare, ubi venari possit plures damas, canes marinos &c. sed ipsos nescire quo eant, nec quo tempore, nec quamdiu ibi futuri sint*. IV. *Ipsos Lamiis, & sortilegiis fidem prestare*; quare ait, cum Groelandensis amisisset filiam, filiumque primogenitum an. 1734. furentem, in quandam mulierem impetum fecisse, pedibusque eam pressisse, quod putabat, ipsam suis artibus eos interemisse. V. aliud est in his Silvestribus notatu dignum ab Andersone relatum, nempe, *eos ex natura sua mœstos esse, & cum soli sunt, caput dejicere, & crebra suspiria emittere, quin rationem reddere possint*. Adscribit Auctor hoc *eorum vitæ difficultati, quæ est ærumnarum cumulus*; at annon suspicari possemus ex iis præcipue, quæ dicta sunt, ex altiore fonte ea derivari suspiria, hoc est ex eo quod identidem accendatur in iis *lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quæ indigitet illis beatitatem, ad quam se impulsos sentiunt appetuntque honestatem, ad quam trahuntur, suæ existentiæ fulcrum, suorum malorum solatium, principium, finemque, & quietem omnium rationis motuum; omnia attributa primi Entis, quod Deus est, a quibus cum absint, nec vestigium videant, qua ad ea perveniant, quamquam ea sentiant, ut ad se pertinentia, & pro quibus creati sunt, frequenter ex imo corde gemère, neque loqui posse? videtur, hæc animadversio, quam verissimam credo, mire convenire cum iis, quæ paulo post dicit Anderson: hoc est, *populum hunc libenter audire, & attente quidquid illi de Deo, de ejus beneficentia, de favoribus, de vita æterna*, annuntiatur. Ex quibus omnibus adducor, ut credam, lectorem mihi concessurum, etiamsi velimus ne latum quidem unguem discedere a descriptione, quam nobis exhibet auctor Groelandiæ, posse nos vere dicere, in ea natione Dei, Religionisque, sed involutam, & confusam notionem inesse: quæ tamen vix ac aliena vox intonuit, evolvatur, & excitetur.

re errores abortus, aut ut ab Aristotele dicuntur *παρεκβάσεις*, prominentiæ, projecturæ. Jam sicut corpora quædam monstrosa sunt, possunt esse hujusmodi & quidam spiritus; & hujus generis procul dubio censendi sunt ii omnes, qui tam recte cogitant, ut *Spiritus Fortes* nostræ ætatis; & hujus generis essent (minus tamen his abominandi) qui qualibet religionis notione carerent. *Si a condito mundo* (opportune ad rem hanc propositam ajebat Maximus Tyrius, relato unanimi gentium omnium de notione Dei consensu) *si a condito mundo, duo, tresve essent homines nullius pretii, qui Dei ignari prorsus viverent, sensu carentes, quorum oculi respuerent lucem quamlibet, auresque vocem quamcumque; carerent etiam anima* (quæ est hominis pars nobilior) *nihil aliud essent hi quam hominum species irrationalis, inepta, similisque Leoni timidissimo, bovi carenti cornibus, volucri alis carenti*. (*a*) Jam monstra hæc, inquio ego, quia videlicet hujusmodi sunt, ostendunt, sicut humana natura tota aliud, ac illa, de religione sentit, ita illum esse verum, & rectum ejus instinctum, & homines, qui Dei nullam notionem habent, involvi tenebris ab humana natura alienis, brutorumque animantium propriis, ut idem auctor dicebat, cecinitque non multo post Christianus vates Prudentius (*in Apotheosi contra Unionitas v. 212.*)

Non recipit natura hominis, modo quadrupes ille
Non sit, & recto spectet cælestia vultu,
Non recipit, neget ut regimen pollere supremum.
Istud & ipse Numa tacitus sibi sentit Aruspex,
Semifer & Scotus sentit cane milite pejor.

§. V. Ita concordi, constantique nationum omnium de religione consensu statuto, confirmatoque, videamus quo se increduli vertant, ut impetum hunc argumenti devitent, quo eorum evertitur error. Sit ita, inquiunt illi; noverint gentes omnes, cognoscantque naturæ auctorem. Atqui annon scimus, omnes has gentes tam perversa, tam multiplicia, tam ridicula cogitasse de Deo, ut quicumque sanæ mentis est, stomachetur, indigneturque? Numeret quisquis potest Numinum a Romanis, Græcisque cultorum vim ingentem, videat Deorum Ægyptiorum abjectionem. Legat in Mythologis, in Poetis ingenia, mores, casus, genealogias eorum Numinum; cultum, religionemque, qua eorum asseclæ illa prosequebantur, & nedum testes divinitatis idololatræ illi producantur, opus erit, eos tamqnam cæcam, corruptamque gentem odisse, & contemnere, faterique (hæc propositio est una ex iis, quam maxime sibi arridentem millies in suis operibus repetit, inculcatque ad ravim usque Bælius, de qua alibi dicemus) Atheismo pejorem esse superstitionem. Ex Religione Gentium ergo, licet omnes eam coluerint, nullum deduci potest Dei existentiæ argumentum; vel si argumentum aliquod deducitur, debet esse pro Polytheismo, de quo consentientes habemus nationes.

Ut hujus oppositionis vis intelligatur, & primum quidem quoad partem illam, qua putatur ex religione gentium divinitatis existentiæ argumentum non posse desumi, ajo, hujus rationis auctores similes esse illius, qui negans, cum meridianus sol lucet, solem lucis fontem splendescere, in aliquod duceretur cubiculum, ut cerneret res omnes, quibus ornatur, coloribus tam variis depictas; hoc modo probaretur insanienti tunc temporibus vere esse diem, & esse solem, & esse lucem. At si hic, qui se magni ingenii virum jactitat, ibi nihil præter colores, cerni aliud responderet; proinde eos argumento satis valido esse non posse, quo solaris luminis demonstretur existentia,

. . . . *Clament periisse pudorem,*
Cuncti pene patres. Horat. Lib. 2. epist. 1.

Quid enim aliud sunt colores illi, nisi so-

(a) Differt. XVII. Edition. Lond. 1740. In aliis I. in aliis XIV. *Εἰ δὲ ἐξεγένοντο ἐν τῷ ξύμπαντι αἰῶνι δύο πῃ καὶ τρεῖς, ἄθεον, καὶ ταπεινὸν, καὶ ἀναισθὲς γένος, καὶ μετηλλαγμένον μὲν τοῖς ὀφθαλμοῖς, ἐξηπατημένον ταῖς ἀκοαῖς, ἐκτετμημένον δὲ τὴν ψυχὴν, ἄλογον, καὶ ἄγονον, καὶ ἄκαρπον, ὡς ἄθυμος λέων, ὡς βοῦς ἄκερως, ὡς ὄρνις ἄπτερος*, &c.

si solis radii, qui in superficiem corporum impingentes separantur, multisque rationibus *franguntur*, *reflectunturque*, atque hoc modo diversimode affecti colores illos repræsentant? Lux ergo solis fundamentum est, & basis, ut ita dicam, colorum; ipsa est, quæ cernitur, ubicumque res quaque cernitur; descendens enim ipsa in tellurem, impingensque in tot, tamque varia, diversaque corpora, iis diversis coloribus fulgens apparet; usque tamen est lux eadem; quandoquidem

Corporibus reddit cunctis lux alma colores.

Hoc idem in hac re nimirum accidit. Postquam impiis ostendimus, pene dixerim sub dio, in naturæ operibus supremum Numen, quæ universa & singula luce illa illustrantur; per omnes mundi partes eos circumducimus, introducimusque in nationum templa, in quibus quavis ætate culta, adorataque divinitas fuit. Illi tamen in his tantam cultus varietatem, tam multiplicem Mythologiam spectantes, consensum, cultumque harum gentium non probare, Dei cognitionem eas habuisse, dicunt. Quænam hac major potest esse insania? Annon intelligitis, Divinitatis notionem esse basim primam, fundamentum horum omnium Religionis objectorum? Annon intelligitis, nisi in mente harum gentium supremæ naturæ, infinite per se excellentis, rerumque omnium auctoris, & dominæ notio hæreret, fore ut temporis momento corruerent templa, aræque, cessarent sacrificia, religio desineret? Dei notio proxime proficiscens

(a) *Lumine ab excelso, vera quod luce refulget*,

Pura, & integra mentes primorum hominum imbibit, & ab iis numquam interrupta, universaque traditione in posteros omnes omnium orbis partium quovis tempore fuit propagata: verum notio hæc ex his, illisque spiritibus aut infirmis, aut superbis, plumbeis interdum stupidisque, identidem corruptis, perversisque in hos, illosque alios omnino ab iis migrans mutationes magnas, multasque passa est pro utilitatis, politiæ, aliarumque hujusmodi cupiditatum affectionibus, quæ in antiqua Mythologia animadvertuntur. Quod egregie, ut semper consuevit, ita cecinit Cardinalis de Poliniaco (Anti-Lucret. Lib. IX. ver. 885.)

Inde per humanas gliscente libidine mentes
Vera Dei sensim species squalescere cœpit.
Nam populi Dominum veriti, at quis funditus essit,
Obliti, non jam æternum, simplicem, & unum
Multiplici fœde pictum coluere figura:
Membratim in varios ausi discerpere divos,
Atque deas, prout usus erat, suasitque libido.

Divinitatis tamen notio, sicut lux est colorum, est omnium fabularum fundamentum, ad quod, amputatis alienis, & ex animo libidinosis figmentis, idololatria redit, eoque sustinetur.

Dabo, id ita esse, reponit Bælius. Verum cum scilicet omnes gentes has insanas mythologias amplexatæ sunt, illisque divinitatis notionem corruperint, si earum consensus quidquam probaret, Polytheismum probaret. Supra jam Luciani locum explicantes innuimus, quid esset hujusmodi sophismati respondendum. Quia tamen Bælius summopere de hoc commento sibi plaudit, *caudam jactatque popello*, lubenti animo Lector audiet responsum idem nostrum fusius, majorique vi allatum a claro Bernardo, æmulo, si quis alius, Bælii, quique etiam de hac re cum illo certavit. *Dicis*, (Bælium alloquitur) *quicumque divinitatem unam crediderunt, etiam pluralitatem Deorum credidisse; si ergo eorum consensus quicquam probat, probare, & multo quidem magis plurium Deorum existentiam, quam unius. Respondeo, si omnes orbis terrarum populi semper inter se convenissent, & nunc temporis etiam convenirent de credendo certo, definitoque numinum, taliumque numinum statutorum numero, hoc argumentum vehemens fore, & dicendum, omnia hæc numina existere. At longe aliter se res habet. Postquam omnes homines voce una pronunciarunt, una tantum divinitas est, in innumeras diversas se dispartiunt sectas, duosque populos, qui & eosdem Deos colant, & eumdem eorum numerum habeant vix, ac ne vix quidem fas est reperire. Cum una, eademque voce loquuntur, eos audio, credo enim,*

(a) *Dall' alta luce, che da se è vera.* Dante Parad. Cant. XXXIII.

enim, hanc naturæ vocem esse. At cum invicem non consentiunt, loquunturque alii alia, ad examen revoco singulorum dicta, inquiroque, quis recte, quis minus recte loquatur. Qua ratione autem probari poterit, cunctos populos Polytheismum tempus in omne credidisse? An testimonio Hesiodi, Homeri, Orphei? At hoc demus Moysi, ut tantum illius auctoritati deferamus, quantum iis tribus antiquis Poetis. Quid hoc minus ei dare possumus? Jam vetus hic Legislator me docet, duos & amplius mille annos excurrisse, quin populi de Deorum multitudine ne cogitarent quidem. Si enim quicquam cogitassent, aliquid ille dixisset. Credibile praterea est, Polytheismum Babelis turre antiquiorem non esse. Qui ergo jactare poterit consensum tam constantem, quam habet Deismus? (adhibetur hæc vox hic, ut significet systema unius Dei.) *Polytheistæ plures Deos admittentes unum tantum statuunt: at populi quicumque Deum unum cognoverunt, rejecerunt certe Polytheismum. Neque vereor* (ita paulo post Auctor loquitur) *ut quicquam nos moveat id, quod dicitur de auctoritate majoris numeri, & de argumento, quod hinc Ethnici, ut Christianam Religionem repellant, desumunt.* (Hoc est aliud Bælii argumentum, ut rationem nostram a consensu gentium deductam enervet.) *Quænam est enim Ethnicorum natio illa, quæ ostendere potuerit, suam de Religione opinionem esse nunc, semperque fuisse unanimi consensu receptam? Qui fieri hoc poterat, si ipsi majoris Deorum suorum partis originem, orturnque non ignorabant?... Et si quod hæc natio adorabat, sacrificabat alia iis Diis, quos colebat? Nesinamus, hac in re nos falli: Græci primi fuerunt, qui nos deceperunt, tum Latini: de aliis siquidem populis loquentes nos docuerunt, eos adorare Jovem, Martem, Venerem, omnesque Deos, qui a Græcis, Latinisque adorabantur. Interdum levis similitudo effecit, ut illi sæpe alienos Deos a suis omnino diversos in suos assumerent.* (Certamina annis præteritis inter antiquarios enata in explicandis Etruscis monumentis ad religionem spectantibus hoc, quod dicit Bernardus, confirmant:) *Nulla ergo est in Polytheismo unanimis sententia. Quapropter consequutio, quæ ex his contrariis opinionibus deduci potest, hæc est, omnes nationes de notione unius Dei convenisse. Et hæc videlicet est consequentia illa, quam nos derivamus. Nimium immutatus fuit Polytheismus, ut possit in ejus confirmationem quicquam concludi.* Hactenus Bernardus; (*Nouvelles de la Repub. des Lettres Mois de Fevrier 1705. Par Jacques Bernard. Art. 1.*) cujus animadversiones nullo negotio monumentis, clarissimisque auctorum cujusvis generis testimoniis illustrari possent; sed hoc sufficiat & ad causam nostram confirmandam, & ad ostendendam Bælii argumenti infirmitatem, & futilitatem.

§. VII. Hæc eadem illatio, quæ vi animadversionum hucusque factarum ex religionibus gentium pro Divinitate una, non pro Polytheismo deducitur, clarior splendesceret, si cum pluribus doctissimis viris dicere vellemus, non solum inter idololatricas superstitiones, fabulasque naturæ divinæ notionem semper permansisse, sed poetarum fabulas, quibus deformata fuit, ab Ethnicis ipsis ut fabulas videlicet semper rejectas fuisse, irrisasque; si diceremus, unum supremum Numen cognitum fuisse in Polytheismo; cum tot illi Dii ab ipsis Ethnicis crediti non fuerint nisi aut symbola, quibus varia, & infinita veri unius Dei significabantur attributa; aut substantiæ hominibus quidem nobiliores, at ejusdem veri unius Dei imperio subjectæ, ejusque ministræ. Videtur hujus opinionis fuisse Prudentius, qui in *Apotheosi contra Unionit. vers.* 186. ita cecinit:

Et quis in idolio recubans inter sacra mille,
Ridiculosque Deos venerans sale, cespite, thure,
Non putat esse Deum summum, & super omnia solum?
Quamvis Saturnis, Junonibus, & Cythereis,
Portentisque aliis fumantes consecret aras;
Attamen in Cœlo quoties suspexit, in uno
Constituit jus omne Deo, cui serviat ingens
Virtutum ratio variis instructa ministris.
Quæ gens tam stolida est animis, tam barbara linguis?
Quæve superstitio tam sordida, quæ caniformem
Latrantemque throno Cœli præponat Anubim?
Nemo Cloacina, aut Epona super astra deabus
Dat solium, quamvis elidam persolvat acerram,
Sacrilegisque molam manibus vimetur, & exta.

Ita loquuntur etiam diebus nostris Scriptores multi; quorum tamen sermo nullo modo Bælio arridet. Conatus manibus, pedibusque, ut idolatriam odio dignam (ut reipsa est) esse omnibus ostenderet, at pessimo consilio, ut cum illa col-

collatus Atheismus pene innocens videretur, in libro *de la continuation des pensées* §. CXXI. ait, Poetarum fabulas licet insanas, & nonnullas turpes Ethnicorum theologiam constituisse; eosque non unum supremum Deum infinitis attributis pluribus symbolis expressis ornatum, aut a ministris sibi subditis omnibus, famulisque septam; at immensam, monstrosamque Numinum sine symbolis, & allegoriis turbam tamquam suæ religionis objectum verum coluisse.

Longiorem enimvero argumentum hoc postularet sermonem, si per extensum vellemus illud pertractare. Paucis tamen propositionibus, iisque brevibus, quid de materia hic tam longe, lateque patente opinemur, exponere contenti erimus.

Non gravate concedam, non paucos ex plebe, vulgoque Ethnicorum, suis cupiditatibus morem gerentes, turpibus vitiis corruptos, neque umquam e terra se sursum attollere suetos, ut juste, pureque meditarentur, credidisse divinitatem in tot res materiales, sensilesque divisam; & illi sedulo cultum crudelem, impurumque, ad quem suis etiam cupiditatibus agebantur, habuisse. Nonne videmus (Vid. P. Monfoconium *Discours prelim. à l'antiq. expliq.* §. 1.) in quot crassas, indignasque superstitiones incidant homines rudes, & plebs etiam nostris diebus, hoc est eo tempore, quo adeo Evangelii lumen fulget, religionisque doctores tantum exsudant, laborantque, ut illas radicitus evellant? Quid mirabimur ergo, si temporibus illis cæcis, quibus nullus veritatis præceptor erat, immo perversis Poetarum fabulis, Sacerdotum commentis, arte politica Principum laquei plurimi erant dispositi, quibus traheretur in errorem populus, tractusque retineretur, *irent* miseri illi *ad simulacra muta, prout ducebantur*? (a) Quid mirabimur, si ad infandos ritus, & superstitiosas cæremonias, quæ illis aut ab aliis proponebantur, aut sua cuique suggerebat libido, intimos animi sensus conformarent, & venerarentur proinde quasi numina non solum *Jovem, Minervamque, sed Venerem, & Bacchum*: immo cepe, & porrum in Ægypti hortis nata, & alia plurima monstra, quæ sine horrore nequeunt commemorari? Sicut divinitatis timor est ex vehementissimis, & altissimis impulsibus unus, quos in animis hominum impressit natura, ita cum hujusmodi affectus nec ratione, nec fide, sed ab intellectu erroneo, corruptoque manu ducatur, mirandum non est, si ad impia, & insana patranda hominem impellat, & pro qua relatione est inter cor, mentemque, etiam illi persuadeat, confusa quadam ratione, patrata esse vera, esse recta. Si tamen antiqua monumenta attente pervolvantur, videtur negari non posse, Ethnicorum vulgo etiam inter plurium Deorum cultum semper in mente nativse notionem Numinis supremi rerum omnium Domini, vicissitudinum moderatoris, principii, caussæ, fontisque non solum hominum, sed & eorum, qui Dii vocabantur, qui ideo illi subjicerentur. Duos insignes Scriptores Maximum Tyrium, & Dionem Chrysostomum hujus rei testes afferam. Ille in Dissertatione, quæ hunc titulum præsefert, *Quid Deus sit sententia Platonis, Sect. X.* hæc habet: (b) *inter discordiam hanc, contentionemque, & opinionum varietatem* (quæ in hominibus de quacumque alia re cernitur) *in hoc leges, sententiasque omnium videbis concordes: esse Deum, regem, patremque omnium, & multos Dei filios cum Deo regnantes. Hoc dicit Græcus, & Barbarus, incola continentis, & accola insularum, sapiens, & imperitus.* Hoc idem colligitur ex verbis Dionis Chrysostomi in oratione XII. ubi ait: *De Diis, & generatim de eorum natura, & præsertim de omnium duce, quoad res præcipuas, concors est opinio, & sententia totius humani generis tum Græcorum, tum Barbarorum.* (c) Neque quispiam mihi opponat, Oratores hos scripsisse post Evangelii prædicationem (primus enim floruit Antonino Vero imperante, alter sub Trajano) quo tempo-

(a) Scitis quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini euntes I. Cor. c. 12.
(b) Ἐν τοσούτῳ δὲ πολέμῳ, καὶ στάσει, καὶ διαφωνίᾳ, ἕνα ἴδοις ἂν ἐν πάσῃ γῇ ὁμόφωνον νόμον καὶ λόγον, ὅτι Θεὸς εἷς πάντων βασιλεὺς, καὶ πατὴρ, καὶ θεοὶ πολλοὶ Θεοῦ παῖδες, συνάρχοντες Θεῷ. Ταῦτα δὲ ὁ Ἕλλην λέγει, καὶ ὁ βάρβαρος, καὶ ὁ ἠπειρώτης, καὶ ὁ θαλάττιος, καὶ ὁ σοφὸς, καὶ ὁ ἄσοφος.
(c) Περὶ δὲ θεῶν τῆς τε καθόλου φύσεως, καὶ μάλιστα τοῦ πάντων ἡγεμόνος, πρῶτον μὲν καὶ ἐν πρώτοις δόξα, καὶ ἐπίνοια κοινὴ τοῦ ξύμπαντος ἀνθρωπίνου γένους, ὁμοίως μὲν Ἑλλήνων, ὁμοίως δὲ βαρβάρων.

te Ethnici, ut mox videbimus, fermones suos valde in his correxerunt; hujus etenim rei, hoc est opinionis communis de numine uno supremo antiquiora reperimus vestigia. Aristoteles lib. 1. Politicorum scribens de terrena Monarchia, vel de vita hominum præcipue veterum sub regimine capitis unius, seu regis, id inquit, quod huic rei clarius convenire non potest, tale autem est: *idcirco omnes dicunt*, πάντες λέγουσι, *Deos vivere sub alterius regimine*, (a) sive sub rege. Quodnam illustrius testimonium esse potest, ex quo cognoscatur, in Polytheismo hanc viguisse communem notionem supremi Capitis, & Domini, cujus cæteri vocitati Dii ministri essent, famulique, & sub quo viverent, ut scilicet in terrarum regnis aulici, & ministri sub rege vivunt? Hoc idem videntur nobis significare inscriptiones innumeræ, in quibus Jupiter O. M. solus ponitur, legiturque in capite etiam ante *Deos Consentes*, hoc est *Consultores*, *& Assessores suos*: hoc idem indicant symbola summum imperium testantia, quibus ornatum Numen hoc videmus in statuis, in vasibus, in anaglyptis cum Latinis, tum Græcis, tum Etruscis.

§. VIII. Non me fugit, quosdam in ea esse opinione, ut credant, Religionem Gentium addiscendam potius esse ab Homero, & Hesiodo, utpote qui collegerunt carminibus suis quidquid a plebe, & a Sacerdotibus de Divinitate aut credebatur, aut narrabatur; qua propter cum in his Poetis supremi Numinis notio legatur tam turpiter dedecorata, negata etiam, non absonum a ratione esse credere, hoc idem sensisse populum. Sed cum ego de hac re, de qua plurima dici commode possunt in partem utramque, disputare nolo; tum hoc certum est, Jovem illum, cujus ceteroquin tot scelera, & facinora narrant ii duo Poetæ, ab ipsis pluribus in locis cum summi imperii insignibus describi, & sæpe, ac sæpius appellari *magnum hominum*, *& Deorum Patrem*; Jovem, *cujus tonitru vasta tellus tremit*, *concutiturque*; Jovem, *cujus voluntas in humanis rebus semper adimpletur*; Jovem, *cujus lumina vident omnia*, *& omnia intelligunt*; aliæque similes dicendi formulæ millies iteratæ reperiuntur. Meum autem nec est, nec mea valde interest dijudicare; num cum hisce magnificis notionibus (quæ quidem, ut a Poetis, & ab aliis Scriptoribus docemur, vulgo ab Ethnicis usurpabantur) conjungeret plebs fidem suam, simulque crederet quæ de illo narrabantur, Patrem hunc hominum, Deorumque fuisse *Filium Rheæ a Saturno violatæ*, ut habetur in Hesiodo, fœdatumque fuisse iis vitiis, & sceleribus, quæ ab Homero illi affinguntur; satis enim mihi est, si animadvertatur, ut ex vetustis monumentis colligimus, in Polytheismo crassiori etiam vulgo hominum lumen hujus supremi Numinis, Patris, Domini, regisque rerum terrearum, cœlestiumque resplenduisse, quamvis pluribus fabellis præcipue supradictorum vatum tamquam tenebris involutum. At si non a stupido vulgo, saltem a prudente quovis homine horum duorum Poetarum nimirum *Theogenia* juxta litteram acceptæ proculdubio deridebantur. Id nobis significare voluit Hieronymus Philosophus, cum ait apud Laertium (*Lib. VIII. Segm. 21.*) „ Pythagoram descendisse ad inferos, atque Hesiodi quidem animam columnæ æreæ vinculis adstrictam, stridentemque vidisse. Homeri autem ex arbore pendentem; serpentesque illam circumdantes, propter ea, quæ de Diis finxerat „ (b). Nec urbanum minus, aut minus perspicuum est id, quod ait Dion Chrysostomus in supradicta oratione, in qua introducit Phidiam disputantem cum Homero, monstrantemque illi quam temeraria, & impudens ejus licentia fuerit, qui talia de summo Numine dixerit; & quantum versibus suis sculptorum, qui Jovem finxerant, libertatem superaverit. Cujus statua affabre ab ipso Phidia perfecta, & Elide erecta, hic dicitur, insignibus iis fuisse ornata, quæ Numen supremum maxime decebant, & quæ longe aberant ab iis turpitudinibus, quibus

(a) Πᾶς τις λέγουσι Θεοὺς βασιλεύεσθαι. *Lib. 1. Polit. c. 2.* Legatur D. Th. in comment. hujus loci.
(b) Idem Laertius in vita Xenophanis *Lib. IX. Segm.* 18 ait hæc; Philosophus hic *scripsit versus*, *Elegias & Jambos contra Hesiodum*, *atque Homerum subsannans ea quæ de Diis dixerunt*. Quidam horum Xenophanis versuum leguntur apud Sextum Empyricum *L. IX. adver. Mathem. sect. 193. edit. Fab.*

bus ille Poetarum princeps eum commaculatum finxerat. (a) Quamobrem Heraclides Ponticus, ficut advertit Giraldus (b) in Hesiodi vita, librum composuit, inscriptum *Allegoria eorum, quæ de Diis Homerus scripsit*; ille ipse cum fateatur, *cum Tantalo, aut cum Salmoneo ob immoderatam linguam conferri Homerum posse, si quæ de Diis cecinit alio sub intellectu non essent accipienda*. Extollebant ergo sese prudentes suis cogitationibus supra illas insanias, & ex ea numinum turba Deum unum fontem, causam, & moderatorem rerum omnium agnoscebant, & nonnulli etiam sine ænigmatibus eum fatebantur. Præclare ad hanc rem faciunt versus illi Sophoclis, quos nobis Sanctus Cyrillus Lib. I. contra Julianum, & quidam alii Patres conservarunt.

Est Numen unum, istud quidem omnibus patet,
Cœlum creavit, creavit quoque & solum,
Ventosque perflantes mare, & vagum mare.
At corde mortales nimis nos fallimur,
Qui nostra vexati levemus ut mala,
Nobis Deos saxis, & ære sculpimus,
Illos & auro, aut Elephante fingimus;
Iis victimas offerre, festos & dies
Concelebrare stulte credimus pium. (c)

Est etiam illustris Euripidis sententia, quæ in Tragœdia *Pirithous* inscripta legebatur, & cujus mentionem facit S. Clemens Alexandrinus: ita ille Deum invocabat: (d)

Te, qui es ex te, concutisque nutu,
Atque tonitru, fulmine & orbem,
Quem dies sepit, atraque noctis
Umbra tegit, quem sidera circum
Luce per te micantia multa
Irrequieta cuncta moventur.

Menander etiam, ut legitur in Justino, *de Monarchia* ita canit: (e)

Etenim illum, quem dominum nos rerum omnium,
Credimusque patrem, venerarier decet,
Quippe qui invenit, & cuncta creavit simul.

Hujusmodi sententias Tragici Poetæ Græci præcipue habent plurimas, ut legi potest in supradictis Patribus, aliisque nostræ religionis antiquis Apologistis, & etiam apud Grotium, qui earum collegit fragmenta, cum jamdiu multæ ex iis Tragœdiis, quas illi citant, perierint.

§. IX. Quod si, fabulis posthabitis, gravissimi Poetæ cognoverunt Deum unum, credendum non est, Philosophos saltem nobiliores veritatem hanc non cognovisse, & fuisse confessos. Longum nimis esset afferre eorum illustriores sententias, Pythagoræ præcipue, Socratis, Platonis, & Aristotelis, quæ collectæ ab Eugubino, a Vossio, & Pfannero, & copiose, nitideque ab Huetio in hoc eruditionis genere plurimum versato, ut quisque novit, illustratæ legi possunt.

(a) Meretur legi integra oratio, quæ est XII.; tota adspergitur luminibus, quæ mirum confirmant, quod dicimus.

(b) *Quare factum puto, ut Ponticus Heraclides contra Homeri calumniatores librum illum ediderit, qui est inscriptus, Allegoriæ, in his, quæ de Diis ab Homero dicuntur, & responsiones in ejus calumniatores. Videri enim, inquit, posset Homerus, Salmoneus, vel Tantalus immoderatam, atque intemperatam linguam habens, si quæ de Diis cecinit, sub alia significatione non intelligerentur.* De Poetar. Histor. Dialog. II.

(c) Εν ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστιν Θεὸς,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε ϗ γαῖαν μακρὰν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βίας.
Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίᾳ πλανώμενοι,
Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχὴν
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων, ἢ χαλκέων,
Ἢ χρυσοτεύκτων, ἢ ἐλεφαντίνων τύπους,
Θυσίας τε τούτοις, ϗ κενὰς πανηγύρεις
Τεύχοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.

(d) Σὲ τὸν αὐτοφυῆ, τὸν ἐν αἰθερίῳ
Ῥόμβῳ, πάντων φύσιν ἐμπλέξαντα,
Ὃν περὶ μὲν φῶς, περὶ δ' ὀρφναία
Νὺξ αἰολόχρως, ἀκριτός τ' ἄστρων
Ὄχλος ἐνδελεχῶς ἀμφιχορεύει.
Lib. V. Stromat.

(e) Διότι τὸν ὄντα Κύριον πάντων ἀεὶ,
Καὶ πατέρα, τοῦτον διὰ τέλους τιμᾷν μόνον,
Ἀγαθῶν τοσούτων εὑρετὴν ϗ κτίστορα.

Primis autem post Æram Christianam sæculis Ethnici Philosophi apertius animi sui sensus de hac re expromebant. Aut enim cum nostris disputantes, aut Evangelicæ lucis vi, quæ ubique splendescebat, videntes sibi objici monstrosam suorum Numinum multitudinem, suæque Theologiæ antilogias, Poetarum Theogonias, suorumque præceptorum systemata explicare sunt aggressi, & sana significatione eas interpretari curarunt. Hinc factum, ut eorum nonnulli dicerent, unum revera Deum esse, cujus tamen natura infinita cum sit, nomine uno, formaque una exprimi non poterat; proinde se finxisse, & Martem, & Palladem, & Mercurium, aliorumque Deorum gregem, veluti nomina tantum, & symbola, quibus unius Dei innumeræ virtutes, totumque per orbem diffusæ significarentur. (a) Symbolicas etiam dicebant, & allegoricas esse genealogias, turpiaque facinora, quæ de Diis narrabantur; mysteria latere sub cæremoniis, & ritibus, quibus ii colebantur, quorum ipsi, qui se sapientes haberi volebant, non poterant, quin summopere se puderet. Quidam autem ajebant, unum esse summum Deum, Patrem, dominum, moderatoremque rerum omnium, qui neque concipi mente, nec verbis posset explicari; ea tot Numina esse substantias incorporeas Deo subjectas, ejus nutuum famulas, & veluti Deum inter, & homines sequestros. Quæ opinio doctis iis potior fuisse videtur, ut in Porphyrio legimus, (*de Abstinent. Lib. II.*) in Macrobio, (Vid. præcipue *cap.* 2. *l.* I. *in Somn. Scipion.*) in Apulejo, (b) aliisque Philosophis Platonicis præsertim. Hos respexit Tertullianus cum in Apologetico hæc scripsit: *Nam sic plerique disponunt divinitatem, ut imperium summæ dominationis esse penes unum, officia ejus penes multos velint. Ut Plato Jovem magnum in cælo comitatum exercitu describit deorum pariter, & demonum.* (Cap. 24. Vide *Adnot. Pamelii ad eum locum.*) Quæ sententia in dies magis inter Ethnicos percrebuisse videtur, ut esset una omnium, ut ex Orosio habemus, qui ita inquit (Histor. Lib. VI. cap. I.) *Unde etiam nunc Pagani, quos jam declarata veritas de contumacia magis, quam de ignorantia convincit, quum a nobis discutiuntur non se plures Deos sequi, sed sub uno Deo magno plures ministros venerari fatentur.* Immo aliquid videtur amplius significasse Lactantius, qui de Ethnicis suorum temporum hæc scribit: *cum jurant, & cum optant, & cum gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos, sed Deum nominant: adeo ipsa veritas cogente natura etiam ab invitis erumpit.* (Lib. II. cap. I.) Hoc idem pene verbis iisdem testatur Tertullianus, (*vid. locum in nota ultima hujus capitis.*) & Minutius Felix, (c) omnes oculati, auritique testes, immo omnia eorum sæculorum monumenta pluribus modis id confirmant.

§. X. Non me latet, non paucos esse nostra ætate, qui hactenus producta testimonia, & illa plurima, quæ commode possent afferri, præcipue Philosophorum veterum pro Dei unitate, nihili pene faciunt, putantes, si intus, & in cute eorum systemata cognoscentur, fore ut illos aut *Dualistas*, aut *Spinosistas* detegeremus fuisse, aut alios errores Dei notioni repugnantes docuisse. Ego, quod jam superius innui, alibi hoc argumentum præcipue tractabo. Hic breviter, quam arbitror, esse unam, veramque sententiam, indicabo, quæ, antiquitatis monumentis perpensis, potest, debetque

de

(a) Ita sese explicat Maximus Madurensis, qui erat senex Ethnicus, scribebatque D. Augustino: *Equidem unum esse Deum summum, sine initio, sine prole, naturæ ceu patrem magnum, atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus neget esse certissimum? Hujus nos virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis invocamus; quoniam nomen ejus cuncti, proprium videlicet ignoramus.* Epist. inter August. XVI. olim XLIII. Legatur etiam Macrobius *in somnio Scipionis Lib. I. cap.* 17. *&* *Saturnal. Lib. I. cap.* 17. *& seq.* & S. Augustinus *de Civit. Dei Lib. IV. cap.* II.

(b) *De Deo Socratis*, ubi inter alia hæc ait: *Quorum* (deorum) *parentem, qui omnium rerum dominator, atque auctor est solutum ab omnibus nexibus patiendi aliquid, gerendive, nulla vice ad alicujus rei munia obstrictum, cur ego nunc dicere exordiar? Cum Plato cælesti facundia præditus, æquiparabilia Diis immortalibus disserens, frequentissime prædicet, hunc solum majestatis incredibili quadam nimietate, & ineffabili, non posse penuria sermonis humani quavis oratione vel modice comprehendi.* Edit. Paris. an. 1688. in us. Delph.

(c) *Quid quod omnium de isto habeo consensum? audio vulgus, cum ad cælum manus tendunt, nihil aliud quam Deum dicunt; &, Deus magnus est! &, si Deus dederit: vulgi iste naturalis est sermo an Christiani confitentis oratio?* in Octavio. cap. 18.

de re hac ferri. Continetur verbis illis S. Pauli *ad Romanos cap. I.* hoc est, Ethnici (præcipue Philosophi, Poetæ, aliique docti) *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum.* Ut oculis prope ipsis, unoque intuitu, quod D. Paulus dixit, cernamus reipsa confirmatum, exempli causa Radulphi Cudvvortii opus inscriptum *systema inelucTabile*, ex Anglo in Latinum sermonem versum, illustratumque prolixis notis a Laurentio Moshemio, pervolvamus. Legatur caput IV. quod partem tomi primi maximam conficit, in quo Cudvvortius se demonstrare parat, *omnes antiquos sapientes Deum summum agnovisse.* Ille proinde vestigia jam impressa a Clemente, ab Eusebio, tum ab Eugubino, a Vossio, ab Huetio, aliisque calcans, *Theogonias* discutit, & Poemata, omnium Philosophorum, quæ quidem ad nos pervenerint, opera perlegit, examinat fragmenta, loca inter se confert: Consulit Historicos; Religiones populorum scrutatur, immensoque labore talem, tantamque testimoniorum vim ob oculos nobis ponit, ut evidenter quocumque tempore, & ubique locorum primam D. Pauli sententiæ partem; *Ethnicos* reapse *Deum*, unum, *summumque cognovisse*, comprobatam videamus. At si ad longissimas Moshemii notas convertimus oculos, cernimus, eum auctori suo ubique adversari. Modo minutatim loca ab illo allata secans, perscrutansque attentius; modo alia afferens; quæ videntur, & fortasse sunt; illis contraria; nunc describens systemata peculiarium scholarum, nunc disputans subtiliter de aliis veterum sententiis, præcipue de *Cosmogonia*; de *Theogonia*, de origine mali; aliisque talibus, ostendit, non quidem non habuisse antiquos notionem Entis supremi; sed loquutos de natura summi Dei in apertas contradictiones incidisse; monstra erepuisse; & ex quibus contra notionem, quam de Deo habere debemus; consequutiones posse deduci. Ut summatim dicam, demonstrat Moshemius, antiquos Philosophos *evanuisse in cogitationibus suis, & obscuratum fuisse insipiens cor eorum*: quæ est D. Pauli sententiæ pars altera. Hoc, inquam, nobis demonstrat notis suis laboriosus Germanus, cui neutiquam latissimæ eruditionis laus est deneganda; quamvis jam quisque intelligat, (quod & ipse fatetur) eum per plurima loca infesta tenebris incedere, & pedetentim, idque ex eo quod obscure pene cuncti antiqui sapientes loquebantur, quod non sibi constabant in suis sententiis, ex varietate opinionum, quibus discipuli, Historicique posteriores eas sententias sunt interpretati. Quapropter haud magni esset laboris pari testimoniorum, & animadversionum copia eorum sententias, seu potius commenta, sub aspectu ab eo, sub quo Moshemius eas nobis objicit, omnino diverso sub oculos ponere. Ethnicos demum *mutavisse gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum*, quæ est Divi Pauli sententiæ pars postrema, clare deducitur ex iis, quæ prædicti Auctores docent; facile colligitur ex iis etiam, quæ a nobis dicta fuerunt, faciliusque multo colligetur ex alibi dicendis; cum illi in suis *Theogoniis* aut notionem divinitatis hominibus affixerint, aut eo cæcitatis devenerint, ut divinos honores rebus contemptissimis concesserint. Licet tamen hæc Ethnica morum disciplina grassaretur; licet hæc theoretica de Entis supremi natura deliria disseminarentur, hoc verissimum est, omnes Philosophos, & Poetas, & vulgo gentes omnes unanimi consensione Deum unum, summumque cognovisse. At vellet hic acutis sophismatibus rursus nos remorari Bælius ajens, si de natura divina varia, diversaque opinati sunt homines, unanimem gentium consensum de supremi Numinis existentia jactari non posse. Præoccupavit Petrus Gassendus, longe antequam Bælius illud nobis opponeret, hoc argumentum ita sapienter dissolvere: *Siquidem quod varia de Deo opiniones fuerint, & sint, hoc arguit; plerumque & intervenisse; & intervenire hominum commenta; at quod omnes interim, quicumque de Deo varia sentiunt, in eo consenserint, quod Deus sit; natura judicium declaratur. Idem nempe est, ac si requiratur, sitne sol in mundo,*

do, an non. Quippe quantumvis varia fuerint, ac sint de sole opiniones, dum aliqui faciunt lapidem ardentem, alii scapham lucis plenam . . . sexcentaque similia; cum in eo tamen omnes consentiant, quod sol sit, illa opinionum varietas solis existentiam non tollit &c. (Phys. Sect. I. Lib. IV. c. 2.) Ita sermonum, & opinionum varietas nihil obstabat communi, concordique de Dei existentia hominum consensioni, quem omnes concipiunt ceu Ens supremum, rerum omnium dominum, quo nihil melius cogitari potest (& hæc est naturæ vox) licet illi affectiones varias, falsas, repugnantesque etiam plurimi tribuerint.

Tandem igitur aliquando concludamus, & ex iis, quæ hactenus diximus, statuatur, Ethnicam antiquitatem, nedum impietati faveat, Religionem confirmare. Præcipuæ etenim veritates etiamsi deformatæ, depravatæque, ceu solares radii inter densas nubes, in illa elucent: ipsæ siquidem sunt fundamentum, cui Mythologia innititur; præterea ab ipsis Ethnicis puras, integrasque eas identidem creditas, enuntiatasque legimus. Quod apte Tertullianus appellavit *testimonium animæ naturaliter Christianæ*, (a).

(a) *Quæ anima, licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus, & cupiditatibus evigerata, licet falsis diis exancillata, cum tamen resipiscit vel ex crapula, vel ex aliqua valetudine, Deum nominat, quia proprie verus hic unus Deus, bonus & magnus. Et quod Deus dederit, omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum: Deus videt, & Deo commendo . . . O Testimonium animæ naturaliter Christianæ!* Apolog. c. 17.

CAPUT DECIMUM.

De argumento consensus Gentium de Religione.

I. *Pyrrhonismus Bælii, ut infirmet argumentum deductum ex consensu gentium pro Religione. Quam absurda sit hæc ratio.*

II. *Vera principia, unde derivatur consensus gentium de Religione. Traditio.*

III. *Aliud principium, cui innititur consensus universus gentium.*

IV. *Evidentia veritatis Traditionem suffulsit; ex quo perpetuus, universusque factus est consensus.*

V. *Consensus gentium, qui his principiis fulcitur, est invictum argumentum veritatis ab iis comprehensæ. Conclusio contra Bælium.*

VI. *Rationes allatæ a Libertinis consensus gentium, quarum prima est ars Politica Principum. Animadversio in Tolandum.*

VII. *Confutatio prædicti Libertinorum figmenti.*

VIII. *Alia Libertinorum fatuitas, Religionem natam esse ex timore.*

IX. *Tertium commentum Impiorum, ex ignorantia causarum introductam fuisse Religionem in homines, refellitur, concludit urque pro thesi proposita.*

§. I. Fuit ergo, estque nunc quoque omnium gentium de Religione communis consensus. Id satis est, ut sapiens quicumque ejus veritatem credat; cum quisque sapiens sibi persuadeat, verissimum esse illud axioma a nobis superius allatum, neminem omnium esse, cujus opinio luminibus solis, quibus ille est præditus, possit æque ponderare ac consensus totius humani generis. Bælius (a) tamen fit nobis obviam, nobisque horrendum intonat, *Non videri rem, quæ fieri*

(a) *Il ne paroit point impossible, que tous les hommes donnent leur consentement à une erreur. Il faut donc, que ceux qui pretendent que cela n'arrive jamais, ne peut jamais arriver selon le cours de la nature, fassent voir par quelques raisons la verité de leur axiome. Car enfin ce n'est pas une verité developée: on la peut nier, on la peut combattre, ou pour le moins on en peut douter.* Contin. des pens. §. 23.

fieri non possit, *omnes homines de errore aliquo consentire*. *Oportet ergo* (ita porro dicere pergit) *ut qui volunt*, *id neque accidere*, *nec vero accidere posse secundum natura ordinem*, *ostendant rationibus hujus propositionis veritatem*. At quæ argumenta, ego inquio, poterunt afferri umquam, quæ iis satisfaciant, qui arbitrantur quidquid videtur humano generi evidentissimum, posse esse falsum? Annon gloriosum est causæ illi, cui patrocinamur, scire nos, ejus adversariis, ut eam impugnent, confugiendum esse ad has angustias, amplectendumque Pyrrhonismum? At, ut quisque novit, erat hoc validissimum Bælii telum, itaque Ludovicum Fabricium, auctorem, ut superius diximus, *Apologia pro genere hominum*, & una cum illo omnes Religionis propugnatores, ad certamen provocat, ut vim argumenti, quod pro Dei existentia deducitur ex consensu perpetuo, & unanimi omnium gentium, ostendant. Non vult, *(a) eos contentos esse moralibus notionibus*, *sed ad ipsa metaphysica principia progredi*. *Moralia enim argumenta* (inquit) *nonnisi vulgo possunt facere satis*: *quod cum sibi jam persuaserit*, *Deum esse*, *non desiderat*, *ut id sibi probetur*. *Agitur hic de Spiritibus Fortibus convincendis*, *penes quos morales rationes eamdem vim non habent*. Audire vellem & a Bælio, & a Spiritibus Fortibus ea Metaphysica argumenta, quibus adducuntur, ut, reclamitante universo humani generis consensu, cogantur mordicus defendere tam libidinosa systemata, & in illo *incredulitatis* titubantis statu permanere, qui, ut ajebat Paschalius, impios maxime efficit homines. Averem scire ab iis, cur moralia argumenta, cum materia illa non respuit, vim necessariam ad persuadendum habere non debeant. An non argumenta moralia, si perfecta sint, proxime contingunt *principia Metaphysica*, & quemvis sapientem ita convincunt, ne amplius dubitet? (*b*) Cur ergo Bælius, nisi ut incautum lectorem irretiat, perturbetque materiam, has *notiones*, non quidem *morales*, sed verius ambiguas, immo fallaces objicit?

Propius igitur ad rem accedamus, ostendamusque vim argumenti, quod pro Religione ab universo, constantique Gentium consensu eruitur; cum autem nobis responderint, tunc Spiritus hi fortes nobis dicent, num argumentum Metaphysicum sit, an tantum morale. Hujus universi consensus gentium, de quo tamdiu verba facimus, nulla alia afferri ratio potest, nisi illa, quæ conjungatur cum Dei existentia; consensus ergo hic Dei existentiam probat. Possem statim lacessere impietatis patronos, ut dicant, quænam unquam, cum Deus omnino non existat, possit esse hujus phænomeni ratio. Eo prorsus modo, quo si protulissem omnia monumenta, quæ quovis sæculo testantur, Romæ fuisse Cæsarem: si quis contumax negaret, jure possem ab eo postulare, ut causam diceret, principiumque, unde fieri potuerit, ut Scriptores Græci, & Latini, numismata, anaglypta, statuæ, inscriptiones, omnia demum simul nos doceant existentiam, gestaque illius Imperatoris, qui numquam fuit. Sicut autem hic nesciret nec verum, nec verisimile quicquam afferre; ita videremus, de consensu universo, perpetuoque gentium omnium de divinitatis notione, in medium proferre non posse impios nisi somnia, & deliramenta, quæ magis, magisque eorum contumaciam redarguunt. Dico, consensum gentium, de quo loquimur, fulciri his duobus adminiculis, nempe *Traditione*, & *evidenti cognitione*, sive illa *per impressionem a Deo ipso sit facta*, *sive per facillimam demonstrationem deducta ex natura contemplatione*. Et ut initium faciamus a Traditione; mihi videor videre homines per orbem totum dispersos, ceu radios alicujus lucentis globi, aut tamquam partes aquæ, quæ cisternæ superficiem constituunt. Si in his circu-

(a) *Il ne faudroit non ses contenter pas des notions morales*, *mais aller jusqu'aux principes de Metaphisique*. *Les preuves morales sont les plus propres de toutes à persuader les gens du commun*: *mais comme ils sont assez persuadès de l'existence de Dieu*, *ils n'ont pas besoin qu'on la leur prouve*. *Il ne faut la prouver qu'aux esprits forts*, *& pour ceux là les preuves morales n'ont pas toute la vertù necessaire*. Ibid.

(b) Vid. *Petri Daniel. Huetii Præfat. ad Demonstr. Evangel. n. II. Traitè des vrais principes de la certitude morale* præmissum operi, quod inscribitur *Essai Philosophique sur l'Ame des Bêtes*.

circularem æquum aquæ motum video, nullam aliam hujus motus causam fingere possum, nisi hanc, in superficie media alicujus corporis casu factam fuisse ejusmodi pressionem, ut ex illo centro æque diffusa, serpensque a majori ad majorem circulum pertigerit etiam partes ultimas, quæ cisternæ parietes alluunt. Hoc idem dicendum est de radiis luminosæ sphæræ. Illi me statim ad centrum vocant, ut ibi detegam splendorem, unde exeunt, sive ad vim illam primam, quæ illos propellit tam æque quocumque. Mortales omnes, qui vivunt, vixeruntque omnibus temporibus cognitionem Dei habuerunt. Ergo hæc ex quodam communi centro diffusa est in totum genus humanum. Qui nunc vivunt in quacumque orbis plaga hanc notionem, hanc ideam a patribus acceperunt suis; illi a suis majoribus; majores ab iis qui præcesserunt; idque ita factum fuisse scimus sæculis omnibus, ubique terrarum, quin monumentum ullum habeamus, quod nobis ostendat, aut nondum esse, aut esse novam in aliqua natione hujusmodi notitiam. Ut unde ergo ea primum exsiluit, reperiamus, opus est, ut ad familiam unam confugiamus, ex qua gentes cunctæ sunt egressæ, & ex qua simul cum sanguine traxerint homines notitiam Dei, primi Patris, & rerum omnium conditoris. Et sane sectarum duces nobis noti sunt; nomina, ætatem eorum, qui primi in aliquam regionem invexerunt aliquam artem, aut opinionem, Historiæ memoriæ produnt; aut saltem monumenta habemus, ut statuamus, ante certam Epocham penes eas gentes eam artem, eam consuetudinem, aut opinionem non viguisse, aut vestigium ullum non invenimus, ut dicamus, viguisse, aut vestigium ullum non invenimus, ut dicamus, viguisse. Jam in inquisitione originum hujusmodi inventorum in aliquo viæ termino consistimus, nec progredimur ad caput illud, quod sit humani generis centrum, quandoquidem hic est fons universarum, perpetuarumque impressionum, ac proinde solæ impressiones perpetuæ, & universæ necessario nos ad illum ducunt. Jam notitia Divinitatis, aliarumque naturalis Religionis præcipuarum veritatum est hujusmodi. Nemo indigitare potest, quis fuerit hujus consensus auctor primus: nemo assignare tempus potest, quo hæc opinio non vigeret in terris; nationem, in qua vestigium hujus notitiæ non sit, nemo certo potest ostendere. Necessario ergo ea nos ducit ad principium commune, unde illam hauserint omnes gentes, & per orbem dispersæ transmiserint deinceps ad posteros suos ea perpetua, universaque traditione, quam oculis ipsis cernimus; & quæ non aliunde, quam ab hoc communi centro potest derivari. Hac animadversio confirmatur eo magis, si observetur convenientia, quæ est inter divinitatis notitiam, aliasque notiones universim, perpetuoque (alias magis, alias minus tamen) in populis diffusas, quæ proinde nobis principium suum unum ostendunt. Hujus generis est cultus hujus divinitatis sacrificiis, votis, religione jurium jurandorum, per quæ agnoscitur suprema potestas, unitas, providentia, quorum rituum usus in nationibus omnibus ingenio diversis, dissitis longinquitate locorum, æmulis commerciorum, lucrorum, gloriæve causa, constans cernitur. Hujus generis est fides alterius post mortem vitæ, in qua pro gestorum hic inter vivos ratione, aut præmia, aut supplicia supremus Judex est daturus. Hujus generis demum sunt plurimæ opiniones de mundi, hominisque origine, & de primis eorum vicissitudinibus, quæ opiniones licet varie fabulis deformatæ (Vid. *Petri Daniel. Huetii Alnet. Quæst. & Demonstr. Evangel.*), tamen funditus sunt ejusdem generis, ac proinde ex eodem fonte exeuntes. His ita præmissis, probatisque, ita argumentum coarctemus. Si ratio, ex qua derivatur consensus universus & perpetuus hominum de divinitate, est primus homo, a quo omnes nati sunt, vel (quod eodem redit) si ad unum primum hominem, ceu ad sphæræ centrum, & vorticis radii, & circuli, consensus hic universus nos ducit; ergo provenit ipse ex causa cum existentia Dei connexa; Primum, quod in hoc homine primo videmus creationem, quæ nobis demonstrat in Creatore Ens ex se ipso existens, omnipotens, sapiens, infinitum: Deinde, quod primus hic homo norat originem suam, ideoque falli non poterat cum hæc filios suos docebat; mul-

multoque minus credi potest, eum pessimo consilio voluisse omnes fabulosis narrationibus decipere. Quidquid ergo ille docuit de Divinitate, aliisque Religionis præcipuis capitibus, verum est: Igitur consensus hic universus gentium, qui exit ab hoc primo homine simul cum perpetua, universaque traditione, est argumentum certissimum illius veritatis, quam inquirimus.

§. III. Hujusmodi consequutionibus nihil a Libertinis opponi solidi, verique posset; solidi, inquam, verique: deliria enim, somniaque numquam illi desunt, qui se victum fateri negat. Tamen placet porro pergere, quandoquidem gentium consensus non solum Traditione, sed etiam evidentia traditæ veritatis fulcitur. Juvat Traditio majorum, ut transmittatur ad posteros velut pretiosa hereditas, ut loquebatur Aristoteles, divinitatis notio. Ipsa occasionem menti præbet advertendi opera hujus mundi, arguendique evidenter Dei existentiam; hæc evidentia autem effecit, ut hæc traditio, universusque gentium consensus, de quo loquimur, semper in gentibus conservaretur. Et sane in tanta locorum distantia, in tam diuturna temporum successione quam facile aut perturbata, aut exsiccata omnino hæc divinitatis notio a majoribus tradita non fuisset, nisi in se habuisset eas veritatis notas, eas relationes cum notionibus universis, & primis humani intellectus, ut vix ipsi objecta debuisset, non secus ac lux affulgens oculis, & statim cognosci, & invicte comprehendi? *Quod nisi* (ajebat Cicero) *cognitum comprehensumque animo haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis, ætatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus ceteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate intabuisse . . . Opinionum enim commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.* (a) Quod verius multo esse cognoscemus, si advertere velimus animum, opinionem, de qua agimus, quoad hominum vulgus non esse indifferentem, immo cupiditatibus, quæ in ipsis dominantur, gravem, & injucundam. Quotus est enim quisque, qui nesciat primum, quanto labore opus sit, ut in animum inducant homines credere, quod sensibus non percipitur? Quod non vident fabulam ducunt. Volumina in lucem edita (ut plura alia prætermittam exempla) & proxime elapso, & hoc sæculo a viris & religione, & fide ornatis, in controversia de Magia, & de Obsessis argumento nobis esse possunt, quam proni sint homines, præsertim, qui profitentur, se habere aliquod ingenii acumen, ad confingenda potius incredibilia, & libidinosa systemata, quam ad admittendas caussas, quas non vident. Qui ergo omnes generatim docti, indoctique, acuti, & stupidi cognovissent Deum immensum, æternum, & a sensibus infinite remotum, qualis iis a majoribus tradebatur, nisi evidentiæ vis eos in hac fide confirmasset? Pergamus porro: notio hujus supremi Creatoris, ideoque rerum omnium rectoris una cum cæteris omnibus, quæ hinc proficiscuntur, aut cum illa conjunguntur, capitibus Religionis præcipuis, quodnam umquam motibus corporis jucundioribus, cupiditatibus vehementioribus hominis corrupti cordis gravissimum jugum, & aspera vincula non imponit? Hoc est illud, inquiebat Lucretius Lib. III. v. 38.

. . . . Humanam quod vitam turbat ab imo,
Omnia suffundens mortis nigrore, nec ullam
Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit.

Proinde amandare, & arcere ab animo has ingratas nimium, horribilesque no-

(a) Exscribam locum integrum. Lucilius loquitur *lib. II. de Natura Deor. c. 2. Quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum Cœlum suspeximus cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? Quod ni ita esset, qui potuisset assensu omnium dicere Ennius:*
Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem?
Illum vero & Jovem, & dominatorem rerum, & omnia nutu regentem, &, ut idem Ennius,
Patrem divumque hominumque;
& præsentem ac præpotentem Deum? Quod qui dubitet, haud sane intelligo, cur non idem, Sol sit an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo evidentius? Quod nisi &c.

notiones numinis justi, omnipotentis, verendi videtur effrænibus libidinibus simul cum impunitate pacem afferre: quare idem impius Poeta ad Epicurum conversus ait: ibid. v. 14.

Nam simul ac ratio tua cœpit vociferari,
Naturam rerum haud divina mente coortam,
Diffugiunt animi terrores.

Hinc est, quod manibus pedibusque conantur Libertini, ut huc perveniant, seque liberent, si fieri potest ab hac Dei certa notione, ad cujus adspectum suæ cupiditates ceu duris astrictæ vinculis debent fremere, & dulcissimam licentiam amarissimo felle infici conqueruntur, & hæc revera (ut infra dicemus) eorum Atheismi ratio est potissima; ut conveniant inter se cor, & mens, ut excutiant pectore latratus, & minas, quas diu, noctuque, velut familiaris Erinnys hæc Judicis æterni, improborum ultoris notio iis intentat. Jam qui umquam homines tam facile recepissent, & tam diuturno sæculorum spatio opinionem corruptelæ tam ingratam adeo fideliter conservassent? Nihilo tamen minus & eam receperunt, & religiose conservarunt homines cujuscumque ingenii, conditionis, in cassum reclamitantibus cupiditatibus, commodisque. Immo advertit Bælius ipse (*Dict. Critiq. article Caligula: Remar. M. Pensées divers* §. cxxx.) (quamquam pessimo consilio) scelestissimos, quos Historiæ memorant, Tarquinios, Catilinas, Caligulas, Nerones, Heliogabalos hanc notionem semper ante oculos habuisse, quæ efficiebat, ut ulularent identidem, fremerentque vel in ipsis indignis facinoribus; rerumque domini, qui nutibus terrorem injiciebant, & cædibus replebant orbem, notionem hanc ut infestissimum hostem perhorrescerent. Quid plura? Epicuri, Protagoræ, Diagoræ, aliique impietatis præcones, qui interdum conati sunt notionem hanc injucundam ab humanis mentibus exturbare, nihil consequuti sunt; sed tamquam naturæ monstra in horrore fuerunt habiti, aut in exilium expulsi, eorumque libri combusti. Fateri igitur fas est, ineluctabili, & invicta vi & ductos fuisse semper, & ubique locorum, ducique nunc etiam homines ad hanc divinitatis existentiam cognoscendam. Vi, inquam, quæ vincere, & subjicere potest non solum credulas mulierculas, imperitumque vulgus, sed homines ipsos, aut morum nequitia, aut effræni cogitandi licentia pervicaces, qui lapidem nullum non movebant, ut eam ex animo eliminarent, seque vindicarent in libertatem. At irriti labores omnes, victi, domitique ubicumque ejus vividissimo lumine fuerunt; ita ut ipsis eveniret, eveniatque, quod Poeta Sybillæ Cumææ evenisse cecinit: (*Lib. VI. Æneid. v. 77.*)

At Phœbi nondum patiens, immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

§. IV. Jam hæc vis adeo invicta (a) universa, & perpetua non aliunde originem habet, quam a claritate, & evidentia, quam Dei notio secum affert; quæ notio, nisi velit *innata* dici eo stricto sensu, quo hæc vox accipitur a Scholis, hoc est in omnibus hominum mentibus a natura insculpta, sicut videntur (Vide Thomasinum *de Deo, Deique propriet.* lib. I. cap. 4.) multi Sacri Doctores opinari, acutissimique nostræ ætatis Philosophi sentire, adeo tamen est evidens, idest notas habet ejusmodi colligatas cum principiis, notionibusque communibus, quæ in omnibus ho-

(a) Hæc vis est illa quæ ita a Cicerone exprimitur: *Omnes, natura duce, eo vehimur, ut Deos esse dicamus.* Lib. I. de Nat. Deor. n. 2. Putat tamen Cælius, hujusmodi *tendentiam*, ut appellat Cicero, quamvis sit universa, nihili faciendam, sicut nihili fiunt alii naturæ instinctus; idque inquit, ideo quia natura per peccatum corrupta est. *Consen. pens.* §. 23. En mirum argumentum. Ecquis umquam putasset, se audire notionem Dei fontis, custodisque omnis juris, & sanctitatis inter effectus corruptionis peccati recenseri? Nolumus insaniam hanc ne confutare quidem: contentique essemus ab eo petere, num ille, qui se expertem hujus tendentiæ naturæ ad Deum agnoscendum sentiebat, fuerit fort asse sine originali peccato conceptus?

hominibus insunt, (a) ut simul atque veritas hæc iis proponitur, *est Deus unus, qui fecit, regitque terram, & cælum*, ipsi statim sin minus actu illo, qui *simplicis intelligentia* dicitur, quo axiomata recipiuntur, saltem judicio facillimo, fultoque clarissimis nativis intellectus judiciis eam amplectantur ut certissimam, admittantque assensu ejusmodi, ut illam rejicere non possint. Satis est, ut oculos aperiant, intueanturque cælum, ajebat Cicero, videtque quisque etiam rudis, crassæque Minervæ artificem maximum esse, qui illud creavit, movetque; Sol radios suos emittens excitat in animo notionem Dei gloriosi, ita ut non minus hic oculis mentis cernatur, quam ille inspiciatur oculis corporis. Mundus totus demum, ut summatim dicam, homini cuilibet, qui hæc principia a natura habeat, *ordinem esse non posse, nisi adsit, qui in ordinem redigat, effectum esse non posse sine caussa, opus perfectissimum, excellentissimumque sine perfectissimo artifice, qui ejus exemplar invenit, esse non posse*; Mundus hic, inquam, cuilibet homini, quin quicquam hæc principia prima in memoriam revocet, quæ habet in se insita, quin ratiocinetur, ut hoc judicium ferat, ostendit intuitu uno, primoque opificem causam, moderatorem quem ipse Deum appellat, veneraturque. *Sicut enim* (ita Sextus Empyricus affert hanc demonstrationem natura duce confectam Lib. I. *advers. Physic. pag. 554. Edit. Fabrit.*) *in altissimo montis Ida jugo sedenti, prospicientique in aciem descendere instructum exquisita militari disciplina exercitum Græcum, & primum quidem equites cum suis equis, & curribus, tum pedites; illico in mentem veniret, esse aliquem, qui exercitum illum instrueret, motum illum juberet . . . . Sicut etiam nauta cum primum navem videt vento impulsam, instructamque velis omnibus, intelligit esse aliquem, qui eam regat, & ad portum dirigat; ita etiam qui primi cælum suspexerunt, contemplatique sunt Solem ab Oriente in Occasum motu citissimo stadium percurrentem, & ab bravium irrequiete trepidantem, stellas quasi ad sonitum cythara choros ducentes, continuo hujus pulcherrima dispositionis artificem investigarunt, cum sibi persuadere non possent, eam casu fieri, sed ab aliqua excellenti, & incorruptibili natura, qualis videlicet Deus est.* Hic est liber ille in propatulo positus, qui omnium temporum homines docuit, & quem omnes homines non potuerunt efficere, quin legerent. Hinc vox illa erumpit, quam clare Deus enuntiat, enuntiabitque usque ad Mundi finem, etiam iis, qui maxime contumaces sunt, qui sibi aures obstruunt, ne illam audiant. Ita scilicet ajebat præclarus Theologus, qui Henrico Magno regnante floruit, Libertinis quibusdam, qui cum illo conquerebantur, verbis iis, quæ placet exscribere, quia nativis coloribus horum ingenium fingunt, argumentumque, quod versamus, egregie confirmant. *Num fieri, o Sacerdotes, non potest, ut alterutrum horum per vos nobis præstetur, ut vel dicatis, nullum esse peccatum, Deumque polliceri, se facturum quidquid nobis collibuerit, vel ut nos dicamus, Deum non esse? Saltem tacete, & hujusmodi rumores comprimite, quibus & in Ecclesiis, & in domibus perturbatis quietem illam unam, qua fruimur, dum vivimus, qua in eo sita est, ut hujus veritatis obliviscamur.* Viden' Atheismi fundamentum? viden' unde nascitur, & quo collimant omnia impietatis systemata? Demus his, impune esse malos, jam calamos abjiciunt, jam de religione non detrahunt amplius. *At quid vobis silentium nostrum prodesset?* (ita sapiens Theologus respondet.) *Nostra jam non est vox hæc, qua vos perturbat, qua vos excutit; est vox natura publica . . . . sunt clamores, quos undequaque universum hoc emittit, qui vobis denuntiant, ubicumque estis, esse Deum, qui vos scrutatur, qui quid agatis, quid cogitetis plane sentit. Si importuni ii vobis sunt, si tanta pereundi vobis libido est, quin vos quisquam excitet, & de vestro infortunio vos moneat, silentium Terra, Caloque indicite, vel, si fieri potest, a Solis aspectu vos subducite; extinguite* (inquit S. Joannes Chrysostomus) *Firmamenti luminaria cuncta, neque sinatis, ut ubi exitis sidus aliquod vos prospiciat. Ubicumque eorum radii vos pertingent, illi in vestros oculos, mentemque se insinuantes, ingratiis vestris, una secum invehent notionem, qua vos*

(a) *Cognitio existendi Deum dicitur omnibus naturaliter inserta, quia omnibus naturaliter insertum aliquid est, unde potest perveniri ad cognoscendum Deum*, D. Thom. qu. X. de verit. art. 12. ad 1.

vos vexat, & vobis ita manifestabunt, ut eam videatis, majestatem illius Domini, qui perhorrescendus vobis est, qui vos judicaturus manet. Hactenus prudens Theologus. (a)

§. V. Ita igitur a nobis stabilita, clareque demonstrata *ratione*, cur in hominibus constanter, perpetuoque notio Divinitatis permanserit; res est nullius negotii ostendere adversus Bælium, hujusmodi universum consensum non esse falsum, sed rectissimum, proinque Dei existentiæ certissimum argumentum. Et sane ostendimus, hujus consensus originem esse in Traditione, constantiamque ejus universam proficisci ab *evidentia*. (b) Potest traditio hæc a Patre in Filium efficere, ut quisque veritatem hanc de Dei existentia advertat, excitetque stupida ingenia, hominesque silvestres, qui parum ratione utuntur, totque res ignorant, quia scilicet eas non considerant; cum tamen iis proponuntur, qua pollent naturalium intellectus luminum vi, statim illas veras agnoscunt: ex harum numero est hæc, de qua loquimur. Evidentia autem hujus Dei existentiæ veritatis vel nata ab impressione in nobis ab Auctore ipso naturæ facta, vel elucens ex proxima ejus junctione cum communibus certisque mentis nostræ notionibus, facit, ut effractis repagulis, quæ humani cordis effrænes cupiditates possunt objicere, omnes homines etiam scelesti, contumacesque, qui minime vellent, eo deveniant, ut illam inviti cognoscant, & ubique locorum, & quovis tempore agnoverint. Jam si insistamus vestigiis, quæ nobis *universa*, *perpetuaque traditio* indigitat, ad hominem primum perveniimus, a quo cæteri originem, simulque cum sanguine Religionem trahunt; veritatem autem hujus primi testimonii numquam Libertini jure excipient. Si evidentiam illam consideramus, quæ hanc traditionem in hominibus conservavit perpetuam, illa est veritatis *criterium*, neque rejici nisi a stultis potest. *Ratio* ergo universi; perpetuique consensus hominum de Dei existentia, quæ duobus jam dictis principiis innititur, est cum hac existentia procul dubio arctissime conjuncta. (c) Hic igitur consensus hanc ve-

(a) Le Theologien dans les conversations. A Paris 1681. Entretien 1 *O Pretres, ne sera-t-il jamais possible, que vous consentiez à nous accorder l'une de ces deux graces, ou que vous nous disiez, qu'il n'y a point de pechè au monde, & que Dieu nous permet de faire se qu'il nous plait; ou, que vous permettiez, que nous disions, qu'il n'y a point de Dieu? Au moins taisez vous, & ne vous efforcez pas par tant de bruits, que vous faites dans les Eglises, & dans les maisons, de troubler l'unique repos, que nous avons avant la mort, qui est de nous oublier de cette verité.*

C'est n'est point notre voix, qui vous trouble, c'est la voix publique de la nature . . . C'est par les cris, qui retentissent des toutes les parties de l'univers, que vous apprenez, qu'en chaque endroit, où vous êtes, il y a un Dieu, qui vous regarde, & qui connoit vos pensées, vos actions. Si ces bruits-la vous importunent, si vous voulez perir sans qu'on vous eveille, & qu'on vous avertisse de votre malheur, faites taire le Ciel, & la terre, ou cachez vous au soleil, s'il est possible. Eteignez, dit S. Chrysostome, tous les Flambeaux du firmament, & ne laissez paroitre aucun astre aux endroits, où vous serez; par tous où leur lumieres vous pourront atteindre, ce seront elles mêmes, qui entrant dans vos yeux, & dans votre esprit, y feront entrer malgrè vous la connoissance, qui vous inquiete, & qui vous decouvriront sensiblement la majestè du maitre, que vous devez craindre, & qui vous attend pour vous juger.

(b) Videntur hæc duo capita, scilicet indicata, expositaque eleganter esse a Dione Chrysostomo in oratione supradicta XII. inscripta *de prima Dei cognitione*. Afferam locum unum juxta latinam versionem Thomæ Nageorgii ex Typis Morellii. Paris. 1604. *Opinionis igitur circa divinam naturam, credulitatisque primum aperte diximus esse fontem insitam omnibus considerationem ex ipsis ortam operibus, atque veritate: non vulgi tantum commendationem habentem, neque fortuitam, sed vehementer robustam, & super communem, publicamque generis humani. Alterum autem fontem dicimus acquisitum, neque per alia insitum animis, quam per sermones, & fabulas, & consuetudines partim incertæ auctoris, & absque scripto, partim autem scriptura promulgatas, atque valde notos habentes Auctores*. Jubemus, Lectorem legere orationem supradictam, quæ, ut alibi diximus, multa continet, quæ hoc argumentum illustrant, ostenduntque, quam conformes essent cum sermone nostro opiniones antiquitatis de hac re.

(c) Quamquam in hoc capite semper mentionem existentiæ Dei fecimus; prudens tamen Lector facile advertet, hoc idem posse, & debere dici de animæ immortalitate, quod est alterum dogma, quo innititur naturalis Religio. Sicut non minus universus, & perpetuus fuit de hoc capite consensus, quam de Dei existentia; ita non ab aliis fontibus, quam ab iisdem, unde ista deducitur, poterat hic derivari. *Traditio*, quæ descendit a Capite humani generis, aut, ut loquitur Cicero, *ab ortu, & divina rerum origine* detulit hoc dogma semper ad remotissimas, barbarasque gentes; & *evidentia* nata ab intrinseca naturæ voce, & a summa junctione ejus cum altero dogmate Dei Creatoris, rectoris, provisorisque illud confirmavit. Legatur Cicero *Lib. I. quæst. Tuscul.* & Guillelmus Sherlockius *de l'immortalitè de l'ame chap. 11. sect. 3.*

veritatem evidenter demonstrat: quod erat id, quod contra Bælium susceperamus probandum.

§. VI. Quam inquirebamus, veritas mihi ita illustrata videtur, ut nihil supra. Tamen credere me juvat, eam magis etiam emicare posse, si causas hujus communis consensus gentium de Religione; quas ut illum infirment, adducere consueverunt Libertini, produxero. Quo autem melius earum vim internoscamus, meminerit Lector, eas inventas fuisse ab hominibus tam severi criterii, sicut illorum nomine nobis indixit eorum strenuus Patronus Petrus Bælius, ut *argumenta moralia, quæ possent vulgus hominum convincere, sint penes eos infirma; sed eos requirere argumenta, quæ ex principiis Metaphysicis deducantur*. Audiamus itaque eorum invictas demonstrationes. Theoria prima, maximisque plausibus excepta, quam in aciem hi Philosophi producunt, est ars Politica Principum, seu Legumlatorum, qui ut hoc quasi freno dicto suo audientes populos haberent, finxerint, disseminarintque notionem hanc Dei supremi, judicis invisibilis, vindicis improborum æterni simul cum aliis religionis dogmatibus. Hæc falsa opinio tribuebatur etiam impio Critiæ, ut legimus in Sexto Empyrico, (*a*) qui jam tyrannidem Athenis exercuit. Legitur in operibus Hobbesii, Spinosæ, & in dissertatione Tollandi, cujus titulus: *Adeisidæmon*, in qua, ut ostendat Titum Livium (hæc est persona ab eo in scenam producta) *minime superstitiosum* fuisse ait, §. V. *tantum abfuisse ut* (T. Livius) *prodigiis moveretur, quod totam religionem patriam pro nulla haberet: vel, quod eodem redit, pro pulcherrimo Politicorum Commento in Magistratuum subsidium, & Sacerdotum emolumentum subtiliter excogitato*. Quod probare nititur narratione a Livio ipso facta de Numa Pompilio, qui rex Romanorum creatus „ duxit in primis „ validissimum esse ad continendam in „ officio gentem illam ferocem, si illi „ incuteret timorem deorum; quod cum „ non posset (pergit ita loqui Livius) „ animos hominum occupare, nisi aliquod miraculum fingeretur, commentus est Numa, se nocturnos congressus „ cum Dea Ægeria habere, ejusque consilio eas cæremonias, quæ gratissimæ „ diis essent, statuere &c. „ *Dec. I. Lib. I. cap.* 8. His artibus, commentisque, inquit Tolandus, usi sunt Lycurgus, & Minos: *& his*, (*Lib.* XVI. *Adeisidæm.* §. 6.) *atque similibus Moysem Hebræorum Nomothetem assimilare non addubitat Diodorus Siculus Lib. I. Sed in hac Moysis cum aliis Prophetis, & legislatoribus comparatione multo adhuc copiosior est Strabo Geographus*. Consideret mecum lector Tolandi scribendi methodum, quæ nimirum est methodus scribendi, & loquendi omnium incredulorum. Ictus jaciunt in religionem, sed aliena dextera eos jaciunt, cum ipsos pudeat se totius humani generis hostes profiteri; aut Parthorum more, qui spicula jaculabantur, & terga dabant; virus spargunt, recedunt que; ne cogantur eorum, quæ effutiunt, rationem reddere. Citant antiquorum Scriptorum nomina; quasi illi rei impietatis propositionum traducendi sint, eorumque esse debeat eas propugnare. Scimus e paucis Tolandi lineolis, Romanos, Græcosque Legislatores, Moysemque ipsum fuisse mendaces, fuisse improbos; & ex necessaria consequutione scimus, Religiones omnes, & inter has Revelatam, confictas politicorum commentis esse. Titus Livius Tragœdiæ primas tenet partes: Diodorus, Straboque, quamquam casu producti videantur, tamen præcipuas personas agunt. Moyses cum Lycurgo, cum Minoe comparatur; Religio insigniis superstitionis obtegitur; unitasque, quam actio tota spectat, est *Pantheismi* disseminatio sub auspiciis audaciæ, impietatisque Auctoris. Et sane quisnam umquam alius eo petulantiæ progredi poterat, nisi Libertinus, qui in scenam Moysem sycophantam promeret;

(a) Lib. I. advers. Physic. *Critias quoque unus ex his, qui tyrannidem Athenis exercuerunt, videtur esse ex ordine impiorum ducendus, quod antiqui Legislatores finxerunt Deum inspectorem rerum, quæ bene, & male fiunt ab hominibus, ut nemo proximum suum clanculum injuria afficiat, cavens, ne a Deo puniatur*. Recitat deinde Sextus quosdam versus Jambos tanquam a Critia compositos; qui tamen a Plutarcho adscribuntur Euripidi, qui in quadam Satyrica Tragœdia ab impio recitarentur. Ex quo quidam opinati sunt in Sexto Empyrico esse quasdam lacunas. Legatur Eruditissimus Fabricius in adnotationibus ad eum locum.

ret; idque auctoritate Diodori, Strabonisque? Immo ut Strabonis testimonio (quod audet facere Scriptor idem in alia dissertatione *de Originibus Judaicis*) eum *Panteistam* faceret, idque coram gente non dicam missionem ejus agnoscente divinam, sed quæ oculos habet, quibus ejus ipsius volumina legat? Sed caput hoc nunc prætermittamus, jubeamusque, ut Lector legat præter Benedicti, & Faji Opera, epistolam a Morino ad Huetium scriptam, in qua nativis coloribus, vividisque ingenium Tolandi, ejusque dissertationum vis describitur. De divinitate Religionis Moysis Libro II. a nobis agetur. Quam autem perverse ille putet ex commentis Numæ, aliorumque Legumlatorum se colligere, Religionem omnem esse artis Politicæ inventum, ad ostendendum properamus modo.

§. VII. Sed ad argumentum redeamus. Minus Bælio arridet hæc politica ratio, & ait: (*Diction. Critiq. Art.* Abdas Rem. B.) *si quod impii dicunt, verum esset, ut est falsissimum, religionem non esse aliud, quam hominum inventum, quo imperantes usi sunt, ut populos in officio continerent, fatendum esset, Principes ipsos primos incidisse in laqueos illos, quibus irretire alios volebant. Tantum enim abest, ut eos religio constituat suorum populorum Dominos, ut etiam eos populis subjiciat. Debent enim illi non profiteri Religionem, quæ ipsis videtur potior, sed religionem populi; secus eorum labat imperium.* Quid sibi his verbis voluerit Bælius, facile intelligemus alibi, tum nimirum cum eum summopere annitentem videbimus, ut confirmet enorme illud paradoxum, hoc est, felicius esse posse regnum ex Atheis constans, quam ex populo religioni alicui addicto. Quod interim in allato loco est notatu dignum, est hoc, Religionem non magis populum principi adstringere, quam hunc illi; quare nec universum, nec perpetuum populi, & præsertim tot principes cupiditatibus transversum acti, quasi bruta animantia, improbique vinculum hoc esse voluissent, si non aliunde proficisceretur, quam ab artis politicæ commentis. Quod si religionem omnes Principes, omnesque populi sunt amplexati, hoc est ejus veritatis, ejusque principii non ab arte paucorum hominum excogitati, sed a natura, & notionibus cunctis hominibus insitis, communibusque statuti evidens argumentum. Et sane quis umquam non dicam concipere, sed fingere potest, cum unus, aut aliqui Principes hoc moliti consilium fuerint hominibus tam grave, esse Deum, qui oculis corporis cerni non potest, legum, regumque solii custodem, cordium scrutatorem, reorum facinorum æternum ultorem, punitorem omnipotentem eorum, qui aut proditione, aut vi alios opprimunt; & cum ipsi indicant horrendas illas minas:

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At sperate Deos memores fandi, atque nefandi,

(Virgil. Æneid. Lib. I. v. 546.) quis unquam fingere potest, inquam, adeo fortunatum eorum mendacium fuisse (ut loquitur (a) Lactantius) ut omnes populi illud admitterent, quin reclamitarent, quin mutirent, non solum barbari, sed etiam exculti, non mites tantum, sed audaces, immanesque; non subditi modo, sed ipsi Principes, & illi ipsi, quorum infandæ vitæ Religio severissima censura bellum acerrimum parabat? Usos sæpe, abusosque fuisse Principes nomine Religionis, ut populos ad parendum edictis suis moverent, ut iis obsequium, terroremque incuterent, nemo dubitare debet: Historiæ Romana, Græcaque exemplorum plenæ sunt. Responsa, quæ petebantur ab oraculis, cura, qua custodiebantur Libri Sybillini, quos consulere fingebant Magistratus, omnesque alii reconditi ritus ad Augures, & Haruspices pertinentes (de quibus in Libris *de Divinatione*, & *de Legibus Cicero* sæpe loquitur) inventa fuerant, & composita ad utilitatem Reip. ut pondus Divina aucto-

(a) *Quæ tanta felicitas mentiendi, ut non tantummodo indoctos, sed Platonem quoque, & Socratem falleret, & Pythagoram, Zenonem, Aristotelem, maximarum sectarum Principes!* De ira Dei cap. 10.

ctoritate adderetur consiliis, quæ de pace, de bello gerendo capiebantur. Sed sicut ars hæc doctis nota erat, & tacite ridebant, (a) ita populus iis acquiescens ostendebat jam radicitus in animis religionem se insitam habere, e cujus fundamento naturali stabilique, ut ajebat Aristoteles, erigebantur ea politica commenta. Hoc, nihilque amplius probatur Numæ consilio a Livio narrato, & a Tolando tanta jactantia producto. Commiscebatur Rex ille congressus nocturnos cum Dea Ægeria; at nisi illo in populo fuisset divinitatis notio (ut patet, jam in illo eam fuisse, cuique vix ejus Historiæ initium legenti) commentum hoc nihil illi profuisset. Ars politica Numæ, aliorumque legislatorum non in eo consistit, ut crearent, sed ut hominum affectus ad consilia traherent. Jam sicut Divinitatis timor est maximus impulsus, qui possit hominibus fieri, hoc usi sunt, fingentes nimirum congressus, & colloquia cum Divinitate, ut impellerent quocumque vellent gentes, & eas sibi subjicerent. Cognoscere autem, & deridere hæc politica commenta, ut faciebat Livius, non est hoc religionem patriam totam fictitiam ducere; neque, ut non esset adeo superstitiosus, ut ea figmenta crederet, opus erat, ut esset Atheus; sicut injuria Tolandus Atheum facit Latinum Historicum defensione non solum minime necessaria, sed etiam turpiori accusatione ipsa. Sed ad alias animadversiones quoad hoc inventum hominum politiæ transeamus. Hi ergo nobis dicant, indigitentque aut ex Historiis, aut ex monumentis aliquid de hoc tam excellenti politico, de patria, de tempore, qui potuit e mente sua extrahere, & in orbem religionem introducere. Num fuit ille homo primus, a quo cæteri omnes descenderint? An hujusmodi non fuit? Si non fuit, ergo totum humanum genus, quod illum præcessit, erat Atheum, & ille hoc religionem docuit. At hujus universi Atheismi, hujusque mirandæ mutationis quodnam vestigium, quodnam monumentum illi detexerunt? Nam quidquid ad aures nostras pervenit, quidquid scire potuimus, ostendit, perpetuam, universamque religionem in orbe fuisse. Hæc autem traditio tam universa, adeo constans qui concipi umquam potest, nisi proficiscatur a centro, a quo nationum omnium lineæ, plurimis in rebus a se invicem diversarum, at in hoc concordium sint derivatæ? Centrum igitur hoc erit humani generis parens primus: at si ita est, jam ad creationis tempus pervenimus, quæ quamvis impietatem destruit. Dicentne, æternam fuisse generationum seriem, & ab omni æternitate Religionem fuisse institutam? Verum (præterquamquod generationes æternas fuisse repugnat) ergo Religio æterna est, hominumque æterna series eam est professa. Quomodo ergo est illa artis politicæ inventum? Quomodo homines infiniti errorem non detexerunt? Quomodo post infinita errorum sæcula, infinitasque errantium generationes illi uni emerserunt, & detexerunt errorem? Vel ergo consideretur hoc jactatum politices inventum tamquam *factum*; nullum monumentum est, quod illud confirmet; vel in hoc consideretur *jus*, & ratio illi adversatur, ostenditque illud non potuisse fieri. Politia igitur principum perpetui, constantisque populorum de religione consensus causa non est.

§. VIII. Quod si stolidum, ineptumque ad explicandum gentium consensum est hoc Politiæ commentum, æque vanum, inersque est alterum Atheorum delirium somniantium, timorem ita cerebrum hominum sus deque vertisse, ut ex se hanc Dei funestam larvam sibi composuerint. Enimvero incredibile videtur, homines rationales, & quod majus est, homines, qui excellenti ingenio præstant, vel se præstare dicunt, audeant tam turpia deliria proferre. Tamen vel aperte, vel clanculum ea in tenebricosa sua scripta intrudunt, sibique exultantes, ministri Neronis turpitudinum, si modo illius est fragmentum illud Petronio attributum, eos versiculos mussitant;

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cælo
Fulmina cum caderent . . . .

(a) *Est in collegio vestro inter Marcellum, & Appium, primos Augures magna dissensio . . . . cum alteri placeat, auspicia ista esse ad utilitatem Reip. composita.* Cic. Lib. II. de Legib. n. 13.

(Inter Fragm. Petron. p. 676. Edit. Burman.) Quidquid superius diximus, ut everteremus confictum politicum inventum, perspicue demonstrat futilitatem hujus temere excogitatæ formidinis, quæ notitiam Dei in omnium hominum mentibus imprimat. Qui enim primi fuerunt spiritus illi tam debiles simul, & tam fortes, qui timerent *nihilum*, & ex hoc nihilo possent, scirentque componere notionem adeo magnam, eamque erigere adorandam universo cultu omnibus gentibus? Hæ autem gentes, licet ingenio, cœli plagis, acumine, animo tam diversæ, qui umquam omnes adduci potuerunt, ut reciperent impressionem larvæ hujus, quin per tot sæcula detegerent hujusmodi deliramentum, ut umbram timerent, & colerent ceu fontem, auctoremque omnium Nihilum? Opus est, ut putent hi, accidisse olim humano generi, quod Lucianus scribit, (*in Dial. quomodo Historia conscribenda sit. N. 1.*) evenisse Abderæ, quæ est Thraciæ urbs, tum cum Lysimachi ætate quidam Archelaus æstate sæviente in referto spissi sedilibus theatro Andromedam Euripidis egisset, illa tragica actio adeo earum civium phantasiam commovit, ut, cum illico quodam febrili delirio correpti essent, omnes tragicæ personæ evaserint: quare voce mœrenti, flebilique, vultu pallido, dimissoque nihil aliud personarent nisi Perseum, Medeam, Andromedam, aliaque loca ad affectus excitandos magis apta in eorum mentibus alte hærentia ex Archelai actione ad vivum expressa. Hanc eamdem impressionem, idem delirium opinantur fortasse Libertini in toto mortalium genere excitatum fuisse a funestis vocibus eorum, qui timore se perculsos finxerunt, primique notionem Dei ediderunt. Dicendum est, omnes homines hujus universi delirii causa conservasse eumdem timorem, impressionem eamdem, omnesque homines delirare pejus, funestiusque Abderitarum deliramento, quam quod, si illi adventante hyeme redierunt ad sanam mentem, evanueruntque ex eorum animis ii tragici sensus, humanum genus contra nec varietate tempestatum, nec sæculorum successione potest ab illa mœsta insania liberari. Sed congrediamur cominus. Timor ergo inseruit in mentibus hominum, propagavitque Dei notionem? Proinde ergo hæc erit notio Entis omnino terribilis, crudelis, malorum largitoris, & ærumnarum, fulminibus armati semper, talis demum, quale potest illud sibi fingere timor, qui non ex ratione, sed e suis teterrimis mœroribus illud sibi componit, constituitque. Atqui notio, quam Dei nunc habent, habueruntque semper gentes omnes, est e contrario notio Entis summe boni, summe benefici; notio Patris, ad quem confugiendum sit in egestate, ut ad fontem bonorum omnium, ut sublevemur; notio Domini supremi, qui quamquam sit justus, ultorque scelerum, tamen læsus potest placari pœnitentia, sacrificiis, precibus, & votis. Hæc est notio, quam magis, minusve claram Dei ostenderunt se habere gentes omnes. Ergo hæc notio non potuit in hominibus a timore imprimi. Potius dicamus, dicemusque id, quod verissimum est, (*Vid. Episcopi Turnacensis, Memoir. touchant la Religion, pag. 12.*) timorem, nedum fuerit Religionis artifex, ut plurimum consuesse impietatis esse fontem. Scelesti enim, (quod est unum hominum genus, qui Atheismum amplectuntur) conculcantes, ut suis cupiditatibus obsecundent, leges omnes naturæ, diu, noctuque, quasi domestica furia Dei naturæ auctoris, ultoriique suarum legum violatorum timore perterrefiunt. Ut corde spinam hanc, quæ illos nimium pungit, exulceratque, extrahant, summa ope nituntur ejicere ex animo Dei notionem. Patet hinc, timorem, qui non est Religionis causa, sed effectus, ob eorum malitiam, qui ad bonam frugem redire nolunt, ansam præbere impietatem profitendi. Perspicue igitur demonstravimus, cum Politiam virorum principum, tum timorem populorum esse vana commenta, nec posse per ea universi gentium de Religione consensus rationem reddi.

§. IX. Hoc idem dicendum est de alia nimis temeraria opinione, quæ sæpe in Lucretio ostenditur, quæque auditur non raro ab *his Philosophorum quisquiliis*; hoc est, verarum, physicarumque causarum, quisquis explicentur naturæ phænomena, ignorantiam fuisse, quæ impulit homines ad concipiendum Ens supremum, & invisibile rerum omnium auctorem, motoremque.

. . . Pro-

. . . . Propterea quod
Ignorantia causarum conferre deorum
Cogit ad imperium res, & concedere regnum: &
Quorum operum causas nulla ratione videre
Possunt, hac fieri divino numine rentur.

(Lucr. Lib. VI. ver. 52.) At est horum philosophorum, ut hanc opinionem probent, systema componere, quo, quin sit confugiendum ad causam sapientissimam, potentissimamque, creatio, conservatio hujus machinæ rebus tot, singulisque suo in genere perfectis mira proportione inter se dispositis, mensuraque exactissima iis finibus accommodatis, ex quibus pulchritudo cum partium, tum totius semper enascitur, refertæ explicetur. Ostendimus alias, acutissimos hos ratiocinatores causam hanc non invenisse, immo eam inveniri non posse, quia fieri non potest, ut illa sit; eosque nonnisi verba sensus expertia, quibus nulla respondet notio, crepare. Vidimus, præstantissima ingenia, quo majorem naturalium rerum cognitionem sibi comparatunt, & quo magis elaborarunt, ut causas proximas, physicasque phænomenorum detegerent, eo clarius cognovisse, opus esse ad hoc supremum Numen confugere, quod unum potest *nodum solvere*, quo machinam hanc jungit, colligatque. Recte enimvero sentierunt; illud enim unum sua sapientia, potentia, bonitate habet *rationem adæquatam* operis hujusmodi ita magni, immo singularum minutissimarum illius partium. Legatur unus Eques Isaacus Nevvtonus, qui in egregiis suis *Philosophiæ principiis*, expositis ingeniosissimis Theoriis, quibus explicat, ad rationes redigit, probatque systema planetarium, agnoscit tamen, fatetur, demonstratque, necessario causam hanc infinitam, auctorem, & moderatricem hujus machinæ esse admittendam. Nos lacessemus hujusmodi Atheistas, ut in aciem prodeant, non dicam, ut totum systema sine hoc principio componant, sed ut motum unius Planetæ explicent; quod si facient, tunc eos ut Magistros venerabimur, ignorantiamque nostram coram iis fatebimur. At interea concludamus, cum a Libertinis causa nulla ostendi possit, nec sane ulla alia cum possit esse, qua gentium de Religione universi consensus explicetur, eam verissimam, solamque agnoscendam esse, quam superius protulimus, *traditionem* nempe, & *evidentiam*. Quæ traditio proinde, & evidentia, cum fons, & *criterium* veritatis certissimum sit, efficit, ut consensus hujusmodi tamquam argumentum veritatis Religionis Naturalis quavis exceptione majus a nobis afferatur, de qua hactenus in hoc Libro verba fecimus.



(Inter Fragm. Petron. p. 676. Edit. Burman.) Quidquid superius diximus, ut everteremus confictum politicum inventum, perspicue demonstrat futilitatem hujus temere excogitatæ formidinis, quæ notitiam Dei in omnium hominum mentibus imprimat. Qui enim primi fuerunt spiritus illi tam debiles simul, & tam fortes, qui timerent *nihilum*, & ex hoc nihilo posent, scirentque componere notionem adeo magnam, eamque erigere adorandam universo cultu omnibus gentibus? Hæ autem gentes, licet ingenio, coeli plagis, acumine, animo tam diversæ, qui umquam omnes adduci potuerunt, ut reciperent impressionem larvæ hujus, quin per tot sæcula detegerent hujusmodi deliramentum, ut umbram timerent, & colerent ceu fontem, auctoremque omnium Nihilum? Opus est, ut putent hi, accidisse olim humano generi, quod Lucianus scribit, (*in Dial. quomodo Historia conscribenda sit. N. 1.*) evenisse Abderæ, quæ est Thraciæ urbs, tum cum Lysimachi ætate quidam Archelaus æstate sæviente in referto spissi sedilibus theatro Andromedam Euripidis egisset, illa tragica actio adeo earum civium phantasiam commovit, ut, cum illico quodam febrili delirio correpti essent, omnes tragicæ personæ evaserint, quare voce moerenti, flebilique, vultu pallido, dimissoque nihil aliud persona rent nisi Perseum, Medeam, Andromedam, aliaque loca ad affectus excitandos magis apta in eorum mentibus alte hærentia ex Archelai actione ad vivum expressa. Hanc eamdem impressionem, idem delirium opinantur fortasse Libertini in toto mortalium genere excitatum fuisse a funestis vocibus eorum, qui timore se perculsos finxerunt, primique notionem Dei ediderunt. Dicendum est, omnes homines hujus universi delirii causa conservasse eumdem timorem, impressionem eamdem, omnesque homines delirare pejus, funestiusque Abderitarum deliramento, quam quod, si illi adventante hyeme redierunt ad sanam mentem, evanueruntque ex eorum animis ii tragici sensus, humanum genus contra nec varietate tempestatum, nec sæculorum successione potest ab illa moesta insania liberari. Sed congrediamur cominus. Timor ergo inseruit in mentibus hominum, propagavitque Dei notionem; Proinde ergo hæc erit notio Entis omnino terribilis, crudelis, malorum largitoris, & ærumnarum, fulminibus armati semper, talis demum, quale potest illud sibi fingere timor, qui non ex ratione, sed e suis teterrimis moeroribus illud sibi componit, constituitque. Atqui notio, quam Dei nunc habent, habueruntque semper gentes omnes, est e contrario notio Entis summe boni, summe benefici; notio Patris, ad quem confugiendum sit in egestate, ut ad fontem bonorum omnium, ut sublevemur; notio Domini supremi, qui quamquam sit justus, ultorque scelerum, tamen læsus potest placari poenitentia, sacrificiis, precibus, & votis. Hæc est notio, quam magis, minusve claram Dei ostenderunt se habere gentes omnes. Ergo hæc notio non potuit in hominibus a timore imprimi. Potius dicamus, dicemusque id, quod verissimum est, (*Vid. Episcopi Turnacensis, Memoire touchant la Religion. pag. 12.*) timorem, nedum fuerit Religionis artifex, ut plurimum consuesse impietatis esse fontem. Scelesti enim, (quod est unum hominum genus, qui Atheismum amplectuntur) conculcantes, ut suis cupiditatibus obsecundent, leges omnes naturæ, diu, noctuque, quasi domestica furia Dei naturæ auctoris, ultorisque suarum legum violatorum timore perterrefiunt. Ut correde spinam hanc, quæ illos nimium pungit, exulceratque, extrahant, summa ope nituntur ejicere ex animo Dei notionem. Patet hinc, timorem, qui non est Religionis causa, sed effectus, ob eorum malitiam, qui ad bonam frugem redire nolunt, ansam præbere impietatem profitendi. Perspicue igitur demonstravimus, tum Politiam virorum principum, tum timorem populorum esse vana commenta, nec posse per ea universi gentium de Religione consensus rationem reddi.

§. IX. Hoc idem dicendum est de alia nimis temeraria opinione, quæ sæpe in Lucretio ostenditur, quæque auditur non raro ab *his Philosophorum quisquiliis*; hoc est, verarum, physicarumque causarum, quibus explicentur naturæ phænomena, ignorantiam fuisse, quæ impulit homines ad concipiendum Ens supremum, & invisibile rerum omnium auctorem, motoremque.

... Pro-

: : : : : : : : : *Propterea quod*
Ignorantia causarum conferre deorum
Cogit ad imperium res, & concedere regnum: &
Quorum operum causas nulla ratione videre
Possunt, hac fieri divino numine rentur.

(Lucr. Lib. VI. ver. 52.) At est horum philosophorum, ut hanc opinionem probent, systema componere, quo, quin sit confugiendum ad causam sapientissimam, potentissimamque, creatio, conservatio hujus machinæ rebus tot, singulisque suo in genere perfectis mira proportione inter se dispositis, mensuraque exactissima iis finibus accommodatis, ex quibus pulchritudo cum partium, tum totius semper enascitur, refertæ explicetur. Ostendimus alias, acutissimos hos ratiocinatores causam hanc non invenisse, immo eam inveniri non posse, quia fieri non potest, ut illa sit; eosque nonnisi verba sensus expertia, quibus nulla respondet notio, crepare. Vidimus, præstantissima ingenia, quo majorem naturalium rerum cognitionem sibi compararunt, & quo magis elaborarunt, ut causas proximas, physicasque phænomenorum detegerent, eo clarius cognovisse, opus esse ad hoc supremum Numen confugere, quod unum potest *nodum solvere*, quo machinam hanc jungit, colligatque. Recte enimvero sentierunt; illud enim unum sua sapientia, potentia, bonitate habet *rationem adæquatam* operis hujusmodi ita magni, immo singularum minutissimarum illius partium. Legatur unus Eques Isaacus Nevvtonus, qui in egregiis suis *Philosophia principiis*, expositis ingeniosissimis Theoriis, quibus explicat, ad rationes redigit, probatque systema planetarium, agnoscit tamen, fatetur, demonstratque, necessario causam hanc infinitam, auctorem, & moderatricem hujus machinæ esse admittendam. Nos lacessemus hujusmodi Atheistas, ut in aciem prodeant, non dicam, ut totum systema sine hoc principio componant, sed ut motum unius Planetæ explicent; quod si facient, tunc eos ut Magistros venerabimur, ignorantiamque nostram coram iis fatebimur. At interea concludamus, cum a Libertinis causa nulla ostendi possit, nec sane ulla alia cum posset esse, qua gentium de Religione universi consensus explicetur, eam verissimam, solamque agnoscendam esse, quam superius protulimus, *traditionem* nempe, & *evidentiam*. Quæ traditio proinde, & evidentia, cum fons, & *criterium* veritatis certissimum sit, efficit, ut consensus hujusmodi tamquam argumentum veritatis Religionis Naturalis quavis exceptione majus a nobis afferatur, de qua hactenus in hoc Libro verba facimus.



L E C T O R I.



Aput gravissimum illius causæ, quam hoc in opere propugnare aggressi sumus, continet liber hic. Revelatio divina Christianæ Religionis fundamentum est, & forma; illaque etiam est, quam aperte nostræ ætatis impii & plures numero, & audaciores impugnant. Athei, vel Deistæ nota, quod est illud impiorum genus, contra quos hactenus disputavimus, nimis monstrosa est, deformisque. Ejus notæ libertinos modestiores, cultioresque pudet; imo pro modo tamen suo Religionis naturalis dogmata celebrare, illaque acriter defendere in honore ducunt. Atque hæc nempe persona est, sub qua incautorum animis virus suum instillare curant. Præcepta enim cum theorica tum moralia Naturalis Religionis, sed malo Revelatam Religionem aut falsam, aut inutilem aut indifferentem probandi consilio prædicant; quod tanto facilius se obtenturos esse sperant, quo magis his primis documentis se veritatis, honestatisque amicos ostendunt. Roussojus (unum e recentioribus referam, sed *crimine ab uno disce omnes*) in suo *Æmilio* statuit, decernitque quæ Religio tradenda sit juventuti, præscribendaque omnibus civibus, hoc est universo terrarum orbi. In hoc ea consistit (*Tom.* 3. *p.* 87.) „ ut sciatur, esse humanarum sortium arbitrum, cujus singuli filii sumus, qui nobis jubet, esse justos, invicem nosmet amare, benefacere, stare promissis; præterea ut sciatur, hujusce vitæ bona nihil esse; & post hanc aliam esse, in qua hoc ens supremum bonos præmiis, malos pœnis afficiet „. His aliisque similibus præceptis traditis: *En* (pergit p. 90. scribere) *veram, unamque Religionem non abusibus, non impietati, non fanaticis erroribus obnoxiam. Quidquid excellentis uspiam est mihi, ut libet, prædicetur; nullam aliam præter hanc agnosco.* Et sane secundum hanc cogitationem eum hæc scribere paulo ante non puduerat, quæ, quin horrore corripiar, exscribere nequeo. „ Missa facite (*pag.* 89.) igitur hæc omnia mysteriorum dogmata (loquiturque nempe de Augustissimis Religionis nostræ mysteriis): sunt voces sine notionibus hæ imaginariæ doctrinæ, quarum inane studium nobis scientia ab illis habetur, qui in illud incumbunt, potiusque eos insanos, quam bonos facit „. Ita Roussojus. At quainam, inquiet aliquis, tam audacium sententiarum probationes, aut argumenta, aut testes profert? Nihil sane aliud nisi lubidinem suam in iis concipiendis, suamque temeritatem in iis scribendis. Tale est systema, ejusmodi sunt fundamenta, quibus innituntur ii omnes, qui hac ætate Naturalistæ appellantur. Liceat tamen mihi hos omnes Religionis Dictatores supremos ita interrogare: Si Deus ille, quem exi-

existere, quem esse providum, esse verum, esse supremum dicitis; Deus ille, cui parere debemus, & a quo præmiis, vel pœnis in altera vita afficiendi sumus; si Deus hic, inquam, hominibus Religionem revelare voluisset, quam ab ipsis exigit, aliamne ad libitum suum sibi effingere, eamque saluti consequendæ sufficere, asserere iis liceret? Si veritates etiam sublimes, arcanasque credendas proposuisset, sanine esset testimonio hujusmodi non assentiri, vocemque ejusmodi aspernari? ut tam impie sentiatur, aut tollendus Deus est, aut (quod idem est) suis est attributis spoliandus, & in purum atheismum prolabendum. Jam Deum revelasse hominibus Religionem hujusmodi veritates sublimes, arcanasque continentem; sub æternæ damnationis pœna iisdem, ut eam amplecterentur, colerentque, indixisse, hoc *factum* est, quod profecto sola assertione, nolle nos illud admittere, & quod nos cæteroquin quavis dubitatione superius esse dicimus, non evertitur. Et sane divina Providentia factum hoc tot, tamque claris notis illustrare voluit, ut aut ignorantia nimis cæca, aut obstinatio nimis pervicax sit, oportet, quæ eas non videre simulet. Hæ olim universos mortales (hoc est non indoctum vulgus, sed ingeniorum, sapientiæque florem) e superstitionibus, quæ tunc dominabantur, ad Christianam Religionem, licet humana ratione sit superior, corruptisque cupiditatibus sit adversa, deducere potuerunt. Atque hæ ipsæ notæ, cum illam a Deo profectam esse ostendant, efficiunt, ut omnes impietatis aggressiones & repulerit, & semper sit repulsura. Quare in hoc præcipue & Patres, & Apologistæ nostri semper incubuerunt, ut hoc divinum argumentum vero sub aspectu proponerent, ut ex omnibus Christiani nominis adversariis certamine uno absolutissimum triumphum reportarent. Hæ notæ, ajebant illi, aperte demonstrant, Deum fuisse loquutum, Religionemque nostram ab illo proficisci; illa ergo quoad omnia sua dogmata vera est, in omnibus suis legibus est sancta, & necessario credenda est, colendaque. Ergo omnia nostrorum adversariorum argumenta fallacia, ineptaque sunt; quoniam Deus unus verax est, & omnis homo mendax: solus Deus est Dominus, & a quovis homine est illi obtemperandum. Vah demonstrativam ratiocinationem! Jam hanc methodum nempe hoc in libro sequi constituimus. Divinæ Revelationis notæ, quæ etiam *Credibilitatis argumenta* a nostris Theologis vocantur, singillatim a nobis illustrabuntur. Et licet unaquæque per se, ut videbimus, homini sapienti quod quærimus probare possit, stat tamen, omnes mirandum in modum mutuo inter se conjunctas, omnesque simul simplici principio innixas ostendere, unde hoc *factum*, quod est divina Revelatio, tam evidenter demonstratur, ut nihil supra *in hoc genere* desiderari possit. Quod ubi divino favente auxilio præstiterimus, ab adversariis nostris postulabimus, an adhuc homini prudenti arbitrio suo fines, indolemque suæ Religionis statuere liceat, quando Deus procul dubio eam,

quæ colenda est, revelavit? Ab iis postulabimus, an, eo quod mysteria comprehendi non possint, justa possit causa esse, cur *sint spernenda* (sicut cum Naturalistis Roussojus jubet) postquam Deus iu sua essentia, suisque consiliis *incomprehensibilis* voluit ea revelare? eos interrogabimus, an eorum argumenta ducenda aliquid essent, etiamsi invicta contra illa dogmata nobis viderentur, quæ scimus ab ipsa veritate nobis esse tradita? Tunc quid a Religionis Christianæ hostibus agendum erit, ut revera eos fortes Heroas se præbeant, quos se jactitant, & ut de mysteriis ea petulantia loqui possint, qua modo unum ex iis loquentem audivimus? Omnes eorum impetus ictusque in *hoc Revelationis factum* dirigendi, & certissima argumenta, quæ illud demonstrant, labefactanda. Donec caput hoc firmum est (eritque firmum semper) omnia eorum sophismata, omnes eorum libri, satyræque nihili ducentur. At nimis cati hujusmodi heroes sunt, ut hujusmodi certamen ex æquo ineant. Norunt optime, quantum Caput hoc superare interesset, tantum illud esse invictum. Et sane aliis viis longe ab hac meta dissitis ut plurimum insistunt: satis habent, si inter fugiendum modo in hoc, modo in illud argumentorum, quibus hoc ingens *factum*, de quo est sermo, probatur, aliquod telum jaciant. Hos eorum paralogismos non negligemus; sed ubi opportuna se occasio tulerit, eos afferemus; potius enim quam veritatem, de qua agimus, opprimant, a nobis valide refutati eam illustrabunt. Hoc est argumentum gravissimum, quod Lectori subjicimus. Erit tamen operæ pretium ad divinæ Revelationis *existentiam* demonstrandam, primum loquendo *de necessitate*, deinde ostendendo eam *dari potuisse* viam sternere. Hæc duo Capita, quæ nobis ansam multos gravissimos recentium Philosophorum Religionis naturalis ex arte laudatorum errores confutandi præbebunt, ejus Religionis simul nobis decora patefacient, quam natura superiorem divinitus nobis datam esse dicimus.

L I.

LIBER SECUNDUS

DE FUNDAMENTIS RELIGIONIS REVELATÆ.

CAPUT PRIMUM.

Necessitas Revelationis.

I. *Adversarii antiqui, recentesque Religionis Revelatæ: eorum fraus in extollenda laudibus Religione naturali.*
II. *Quid sit revelatio; & quotuplicis generis veritates revelatæ.*
III. *Necessitas Revelationis ad veritates naturales ad Religionem spectantes intelligendas a D. Thoma demonstrata.*
IV. *Oppositio Naturalistarum immodicorum Rationis laudatorum.*
V. *Responsio, qua ostenditur, quanti ducenda sit humana ratio quoad Religionem Naturalem.*

I. HActenus in Atheos, & Deistas pugnatum est. Capita præcipua Religionis naturalis firmissime confirmata sunt, ratioque clara nobis suppeditavit lumina, quibus veritates tanti momenti illustrari possent; quæ etiam evidentiores evadent, cum nos de secundo impietatis fonte agentes impiorum systemata iis contraria nova sub luce videnda proferemus. Quidam tamen sentirent, hic esse consistendum, neque progrediendum ulterius. Hæc Ratio, ut fert eorum opinio, est dux una, cujus ductu satis cognosci Religio potest, & naturalis Religio una per se hominem ad beatitatem potest evehere. Ita & scribunt, & loquuntur Revelationis adversarii, qui Naturalistarum nomine denso agmine hac ætate per Europam grassantur; quorum libri eo magis perniciosi sunt, quo se impietatis acerbiores hostes præbentes, & summis laudibus rationem, æquitatem, Religionemque extollentes, imprudentibus lectoribus nullam suspicandi causam relinquunt. Hinc tuto in eorum animos virus illud infundunt, quo Christianam Religionem vel ut fabulosam rejiciunt, vel ut indifferentem, vel ut humanam respiciunt, & se demum eo progressos vident, ut Religionem imaginariam, quæ parum, aut nihil ab Atheismo differt, colunt. (a) Post antiquos Christianæ fidei hostes, Celsum, (b) Lucianum, (c) Porphyrium, (d) Julianum Imperatorem (e) aliosque, claruerunt hoc impietatis genere Tyndalus, Collinsius, VVol-

(a) Vide *Adami Tribechovii Histor. Naturalism. cap.* 10.

(b) Huius opus, ut docet Origenes, qui octo præclaris libris eum confutavit, inscriptum fuit, sed insulse admodum λόγος ἀληθής.

(c) Erat amicus Celsi, cui nuncupavit *Pseudomantem*; nullum ex professo opus contra Religionem Christianam scripsit: at in suis Dialogis, præcipue in illo *de morte Peregrini* eam irridet, & dicteriis, & ironiis eam excipit; quem stylum imitantur recentes impii: de hoc uberius alibi.

(d) Philosophus Tyrius: scripsit, ut ait Eusebius, opus in XV. libros divisum κατὰ χριστιανῶν contra Christianos. Vide in Holstenio vitam Porphyrii cap. 3. &c. Porphyrius confutatus fuit a multis scriptoribus Catholicis, de quibus loquitur Fabricius *de verit. Relig. Christ. cap.* 3. *p.* 163. Hujus libri ubicumque fuissent reperti, damnati sunt flammis decreto Constantini, & Theodosii; de qua re mentionem faciemus alibi.

(e) Apostata fuit; de quo D. Hieronymus ad Magnum Orator. Romanum; *Julianus Augustus septem libros in expeditione Parthica adversum Christum evomuit; & juxta fabulas poetarum suo se ense laceravit.* Libanius in oratione funebri Juliani celebrat Ethnico more opus hoc, quasi refertum validis-

VVolstonus, quorum vestigia videmus quotidie Auctores pestiferorum libellorum gallico scriptorum sermone sequi; tales sunt, *Epitres sur la Religion essentielle de l'homme. Lettres Juifes. Les Moeurs. Le traitè de la Raison humaine. L'examen de la Religion. La Religion des Dames. La Princesse de Malbabar. Le Telliamed*, quibus addi possunt duo Poetæ Popius, & Voltærus, Helvetius, Roussojus, aliique plurimi, quorum scripta larvata præferentia titulos Ephemeridum, Narrationum, Satyrarum, Romanensium etiam in mulierum manus incidunt. Quicumque quidquam sapit, videt in hujusmodi hominibus aut turpem fraudem, aut summam ignorantiam; non dico jam, quod se Revelationis hostes profiteantur, quod aperte scriptis suis spectant, sed quod hac eadem ratione etiam fundamenta ipsa naturalis Religionis, cujus cæteroquin tam vehementes patroni sunt, evertunt. Non me latet, Religionem naturalem habere terminos suos, suos habere Religionem Revelatam. Verum hominem in Christianæ Religionis sinu altum, educatumque, rejecta, negataque Revelatione, pertinaciter tueri professionem, caussamque Religionis naturalis cum in dogmatibus Theoreticis, tum practicis, vix, ac ne vix quidem inducere animum possum, ut credam; eumque simillimum monstro judico. Omnes itaque Naturalistæ hi, quidquid dicant venusti, elegantisque, censendi sunt in numero hostium cujusvis Religionis; eorumque libri annumerandi operibus iis, quæ Atheismo, & impietati favent. At ea ex parte nunc aggrediamur illos, quam nobis objiciunt; divinamque Revelationem, cujus contemptores, hostesque se præbent, tueamur. Quod ut præstemus, tria nobis demonstranda proponimus; primum *necessitatem*, deinde *possibilitatem*, demum *existentiam* Revelationis Divinæ.

§. II. Revelationis nomine hic intelligimus manifestationem supra naturam a Deo factam hominibus quarumdam veritatum. Ad duo genera autem reduci possunt hæ veritates, ita ut aliæ sint *naturales*, aliæ *supra naturam*. Primæ sunt illæ, quæ intellectus innatis viribus detegi possunt, absolute loquendo. Hæ quoque sunt duorum generum, aliæ dicuntur *theoricæ*, ut existentia, providentia, aliaque Dei attributa tam *Ontologica*, quam *moralia*, præterea spiritualitas, immortalitas, libertasque animæ humanæ; aliæ *practicæ*, & sunt eæ, quæ spectant ad regulam morum, dicunturque etiam præcepta naturæ. Veritates autem *supra naturam* sunt illæ, quæ nullo modo ab humano intellectu viribus suis innatis possunt detegi; ejusmodique sunt divinæ proprietates illæ, quæ nullam conjunctionem cum rebus creatis habent; ut est Trinitas Divinarum Personarum in unitate essentiæ; omniaque illa, quæ pendent a Dei prævidentia, aut ab ejus libera voluntate.

§. III. Itaque primo loco dico, *necessariam fuisse humano generi naturalium veritatum ad Religionem spectantium Revelationem*. Paradoxum putant hoc Naturalistæ in eo toti occupati, ut laudibus extollant vim, ratiocinium, acumenque humanæ rationis. Ac propterea (quod videre possumus præcipue in prolixa præfatione præmissa *Tractatui de ratione humana*) referunt & inventa antiquorum Philosophorum de Religione naturali, & auctoritates Scriptorum Ethnicorum, Hebræorum, & Christianorum, qui laudant mentem humanam, ut hinc colligant, esse ipsam *evidentem, & tutam; puram, & justam, & etiam divinam, eamque directo perficere naturam nostram, nosque ad beatam immortalitatem ducere*. (a) Quas notiones cum quisque mortalis habeat, iis videtur, divinæ Revelationis necessitas saltem quoad naturales veritates, esse figmentum, & delirium. At quantum hi fallantur, jam his extremis temporibus plures clari Scriptores planum fecerunt. Nosque ostensuri sumus, duce D. Thoma, qui jam more suo

lidissimis argumentis, & ob eruditionis copiam illud prafert operi Veteris Tyrii, hoc est Porphyrii. fuit confutatum a Cyrillo Alexandrino libris decem, quorum judicium Natalis Alexandri in Historia V. seculi meretur legi.

(a) Preface au traitè de la Raison humaine. *Les plus accreditès, & les plus venerables parmi les Payens, les Juifs, & les Chretiens demeurent unanimement d'accord, que la droite raison est la premiere loi fondamentale, à la quelle nous sommes naturellement, & indispensablement tenus d'obeir, qu'elle est evidente, & assurèe, qu'elle est pure, & juste, qu'elle est meme divine; & qu'elle tend directement à perfectionner notre nature, & à nous conduire à une immortalitè bien heureuse.*

suo statim prospexit ea vera principia, quæ directo propositionem nostram probant, & ad quæ reducuntur quæcumque scripta sunt post illum. Ita ergo ait: *Ad ea etiam, quæ de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit, hominem instrui revelatione divina, quia veritas de Deo per rationem investigata a paucis, & post longum tempus, & cum admixtione multorum errorum homini proveniret; a cujus tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quæ in Deo est.* (1. p. qu. 1. art. 1.) Alibi (a) idem S. Doctor explicat fusius tres supradictos fontes, ex quibus deducit necessitatem hujus revelationis naturalium veritatum, ajens, I. fore ut illæ detegerentur *a paucis*, quandoquidem multi ex hominibus inepti sunt ad has contemplationes, & inquisitiones *propter complexionis indispositionem*, tarditatemque ingenii; multi in eas non incumbunt, *quia impediuntur necessitate rei familiaris*, aut publicæ; multi demum *impediuntur pigritia*, & mollitie, infensa studio, & labori, qui requireretur, ut veritates tot theoricæ, & practicæ comperirentur. In prima harum trium classium ponendæ essent mulieres, innumerique viri æque ac illæ debiles tardique. In secunda omnes aulici, milites, mercatores, patres familiarum, aliique, qui ut se, aut alios alant, toto die occupantur. In tertia tot molles, effœminatique, qui ingenium quidem, & potestatem, & commoda habent, at idcirco scilicet sibi videntur debere otium fovere, & feriari. Pauci ergo ex hominibus sunt, qui hæc tam gravia sedulo inquirere niterentur. II. Hi tam pauci, pergit Sanctus Doctor dicere, *vix post longum tempus pertingerent ad cognitionem, & inventionem* veritatum naturalium ad Religionem spectantium. Idque primo, quod nonnisi per diuturnas naturæ contemplationes, per assiduas meditationes suorum ipsorum, per longam ratiociniorum seriem pervenire posset ad rectas tutasque Dei naturæ, ejusque attributorum, essentiæ, visque animæ humanæ, fundamentorum juris, discriminis turpitudinis ab honestate, bonorum, improborumque sortis, aliarumque veritatum his similium cum necessariarum, quæ sciantur, cum ab homine, qui superiori lumine non illustretur, difficilium, quæ comperiantur, notiones componendas. Deinde quia, inquit S. Doctor, *tempore juventutis anima humana diversis passionum motibus* fluctuat, ideoque ut plurimum videmus, si tunc ætatis apti sunt ad studia litterarum amœniorum, scientiarumque naturalium, ægre in severis inquisitionibus divinæ, moralisque Philosophiæ, quæ exigit & constantiam, & firmitatem cogitationum, quæ consueverunt gigni ætate virili, & provecta homines proficere.

Roma-

(a) I. Cont. Gent. c .. *Paucis hominibus Dei cognitio inesset. A fructu enim studiosæ inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis. Quidam siquidem propter complexionis indispositionem, ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum: unde nullo studio ad hoc pertingere possent, ut summum gradum humanæ cognitionis attingerent, qui in cognoscendo Deum consistit. Quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris: oportet enim esse inter homines aliquos, qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in otio contemplativæ inquisitionis non possent expendere, ut ad summum fastigium humanæ inquisitionis pertingerent. Quidam autem impediuntur pigritia: ad cognitionem enim eorum, quæ de Deo ratio investigare potest, multa præcognoscere oportet, cum fere totius Philosophiæ consideratio ad Dei cognitionem ordinetur .... Sic ergo non nisi cum magno labore studii ad prædictæ veritatis inquisitionem perveniri potest: quem quidem laborem pauci subire volunt .... Secundum inconveniens est, quod illi, qui ad prædictæ veritatis cognitionem, vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent: tum propter hujusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis nonnisi post longum exercitium, intellectus humanus idoneus invenitur; tum etiam propter multa, quæ præexiguntur, ut dictum est: tum propter hoc, quod tempore juventutis, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altæ veritatis cognitionem .... Remaneret igitur humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiæ tenebris; cum Dei cognitio, quæ homines maxime perfectos, & bonos facit, nonnisi quibusdam paucis, & his paucis etiam post temporis longitudinem proveniret. Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admiscetur, propter debilitatem intellectus nostri in judicando, & phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanerent ea, quæ sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant; & præcipue cum videant a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quæ demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur sed aliqua probabili, vel sophistica ratione asseritur .... Et ideo oportuit per viam fidei, fixa certitudine ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi. Salubriter ergo divina providit clementia, ut etiam quæ ratio investigare potest, fide tenenda præciperet, ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes esse.*

Remaneret igitur (ita ait S. Doctor) *humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiæ tenebris; cum Dei cognitio, quæ homines maxime perfectos, & bonos facit, non nisi quibusdam paucis, & his paucis etiam post temporis longitudinem proveniret*. III. Denique hi rari homines post tam diuturnas, laboriosasque inquisitiones numquam perfectum Religionis naturalis systema, quin pluribus gravibusque erroribus scateret, possent conficere: idque primum *propter debilitatem* intellectus humani, qui non omnes relationes, quæ sunt inter notiones videt, nec videre potest; qui suis judiciis, ratiociniisque, præcipue prolixis, & compositis aut ex defectu methodi, aut ex defectu ingenii acuminis, aut vi præjudiciorum, errat, decipiturque, & inter veras, demonstratasque propositiones facillime aliquem latentem paralogismum non advertit, quo ratiocinium fit falsum, illationesque inde deductæ distortæ sunt, non rectæ; secundo autem varietas, & contrarietas opinionum, quas de his rebus sapientes habent, efficit, ut sæpe rejiciamus eorum auctoritate moti nostra lumina, ut fallacia, amplectamurque alienos errores, aut semper ancipites hæreamus, & incerti. Quam ad errorem propensionem, & impedimenta ad detegendam veritatem amplificavit etiam ubertim, descripsitque eleganter Cicero verbis his (*Tuscul. Lib. III. c. 1.*) *Nunc parvulos natura nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibusque depravatis restinguimus, ut nusquam natura lumen appareat . . . Simul atque editi in lucem, atque suscepti sumus, in omni continuo pravitate, & in summa omnium opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, deinde vero Magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmata natura ipsa cedat . . . . Cum vero accedit eodem quasi maximus quidam magister, populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque ipsa desciscimus*. Evidens igitur est ex his omnibus causis, quas D. Thomas affert, probatque, hoc est, *paucos* ex hominibus, & vix *post longum tempus*, & *non sine permixtione errorum perventuros* ad detegendas veritates naturales ad Religionem spectantes, nisi ducem alium, quam rationem haberent. *Et ideo oportuit* (concludit S. Doctor) *per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi. Salubriter ergo divina providit clementia, ut etiam quæ ratio investigare potest, fide tenenda præciperet, ut sic omnes de facili*, & quin dubitent, & errent, *possent divinæ cognitionis participes esse*. Scriptores multi, ut innuimus supra, his postremis temporibus contra defensores Religionis naturalis necessitatem Revelationis etiam quoad veritates naturales ostendere sunt conati. Quosdam horum reperies in collectione Burneti (*Defense de la Religion tant naturelle, que revelèe*) alios in compendium redegit Stackousius: (*Le sens litteral de l'Ecriture Sainte. Tom. II. chap* 23.) Hos omnes & vi cogitandi, & methodi brevitate antecedit Samuel Clarchius (*De l'Existence, & des attributs de Dieu. Tom. II. chap. 9. & seq.*) Tamen quidquid grave in hac materia dici potest, ad allatam D. Thomæ demonstrationem reducitur, cujus clarior etiam evidentia, & vis apparebit, cum Naturalistarum objectiones refellemus.

§. IV. Non constare a nobis ostensa Revelationis necessitas quoad veritates naturales cum iis, quæ præcedenti libro exposuimus, posset primum cuipiam videri. Vidimus eo loci, etiam nationes barbaras capita præcipua Religionis naturalis cognovisse; nosque ipsos ea invicte sola rationis vi ostendisse nobis persuademus. Præterea quotus est quisque qui nesciat, quam præstantes, sublimesque doctrinas habuerint, & in propatulo posuerint de hoc argumento veteres Philosophi? *Cicero, & Epictetus* (ait recens Naturalista, nempe Auctor Præfationis præmissæ *au Traitè de la raison humaine* jam supra memoratus) *clarissime principia prima, quibus Religio tota insistit, nobis objiciunt*. Socratem, Platonemque suspiciunt sæcula cuncta ob ea, quæ de divinitate, de anima, de altera vita rectissime senserunt. Ethica Tullii, Imperatoris Antonini, Plutarchi, Senecæ, Cebetis Tabulæ, omnium Stoicorum demum vulgo adeo excellit, ut præ illa quidam Christiani Casuistæ, qui de morali disciplina scripserunt, debeant pudore suffundi. Politica, & Ethica Aristotelis, etiam

post

post illa infortunia, quæ ejus Physica subiit, servant adhuc antiquum decus. Jam hi omnes, aliique innumeri, quorum *aureæ sententiæ* legi possunt a quibusdam Scriptoribus collectæ, & ab iis præmissis Christianis dogmatibus, omnes, inquam, hi Philosophi sola ratione duce has veritates detexerunt; ea ratione (inquit supradictus Naturalista *ibid.*) quæ ex sententia Imperatoris Antonini, *est emanatio Dei; fonsque bonorum omnium inexhaustus; quam qui sequitur, ut sentit Cicero, fieri non potest, ut in errores incidat: & illa est ut opinantur hi, aliique Philosophi præstantissimi, quæ docet quamlibet prorsus virtutem a cujus præceptorum obedientia nostra derivatur felicitas*. Hæ, aliæque plurimæ sunt laudes illæ, quibus antiquorum verbis Naturalista hic humanam rationem commendat; idemque agunt alii ejusdem scholæ asseclæ; quorum libri quo magis rationis causam perorant, eo etiam magis ejus infirmitatem ostendunt, & quanto magis divinam Revelationem supervacaneam demonstrare satagunt, tanto ejus necessitatem evidentius probant. Id singula allati contrarii argumenti membra refellendo planum faciamus.

§. V. Ostendimus ergo omnium gentium consensum de præcipuis Religionis capitibus, hoc est de existentia divinæ naturæ hujus Mundi creatricis, & moderatricis, & de alterius vitæ expectatione. Ita sane. At primum quidem quis nescit (ne quicquam dicamus de eorum ignorantia, vel erroribus in aliis gravissimis ejusdem naturalis Religionis theoreticis, practicisque capitibus) quis nescit, inquam, quot quamque falsis, perversisque notionibus, quot fabulis absurdissimis infectæ fuerint hæ veritates eædem, illa præcipua præsertim, quæ Divinam naturam respicit? En ergo tertium D. Thomæ demonstrationis caput evidenter confirmatum, hoc est *errorum multorum admixtionem*, (a) ex quo inferimus, necessariam divinam Revelationem fuisse. Deinde vero hujus universi consensus fontem primum esse traditionem a filio ad Patrem usque ad parentem primum totius humani generis adscendentem ostendimus. Hunc autem parentem primum, qui fuit Adamus, dicimus, non ab Angelo *Raziele*, aut ab homine nomine *Jambusan*, vel *Sonnescher*, ut videtur clarus recens Scriptor (*defensio quarumdam Epistolarum cujusdam Peruviane p. 63.*) somniari una cum Rabbinis, & Sabæis, sed a Deo ipso fuisse edoctum, qui cum hominem hunc crearit, inquit D. Thomas, (b) ut esset aliorum omnium principium non solum quoad corpoream propagationem, sed etiam quoad doctrinam, & regimen: ideo sicut illum perfectum corpore fecit, ut posset statim filios sibi similes generare, ita perfectiorem anima per veritatum naturalium, & etiam earum, quæ sunt supra naturam, revelationem, ut eos statim easdem docere posset, creavit. Atque hinc tamquam ab origine, a Divina revelatione Adamo facta, gentium cognitio de veritatibus naturalibus dimanat; quamvis autem sæculorum decursu ob hominum infirmitatem, petulantiamque harum veritatum puritas pluribus erroribus infeceretur; cui malo renovata identidem, scriptis etiam, quæ Sacra dicimus, quod Moyses primus fecit, traditio novum attulit remedium.

Non eo progredimur autem, ut dicamus, omnino solo naturæ lumine naturales veritates ad Religionem spectantes, detegi, & demonstrari non posse. Immo dicimus, arctissimam earum junctionem cum primis rationis principiis causam fuisse, cur hic consensus perpetuus, constansque permanserit. Sed (præterquamquod non omnes homines vim ratiociniorum, præcipue si composita sint, & abstracta, quod est membrum allatæ D. Thomæ demonstrationis, assequi possunt) fatendum candide nobis est, notitiam,

(a) *Cum admixtione multorum errorum*. 1. par. qu. 1. art. 1.

(b) *Sicut primus homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut statim posset generare: ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere, & gubernare. Non potest autem aliquis instruere, nisi habeat scientiam: & ideo primus homo sic institutus est a Deo, ut haberet omnium scientiam, in quibus homo natus est instrui . . . Ad gubernationem autem vitæ propriæ, & aliorum non solum requiritur cognitio eorum, quæ naturaliter sciri possunt, sed etiam cognitio eorum, quæ naturalem cognitionem excedunt . . . unde & de his supernaturalibus tantam cognitionem primus homo accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitæ humanæ secundum illum statum*. 1. p. q. 94. art. 3.

tiam, & certitudinem, quam per revelationem harum veritatum habemus, esse lumen illud, quod nos in viam ducit, & illud, ut ita dicam, filum, quo dirigimur, ne ratiocinantes erremus; id est, cum nobis a teneris usque unguiculis impressa fuerint hæc theoremata, nos intellectu nostro ad examen illa revocamus, meditamur, comperimus conjunctionem, quam inter se habent, & cum primis ratiocinii principiis: atque hinc elicimus demonstrationes, easque colligamus systemate ratione elaborato, unoque; quod nunquam facere potuissemus, saltem unitate tanta & veritate, nisi illa prius habuissemus cognita. Ut summatim dicam, demonstrationes nostræ non ducunt nos ad detegendas veritates occultas, sed veritatum jam manifestarum junctionem nobis indigitant. Quod ita perspicue ob oculos ponit præstantissimus Ratiocinator, qualis Joannes Lochius fuit, his verbis: (a) *Qui nunc longa itinera conficit, vim suam commendat, qua tam brevi temporis spatio viam tantam est metitus: caussam tantæ celeritatis corporis sui robori adscribit: nec considerat quantum debeat iis, qui nemora deciderunt, exsiccarunt paludes, constituerunt pontes, viam straverunt, quæ si facta non fuissent, jamdiu itinere defatigatus nonnisi paullulum processisset. Multa sunt, quæ ab infantia usque didicimus, ita ut cum jam eorum notiones insita nobis sint, & quasi congenita nobiscum sub Evangelio, nos eas ut veritates, quæ impugnari nequeant, ducamus faciles, quæ detegantur, faciles, quæ evidentissimeque probentur, non advertentes, nos de iis dubitaturos, aut ignoraturos fuisse diu, nisi Revelatio ea nobis patefecisset. Atque ita valde Revelationi adstringimur etiam inscientes.* Ejusmodi nimirum Naturalistæ sunt, qui profitentur, velle se haurire omnes eas Tractationes, aut specimina, quæ de Ethica, aliisque Religionis capitibus in dies scriptitant e sola ratione. Si vellent hi earum notionum, quas cum Catechesi didicerunt, oblivisci, fortasse ne prima quidem honeste vivendi, recteque de Deo opinandi elementa glutinare scirent. Illi, illi ipsi prolabentes in errores tam turpes, rationi, & communi sensui tam absonos, in eas apertissimas contradictiones, quoties illos libido incessit solos ambulandi, & aliquam viam suis audacibus ratiociniis aperiendi, id nobis ostendunt. Dilucida hujusce rei specimina dabimus in libro, qui proxime sequitur, in quo horum honestorum hominum moralia præcepta ad trutinam revocabimus. Interea cursim quosdam supradictorum librorum veluti, *mores*; *epistolas de essentiali Religione*; *Philosophum recta rationis*; *continuationem defensionis spiritus legum*, *Tractatum de Humana Ratione*, *opus Helvetii* inscriptum *de Spiritu*, aliosque misellos recentiorum Libertinorum foetus examinemus, comperiemusque, nullum ad ostendendam infirmitatem, debilitatemque humanæ rationis fortius argumentum esse, quam hos eosdem libros, ut ejus vim, roburque comprobarent, conflatos.

C. A

(a) *Celui qui voyage presentement par des grands chemins, s'applaudit sur la vigueur de ses jambes, qui l'ont porté si loin dans un si petit espace de tems: il attribue toute la cause de sa diligence aux forces de son temperament, ne considerant pas, combien il est redevable au travail de ceux, qui ont coupé les bois, seché les marais, bati de ponts, & rendu les chemins praticables, sans qu'il il se seroit entierement fatigué, & il n'auroit avancé que fort peu. Il y a quantité des choses, dont la creance nous a eté inculquée des le berceau, de sorte que les idées nous en etant devenuées familieres, & pour ainsi dire sous Evangile, nous les regardons comme des verités incontestables, qu'il est aisé de voir, & de prouver avec la derniere evidence; sans considerer, que nous aurions pu douter, ou les ignorer pendant long-tems, si la Revelation n'en eut rien dit. Ainsi plusieurs sont redevables à la Revelation sans s'appercevoir.* Locke, Le Christianisme Raisonnable chap. 14.

CAPUT SECUNDUM.

Philosophorum Religio.

I. *Examinatur, quid momenti habere debeant opiniones Philosophorum de Religione; utilitas nativitatis.*

II. *Utrum didicerint ex Hebraeorum doctrinis.*

III. *Vulgo ducuntur Athei, & Spinosistae; non solum ab Atheis recentibus; sed etiam ab aliis Religionis hominibus. Opiniones quaedam Mersenni, Harduini, Rheiseri, & Buddaei de Atheismo.*

IV. *Opposita Naturalistarum, aliorumque Scriptorum, qui summis laudibus extollunt scientiam antiquorum Philosophorum Religionis, opinio.*

V. *Uterque terminus vitiosus: Philosophi antiqui vulgo Athei dici nequeunt.*

VI. *Nimis tamen meditando, disputandoque dubias reddiderunt veritates cognitas, easque erroribus foedarunt.*

VII. *Ex hac Philosophorum ratione evidenter deducitur contra Naturalistas necessitas Revelationis.*

SEd veniamus ad Philosophos, quorum inventa, doctrinaeque tamquam validissima probatio rationis virium nobis opponuntur. Latissime patet argumentum. Redigere in arctum sub quaedam capita, quod mihi videbitur redigendum, curabo.

§. I. Advertendum est, omnes Philosophos natos, educatosque fuisse in Religionis gremio, quae constantis Traditionis ope semper, etiamsi deformata, & perturbata ubique terrarum viguit.

II. Gravissima est cum antiquorum, (a) tum recentium Scriptorum opinio, praeclariores Philosophos, Trismegistum, Thaletem, Pythagoram, Platonem, Aristotelem notitiam Sacrorum Librorum, qui penes Hebraeos erant, habuisse, & ex iis hausisse scientiam suam. Quod si cum aliis dicere malimus, non potuisse Philosophos, saltem vetustiores, sacras litteras legere, primum in Graecum sermonem versas sub Ptolomaeo Philadelpho, (Vid. S. August. *de Civit. Dei Lib. VIII. Cap. II.*) hoc est post Olympiadem CXXXII. certo tamen dicendum est, potuisse eosdem Philosophos addiscere capita doctrinae praecipua, quae servabant Hebraei; vel quod illi ipsi longis itineribus eo se contulerint illa inquisituri; quod scimus fecisse Pythagoram, & (b) Platonem, qui idcirco in Aegyptum sunt profecti, vel quod Hebraei ipsi aliquid disseminaverint, qui saepius in eas regiones migrabant. An est quisquam, qui ignoret, Salomonis matrimonium cum Filia Regis Aegypti initum ante Alexandrum annos sexcentos, commercia ab eodem Salomone cum Rege Tyrio exercita innumeros Hebraeos in illa loca pertraxisse? Quis ignorat, Deum ipsum misisse Prophetas ut praedicarent verbum suum inter Ethnicos, quod fecit Jonas Ninive? Quis nescit, ex diuturna Hebraeorum captivitate Babilone per Orientales plagas Hebraeorum Religionem, doctrinasque potuisse diffundi? Quis denique nescit, quod advertunt & antiqui, & recentes Christiani Apologistae, (Vid. Stackousium *Tom. II. c. 13.*) etiam in Theologia fabulosa, & in ritibus Ethnicorum quaedam vestigia Historiae, Religionisque populi Dei reperiri? Quod tamen puto non ita late sumendum esse, ut Huetius fecit (*In Demonstr. Evangelica*), qui in tota Mythologia Moysem, Sephoram ejus uxorem, sororemque Mariam introspicit, multoque vero minus opposita Marshami (*In Canon. Chronico Aegyptiac. Hebraic. Graeco*)

(a) Justin. Mar. *Paraen. ad Graecos*. Clem. Alexand. l. & 5. *Strom.* Euseb. *Praepar. Evang. lib. IX. cap.* 3. *Joseph l. cont. Apion.* Huet. *Demonstr. Evangel. prop.* 4. Natal. Alexandr. *Tom. I. Hist. de IV. Mund. aetatib. cap.* 7. *art.* 1. Richarsonus, Jenkinsius apud Stackouse *le sens litter. de l'Ecriture tom.* 2. *chap.* 11. aliique quamplurimi.

(b) *In colloquendo, quid continerent scriptura, quantum capere possent, addisceret*. S. August. *de Civit. Dei*, Lib. VIII. cap. II.

eo) Spencerique (*De Legibus Hebræor. Ritualibus*) sententia approbanda est, qui ob hæc similitudinis vestigia leges Hebræorum, & quasdam doctrinas ad Religiones spectantes e Gentibus haustas volunt.

His ergo auxiliis, hoc est Religionis, quam quamvis superstitiosam cum lacte nutricis suxerunt, cognitionumque verarum, rectarumque, quas de divinitate, de altera vita, de naturali jure haurire ab Hebræis potuerunt, quid facilius, magisque naturæ consonum poterat Philosophis esse, quam luminibus Rationis eorum ipsorum præceptorum adeo cum natura convenientium veritatem ostendere, & in Academia, & in Porticibus has sublimes Theorias docere, quas tamen non suis meditationibus quasi fructus perceperant, sed ex Divina acceperant Revelatione? Tamen his muniti præsidiis quos fecerunt progressus, quæ de Theologia naturali docuerunt?

§. III. Opinati sunt quidam, omnes, aut præstantissimos saltem ex veteribus Philosophis Atheos, & Spinosistas, seu Pantheistas fuisse. Ita vult Tolandus (*Ἀδεισιδαίμων* sive *Tit. Liv. a superstit. vindicat. & Orig. Judaic.*) & Collinsius (*de la libertè de penser*) & ut plurimum ostendunt se credere omnes isti nostrorum temporum homunciones Atheistæ, qui in suis conventiculis blasphemantes, ebriique Pantheisticum canentes (Vid. *Bibliot. Angloise Tom. VIII. part. 2. art. 1.*) seu *formulam celebrandi socratiecam societatem* (cantiunculam a Tolando ipso compositam) recitant nomina hominum doctæ antiquitatis clarissimorum, suæ impietatis prædecessorum. At quid mirum, hos Socrati, Platoni, Aristoteli, Plutarcho, Varroni, Tullio, & amplissimis demum e Latinis, & Græcis hanc notam inurere, si Tolandus (*Origin. Judaic. p. 155. & seq.*) eo impudentiæ progressus est, ut inter Pantheistas & Moysem, & Scripturam totam divinam recenseret? & Collinsius (a) in numero libere cogitantium (ita ille eos, qui, ut Libertini, cogitant, vocat) Salomonem Prophetasque collocaret? Eo, non dicam impietatis, sed amentiæ devenitur, cum veritati bellum indictum fuit. Non solum tamen hi duo impii, sed etiam Scriptores alii nimium creduli, & faciles, quod advertit, queriturque jure Fabricius, (b) in Atheorum album Philosophos, & totius antiquitatis celeberrimos viros retulerunt. Dicere est opus, in hujusmodi hominibus aut atrabili laborantibus, aut nimis vehementibus, cum de impietate, & hæresi agitur, inesse speciem quamdam furoris, qui iis præter modum objecta amplificet. Pater Mersennus (Vid. *Memoires des Hommes illustres par le P. Niceron* Tom. XXXIII. p. 146. & 147.) Sæculo proxime elapso, & hoc, quo vivimus, Harduinus, id satis confirmant; ille in *suo Commentario ad Genesim*, ubi loquitur de Atheis ætate sua viventibus; hic in celebri tractatu, *Athei detecti*, in quo Atheos traducit excellentes Scriptores, quibus certo nulla nota minus, quam Atheismi inuri poterat. At constat, hunc admirabilem litteratum virum in omnibus Patrum operibus horrendum hoc Atheismi monstrum comperire consuevisse, & proinde illa ut ficta, & supposititia furore misericordia digno rejecisse. (c) Ingenium ejusmodi (ne de Bælio satis super-

(a) *Liberté de penser* p. 218. & seq. Eruditissimus Fabricius *de Verit. Relig. Christ.* Elenchum bonæ partis operum in hos duos impios scriptorum confecit; eorum contra Tolandum cap. 22. p. 480. & inter ea eminent *Jacobi Fayi Defensio Religionis, necnon & Moysis, & Gentis Judaicæ*, Et *Melange de remarques contre Mr. Toland par Elias Benoist.* eorum contra Collinsium c. 23. p. 488. ex his eruditissimum est illud Bentleji: *La Fripponerie Laique ... de Phileleuthere de Leipsick*, de quo alibi loquimur, acutius tamen nobis videtur illud Petri Crosæ *examen du traitè de la libertè de penser*.

(b) *Biblioth. Græcæ* Lib. III. c. 6. pag. 178. *Omitto dicere, quod infelix fortasse, Religioni certe, & humano generi parum utilis, nec honorificus labor est, principes ingeniorum, & præstantissimos totius antiquitatis viros invitos trahere in societatem Atheorum, & universum Ethnicismum confundere tum Spinozismo, atque Atheismo.* Vid. *Jo. Christoph. VVolfii dissert. de Atheismo falso suspectis*, & idem Fabricius *de Verit. Relig. Christ. c.* 8.

(c) Ad vivum expressus est Harduini furor in quadam epist. quæ refertur *Biblioth. Raison. Tom. I. par. I. art. 6.* inscripta *Lettre d'un Ex-Jesuite ... touchant les Ouvrages faussement attribuez aux Peres de l'Eglise, & le fameux systeme du Pere Hardouin sur ce sujet*. Ait ergo, cum adhuc in Societate esset, quodam die ita Harduinum se adloquutum fuisse. *Mon Enfant, l'abomination de la desolation est dans le lieu saint. Je l'ai vuë, (me dit-il en levant les yeux au Ciel d'un air encherubinè, & plein d'enthousiasme,) le Seigneur Dieu m'a ouvert les yeux pour l'appercevoir en repandant sa benediction sur mon travail .... Un Livre, où l'Atheisme est etabli, où l'idée de Dieu est renver-*

ſuperque noto quicquam dicam) mihi videor videre in Rheiſcri diſſertatione (*De origine, progreſſu, & incremento Atheiſmi*) ad Spizelium miſſa, qui ut capere ſuarum inquiſitionum quam longiſſimum initium poſſet, Cainum Atheorum primum facit. Franciſcus Buddæus in tractatu *de Atheiſmo, & ſuperſtitione* (a) teſtatur ſe non duci prurigine per vim quemquam Atheiſmi inſimulandi; puto tamen quicumque ejus opus leget, facile detecturum hac prurigine eum non caruiſſe omnino; iis enim criteriis utitur, & in ea principia incumbit, quibus pauci Philoſophi ab Atheiſmo eximi poſſunt. Et ſane diſtinguit Atheiſmum in Scepticum, & Dogmaticum. Primi generis erant Athei illi cuncti, qui de omnibus dubitabant. *Secundum autem differt* (inquit ille) *pro philoſophicorum ſyſtematum diverſitate, hoc eſt Ariſtotelis, Stoicorum, Epicuri, & Spinoſa... Fundamentum Atheiſmi Sceptici eſt, nos nullius rei eſſe certos, & judicium numquam eſſe ferendum; Dogmaticorum generatim eſt, materiam ſemper extitiſſe, & exiſtentiam eſſe de neceſſitate illius eſſentia. Fundamentum Ariſtotelici Atheiſmi eſt mundum ab æterno fuiſſe, ut nunc eſt; Stoicorum Atheiſmi, Deum arcta junctione eſſe cum mundo conjunctum; Atheiſmi Epicuri, & Stratonis, fuiſſe mundum conditum fortuito atomorum concurſu: Spinoſa Atheiſmi demum, niſi unam ſubſtantiam eſſe.* (b) His Claſſibus quot Philoſophi comprehendantur, quiſque per ſe intelligit. Addantur his Sabæi, & Chaldæi, qui Buddæi ſententia (ib. chap. 1. §. 7. 8.) *crediderunt Pantheiſmum*, immo omnes idololatriæ aſſeclæ, *qua*, ut ille ſentit, *non valde a Pantheiſmo diſtat*.

Jam juxta Auctoris hujus opinionem en Atheiſmum pene univerſum. Scio, eum ex hac nota quoſdam antiquos Philoſophos eximere, & profiteri, ſe interdum dubitanter loqui; tamen nimis proclivis ad inurendam notam hanc cuique videri poteſt. Hujuſque ſententiæ etiam alii fuerunt, qui omnes antiquos Philoſophos Atheos, Materialiſtas, & in præcipuis naturalis Religionis capitibus, præſertim alterius vitæ, vulgo erraſſe putarunt.

§. IV. Oppoſitam alii omnino opinionem amplectuntur; & poſtquam collecta a Grotio, (*de Verit. Relig. Chriſt.*) ab Huetio, (*de concord. Rati. & Fid.*) a Voſſio, (*de Theologia Gentil. & Pyſiolog. Chriſt.*) a Giraldo, (*de Diis Gentium*) a Pfannero (*ſyſtema Theolog. Gentil. purioris*) ſed præcipue a multis eorum cultorum Platoniciſmi, qui, ſub Medicorum auſpiciis Græcis Litteris florentibus, in Italia, & in Gallia vixerunt; poſtquam, inquam, ab his, aliiſque Scriptoribus (Vid. Fabricium *de Verit. Relig. cap. 8. & 32.*) loca multa pulcherrima antiquorum Philoſophorum de natura, de Dei attributis, de animæ dotibus, de virtute, vitio, legibus, præmiis, ſuppliciis collecta viderunt, omnes antiquos Philoſophos veluti Religionis naturalis teſtes inter ſe conſonos, immo pene Chriſtianos producunt. Neque diſſimulari poteſt, hic quoque furorem fuiſſe, cum in eorum ſcriptis Myſteria Auguſtiſſima Revelatæ Religionis, & Scripturam Sacram prope omnem ſe introſpicere putarint, (c) quod objicit A. Steuco Eugubino (*de Perenni Philoſophia*) Petavius (*Theolog. Dogm. de Angelis*); Hieronymo Flo-

verſée, & où la foi eſt contredite en tous ſes points, ne fut jamais un Livre fait par un Saint que l'Egliſe a canoniſè. Il ſeroit impie de le penſer; n'eſt-il pas vrai? Or l'Athèiſme eſt etabli, & l'idée du vrai Dieu eſt renverſèe (dans les ouvrages des Peres) & par conſequent ils n'en ont jamais ètè les Auteurs. Dicit etiam quænam eſſent hæ everſiones notionis Dei, quas Harduinus reperiebat in Patribus, eos non noſſe alium Deum, *que ce Dieu per mentem, qui eſt appellè par ceux-ci Raiſon univerſelle des eſprits: l'Etre en general: l'Etre ſans reſtriction: l'Etre tout court.*

(a) In verſione Gallica, quam auctor habet p. 9. in not. *Ce n'eſt pas mon humeur que de faire quelqu'un Athèe malgrè lui.*

(b) *L'Athèiſme Dogmatique eſt different ſelon les divers ſyſtemes Philoſophiques, d'Ariſtote, des Stoiciens, d'Epicure, & de Spinoza... Le fondement de l'Athèiſme Sceptique eſt, que l'on n'a aucune connoiſſance certaine; & qu'il faut ſuſpendre ſon jugement ſur toutes choſes. Celui du Dogmatique en general eſt, que la Matière a toujours exiſtè, & que l'exiſtence neceſſaire eſt de ſon eſſence. Le fondement de l'Athèiſme d'Ariſtote eſt, que ce Monde tel qu'il eſt, a toujours exiſtè. Celui du Stoicien, que Dieu eſt uni d'une etroite liaiſon avec la matière. Le fondement de l'Athèiſme d'Epicure, & de Straton eſt, que le monde avoit ètè formè par le concours fortuit des Atomes. Celui de Spinoza, qu'il n'y a qu'une ſeule ſubſtance.* Chap. II. §. 9. 10.

(c) Philippi Picinelli Mediolan. *Lumina reflexa, ſive Scriptorum Ethnicorum conſenſus cum ſingulis pene verſiculis ſacra Scriptura.* Et alii.

ravanti (*Lib. III. de Beatiss. Trinitate*) Vossius (*epistola* 78.) Daciero (*vie de Platon*) Pater Baltus (*Paralello de la Philosophie*); & Moshemius (*a*) & Cleffelius (*dissert. Critic. de Interpret. N. Testam. ex Scriptor. Profanis*) aliique (Vid. Six Sen. *Biblior. San. Lib. III.*) multis intemperantibus auctoribus, qui ut eruditionem ostentent suam, pertrahunt unco impacto inter oracula prophetarum veluti æqualia effata sententias antiquorum Philosophorum aut omnino impias, aut a Scripturarum sensu toto cœlo remotiores. His tamen laudibus omnibus, licet præter modum Ethnicis datis, utuntur Religionis Naturalis propugnatores, (*b*) & eas suis in libris memorant, ut hinc deducant, posse animam humanam per se veritates præcipuas detegere; ac proinde supervacaneam Revelationem esse.

§. V. Crederem, sapientem Lectorem utriusque allatæ opinionis falsitatem vidisse. Nec omnes Athei Philosophi fuerunt, quod Athei vellent; nec fuerunt ejus puræ Religionis Magistri, ut jactitant Naturalistæ. Vulgo eos Atheos non fuisse, mihi videtur id ex antiquis illis monumentis inferri posse, quæ, cum nobis quosdam, & quidem paucos, Philosophos Atheos nominatim significent, dilucide ostendunt, alios nec Atheos traductos, nec creditos ejusmodi fuisse. Sextus Empyricus, (*Pyrron. Hipothe. Lib. III.*) cujus ingenium satis est cognitum, *plerique hominum*, inquit, *credunt Deorum existentiam; quidam tamen ut Diagoras Miletensis, Theodorus, & Critias Atheniensis eam non credunt*. Alibi sane ait, (*Advers. Physic. n.* 51.) plurimos alios hanc imbibisse opinionem, sed tribus supradictis nonnisi Evimerum, & Prodicum annumerat: hyperbolice proinde, ut advertit ibi Fabricius, (*c*) est id ab eo dictum. Et sane aut hi tantum, aut alii quidem, paucissimi tamen, recensentur a Cicerone, Laertio, Plutarcho, Maximo Tyrio, Clemente Alexandrino, Theodoreto: neque inter hos certe sectarum duces, nisi fortasse Epicurum unum, reperies. Quod si populus interdum hoc Atheismi nomen aliis Philosophis imposuit (quos omnes Fabricius nominat), scimus, id ut plurimum evenisse, quia ipsi se suæ urbis superstitionibus infensos præbebant; non quod divinitatem omnem rejicerent, ut alias ostendimus, ubi etiam varias significationes, quibus ab antiquis vox hæc Athei usurpabatur, adduximus. Non me latet, quosdam gravi voce dicere, quicumque quibusdam sententiis, quæ in antiquis Philosophis reperiuntur, collectis jam minime contentus, funditus Philosophorum antiquorum de Dei essentia, & de animæ natura systemata inquirit, & necessaria consequutione eum hinc debere deducere, eos omnes Atheos, Spinosistas, Materialistas fuisse; & futuram vitam negasse omnino. At horum pace dictum velim, existimo, hos a recto tramite valde aberrare, & hanc eorum methodum, qua putant, se posse detegere, & statuere, quid revera Philosophi senserint, incertam esse, fallacemque. Jacobus Brukerus, qui maxime materiam hanc calluit, licet interdum hallucinetur, sæpius repetit, nullam esse magis breviorem rationem sus deque Philosophiam vertendi, quam consequutionibus inniti. Et sane advertatur primum, quo attentius versatur id quod ab antiquis accepimus, eo clarius intelligi, esse difficillimum, ne dicam fieri pene non posse, ut eorum principiorum, & systematum veræ notiones certo statuantur; de quibus vel ipsi illorum discipuli nobis iis præceptoribus viciniores inter se digladiabantur, ut ait Origenes, (*d*) ut prætercam alios, de Platone. Dicam quid amplius, ne ipsos quidem Magistros sy-

ste-

(a) *Cogitationes Philosophica de eo, quod justum est circa Litterar. Sacrar. ex priscis Scriptoribus interpretationem & emendat.*

(b) *Preface au Traitè de la Raison Humaine. Il est constant, que plusieurs de ces Philosophes n'ont pas étè fort eloignès de la veritable idée, que St. Jean nous donne de la raison divine, au commencement de son Evangile &c.*

(c) *Hyperbolice dictum; nam velut monstra ex tota antiquitate pauci fuerunt, & paucissimi commemorantur Athei Dogmatici.* In annotat. ad locum Sexti Empyr.

(d) *Nec audebis* (Celsus) *profiteri se nosse Platonis omnia, cum tantopere inter se discrepent etiam scriptorum ejus interpretes.* Lib. 1. contra Celsum. Quod advertit & Leibnitius in Theodicea, cujus illud est celebre effatum, *cave a consequentiariis.*

ſtemata ſua comprehendiſse, ideas claras, & diſtinctas non habuiſſe, non prævidiſſe relationes, cauſas, conſequutiones. *Sed diverſi* Philoſophi (inquit Lactantius *Divin. inſtit. Lib. VII. cap. 7.*) *ac diverſe illa omnia protulerunt, non annectentes nec cauſas rerum, nec conſequentias, nec rationes, ut ſummam illam, quæ continet univerſa, & compingerent, & complerent.* Quod ſi ita eſt, quomodo ergo audebunt hi aſſerere, veras eſſe has, illaſque antiquorum opiniones, conſequutiones deductas a principiis aut non intellectis prorſus, aut explicatis aliter omnino ac Philoſophi volebant? Quamquam etiam clara, certaque eſſent hæc ſyſtemata, quis non videt inconſtantiam eſſe notam certiſſimam non ſolum a Chriſtianis, ſed ab Ethnicis etiam in eorum Magiſtrorum ſcriptis animadverſam? Qui ergo dicemus, illationes ab iis non deductas, ab iis non viſas, ab iis oppoſitis opinionibus clariſſime impugnatas fuiſſe illorum ſententias? Nonne quotidie videmus, quoſdam interdum habere opiniones omnino contrarias conſequutionibus, quæ a ſuis ſyſtematibus derivantur, & quæ proinde nonniſi injuria poſſent illis adſcribi? Quis putavit unquam, Melitonem Epiſcopum Sardicenſem, & Tertullianum ipſum cum cæteris *Anthropomorphitis* fuiſſe Atheos? Ex eorum tamen ſyſtemate in proclivi eſſet eorum Atheiſmum arguere. Quis umquam Petrum Gaſſendum, & Nevvtonum ſenſiſſe male de Divinitate accuſabit? tamen a notionibus, quas de ſpatii natura habuiſſe videntur, iis ſententias has poſſe attribui nonnulli conjiciunt. Falluntur ergo qui ſtatuunt, quaſdam ſententias, quæ ab eorum ſyſtematibus inferri poſſunt, eſſe Scriptorum opiniones, præcipue cum aut aliis, aut contrariis opinionibus id negetur. Injuria itaque, minuſque recte ratiocinantur ii, qui, nihili penſis antiquorum teſtimoniis, perſpicuiſque ſententiis, quas de divinitate, de altera vita hi Philoſophi habuerunt, eos Atheos, Spinoſiſtas, Materialiſtas fuiſſe judicant, eo quod putant, hujuſmodi impias conſequutiones a quibuſdam illorum principiis (fortaſſe obſcuris, aut perperam intellectis) poſſe proficiſci. (a)

§. VI. Philoſophi veteres ergo, ut ex hactenus dictis colligitur, aſſeritque D. Paulus, Deum cognoverant; ſimul enim cum gentibus omnibus una cum lacte nutricis notitiam ſuxerunt, & a contemplatione *rerum viſibilium ad cognitionem inviſibilis ejus naturæ, ſempiternæ virtutis, divinitatiſque ejus aſcenderunt. At evanuerunt ipſi in ſuis cogitationibus*, ut ait idem Apoſtolus (*ad Rom. cap. 1.*) *Obſcuratum eſt cor eorum, & dicentes ſe ſapientes ſtulti facti ſunt*. Nihil, quod magis hunc D. Pauli locum illuſtret, & confirmet innumeris teſtimoniis, legi poteſt, quam *Liber V. Strom.* (*pag. 590. & ſeq. Edit. Pariſ.*) Clementis Alexandrini, in quo cum oſtenderit, cognitionem Dei communem Philoſophis cum gentibus fuiſse, eorum commenta, quibus illam corruperunt, & te-

(a) In hujus noſtræ ſententiæ confirmationem de capite hac noſtra ætate magni ponderis afferam locum illuſtrem Joannis Alberti Fabricii non minus veritatem, quam eruditionem præſeferentem. *Novi, eſſe viros doctos, & ingenioſos, quibus ludus, & jocus eſt viros omni antiquitate celeberrimos Platonem, Hippocratem, Ariſtotelem, Heraclitum, omnes Eleaticorum ac Stoicorum ſcholam Atheis audacter adſcribere: ſed exploratum quoque eſt mihi neutiquam niti firmis argumentis eorum ſententiam; ſed ejuſcemodi concluſionibus, ex quibus facile ſit, omnes etiam Chriſtianos ſubtilius de Deo, & rerum natura diſputantes, cauſaſque rerum divinarum, & phænomenorum naturalium, & quomodo produxerit mundum Deus, quomodo illi interſit, ſuopte ingenio expedire conatos, irreligioſis accenſere. Sic noſtra ætate quis neſcit, quam dicam aliqui ſcripſerint Philoſophiæ illuſtris Theodicææ auctoris, vel Malebranchii? quos tamen qui propius noverunt, ſciunt fuiſſe alieniſſimos ab ἀθεότητι. Pulchre notavit Samuel Parkerus* (in cogitat. de Deo, & Provid. Diſert. I.) *veteres ante Anaxagoram Philoſophos, qui primus in phyſica ſua diſertam mentis infinitæ divinæ mentionem feciſſe traditur, non ideo habendos pro Atheis, ſed pro his, qui ſtudium ſuum in cauſis ſecundis rerum naturalium explicandis poſuerunt, cauſa prima minime negata, ſed præſuppoſita. Similiter Radulphus Cudvvortus* (de vero ſyſtem. Intellectuali Univerſi cap. 4.) *probat, Philoſophos multos, qui ante Democritum, & Epicurum omnia ex atomis, & minimis moleculis, & corpuſculis compoſuerunt, non tamen ideo Deum motorem, aut Providentiæ divinæ imperium negaſſe, vel in dubium vocaſſe. Ita Xenophanes, Parmenides, Plotinus longe abfuerunt a Spinoſiſmo, ut ab Epicuri impietate Carteſius, & Gaſſendus . . . Quotidie videmus homines contra principia dogmatum ſuorum agere, aliiſve dogmatis ea refellere: itaque nec concluſionum quarumcumque impietas, quæ ex ſententiis quibuſdam elici poſſe videtur, auctoribus ilico tota ducetur imputanda . . . Sic nec ob δυσνοήματα quædam abſtruſiora Platonem, aut Stoicos arguam ἀθεότητος, in quorum ſcriptis tam pulchra, tam expreſſa reperio pietatis veſtigia*, De verit. Relig. Chriſt. c. 8. n. 1. 11. Vid. præterea diſſertat. Chriſtophori VVolfii *de Atheiſmo falſo ſuſpectis*.

& tenebris offuderunt, pergit explicare. Verum ante Patrem hunc opera Ciceronis, & nominatim Libri de natura Deorum hujus veritatis clarissimo sunt argumento. Quæ opinionum, fereque omnium falsarum, & absurdarum de natura, & divinis attributis, de origine, & regimine rerum, de essentia, dotibusque animæ humanæ, de jure, officiis, religione, præcipueque ultimo hominis fine varietas? Excellentissimi, celeberrimique eorum dum eas meditari volunt, clarius exponere, curiosius eas rimari, easdem veritates dubias reddebant, quæ ignorari non poterant. Magnus ille Socrates, cum jam generatim statuisset, se nihil scire nisi hoc solum, se nihil scire, morti jam proximus, habitis jam præstantibus illis sermonibus, quos ut referret, eloquentiam suam Plato exercuit totam, ita alloquutus amicos est, ut de immortalitate animæ, aut de ejus interitu dubitare visus fuerit. (a) Divinus Plato cum de primo Ente, de mente divina, de divinis ideis, divinoque amore tam magnifica dixisset, & Polytheismi, & superstitionis in suspicionem incidit; (Pater Baltus. *Defense des SS. Peres accusés de Platonisme, Liv. III. chap.* 1.) quum sensisset, Diis inferioribus, Dæmonibus, Heroibusque esse litandum. (b) Hæc sacrificia idololatrica (ut addiscimus a Xenophonte *memorabilium Socratis Lib. I.*) fecit sapientissimus licet Socrates, docuitque esse facienda, qui impia hac dissimulatione disciplinam morum turpiter fœdavit, cujus Præceptor primus habebatur. (Laert. *in Socrate*) Sicut eam turpissime maculavit Plato & doctrina de uxoribus in communi habendis, (*de Rep. Lib. IV. & alibi*), *& amoribus natura contrariis*, quibus, ut ait Philo (c) *convivium suum apparavit*. Mos adorandi Deos patrios, & sese accommodandi cæremoniis, libationibus, sacrificiis, quæ superstitione Gentilium adhibebantur, a Cicerone, (d) & ab Epicteto, (e) disciplinæ morum integræ, severæque Magistris summis approbatur. Sed de moribus corruptissimis horum excellentium virorum, aliisque Gentilitatis præcipuis luminibus fuse loquemur, cum de Ethica Librorum Sacrorum disseremus. Quid plura? una cum Philosophico pallio etiam partium studium induebant, quo nihil curabant aliud, quam ut suas sententias propugnarent, impugnarentque opiniones aliorum. *Dum contradicendi* (inquit Lactantius *Divin. Instit. Lib. VII. cap.* 7.) *studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subvertunt, non tantum elapsa illis veritas est, quam se quærere simulabant, sed ipsi eam potissimum suo vitio perdiderunt*. Div. Augustinus, quod alii multi fecerunt, ad vivum exprimit pugnam hanc acerrimam disputationum, & Ethnicorum Philosophandi morem nos docet. (f) „ Nonne florebant (inquit „ *Lib. XVIII. cap.* 41. *de Civit.*) Athenis „ Epicurei, qui negabant rerum humanarum curam Deos gerere; & Stoici, „ qui contra sentientes tuebantur eas a „ divina providentia regi? Quare mi„ror, reum habitum fuisse Anaxago„ram, quod dixerit, Solem esse lapi„dem

(a) Vid. *in Apologia Socratis, & in Phædone*. Et Cicero Lib. I. cap. 41. Tuscul. *sed tempus est inquit* (Socrates) *jam hinc abire me, ut moriar, vos ut vitam agatis. Utrum autem sit melius, Dii immortales sciunt; hominem quidem scire arbitror neminem.*

(b) Aug. *de Civit. Lib.* VIII. *cap.* 12. *Hi omnes ... & ipse Plato diis plurimis esse sacra facienda putaverunt*. Ad quem locum ita Vives: *In Timæo Deos numerat Saturnum, Opem, Junonem, reliquosque inter se fratres, agnatosque. In lib. de Repub. & de legibus diis, dæmonibusque, & heroibus sacra, & cæremonias fieri jubet. In octavo vero de legib. & duodecimo illos nominat, quibus Civitatis status, & felicitas votis, comprecationibusque commendanda est.*

(c) De vita contemplatrice. Τὸ δὲ Πλατωνικὸν ὅλον &c. Quæ ita vertit Grotius: *Platonicum autem convivium totum fere in amoribus consumitur; non virorum modo in mulieres, & mulierum in viros insanientium: tales enim cupiditates leges naturæ explentur: sed virorum in sexus ejusdem sola ætate disparis: nam si quid tibi de Venere, & amore cælesti speciose dici auditur, id honesti obtentus causa dicitur.*

(d) II. de Legib. cap. 16. *A Patribus acceptos placet Deos coli.*

(e) Epict. cap. 18. Σπένδειν δὲ καὶ θύειν &c. *Litandum autem, & sacrificandum, & offerenda primitiæ sunt unicuique ritu patrio.*

(f) Præter Laertium, Ciceronem, Plutarchum, e nostris legantur Justinus Martyr *Cohort. ad Græcos*, Tatianus *Orat. ad Græc.* Sed præcipue legi meretur *Hermiæ Philosophi Gentilium Philosophorum irrisio*, quæ est inter Opera S. Justini G-L. ultimæ Paris. editionis. Ita etiam Theophilus Antiochenus *Lib. III. ad Autolyc. num* 3. 6. 7. qui pariter est inter opera ejusdem S. Justini.

dem ardentem, cum Deum negaret; cum in illa urbe & laudatus, & tutus vivebat Epicurus, qui non solum negabat, Solem, aut quodlibet aliud astrum esse Deum, sed ne credebat quidem esse in rerum natura Jovem, aut aliud numen, ad quod preces, cultusque hominum esset referendus. An non erat Athenis Aristippus, qui in voluptatibus corporum summum bonum ponebat, & simul Antisthenes, qui ob virtutem animi dicebat hominem beatum? Uterque Philosophus nobilis, uterque Socraticus, & tamen in rebus tam diversis ultimum finem collocabant; & quorum unus ajebat, debere virum sapientem Rempub. administrare, alter, evitare; cum unus & alter curarent asseclas suæ sectæ habere. Palam enim in celebri Porticu, in gymnasiis, in hortis, in publicis, privatisque locis pro sua sententia certabant. Alius ajebat, unum esse universum, alius innumera; hic Mundum incœpisse; ille negabat: unus eum desiturum, alter duraturum semper; hic regi cum mente divina, ille casu: Animas immortales unus credebat, mortales alius: quidam ex primis putabant, eas in bruta animantia migrare, alii, nequaquam: secundorum alii putabant, eas interire una cum corpore, alii eas futuras superstites magis, minusve, at non semper; summum bonum constituebant alii in corpore, alii in animo, in neutro alii: Alii & animo, & corpori bona externa adjungebant. Quidam putabant, sensibus corporis semper credendum, quidam non semper; nonnulli numquam. Hæ, aliæque pene innumeræ dissensiones Philosophorum, quis umquam populus, quis Senatus, quæ potestas publica, aut dignitas hujus impiæ urbis curavit, ut examinarentur, ut quisque caret quasnam amplecteretur, quasnam rejiceret? immo indiscriminatim continuit in suo sinu tot controversias hominum inter se diffidentium non de campis, domibus, pecunia, sed de iis rebus, quarum ope aut beate vivitur, aut misere? Et licet quædam vera dicerentur, eadem licentia falsa omnino dicebantur, ita ut jure hæc Civitas mystice Babylon fuerit vocata ... Neque dæmonis ejus regis valde intererat, qui, aut quantum opponerentur sibi invicem errores illi, de quibus ii certabant; etenim propter eorum multiplices, & multas impietates omnes jam possidebat. „ Hactenus D. Augustinus.

Prodeant nunc in campum Naturalistæ, qui necessitatem Revelationis negantes Antiquorum Philosophorum de Religione inventa ostentant. Nos libenter hos appellamus. Quodnam nostræ propositionis argumentum clarius? Fuerunt illi (quis neget?) præstantissima orbis ingenia, neque audeo dicere, quot ex his minutis Philosophis, contra quos certamus, possent cum iis æquiparari. Toti in hoc unum incumbebant, ut veritatem inquirerent: populi traditionis præsidia habebant: non mediocriter fortasse illustrati Hebræorum doctrina fuerunt; neque præcipuas Religionis veritates ignorarunt; tamen sequuti *adinventiones suas evanuerunt in suis cogitationibus*, scissi sunt diversa alii ab aliis opinantes, dissenserunt non solum ab aliis, sed a se ipsis, perfuderunt tenebris, dubiasque effecerunt veritates etiam plebeculæ apertissimas, iis & *theorica*, & *practica* errores crassissimos addiderunt. Quid aliud, nisi contumacia summa, præ argumento tam evidenti, universoque tueri audebit revelationem divinam non esse necessariam, quæ docens clare, indeque suprema & falli ac fallere nescia auctoritate veritates, de quibus loquimur, hominum mentes per se nimium infirmas ad eas, quin errent, cognoscendas, & nimium inconstantes, ut iis, quin mutentur, acquiescant, erigat, confirmetque? (a)

Atque ita ultimam superius allati argumenti partem, qua memorabantur laudes summæ a veteribus, & a recentibus, a profanis, & a Sacris Scriptoribus tributæ rationi jactatæ duci satis idoneæ, quæ certissime ad veritatem agnoscendam ducat, eodem tempore labefactavimus. Pyrrhonici non sumus, neque ii sumus, qui

(a) Ne sit grave Naturalistis legere ad hoc propositum Auctorem ob quasdam propositiones sibi gratissimum, non superstitiosum, non minus liberum, quam acutum, Joannem Lockium dico cap. 14. du *Christian. raisonnable*, ubi fuse tractat, probatque veritatem a nobis hactenus examinatam.

qui credamus, hominem aut semper errare, aut nihil certi posse cognoscere. Dicimus, rationem lumen esse a Deo nobis datum, ut veritates detegamus. Dicimus, *rectam rationem* (quæ verba, quin ea intelligat adversarius noster (*a*) a Philone desumit) *esse legem veritatis, quæ errare nequit.* (*b*) Ita sane. At hoc opus, hic labor, ut hæc ratio sit ὀρθὸς λόγος, *recta ratio*, hoc est, ut in suis inquisitionibus, & judiciis non sit *præceps* (qui est fons errorum omnium.) ut videat relationes, quæ intersunt inter notiones, ut servet ad amussim methodum in iis conjungendis, ut nihil elabatur illa imprudenti, ut nihil cupiditatibus agatur transversum, omnino ut suos actus regulis æternis veri, & honesti conformet; hoc significat *recta ratio*, & hæc ratio ejusmodi nec fallit, nec fallitur (Vid. Jacob. Odium *Theologie Natural. part.* 1. *proposit.* 46.). At ita fieri non posse ab homine quoad totum veritatum theoreticarum, & practicarum Religionis naturalis systema, nos Christiani probamus *a priori*, Historia lapsus primi parentis, per quem in posteris omnibus ratio jam e perspicaci, clara, constantique, hebes, obscura, inconstansque est facta: ita revera non esse, probamus *a posteriori*, historia humani spiritus, seu opinionum, cogitationumque hominum, & præcipue sapientissimorum, quales fuerunt Philosophi, qui innumeros in errores prolapsi sunt præcipites. Id tamen modo epidictico, & invicto confirmamus, exemplo nimirum eorumdem Adversariorum nostrorum, qui, licet videant habeantque argumenta tam perspicua humanæ rationis imbecillitatis, audent libros contexere, ut ostendant, rationem hanc *supremam & falli nesciam legem esse veritatis.*

(a) Hoc est pluries citatus Auctor Prætationis præmissæ *au Traitè de la raison humaine.*
(b) Νόμος δὲ ἀψευδὴς ὁ ὀρθὸς λόγος. Phil. in lib. *quod omnis probus est liber.*

CAPUT TERTIUM.

Revelatio Cultus.

I. *Nova Revelationis necessitas ad aliud veritatis genus.*
II. *Et primum, ut cognoscatur cultus, quo homo debet Deum colere.*
III. *Quænam esset Priscorum Philosophorum generalis notio, quæve recentium Naturalistarum hujusce cultus.*
IV. *Vera notio cultus interioris, qui penes Ethnicos non reperitur ob eorum perversas ideas Divinitatis, ideoque doceri debet a Revelatione.*
V. *Notio cultus exterioris. Ratio eum suggerit. Revelatio eum præfinit: Ethnicorum deliramenta; Philosophorum error.*
VI. *Insaniæ recentis Naturalistæ examinatæ, & difflatæ.*
VII. *Ex his omnibus colligitur, quam necessaria fuerit hominibus Revelatio.*

§. I. NEcessitatem divinæ Revelationis, quoad veritates illas ad Religionem spectantes, quæ intellectus vires non exsuperant, ac proinde ab eo detegi possunt, & demonstrari, hactenus probavimus. Ulterius serpit argumentum; hic enim ipse intellectus necessitatem videt, qua cogimur, ut alias veritates cognoscamus, cum nobis apprime utiles, tum magnopere difficiles, prorsus ejusmodi, ut fieri non possit, ut eas comperiamus; eo quod nulla relatio intercedit inter eas ex una parte, & res nobis cognitas ex altera, cum a libera Dei voluntate omnino pendeant.

§. II. Et primum quidem, sit insita in homine Dei notio, hoc est Entis immensi, perfectissimi, ipsius hominis, rerumque omnium, quibus circumdatur, creatoris, moderatorisque, & Domini; statim comperit, se habere necessariam relationem obedientiæ, & subjectionis cum hoc Ente supremo; & ex hujusmodi cognitione sentit, se natura ipsa impel-

pelli ad servitutem suam huic supremo Enti cultu, & obsequio testandam. En Religio. At quis debebit esse cultus hic? Quæ proportio inter Deum, & hominem, ut possit hic aliquid tanta majestate dignum illi offerre? Quæ cognitio ejus liberæ voluntatis, ut certus sit, se illi gratum facere? Totum in Deo Deus est, hoc est æque infinitus, æque incomprehenbilis. Cognosco itaque æque certo necessitatem hunc cultum divinæ naturæ præstandi, quæ sententia in me confirmatur gentium omnium consensu, penes quas semper Religio fuit; simul etiam cognosco, non posse me statuere mente mea, quinam cultus Deo gratus sit futurus; ancepsque hæreo, cum tantam varietatem cultuum in gentibus videam.

§. III. Sapientissimorum Philosophorum, Ethnicorumque prudentissimorum opinio fuit, cultum Deo gratissimum esse integritatem, sive naturæ præceptorum observantiam; quapropter dicere Pythagoras consueverat, *maximum, perfectissimumque sacrificium esse probitatem, virtutem que amare: Deosque non respicere sacrificiorum magnificentiam, sed cor sacrificantium.* Quam sui Magistri sententiam duo illustres Legislatores Carondas, & Zeleucus, ut observat eruditissimus Huetius (*Alnet. Quæst. Lib. III. cap. 9.*) qui alia etiam plurima gentilis antiquitatis eodem spectantia testimonia affert, deinceps inculcarunt. Hinc, ut alibi adnotavimus, *impii, Athei, contemptores numinum*, qui indignis facinoribus leges Naturæ lædebant, quarum Deus agnoscebatur auctor, custosque, a veteribus, & præcipue a Græcis appellabantur. Nostri ævi Naturalistæ in præclaris habent dicere, rationem ipsis grandia quoad divinitatis cultum indigitare; quare auctor. Liberculi *les Mœurs* inscripti (*part. 1. chap. 2.*) (cujus alibi quis sit color, exponemus) cum dixisset, *nobis obsequium Turcharum Domino, qui est ex potentissimis Principibus, non esse præstandum, cum ejus imperio non teneamur, sed præstandum esse Deo, non quod magnus sit, sed quod ejus imperio subdimur, isque dominus noster est*, cum, inquam doctrinæ suæ hoc fundamentum jecisset, plurima aurea verba facit *de cultu interiori Deo debito, innixo admirationi, quam in nobis excitat notio ejus magnitudinis infinita, & beneficiorum gratitudo, & ejus dominii protestatio; loquitur de admirationis extasi, de amoris impetibus, de gratudinis attestatione, de subjectione; quæ dicit esse hymnos, preces, & sacrificia cordis divina majestate tantum digna:* Sermo hic, quem licet rationi consonum nos quoque esse dicimus, tamen haustus fuit a Catechismo, hoc est a Revelatione, quæ cæteroquin ab hoc auctore spernitur; sed eam spernentem hic ipse suus sermo redarguit. Obsequium enim primum, quod Deo debetur, consistit in cognitione ejus veritatis fallere nesciæ, fidem ejus verbis habendo, regendoque secundum regulam hanc mores nostros, quod Philosophus hic, ejusque amici minime volunt. At cur nolunt? (hoc est alterum eorum præstantis cultus argumentum:) quia sibi persuadere nequeunt, in infinito Deo perfectiones esse, quas suo intellectu concipere non possint, eum scire, vel posse quid amplius efficere, quod eorum acutus intellectus possit comprehendere. At estne hoc honorem Deo præstare digno tanto obsequio, in quo præcipue Religio consistit? Hoc tamen fundamentum est *Naturalismi*, fidei, mysteriorumque hostis; atque hoc proinde est obsequii, cultusque interioris fundamentum, quem per ea grandia, tumidaque verba Deo habent.

§. IV. Necessariam ergo esse Revelationem, ut digne de Deo sentiamus, quin hallucinemur, utque puris amoris, gratitudinis, laudisque ab impietate & furore remotis affectibus eum colamus, credo, in dubium vocari non posse. Cordis integritas, legum naturalium observantia, ut Philosophi dixerunt, grata quidem Deo est; verum, ut dicam quod res est, hæc religio non est, quæ divinum cultum unum debet respicere, & in *affectibus* modo memoratis est sita. At quinam umquam penes Ethnicos affectus hi, hi sensus fuerunt? Nolo revocemus ad examen hymnos, odesque in Deorum honorem, quas habemus. Dicent, Poetas, cum grandia canebant, tum profane, & sacrilege sensisse; & hujusmod carmina nedum laudi, vituperio numinibus fuisse. Alia monumenta consulamus. Epicurus, ejusque asseclæ, qui de medio providentiam tollebant, evertebant, uo optime ait Cicero (*de Nat. Deor. Lib. I. cap. 41.*) aras. Quæ enim religio, quæ pre-

preces, quæ gratiarum actiones haberi debent Deo, qui humana non curat? Fatalistæ, hoc est ii, qui putabant, omnia ineluctabili necessitate aut ab immota providentia, aut ab astrorum influxu, aut a caussarum insolubili connexu orta evenire, eam religionem sustollebant, ut advertit D. Thomas (2. 2. *qu.* 83. *art.* 2.), quæ nos ad Deum omnis boni auctorem venerandum impellit, fatendumque, nos illo indigere. Cotta apud Ciceronem (*Lib. III. de Nat. Deor. cap.* 36.) labefactatam penes Gentiles præcipuam saltem hujus cultus partem ostendit ex communi opinione, quam imbiberant, se non ab illo, sed a semetipsis animi bona habere, atque ideo nullas illi habendas esse gratias. *Atque hoc quidem* (ait) *omnes sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum, & fructuum, omnem denique commoditatem, prosperitatemque vitæ a Diis se habere. Virtutem autem nemo umquam Deo acceptam retulit. Nimirum recte: propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute recte gloriamur; quod non contingeret, si id donum a Deo, non a nobis haberemus . . . . . Nam quis, quod bonus vir esset, gratias diis egit umquam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis. Jovemque* O. M. *ob eas res appellant; non quod nos justos, temperatos, sapientes efficiat; sed quod salvos, incolumes, opulentos, copiosos . . . Ad rem autem ut redeam, judicium hoc omnium mortalium est, fortunam a Deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam.* Non sum nescius, quid Cotta, quem loquentem Cicero inducit, sentiret; erat Academicus, & profanus. Ita sane. Non est tamen in aperto, cur posset id fingere, & auderet id in propatulo ponere ut clarum, & commune. Quod si nolimus credere, sententiam hanc, quam ille omnes homines habuisse dicit, tam late sese extendere; nemo tamen inter sapientes est, qui ignoret, sæpissime in antiquiorum operibus aut offendi apertam, aut non obscure hanc eamdem opinionem elucere. Est qui putat, se in Seneca eam reperire non semel (*a*), omnesque alios Stoicos Philosophos, eos severos morum præceptores hac de re loquentes jecisse veluti suæ Ethicæ fundamentum, quædam esse in nostra potestate, quædam non esse. Et inter ea virtutem posuisse (*b*). Denique, ut omnia summatim dicam, cum Dei cultus a recta sententia, quæ habetur de illius natura, præstantia, nostraque, & rerum omnium illi subjectione oriatur, cum notiones has innumeris deliramentis corruptas, perversasque ab hominibus, qui *adinventionibus suis se dediderunt, evanueruntque in suis cogitationibus*, vidimus; tum internus Dei cultus, qui est pars Religionis præcipua, primaque, in iis nec rectus, nec justus esse poterat.

§. V. Quod si superioris Revelationis lumine illustranda erat, purgandaque ab erroribus, & stabilienda Religio, multo magis hujus lucis quoad externum cultum necessitas arguitur. Ostendit sane nobis ratio, cum Deo acceptum non spiritum modo, sed etiam corpus referre debeamus, honorem non solum internis actibus, verum etiam externis esse illi præstandum, externoque cultu supremum auctorem, & dominum & nostrum, & nostrorum agnoscendum. Experientia etiam monemur, hos externos actus, & obse-

(a) Epist. 31. *Est aliquid, quo sapiens antecedat Deum. Ille naturæ beneficio, non suo sapiens est. Epist.* 92. *Si cui virtus animusque in corpore præsens, hic Deos æquat.* Non negaverim, Senecam ipsum interdum loqui ita ut significet se credere, neminem posse esse probum sine Dei auxilio; & his similes sententiæ reperiuntur in Cicerone, in M. A. Antonino, in Hierocle, & in aliis, quorum loca a Lenfantio collecta in quadam Epistola legi possunt *in Bibliot. Germanique tom.* 2. Hanc disputationem missam facimus, cum satis habeamus dicere, hic quoque, ut alibi vidimus, eam inconstantiam esse, quæ in Philosophorum dogmatibus erat, quæ ut tolleretur, Revelatio nempe requirebatur.

(b) Fortasse huc respiciunt illi Ovidii versus *ex Ponto l.* 2. *Epist. I. v.* 53.

Di tibi dent annos; a te nam cætera sumes:
Sint modo virtuti tempora longa tuæ.

Id etiam significant Horatiani illi *Lib. I. Epist.* 18. *ad Lollium in fine.*

Sed satis est orare Jovem, qui donat, & aufert;
Det vitam, det opes: æquum mi animum ipse parabo.

Ita etiam intelligi debent illi Juvenalis *Sat. X. vers.* 363.

Monstro, quid ipse tibi possis dare. Semita certe
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

Quos tamen Cl. Vulpius in sua Paraphrasi conatur in bonum sensum detorquere.

obsequia magis, magisque animi nostri sensus, affectusque, a quo proficiscuntur, & in quo præcipuus cultus, hoc est interior residet; mirum quantum fovere, & inflammare. Catholici Doctores his rationum momentis permoti statuunt, cultum externum a naturæ jure oriri. Et in errorem prolapsum esse ducimus Auctorem Libri de *Moribus*, qui putat, (*a*) *si unus in terris esset homo, nullum exteriorem esse illi exercendum cultum, cum non sit hic quoad Deum institutus, sed ut societatis membra per publicam unius ejusdem Religionis professionem conjungerentur*. Esse cultum publicum societatis vinculum, concedemus; hoc vinculum esse causam præcipuam, propter quam ratio naturalis in externum cultum nos fert, id adeo est falsum, quam quod falsissimum. Ac proinde falsum etiam est, si unus homo in terris esset, fore ut nullus cultus illi esset exercendus. Non exercetur quidem cultus hic quoad Deum, quasi vero ille hujusmodi cultu indigeat, aut ab eo aliquod percipiat emolumentum, sed quoad nos, ut affectus animi cum corpore conjuncti pios foveamus, profiteamurque, nos Deo supremo domino subjectos esse. Quæ causæ etiam in homine illo, qui solus in terris degeret, locum haberent. (*b*)

Quamvis autem has generales notiones ratio cognoscere per se potest, & in se, ut dicam, hos igniculos primos, qui ad exteriorem cultum eam impellunt, inveniat; tamen quibus in angustiis, quibus in tenebris luctaretur homo, ut inveniret cultum hunc, constitueretque? Quam relationem quosdam actus motusque inter, Deumque oculis corporeis non objectum, infinitumque reperiret? Nostrarum facultatum ille dominus est, ita. At quo argumento induceret animum ad credendum, quasdam ex iis igne consumere, aut gladio eas mactare, gratum illi futurum? & oleo saxum perfusum, aut igne combustum thymiama illi honori esse? *Num carnem taurorum manducabo* (inquit Deus ipse) *aut sanguinem hircorum bibam?* Una ergo cum Mundo sacrificiorum usus inveteravit; at si a remoto rationis fonte poterant scaturire, (*Vid. D. Thom. 2. 2. quæst. 85. art. 1.*) motum tamen habebant, impulsumque a Revelatione illius, qui volebat; ut homines iis victimis, & oblationibus non tam honorem illi impertirentur, quam fidem, & spem conciperent victimæ perfectissimæ, quæ una vi sua poterat, debebatque Altissimo esse grata, & sui oblatione obsequium illo dignum ei præstare. Ex hoc igitur Revelationis vel proximæ, vel ab homine primo per traditionem proficiscentis fonte originem procul dubio Patriarcharum sacrificia habuerunt suam, quæ primis Mundi sæculis Deo grata fuerunt (*c*). Naturalistæ (*d*) tantum, nescio utrum ignorantiæ dicam, an pervicaciæ habent, ut Abellum, Enoccum, Noemum, Lotum, Abrahamum, Melchisedechum, Jobum, quod ante legem scriptam vixerint, non alio fuisse lumine, quam rationis ductos, ac proinde non habuisse ullum Religionis systema, nisi naturale, opinentur. At illi ipsi libri, ubi historiam laudesque eorum Heroum, (quos prædecessores suos appellare audent) hi legunt, eos etiam docent, nonnisi fide illos Deo gratos fuisse, genusque hoc vitæ naturæ puræ, gentisque justæ præsidio uno Religionis naturalis putidum esse commentum. Non sola ergo ratio, sed Revelatio etiam externum cultum docuit mortales primos, quo Deus coli volebat.

Et...

(a) *Un homme, qui vivroit seul sur la terre, seroit dispensé du culte exterieur: ce n'est point par rapport à Dieu, qu'il a été institué; il l'a été pour unir les membres de la societé par la profession ouverte d'une seule & même Religion*. Les Mœurs I. Part. Art. II.

(b) *Exercentur etiam ab hominibus quædam sensibilia opera, non quibus Deum excitent, sed quibus se ipsos provocent in divina.... & Deus affectum mentis, & etiam motum corporis non propter se acceptat, sed propter nos facimus, ut per hæc sensibilia opera intentio nostra dirigatur in Deum, & affectio accendatur: simul etiam per hoc Deum profitemur animæ & corporis auctorem, cui & spiritualia, & corporalia obsequia exhibemus*. S. Thomas III. cont. Gent. cap. 119.

(c) Leg. Natal. Alex. *Tom. I. Hist. V. T. in 4. Mundi ætate Dissert. 3. art. 2.* ubi docet, tueturque hanc sententiam.

(d) Tyndalus. *Religio Christiana tam antiqua, quam creatio, vel Tractatus, in quo ostenditur, Evangelium esse novam promulgationem naturalis Religionis*. Leg. etiam *præfatio præmissa tractatui de humana ratione*.

Et ſane in gentium diviſione populis ex illa electa gente, penes quam Traditio, & Revelatio permanſerunt, ſeparatis, quid umquam de cultu exteriori factum eſt? Pro libidine cujuſcumque exercitus avaritiæ, politicæque inſerviit, ut ſacrilega evaſerit ſuperſtitio, qua & recta lædebatur ratio, Deuſque afficiebatur injuria. Illud, in cujus honorem exerceri debebat, eratque divinitas ſola, immutatum fuit, & in ejus locum viliſſima quæque creata fuerunt ſubſtituta, temerati fuere ritus, qui argumenta pii, integrique animi eſſe debebant, obſœnique, crudeleſque fuerunt illi ſuffecti. Arcana eorum myſteriorum infandas velabant turpitudines, cæremoniarum ſtudium in quibuſdam perridiculis obſervationibus verſabatur, pietatis amor etiam humano cruore aras perfundebat.

Jam in hac, tantaque diſtortarum opinionum varietate quænam doctiſſimorum, ſapientiſſimorumque virorum cum Latii, tum Græciæ ſententia fuit? debere unumquemque, quod & ſupra diximus, Religionem patriam ſequi. Ita Socrates, qui morti proximus juſſit, Æſculapio Gallinaceum immolari; ita Cicero, qui fuit ex collegio Augurum, & adeo ſtuduit, ſcripſitque tam multa de iis ridiculis ritibus: ita docuit Plato, ita Epictetus, ita vulgo alii, ut facile ex antiquitatis monumentis intelligi poteſt. Jam quæ hac magis perverſa ratio? Quis dubitare poteſt, omnes eorum rituum pravitatem non cognoviſſe? Tamen neque ab iis abſtinere ſunt auſi, nec in eorum locum alios ſubſtituere puriores ſciverunt.

§. VI. Naturaliſtas noſtrorum temporum, qui Revelatione non indigentes lumina puriſſima doctiſſimæ mentis ſuæ ſe quuntur, nunc audiamus. Auctor libri *de Moribus*, qui dici poteſt eorum Caſuiſta, fatetur, (*a*) *Rationis lumina nihil certi definitique ſuggerere de modo cultum externum Deo exhibendi*: fatetur tamen, (*b*) *neceſſe eſſe externum cultum Deo præſtare*, at inquit, *nihil hoc probare, utrum hic, an ille cultus ſit præſtandus*. Ergo, inquio, an opus erit, ut Deus ipſe cultum ejuſmodi *neceſſarium* præſcribat, definiatque? Nihil vero minus, ille reſpondet; quandoquidem *Deo* (*c*) *fortaſſe non minus arridet diverſitas cultuum, qui ſibi exhibentur in diverſis Religionibus, quam ille, quo in Romana Eccleſia quidam Regulares viri media nocte matutinas horas recitant, aliique mane, aliique canunt, alii legunt*. Ex quo præclaro principio hic præſtans Magiſter morum colligit ſupradictum præceptum, debere prudentem quemque ſuæ patriæ cultum ſequi (*d*) *Debet ſibi quiſque* (ſunt ejus verba) *hanc legem præſcribere, ne illum umquam violet nec illum perturbando, nec abjurando*. At ille parumper reſpondeat. Poteſtne Deus æque reſpicere varias, contrarias, falſaſque ſententias, hoc eſt varium internum cultum, qui in diverſis Religionibus ſibi habetur? opinor, niſi a Deo ſapientiam, ſanctitatem, providentiam, & juſtitiam auferti, & non concipit Deum omnino bardum, eum non poſſe errorem hunc effutire. Pergamus porro. Cultus exterior nihil aliud eſt niſi publica profeſſio ſignificatioque interioris; & a diverſis animi in Deum ſenſibus originem ſuam trahit, hoc eſt ut ſit vel rationalis, ſi ſunt juſti, aut ſuperſtitioſus, ſi ſint erronei. Si Deus quoad diverſitatem diverſarum Religionum interioris cultus nequit ſe æque habere; neque poterit æque reſpicere obſequia, ſeu cultum exteriorem, qui ab illo regitur, & per quem ille ſignificatur, exprimiturque. Studuit ſane, ut exceptione Philoſophus noſter vim argumenti eluderet, cum inquit, quemlibet ſequi debere cultum ſuum, *modo cum Religionis Naturalis principiis*

(a) *Les lumieres de la raiſon ne diſtent rien de precis ſur la maniere d'honorer Dieu exterieurement* Part. I. Chap. 2. art. 2.

(b) *La neceſſité de rendre à Dieu un culte exterieur, ne prouve rien en faveur de tel culte particulier*. Ibid.

(c) *Peut-etre Dieu n'eſt-il pas plus mécontent de la diverſité des hommages qu'on lui rend dans les differentes Religions, qu'il ne l'eſt de ce que dans l'Egliſe Romaine quelques Religieux recitent les matines à minuit, & d'autres le matin, de ce que quelques-uns les chantent, & d'autres les pſalmodient*. Ibid.

(d) *Et quant au culte exterieur dans le quel il eſt... il doit ſe faire une loi de n'y jamais donner atteinte, ni en le troublant, ni en l'abjurant*. Ibid.

cipiis consonet. At ut quisque videat, quantum in ratiocinando secum constet, satis erit advertere, I. Hanc exceptionem sumere id, quod est in quæstione, hoc est non esse Religionem Revelatam; si enim hæc esset, non solum sapienti cultus ille externus, qui convenire cum Religione Naturali non potest, esset deserendus, sed ille etiam, qui errore alicui revelato dogmati contrario fulciretur. Jam Scriptor noster, qui testatur in *admonitione* (a) suo operi præfixa, se velle, ut liber suus legatur a *Mahumedano juxta, atque a Christiano, & se scribere, ut doceat quatuor terrarum plagas*, non poterat non complecti exceptione sua etiam Religionem Revelatam creditam in quatuor terrarum plagis, notamque iis, pro quibus scribebat, & a quibus se legi cupiebat; at si id innuebat, jam victus erat, corruebatque per se thesis. II. Verum id prætermittamus. Si libido nobis est cognoscendi, quam præclaras, quam rectas Religionis Naturalis notiones habeat, & quam feliciter iis ducibus internoscat, qui exterior cultus sit recipiendus, aut qui rejiciendus, locum legamus integrum, *quod pertinet ad exteriorem cultum, in quo natus, alusque prudens est, si potest cum Religione naturali convenire, debet sibi hanc legem præscribere, ut illum umquam violet nec illum perturbando, nec abjurando*. Hinc e vestigio velut per consequutionem inquit, (b) *Ignosco Turcæ, si est Mahumedanus: at non ignosco Christiano, si Turca fiat: furor est, & quidem maximus perturbare conscientias iis de rebus, quas credimus nihil ad Dei gloriam pertinere*. Ita dicitur in hujusmodi libris, ut ratio extollatur. Hæc sunt illa argumenta, quibus convincuntur homines, hominem quoad Religionem non alia indigere luce, ut recta ambulet, quam sua. *Ignosco Turcæ, si est Mahumedanus*. Ergone in ea secta omnia cum Religione Naturali congruunt? Nempe. Specimen afferamus. Articulus præcipuus, quem simul cum Dei unitate profiteri debet Mahumedanus, est credere Mahumedem Prophetam a Deo afflatum, cujus dicta in Alcorano contenta singula fiat oracula divina. Quis est, qui non videat, quam præter rationem, fidemque sint isthæc? Nota ejus Missionis (ut silentio plura alia innumera argumenta prætermittantur) eum nobis ostendit sycophantam, qui dixerit (*Sura XXXIII. ver. 47.*) *Deum ut homini sancto & Propheta privilegium dedisse sibi habendi, abundique ad libitum quibus, & quot uxoribus, & quot ancillis vellet*; quod ipse est exequutus, habuitque mulieres undecim, aut tresdecim, aut septem, & decem, aut, ut alii scribunt, viginti sex dicto sibi audientes, & testatus est, *Deum* (Vid. Marac. *Prodrom. ad Refut. Alcorani Par. 1. cap. 26. & 27.*) *ejus felicitatem in mulieribus, & in odorum suavitate constituisse*. Quid convenientius naturali juri, quam genua flectere huic homini, cultumque ut Prophetæ, misso afflatoque a Deo præstare? progrediamur ulterius. Quis cultus, ritusque religiosus magis rationi consonus est jejunio illo, quod Mahumedes suis imperat, quod antecedere debet nox integra, per quam cibis cujuscumque generis, potuque se ingurgitare debent, simulque promiscuis amplexibus sæpius inculcatis, & impudentissime jussis dare operam? deinde vero lucescente aurora per diem totum in suis templis divinis vacare debent? Quodnam pulchrius præmium hominibus ratione præditis proponi poterat in altera vita (*Sura II. vers. 25.*) quam horti amœnissimi, perpetuæque voluptates, æternaque gaudia cum pulcherrimis mulierculis? Hæ, aliæque turpitudines innumeræ reperiuntur in Turcarum Religione permixtæ fabulosis traditionibus pluribus, consuetudinibus vitiosis, ritibus ridiculis, sanæque menti adversantibus; ut obiter etiam Alcoranum legenti, vitam Mahumedis vel leviter pervolventi, intuentique vel per transennam Turcarum mores innotescit. (c) Auctor tamen *Morum* his omnibus posthabitis, igno-

(a) *Je veux qu'un Mahometan puisse me lire aussi bien qu'un Chretien: j'ecris pour les quatre parties du monde*. Avvertis. pag 8.

(b) *Je pardonne à un Turc d'être Musulman: mais je ne pardonne pas à un Chrétien de le devenir. Il n'y a pis que du fanatisme à alarmer les consciences pour des matières, qu'on ne juge pas interesser la gloire de Dieu*. Part. I. art. 2.

(c) Præter Thyrsum Gonzalez, Hadrianum Relandum, Maraccium, & alios, legatur Joannes Gagnierus in *Mahumedis vita*.

ignoscit Turca, si est Mahumedanus, sive quod eodem redit, credit nihil in interiori cultu, ac proinde in externo, qui ab illo derivatur, nihil, inquam, esse in Mahumedis religione, quod simul cum naturali jure componi non possit; quod est praeclarum principium illud, quo vult hominem prudentem regi, ut vel sequatur, vel deserat patriam religionem. Gratiae quidem habendae sunt illi maximae, quod ita favet Christianae Religioni, ut nolit parcere Christiano, si Mahumedanae religioni nomen dederit; id tamen non ex eo fit, quod improbam, & rationi absonam Mahumedanam sectam, aut Christianam Religionem ea potiorem putet, sed quia illi videtur migratio haec habere posse *aliquid furoris, quod conscientiam perturbaret iis de rebus, quas credit nihil ad Dei gloriam pertinere*. Discrimen enim, quod intercedit inter cultus, qui duabus his in Religionibus Deo habentur, non est hujus Morum praeceptoris sententia majus illo, quod inter *recitationem horarum Matutinarum nocte media, & recitationem* summo mane factam interest; quapropter Deus aeque ad hos cultus se debet habere. Requiro a prudenti Lectore, num qui ita cogitat, qui haec scribit, habeat quidquam non dicam Religionis, sed rationis, sensusque communis? Haec tamen est Spirituum Fortium nostrae aetatis, qui nihil aliud crepant plenis buccis, quam honestatem, quam rationem, nota potissima. Mahumedana secta moribus turpis, dogmatibus fabulosa, stulta, & irridenda ritibus Panegyricis orationibus horum hominum virtute praeditorum, acutorum ratiocinatorum, Philosophorumque boni sensus magis magisque in dies ornatur; qui in Christiana Religione nihil comperiunt aliud nisi absurditates, fictionemque. Praeter specimen modo allatum Auctoris libri *de moribus* satis erit cursim legere *Epistolas Judaicas*, *Epistolas Persicas*, *Epistolam Personati Medici Arabis*, *vitam Mahumedis scriptam a Boullanviliero*, aliosque hujus farinae scriptores recentes, ut de hoc convincamur eodem tempore, & stomachemur. (a) Furor fanaticus erga Alcoranum, & Rabbinismum recentissimus mos est. Quis putasset, se hoc auditurum in Europa, & saeculo tam litterato? Sed haec uberius alibi.

§. VII. Sed jam redeundum est ad propositum; proclive erit ex hactenus dictis arguere, quam necesse fuerit, ut homini cultum illum, quem sibi exhiberi volebat, Deus revelaret. Deliramenta recentium Naturalistarum recensuimus, non ut hinc argumentum communis hominum infirmitatis in proposita materia deduceremus. Secernuntur jam ab omnibus ex quadam ipsorum cogitandi ratione propria, quae praetergreditur vulgo errandi terminos, & quae delirium verius, quam ratiocinium est dicenda. Vidimus tamen, quantum in hac materia etiam viri praestantissimi hallucinati fuerint, & ex eorum erroribus colligere potuimus, qui, quamque varii, & monstrosi humanae mentis essent furores, si ad libitum suum homines Religionem regerent. Clara nimis experimenta habemus etiam in iis conventibus, qui Revelationem morum suorum ducem habent: Superstitio, furorque ex ignorantia & infirmitate, ceu arbore fructus, producuntur; Qui furor, quae superstitio identidem, ut zizania electo grano, vigilantia, vocibusque sapientissimorum virorum nihil pensitatis, qui vellent perfectam analogiam inter cultum externum, internumque esse, hujusque summam conjunctionem cum ratione, & divino verbo, permiscentur. Si tamen errores, abususque singularium hominum in hac parte ansam Libertinis praebere non debent, ut societatem totam accusent, quae hujusmodi errores, abususque in divinum cultum irrepentes damnat; nobis tamen evidenti argumento sunt, revelationem, ut homines regerentur, necessariam fuisse. Si interdum, tanto lumine affulgente, caecutiunt hi, *cultumque indebitum* illi praestant, puritatemque Religionis consuetudinibus indecoris, stultisque maculant: si carerent omnino duce, & lumine aut in summam impietatem cultum nullum Deo exhibendo, aut in superstitionem impurum illi habendo prolaberentur.

C A-

(a) Vid. VVeismanni *Porismata sapientiae, & Religionis ex laudibus Mahumedis, & Mahumedan. in fraudem Religionis Christianae nimia liberali mensura impertitis.*

CAPUT QUARTUM.

Reconciliatio Peccatoris.

I. *Necessitas, qua urgetur Peccator cognoscendi modum secum Deo reconciliandi.*
II. *Intellexerunt necessitatem hanc etiam Ethnici solo rationis lumine; sed modis ineptis, improbisque sunt usi, ut illi consulerent.*
III. *Animadversiones Huetii perpensæ.*
IV. *In quo consisteret Ethnicorum pœnitentia: non sufficiebat, ut reconciliaret peccatorem cum Deo.*
V. *Tyndali, Lochiique ratiocinium putantium in rationis luminibus se hanc reconciliationem reperire. Refutantur. Sententia Clarchii, & Odii, aliorumque scriptorum in hoc proposito.*
VI. *Urgentur Atheistæ suis principiis, & confessione unius ex ipsis: nullus iis respondendi aditus relinquitur.*

I. INquisitio veritatum, quæ a nobis sciantur, necessariarum, & investigatio necessitatis, quæ magis magisque augetur, Revelationis, una procedunt. Quod usque huc diximus, planum id facit. Quod modo dicturi sumus, evidentissimum efficit argumentum. Ratio, qua peccator se cum Deo conciliet, adeo est necessaria, quæ a nobis sciatur, ut ea ignorata non possimus nisi in desperationem adduci; ea tamen omnibus humanis investigationibus est adeo occulta, ut sine divina Revelatione sciri non possit. Hæc ergo divina Revelatio est magnopere homini necessaria. Propositiones tres demonstrationi, cui Naturalistas omnes simul provocamus ad respondendum, viam sternent.

I. *Homo habet legem, quæ illi jubet sequi quod rectum est, & declinare ab eo, quod est turpe.* Hæc lex naturæ dicitur, quod mortalis quicumque insitam in animo eam habet. Hæc inter quascumque vices!, corruptosque mores ubique gentium viguit: Athei ipsi, quod fatetur Bælius, norunt has æternas rectique, honestique regulas, immo, ut alibi videbimus, ille vult, licet perperam, hinc ducere argumentum eorum virtutis. Naturalistæ, qui Deum, & in Deo providentiam agnoscunt, secundum systema suum has leges integras admittere debent; & sane gloriantur se illas agnoscere; hinc illa eorum *Ethices* specimina, illi *morum* tractatus, aliaque miscellanea, in quibus censorio supercilio ubique honestatis, virtutisque præcepta præscribunt.

II. *Hujus legis custos supremus Deus est, Ille ejus observantiæ invigilat, ut cultores præmiis afficiat, & in violatores animadvertat.* Hoc etiam gentes omnes senserunt, ut alibi clarissimis testimoniis planum facimus. Bælius ipse hunc communem consensum fatetur, aitque, Rempublicam nullam fuisse, quæ inter præcipua præcepta servanda non juberet, credi judicem supremum oculis corporeis non subjectum præmiorum, pœnarumque distributorem. VVarburtonus in Anglia, Pattius in Italia, quamquam uterque spectaret alio, caput hoc perspicue illustrarunt. Naturalistæ etiam, qui contra Atheos, & Deistas fatentur Deum, & Deum provisorem, sapientem, sanctum, potentem, ex necessaria consequutione hoc quoque dogma fateri debent; neque illud, quin sibi contradicant, rejicere possunt, ut dilucide demonstrabimus.

III. Duabus his veritatibus, hoc est legis imperantis, Dei punientis addenda tertia est, cum luctuosa, tum clara, communique experientia comprobata, *homines per diem totum legem hanc lædere*; atque hinc illi ipsi per eam conscientiam, quæ nihil est aliud, nisi duarum, quas supra diximus, veritatum verissimarum consequutio, se reos agnoscunt, se reos fatentur æternis suppliciis dignos. Homini ita jacenti quinam alii surgere in animo motus possunt, nisi desperationis, ni rationem norit, qua cum Deo con-

concilietur, evitetque supplicia? Quare ab omnibus Revelationis adversariis requiro, num homo per se certo rationem hanc comperire possit?

§. II. Gentes sane cunctæ ostenderunt, se necessitatem hujus cum Deo in gratiam reditus cognoscere; sed electione modorum non tam variorum, quam ad libidinem confictorum, ineptorumque, se id consequi per se non posse ostenderunt. Celebres apud antiquos Ethnicos, ut maculas purgarent, placarentque Numinum iram lotiones sunt aquis fluminum, & maris factæ. Hinc Ajax, ut plurima alia exempla prætermittam, ita loquitur apud Sophoclem (*Ajax flagel. vers. 665.*)

Lavacra peto, & pelagus qua littora
Circum jacent, maculis ibi criminum
Lotis, acerbam ut effugiam iram Deæ.

Alii ritus, & sacrificia innumera adhibebantur ad hunc finem; quæ ideo a Græcis *ἱλασμοὶ, ἁγνισμοὶ, καθαρμοὶ*, & a Latinis *placamina*, *Februa*, *piamina* appellabantur; hoc est placationis Numinum, purgationis hominum, & expiationis criminum. (Vid. *Jo. Lomejeri de veterum Gentil. lustrationibus.*) Facile quisque videt ab Hebræis, a quibus derivatæ sunt gentes, Religioque, hujusmodi cæremonias ad delenda crimina, ad placandum læsum Numen statutas esse profectas, ut inter alios adnotarunt Justinus Martyr, (*Apol. II. pro Christ.*) & Tertullianus. (*a*) Error namque gravissimus est Marshami, & Spenceri (*b*) qui, hos ritus Hebrhos ab Ethnicis didicisse, putant. At ad Gentiles pervenerunt ceu umbræ cujuslibet substantiæ expertes, ceu corpora sine spiritu, quo informarentur. Erant apud Hebræos illa sacrificia expiatoria, non ex hostiarum, quæ immolabantur, vi, sed ex fide, qua offerebantur; quod docet D. Aug. *in victimis* (inquit *cont. Faustum Lib. XX.*) *pecorum, quas offerebant Deo, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit* in temporum plenitudine, quæ sola vi sua vere peccata delere, pacemque homini peccatori impetrare poterat. Cum non essent itaque Gentilium sacrificia hoc spiritu informata, neque hac fide oblata, quam humana mens nisi per Revelationem concipere non poterat, erant omnia inania elementa, quæ nequibant hominem innocentem efficere, immo cæremoniæ superstitiosæ, quæ illum reum multo magis efficiebant. (*c*) Hinc Arnobius Ethnicos alloquens (*Lib. VII. prop. init.*) *unum* (ajebat) *præ omnibus quæro, quæ caussa est, ut, si ego porcum occidero; Deus mutet affectum, animosque, & rabiem ponat. Si gallinulam, vitulum sub illius oculis, atque altaribus concremavero, oblivionem ducat injuriæ, & ab sensu penitus offensionis abscedat? . . . . . Ergone injurias suas Dii vendunt; atque ut parvuli pusiones, quo animosius parcant, abstineantque ploratibus, passerculos, pupulos, equuleos, panes accipiunt, quibus avocare se possint; ita Dii immortales pla-*

(a) De præscr. advers. hær. c. 40. *Si Numæ Pompilii superstitiones revolumus, si sacerdotalia officia, insignia, & privilegia, si sacrificialia ministeria, & instrumenta, & vasa ipsorum sacrificiorum & piaculorum, & votorum curiositatem consideremus; nonne manifeste diabolus morositatem illam Judaicæ legis imitatus est?*

(b) Leg. Natal. Alex. *Tom. I. Histor. V. T. in IV. Mundi ætate Dissert. III. art. I.* ubi opinio eorum duorum Scriptorum examinatur ex professo, & confutatur.

(c) Multo tamen magis reum, ridiculumque populum Gentilem reddebant aliæ cæremoniæ adhibitæ ad expianda crimina, & placanda Numina, neque sane umquam ab Hebræis usurpatæ, hoc est spectacula scenica memorata a Livio *Dec. I. Lib. VII. cap. II. Ludi scenici . . inter alia cælestis iræ placamina instituti dicuntur, & Lectisternia*, quorum sæpe idem Historicus facit mentionem; cruentique gladiatorum ludi Symmacho a Prudentio objecti Lib. I.

Respice terrifici scelerata sacraria Ditis,
Cui cadit infausta fusus gladiator arena,
Heu male lustrata Phlegetontia victima Romæ.
. . . .
Nempe Charon jugulis miserorum, se duce, dignas
Accipit inferias placatus crimine sacro.

& sacra humanarum victimarum ad placandam cœli iram.

Sanguine placastis ventos, & Virgine cæsa;
Cum primum Iliacas, Danai, venistis ad oras,
Sanguine quærendi reditus animaque litandum
Argolica est. Vig. Æneid. II.

Poeta semper servat in fabulis morem; & ἀνθρωποθυσία, ut dicemus alibi, erat inter gentes pene communis. Ex quibus inferat Lector, quo progrediantur homines a Deo deserti.

lavamenta ista sumunt, quibus iras, atque animos ponant, & in gratiam suis cum offensoribus redeant? Ipsa eadem justissima convicia legi possunt apud Justinum Martyrem, S. Augustinum, Lactantium, aliosque Patres. Immo Gentiles ipsi, qui erant emunctæ naris, ridebant, & ut alibi etiam dicemus, quam inepta hæc sacrificia, & hæ expiationes, quæ a profanis Sacerdotibus credulæ plebi explicabantur, essent ad purganda peccata, & ad Deos mitigandos, videbant. Quare ajebat Ovidius (*Fast. 11. vers. 45.*)

Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aqua.

& Plautus in Prologo Rudentis:

Atque hoc scelesti illi in animum inducunt suum,
Jovem se placare posse donis, hostiis;
Et operam, & sumptum perdunt.

& Stobæus (*Serm. 4.*) afferens celebre illud Euripidis effatum, (*a*)

Humana delet mare cuncta crimina

statim adjungit, *cadit autem hoc dictum in superstitiosos, qui mari lustrari solent.*

§. III. Si ergo ridiculæ ineptæque lotiones, sacrificiaque ad abluenda crimina erant, quem alium modum per se homo reperire poterat, quo in gratiam cum Deo rediret? Eruditissimus Huetius vult, (*quæst. Alnet. Lib. II. cap. 20. num. 4.*) *Peccata salubri pœnitentia esse eluenda, mores emendandos, animum ad Dei cultum esse revocandum, atque ita placandum Deum, gentium omnium præceptum esse, quæ Deum agnoscunt.* Nemo tamen est, qui nesciat, quam diverse, quam inepte, quam libidinose hæ pœnitentiæ notiones ad actus redigerentur a gentibus, quæ nedum essent placamina, magis, magisque læsum Numen ad iram provocabant. Et sane cum totus in eo sit Auctor, ut, velis, nolis, secundum systema illud, quod sibi effinxerant, ostenderet, penes Ethnicos præcipua Christianæ Religionis capita fuisse, putat, plurimos populos per confessionem peccata dimitti credidisse: quare recensitis *Hebræis*, *Mahumedanis*, *Gauris*, *Tunchini*, & *Siami gentibus*, *ad Japonenses* gradum facit, & hæc ait, *homines suspendunt in alta rupe, in præceps dejicere parati, ni peccatorum omnium publicam edant confessionem.* Enimvero tunc perfectam, amarissimamque pœnitentiam eos infelices edituros esse crediderim. At quorumdam Indorum admirabilior est pœnitentia. *Antrum* (inquit Huetius) *esse quoddam apud Indos, narrat Bardasanes* (*apud Porphyr. de Styg.*) *quo hominum noxa explorantur. Ostium subeunt, qui probantur, ingrediuntur, si insontes sunt: si affines culpæ, coarctante se ostio, arcentur ingressu, & admissa peccata palam confiteri coguntur, Deorumque veniam precationibus, & jejuniis impetrare* (ibid.). Vah confusionem! Aliquid tamen majus, si Auctori doctissimo habenda fides est, videtur esse in quadam Sinarum secta; en Auctoris verba (ibid.) *Secta quadam apud Sinas criminum pœnitentiam, absolutionem, & satisfactionem admittit.* Sicut etiam notatu dignum foret, si verum esset, quod Scriptor idem ait *ibidem*; nempe *in Platonis Phædone observarunt viri docti pœnitentiam, confessionem, & satisfactionem; item distinctionem peccatorum gravium, & leviorum, sive, ut Theologi de Schola loquuntur, mortalium, & venialium.* Verum neminem latet, quæ scribendi prurigo, quæ certamina præcipue duobus proxime elapsis sæculis inter doctos de hac re fuerint; quotque Platoni adscripta fuerint, quæ ne per somnium quidem cogitarat. Et sane locum Justini Martyris (*cohort. ad Græc. n. 25.*) habemus, a quo discimus, Platonem damnasse Homerum, quod putarat, Numina hominum precibus placari posse; quod cum a Platone negetur, aditus quilibet pœnitentiæ obstruitur; *quandoquidem*, inquit Justinus, *qui credunt, divinum Numen flecti non posse, numquam peccare desinent, putantes, nulli emolumento sibi pœnitentiam esse.* Cæterum verum quidem est, Plutarchum (*de superstit. apud Huet. ibid.*) egisse de superstitiosa criminum confessione, quam quidam infirmitate gravati, edebant; & pudendis superstitionibus contaminatos fuisse ritus eorum Romanorum,

qui

(a) θάλασσα κλύζει πάντα τ᾽ ἀνθρώπων κακά.

qui legem judaicam colebant, dictorum proinde *Judaizantium*, quos vellicat Persius Satyra V. Quamquam nescio, cur in iis Poetæ verbis, *labra moves tacitus*, intelligenda sit, ut Huetio placet, (a) *peccatorum confessio Hebræorum ritu facta*; & non potius, quod volunt antiqui Scholiastæ, mussitare, & rodere preces, quod illi ex veterum more faciebant, faciuntque etiam recentes Judæi. Utcumque tamen res se haberet, & quamvis, ut se pœniteret, Romani eos ritus peragerent, superstitionem tamen, ut dicebamus, ridiculam redolebant, quod clare Persii (b) eodem in loco legitur. Ejusmodi omnes alios *pœnitentiales canones* ab Ethnicis, ut noxas diluerent, præscriptos, & ab Huetio ibi expositos fuisse credimus.

§. IV. Vulgatior tamen pœnitentia, quam prudentes Gentiles adhibebant, nihil aliud, mea quidem sententia, erat, nisi dolor patrati criminis, aut e deformitate peccati naturæ, vel rationi contrarii, aut e funestis effectibus, quos noxa parit, excitatus: vi cujus ira in crimen, & in se ipsos commovebantur; se arguebant, se puniebant, seque diu noctuque domesticis furiis actos ajebant, hoc est dolore, quo affligebantur. Ita eum pœnitebat, qui exclamabat:

Pœnitet, ah, si quid miserorum creditur ulli!
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.

(Ovid. 1. *de Ponto* 1. 59.) Alexandri pœnitentia fuit vehementior, de quo Tullius (*Tuscul. quæst. Lib. IV. cap.* 37.) scribit, *Alexandrum Regem videmus, qui cum interemisset Clitum familiarem suum, vix a se manus abstinuit. Tanta vis fuit pœnitendi*. Hæ tamen, aliæque pœnitentiæ, quas apud antiquos legimus, acerbissimæ, cum non aliunde, quam ab amore proprio proficiscerentur, neque quicquam aliud spectarent, quam quid creatum, crimina abstergere, Deumque amicum efficere non poterant.

§. V. At operæ pretium est Tyndalum audire, qui ingenii sui acumine hanc antiquorum reconciliationis, ut vidimus, numquam cognitam rationem se comperire existimat. *Nonne verum est* (inquit ille in libro inscripto, *Religio Christiana æque prisca, atque creatio, pag.* 359.) *bonum parentem, dominum bonum, & ut quid amplius dicamus, magnanimum hostem, parcere filiis, familiaribus, hostibus ipsis, cum vera commissorum criminum pœnitentia eos afflictos intuentur*? Cur ergo pœnitenti peccatori hoc idem a Deo non est sperandum? Non absimili ratione Anglus alius, Joannes Lochius ratiocinatur (in libro suo *Le Christianis. Raisonable chap.* 14.) ex naturali cognitione, quam mortales cuncti habent, *Deum esse mitem, patientem, in veniam proclivem, divitem in miserationibus*, deducit, modum, quo cum Deo in gratiam redeant, cognoscere omnes posse, & ab illo eam consequi veniam, quam homo filiis suis, prostratisque hostibus solet concedere; modus autem hic in eo consistit, ut *fateatur homo peccata sua, ut ea reprobet, ut veniam a Deo petat, proponatque, se posthac ad rationis regulas mores suos conformaturum*. Duorum Anglorum, unius quidem Naturalistæ, alterius vero non admodum probi Christiani, innititur totus hic sermo, ut modo videbimus, parum stabili fundamento, ac proinde per se collabitur. Tamen fingamus nunc, aliquem Tyndalo, Lochioque consequutionem tantum negare, quæ ex bonitate Dei colligitur, Deum in gratiam unius pœnitentiæ caussa dolentem hominem recepturum, quomodo eam probarent? Inter hominis pœnitentiam, Deique veniam possuntne probare necessariam relationem intercedere? Minime vero gentium; hoc enim a sola Dei voluntate pendet; ergo si Deus ipse hoc non revelavit, humana ratio certo non detegit; immo si caussas spe-

(a) *Quo referri etiam possunt illa Persii, labra moves tacitus, quibus Romanos incessit peregrinis Religionibus addictos, ac eos præcipue, qui Judaico ritu peccata confitebantur.* ibid.

(b) *Herodis venere dies, unctaque fenestra*
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ:
Portantes violas, rubrumque amplexa Catinum
Cauda natat tynni: tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitoque sabbata palles.
Tunc nigri Lemures &c.

ſperandi habet, habet etiam ambigendi, pavendique. Et primum quidem quæ proportio Deum inter & hominem ex una parte, & patrem & filium, Dominum ſervumque, hoſteſque duos ex alia? Eo major eſt culpa, quo læſus eſt major. Deuſque immenſum homini præſtat; ſi ergo pater filio parcit, non ideo ratio argumentum par videt, ut certa fiat, Deum peccatori homini veniam daturum. Deinde Deus bonus eſt; talemque ratio intuetur: ita ſane; at etiam ſapientem, juſtum, ſanctumque eum proſpicit. Cognoſcit eum bonum; at neſcit, quouſque in læſorem ſuæ majeſtatis velit clemens eſſe. Novit, omnia divina attributa ſimul ex compoſito operari, neque unum alterius jura perturbat. Eſt quidem bonus pater, ſed eſt ſupremus moderator, æquuſque ordinis cuſtos. Jam vero quis eſſe poteſt, qui me certiorem faciat, eum hujus ordinis perturbatores, vel ſuarum legum violatores non eſſe vindicaturum, iiſque graviſſimis, plurimiſque obſtrictis ſceleribus (hujuſmodi homines vidėmus non paucos) daturum veniam? Quænam eſt Reſpublica, cujus Magiſtratus omnibus viarum graſſatoribus, paciſque hoſtibus, modo ſe pœniteat ſuarum noxarum, ignoſcant? *Natura* (egregie inquit Clarchius *De l'exiſtence de Dieu Tom. II. chap.* 10.) *non patefacit nobis, num Deus, ut contemptum ſuarum legum ulciſcatur, ut decus ſui regiminis vindicet, ut oſtendat quouſque peccatori iratus ſit, exacturus ſit quid majus, quam pœnitentiam, priuſquam denuo det homini amiſſa privilegia. Nullum enim Dei attributum eſt, quo, teneri Deum ad ignoſcendum peccatori dolenti tantum vi ſua pœnitentia, evidenter demonſtretur. Una igitur natura hominem ſollicitum, ancipitemque, quo modo Deum læſum placet, nequit recreare.* Jacobus Odius Ultrajecti ad Renum, geometrica methodo cum Religionis Naturalis vires extuliſſet quam maxime humana ratio poteſt, probat, (*Theol. Natur. par. III. prop.* 66.) *eam ſatis non eſſe, ut homo ſalvetur*; idque ob hanc rationem inter alias, quia cum ex una parte ſua peccata intueatur homo, *non poteſt modum illum per ſe reperire, quo iratum mitiget Numen, & cum illo reconcilietur*. Monſtrat autem, *eſſe probabile, aliquem hujus reconciliationis modum eſſe* (*ibid. prop.* 67.) ſed demum ad probandum tranſit, *opus eſſe, ut modus hic a Deo ipſo reveletur, qui unus ut ſapientiſſimus eum invenire poteſt, ut potentiſſimus poteſt exequi, ut optimus cum homine bonum tantum poteſt communicare* (*ibid. prop.* 68.) Hujus ſententiæ eſt Stackouſius, & Burnetus penes illum (*Le ſens Litteral de l'Ecriture. Tom.* 2. *chap.* 23.) Neque dubito, alios quamplurimos idem ſentire. Ut paulliſper opinionis horum Auctorum pondus examinare ſuperſedeamus, demuſque, æquale illud eſſe momento ſententiæ Tyndali, & Lochii; ſi harum ſententiarum hominum ad libitum ſuum cogitantium diverſitas in re tam gravi conſideretur, annon debemus evidenter inferre, humanam rationem per ſe nullum tutum reditus in gratiam cum Deo, paciſque modum invenire poſſe; ac proinde in hujuſmodi anguſtiis ejuſdem Dei Revelationis ſe indigere, per quam Deus illi modum ſignificet, quo ille, qui eſt liber, ſupremuſque Dominus, placari velit?

§. VI. Verum redeamus ad argumentum. Tyndalus, Lochiuſque dicunt, Deum veniam daturum homini, quem ſincere ſuorum criminum pœniteat. Sit ita. At hæc ſincera pœnitentia in quo conſiſtit? I. In ſumma peccati execratione non proprii, humanique alicujus emolumenti cauſa, ſed cauſa Dei, ut eum nobis placemus. II. In firmo ſtabilique propoſito nolendi de cætero ejus leges lædere. Quandoquidem ne homo quidem læſus pœnitentia, quæ hac careat conditione, placatur, immo quaſi derideatur, magis ad iram commovetur. Requiro nunc a Tyndalo, & a Lochio, qui id concedunt, & exigunt, ut venia obtineatur, & a cunctis Naturaliſtis, num eorum quiſquam poſſit pœnitentiam ejuſmodi polliceri ſe facturum? Si antiquos Gentiles omnes obiter tantum inſpiciamus, immo ſi intimi ſenſus vocem unam audire nobis lubeat, fateri cogemur, ſomniare hominem, comminiſci, & toto cælo errare, ſi putat nullo alio duce, nulla alia vi, quam natura ſua ſe adjutum poſſe pœnitentiam hanc elicere. Nihil hic requiritur aliud, quam vel tantillum bonæ fidei, ut concludamus, hominem voluptatibus ingurgitatum exempli cauſa, *ſi venus illi arrideat*, numquam quibus conſtringitur, effracturum eſſe vincula; & ſi parumper caput eximet, ſta-

tim subiturum jugum, & etiamsi suorum criminum deformitatem, turpitudinemque cognoscet, nec voluntatem, nec vires habiturum, ut vitium deserat, multoque minus, ut semper deserat, fassurumque cum illa Medæa,

——— *Video meliora, proboque:*
Deteriora sequor.

Hinc Celsus apud Origenem (*Lib. III. advers. Celsum sub finem*), & Cicero apud Lactantium (*Lib. VI. Divin. Instit. cap. 24.*) id pro certo affirmabant, non posse homines mala consuetudine actos corruptosque poenitentia, & permutatione morum se corrigere. Cum non agnoscat itaque homo naturæ lumine modum, quo veram poenitentiam eliciat, neque modum, quo cum Deo reconcilietur, agnoscere potest; quamvis certus esse posset, hujusmodi poenitentiam sufficere, ut hæc reconciliatio fieret. Cujus rei tamen ratio, ut diximus, nullum nobis argumentum certum suppeditare potest, quod nos tutos reddat. De peccatore igitur Revelatione carente actum est conclamatumque. Veritas hæc satis demonstrata videtur. Eam tamen a Naturalista, aut Deista Religionis Christianæ palam hoste audire ne pigeat, qui ita scribit. (a) *debet ex natura sua esse melior homo, cui ratio* (dicendum erat *pervicacia*) *persuaserit, Religionem Catholicam esse falsam, quam Christianus. Confessio promovet peccatum, eo quod certus est, se esse absolutum,* (hic aut nescit, aut simulat se nescire, quid Christiani doceant de Justificatione) *facilius autem peccatum fit, cujus speratur venia; contra vero homo* ORDINIS (ita auctor appellat Naturalistam) *rationem non invenit, qua suorum delictorum veniam consequatur.* Nunc interrogo Scriptorem nostrum, num ipse, omnesque *Ordinis homines* possint dicere, se non prolabi, aut prolapsuros in graves errores? Licet sint frontis adeo perfrictæ, opinor, non ausuros eos id dicere. Ergo, inquio, hi omes jam desperant; non enim rationem inveniunt, qua suorum criminum veniam obtineant. An dicent, Philosophum hunc joco habere, & contemptui alterius vitæ supplicia; ut habent omnes Deistæ, & ex Naturalistis non pauci (b)? Ergo, repono, hæc jactata honestas *hominis ordinis, quæ ex eo nascitur, quod modum nullum ille reperiat, quo sua errata sibi ignoscatur*, est honestas inanis, ficta ad libidinem; si enim peccat Christianus spe veniæ motus, ejus sententia, multo magis *homo ordinis* spe impunitatis peccabit. Ita ergo nunc urgeamus petulantem hunc Philosophum. Aut ais, esse supplicia in altera vita, aut negas. Si negas, ergo ille tuus *ordinis homo* ex hoc ipso systemate non solum erit Christianis honestior, sed æque improbus ac Atheus quicumque. Si poenas in altera vita esse das, ergo, si *homo* tuus *ordinis* peccare potest, desperare debet; siquidem, tuo judicio cum modis careat, quibus purget sua crimina, sub oculos suppliciun habet, quin sperare possit, se impunem evasurum. Igitur vel tu in tuis principiis tibimetipsi contradicis turpiter; aut propositionem meam invicte confirmas, eamque cum confirmes, fateris simul id, quod Libercculus ille tuus diruere conabatur, nempe divinam Revelationem homini fuisse necessariam, nec illi ad ravim usque jactata rationis lumina sufficere.

(a) *Il doit y avoir naturellement plus de probité dans une personne persuadée par raison de la fausseté de la R. C. que dans un Chrétien. La Confession autorise le crime par l'assurance d'en être absous, on fait facilement un crime, lorsqu'on espere le pardon; au lieu, que l'homme d'ordre ne trouve point de ressource pour se pardonner ses fautes.* Examen de la Religion attribué a M. de Saint Evremond chap. 11.

(b) Ita videtur ille docere cap. 9. num. 5.

CAPUT QUINTUM.

Homo ſine Revelatione.

I. *Homo ſine Revelatione rationem ſuas cupiditates coercendi reperire non poteſt.*
II. *Paſchalii animadverſio de homine reprehenſa a Voltæro; ſed injuria. Ethnici ipſi hominis corruptionem noverunt, at ignorarunt cauſam.*
III. *Ratio non ſufficit ad comprimendas effrænes cupiditates. Popius docet in hoc capite Voltærum.*
IV. *Popius non ſibi conſtat: Refellitur. Revelationis neceſſitas demonſtrata.*

§. I. INnuimus ad calcem præcedentis capitis, debere hominem, ut veniam conſequatur, ſuppliciaque effugiat æterni judicis, firmum, conſtanſque, non violaturum ſe amplius leges eas, quas natura præſcribit, propoſitum ſervare. Verum diximus etiam, eum divina Revelatione orbatum hujuſmodi propoſitum non ſervaturum. Age magis ad vivum materiam hanc reſecemus, quæ nobis aliud ſuppeditabit argumentum, ex quo inferemus, quam ſit infirma naturalis Religio, quantumque indigeat homo divinæ Revelationis, ut mala ſumma evitet, conſequaturque finem ſuum.

Permoveatur igitur *homo ordinis* vera pœnitentia (ut Tyndalus loquitur) ſuarum noxarum: ratione ſua injuſtitiam videat, damna proſpiciat, eas abhorreat, eas deteſtetur. Quid inde? Intus in ſe aliud impellens principium habet adverſans his rationis juſſis, quod velut unco impacto ineluctabili vi ſcientem videntem rapit in priſtina crimina, quæ modo abhorruit, fuitque deteſtatus. Adoleſcens Phædria apud Terentium (*Eunuchi Act. I. Sce. I.*) nimirum nobis ſpectandum exhibet hoc cupiditatum adverſarum ſibi invicem certamen, cum fœminæ illi iratus inquit;

O indignum facinus: nunc ego &
Illam ſceleſtam eſse, & me miſerum ſentio.
Et tædet, & amore ardeo: & prudens, ſciens,
Vivus, videnſque pereo: nec quid agam, ſcio!

§. II. Hoc certamen illud, prælium que acerrimum eſt, propter quod jure hominem ænigma Paſchalius dixit, ænigma, quod niſi præcedat Revelationis fax, quæ primam ejus originem detegat, variaſque ejus naturæ vices, ſolvi nequaquam poteſt. Voltærus (*pensées III.*) tamen Poeta Naturaliſta, hanc cogitationem irridet, reſpondetque, *hominem non eſſe ænigma, ut ille putat, ut ſibi ſit bellulus, caudamque jactet, cum illud diſſolverit. Homo eſt* (ita dicere pergit) *ut cætera omnia, quæ videmus, malis, boniſque, voluptate, & dolore temperatus, conſtanſque. Affectus habet, ut agat, rationem, quæ actus ſuos moderetur. Si homo eſſet perfectus, eſſet Deus.* (O ingenii acumen! quaſi vero inter ens corruptum, imperfectumque, & ens *infinite perfectum* nihil ſit medii) *atque hæ credita oppoſitiones, quas contradictiones dicis, ſunt partes hominis componentes neceſſariæ, qui eſt ejuſmodi, qualis eſse debet* (*Let. 25. ſur les penſ. de M. Paſcal. III.*) Equidem dijudicare non auſim, num hoc in loco ſint plura verba, an plures errores lateant. Ipſi Ethnici Philoſophi Ænigma in homine cognoverunt, videruntque, *eum non eſse quo eſse modo deberet.* Nulla ſententia apud eos antiquior, & magis uſurpata (præcipue penes Pythagoricos, & Platonicos), quam animam humanam in corpore, tamquam in duriſſimo ergaſtulo conſtrinctam teneri, ut pœnam maleficiorum alia in vita patratorum luat. Præclarum Ciceronis locum in Hortenſio ad hanc rem nobis D. Auguſtinus conſervavit (*contra Julian. Lib. IV. cap. 15.*) *Ex quibus humanæ* (inquit Cicero) *vitæ, & erroribus, & ærumnis fit, ut interdum veteres illi ſive vates, ſive in ſacris initiis tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore pœnarum luendarum cauſa natos eſſe dixerunt, aliquid vidiſſe videantur: verumque ſit illud, quod eſt apud Ariſtotelem, ſimili nos affectos eſse ſupplicio, atque eos qui quondam, cum in prædonum Etruſcorum manus incidiſsent, crudelitate excogitata necabantur,*

quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata quam aptissime colligabantur, sic nostros animos cum corporibus compurates ut vivos, cum mortuis esse conjunctos. Quis ex his testimoniis non colligit, hoc persuasum fuisse veteribus, *hominem non esse id*, quod naturaliter *esse debet*; non esse illum in pristina suæ vitæ conditione, & *oppositiones, quæ in illo sunt, non esse partes componentes illius naturæ*? Quod etiam apertius significat idem Cicero alio in fragmento *Libri III. de Repub.* quod idem Augustinus nobis servavit (*cont. Julian. Lib. IV. c. 12.*). *Idem Tullius hominem dicit non ut a Matre, sed a Noverca Natura editum in hanc vitam; corpore nudo, & fragili, & infirmo: animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii, & mentis*. Jam vero si omnia hæc mala, unde nimirum proficiscuntur contradictiones, & ænigma, quod in homine cernimus, credidisset Cicero *partes necessarias hominem componentes*, naturam, quæ ita eum effecit, Novercam proculdubio dixisset. Legi potest D. Augustinus locis supradictis, ubi quovis argumentorum genere eversa isthæc insana Voltæri sententia, qui negat animæ humanæ corruptionem ex origine, putatque, hominem esse ejusmodi, qualis esse debet, reperietur.

Quare etiam sine Revelatione, qui se intus, & in cute inspexerunt, excusseruntque, turbas, pugnasque, quæ sunt in homine *prono ad libidines, humili ad timores, molli ad labores*, cognoverunt; hisque omnibus de causis videlicet, eum numquam constare secum, viderunt, hoc est cum jussis *obruti illius divini ignis ingenii, & mentis, qui in se inerat*;, & quo agnoscebat has ipsas affectiones, ut mala, viderunt, inquam, hæc omnia, sed causam ignorabant. *Rem vidit, causam nescivit*. (inquit idem Augustinus *ibid.*) *Latebat enim eum, cur esset grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium, quia sacris litteris non eruditus ignorabat originale peccatum*. Atque hæc una est ænigmatis solutio, & sine hac cognitione, optime inquit Paschalius (*a*) *magis sibi est incomprehensibilis homo, quam hoc mysterium* illi sit incomprehensibile.

§. III. Ut hinc in viam redeamus, & in *hominis ordinis*, hac pugna, hac rebellione posita, cujus causam, originemque ille ne agnoscit quidem, quodnam remedium, ut eas naturæ leges adimpleat, quarum est severissimus custos Deus, afferre poterit? Debet (inquit Voltærus) in se ipso illud invenire. (*Vide supra*.) *Affectus enim animi habet, ut agat, rationemque, ut opera sua moderetur*. Optime: Atqui pugna hæc est nimirum rationem inter & affectus. Demonstrandumne longo sermone nobis erit, in hoc certamine rationem homini datam, ut regat, extorqueri sibi e manibus lora sentire, aggressionibusque hujusmodi furentis affectus esse illi cedendum, quin aut repellendi, aut in officio eos continendi vim ullam habeat? An demonstrandum nobis erit, tantum abesse, ut ratio hominis luminibus suis affectuum impetus coercere possit, ut hi ipsi, nescio quo luctuosissimo fato fiat, eam subjugent, eam obcœcent, ut aut domita taceat, nec eorum motus improbet, aut errore acta eos etiam defendat, detque vitiis ipsis virtutum nomen? Nihil factu facilius esset, quam præstantissimorum cujusque ætatis virorum testimonia ad id confirmandum proferre: at illa prætermittens omnia, Voltæroque ipsi minime jubens, ut in se descendat, seque excutiat, ut agnoscat, quæ quantaque suorum affectuum vis fuerit, quod, & quantum suæ rationis robur, confessionem hanc denique, incassum pluribus contradictionibus, subterfugiisque adhibitis a Poeta, quo usus est familiarissime, habuitque præceptorem, Popium dico, audiat. (*b*)

Heu

(a) Pasch. dans les pens. III. *Le nœud de notre condition prend ses retours, & ses plis dans cet abîme: De sorte que l'homme est plus inconcevable dans ce mystere, que ce mystere n'est inconcevable à l'homme*. Dicteria Voltæri ad hunc locum leguntur ubertim confutata in opere Gallico, quod præfefert titulum, *Sentimens de Mr. .... sur la Critique des Pensées de Paschal Par Mr. Voltaire*. Præterea in *Lettres Flamandes*. *Let. X. XI.*

(b) Essai sur l'homme pag. 92.

Or,

Heu Ratio, infirme nimium tua jura superba
Defendis, regina, putas præscribere nobis
Jura? infirma! fovens quæ semper amantem
Hunc, illumve, huic, aut illi committere curam
Quamque soles nostri. Ast ubi jactata illa potestas?
Quid præcepta juvant toties repetita severa?
Alta voce mones, heus, est vincenda voluptas.
At pugnaturis quæ nobis arma ministras?
Voce tua moniti jam crimina nostra videmus:
Quid tua opes nobis prosunt, vitemus ut illa?
Conviciisque tuis frustra nos carpis acerbis:
Non per te probitas, nostra infortunia crescunt.
Quod præfers nobis lumen nos urget, & angit.
Excusas vitia, & virtutis nomine honestas.

Hactenus Popius, qui paulo ante de affectu dominante verba faciens hæc dixerat: (*a*)

Cum vero incaluit, non spiritus, ingenii nec
Vis cohibere queunt; irritant sed magis illam.
Quid dicam? ratio nimirum hunc allicit hostem,
Atque in corde fovet, flammas additque furenti.
Haud secus infectas viro magis inficit herbas
Solaris calor: affectus sit denique quisquis,
Effervescentem ratio non sæpe coercet.

§. IV. *Homo* igitur *ordinis* nullum aliud præsidium habens, Voltæri sententia, nisi rationis, ut actus suos dirigat, erit prorsus ineptus, ut testatur Popius, testarique debet, qui plumbeus omnino non sit, intimique sensus expers, qui per illam eas leges, quæ affectibus adversantur, observet. Ergo, inquio, opus est superiore lumine homini, quod aliam opem, qua victor hujus pugnæ evadat, ei suppeditet; quo si careat, actum de illo est, conclamatumque. Quod reponat, non habet Poeta Gallus; eversum enim est, quod dixerat; at habet Anglus, qui illud labefactaverat. Ita Popius (*b*)

Cedamus, nosmet naturæ & legibus ipsos
Aptemus; fuerit nobis tutissimus usque
Is trames, nobis quem prudens indicat illa.
Non ideo nos ut ducat ratio est data nobis;

Orgueilleuse raison; tu soutiens mal tes droits!
Foible Reine, crois-tu nous prescrire de loix!
A quelque favori toujours abandonée
Tu lui laisses le soin de notre destinée.
A quoi donc se reduit ton pouvoir si vanté?
Tu veux que du plaisir nous redoutions les charmes?
Mais pour en triompher nous donnes-tu des armes?
Ta voix sur nos défauts nous force à réfléchir:
Mais que peut ton secours pour nous en affranchir?
De reproches amers en vain tu nous accables:
Sans nous rendre meilleurs, tu nous rends miserables.
Le flambeau, qu'à nos yeux tu viens sans cesse offrir.
Sert à nous tourmenter, non à nous secourir.
Tu sais justifier nos différens caprises,
Et du nom de vertu tu decores nos vices.

(a) Pag. 91. & 92.
Lorsque sa force agit, loin de lui résister
L'Esprit, & les talens ne font que l'irriter?
Que dis-je? La raison dans le secret de l'ame
Flatte cet ennemi, le soutient, l'enflame.
Telle que le soleil, qui souvent par ses feux
Rend des sucs corrompus encore plus dangereux:
Quelle que soit enfin la passion regnante,
Contre elle la raison est souvent impuissante.

(b) Ibid. p. 93
Cedons, conformons nous aux loix de la nature;
La route, qu'elle trace, est toujours la plus sure.
Le but de la raison n'est pas de nous guider;
Son principal emploi se borne à nous garder.
C'est un maitre prudent, chargé de nous instruire,
Qui doit regler nos gouts, mais non pas les détruire;
Et de la Passion qui regne dans le cœur,
Etre moins l'ennemi que le moderateur.
Par cette Passion le Ciel nous détermine
Aux desseins qui a formés la sagesse Divine.

Ejus præcipuum est munus nos ut tueatur.
Est ea præceptor, debet nos illa docere,
Et regere affectus, at non evellere nostros;
Et qui præsertim cordi nostro imperat, illi
Non adversari, verum moderarier æqua.
Hæc etenim affectu Cœlum nos ducit ad illos,
Quos divina sibi statuit sapientia fines.

Aut ego nihil sapio, nihil capio, aut hic sublimis ingenii homo cogitationibus suis intricatur, sibique contradicit, seque oppugnat. *Cedamus*, at cuinam? an rationi? at *est* infirma Regina, quæ *non debet nobis præscribere leges*; Legibusque naturæ nos ipsos conformemus. Verum quid harum legum nomine sibi vult? Utrum ordinem immutabilem, & æternum recti, honestique? At hunc & novimus, & illum nobis rationis lumen indicit, *attamen haud ratio nos ducere debet*. Ergo hæ naturæ leges affectuum propensioni inservient? Ita sane Poeta sentire videtur. At quæ crimina hoc ethicæ principio non approbantur? Nequaquam, inquit Popius; hi enim motus, affectusque instituì, regique debent a ratione, tamquam a prudenti magistro. Præclare enimvero. Atqui ratio, tua sententia, *semper amantem aliquem amplexata illi nostrum curam omnem relinquit. Si ejus præcepta severa nihil nobis prosunt, cum nobis necessarium præsidium non suppeditent, ut errores nostros detegamus, nec arma, quibus referamus victoriam;* qui sperari ergo potest, rationem hanc cœcam, imbellemque posse hos affectus comprimere, & coercere? At nimis oratio nostra proveheretur, si absurda quæcumque horum rationis perperam laudatorum vellemus persequi. Legi meretur ad hanc rem liber inscriptus *Lettres Flamandes, ou Histoire des variations, & contradictions de la pretendue Religion Naturèlle*. (A Lille 1753.) Legatur potissimum Epistola X. in qua locus hic Popii examinatur, ibique inter alia, quæ ad materiam pertinent, dicitur; *Dubitari ergo nequit, hujus systematis judicio naturam naturalium affectuum vitiis nullum attulisse remedium; cum dederit homini rationem, eam illi dedisse regulam quæ non regit, moderatorem, qui non moderatur . . . . . . Reginam, quæ non regnat; tutorem, qui nostræ sortis curam cuique foto, improboque affectui committit. Affectus igitur nos regere nequeunt; si enim quidquam boni continent, in iis inest & malum. Nihil ratio valet: I. Si nobis enim lumen suppeditat, non tamen vim, cujus indigemus, ministrat; malum nobis indigitans illud non expellit. Magnes hic haud efficit, ne navis fluctibus, furentibusque affectuum nostrorum ventis rapiatur, naufragiumque miserrime illidens patiatur. II. Quia luminibus nostris commixta sunt tenebræ multæ, quibus obcæcata ratio dux tuta nequit esse. Ex his omnibus, quæ Popius fatetur* (& quicumque mente sibi constat, fateri debet) *deducitur, ad mentis tenebras dissipandas lumine, quod sit ratione superius, puro lumine, fallere, fallique nescio, nos indigere. Lumen autem hoc est fides. Præter lumen, viribus etiam, armisque opus est, ut æstuantes animi motus compescamus, hæc autem est Jesu Christi gratia*. Huc usque doctus Gallus, cujus verba nos eximunt a demonstranda per illationes propositione, quam ostendendam susceperamus, hoc est, necessariam esse homini Revelationem divinam, ut leges illas naturæ, quarum Deus custos est, præmiis bonos, pœnis malos afficiens, stabilisque constansque exequi possit. Quæ propositio præter allatam demonstrationem, quam recte internam dixeris, & a *priori*, alio argumenti genere ab ipsa re desumpti probari posset; producta scilicet earum gentium, quæ hoc lumine caruerunt, carentque nunc etiam, morum corruptione. Non arbitramur jam, omnia infidelium opera fuisse mala. Præterea adversus Baylium Atheismum, quantum ad mores spectat, pejorem esse superstitione, multoque magis solo *Naturalismo*, cum & illa, & hic causas contineant, quæ humanis sceleribus obicem aliquem ponere possunt, quo Atheismus caret, qui de medio tollit supremum judicem, præmia, pœnasque, ostendemus. Sed cum ejusmodi causæ numquam hominum corruptionem curarint, nec vero curare possint (eo magis, quod non præeunte auctoritate suprema falli, & fallere nescia, plerumque illæ obscure, varie, & etiam male cernantur) tota quanta est Gentilis (a) antiquitas, & omnes Gentiles regio-

(a) Quod pertinet ad Gentilem antiquitatem satis est legere *Caput I. Epist. S. Pauli ad Roman.* Quod vero spectat ad regiones, quæ hac ætate Revelationis lumina non sequuntur, legatur II. *Episto-la Pa-*

regiones præ se tulerunt, præseferuntque eam universam pravitatem, quæ est naturalis ejusdem corruptionis fructus, neque nobis illius innocentiæ constantis, earumque singularium virtutum, quas infensissimi hostes negare nequeunt, edita fuisse in ea societate, quæ veram fidem agnoscit, exemplum ullum præbuerunt. Quod si in hac ipsa cernuntur, ut revera summo cum animi dolore fatendum est, ea in multis cerni, scelera etiam gravia; hoc tamen constat, id ex eo videlicet evenire, quod remedium illud rejiciunt, quod Revelatio iis suggerit, & quod in nulla Philosophorum secta reperitur, neque haberi potest nisi per aliquam excellentissimam auctoritatem, ut fassus est Porphyrius apud Augustinum (*de Civit. Dei Lib. X. cap. 32.*) cujus verba argumentum ultimum in nostræ propositionis confirmationem suppetent. *Cum Porphyrius ait versus finem libri primi de anima reditu, nondum sectam ullam Philosophorum extitisse, quæ rationem universam animæ liberandæ contineat, illamque non contineri in Philosophia veriori, neque in disciplina, aut moribus Indorum, neque in Chaldæorum scientia, aut alio modo, nondumque eam ad sui notitiam pervenisse per Historiam, proculdubio fatetur, unam esse, sed adhuc qualis esset, se nescivisse. Ita quidquid ille tanto labore didicerat de animæ liberatione, videbaturque aut sibi, aut aliis scire, ei non satisfaciebat. Intelligebat enim, sibi aliquam excellentissimam auctoritatem deesse, quam in re tanti momenti sequi oporteret.* Caput totum, quod ad propositum nostrum facit, legatur.

In Pastoralis Episcopi Londinensis p. 41. & 46. ubi compendium affertur cujusdam capituli operis *Roberti Millari*, in quo auctoritate verarum narrationum describitur corruptio, barbariesque regionum infidelium.

CAPUT SEXTUM.

Revelatio Mysteriorum dari potest.

I. *Dari potest Revelatio Divina.*

II. *Deus potest revelare veritates humana ratione superiores. Sophismata Auctoris* des Lettres sur la Religion essentielle *dissoluta.*

III. *Aliud argumentum ejusdem, & Auctoris libri inscripti* discours sur la Religion des Dames *jam præoccupatum & infirmatum excellenti Doctrina a D. Thoma.*

IV. *Error oppositus Petri Belii, qui putat, veritates revelatas esse rationi contrarias. Confutatus a D. Thoma egregie.*

V. *Ambages ejusdem Pyrrhonici solutæ; discrimen propositionis ratione superioris ab ea, quæ rationi adversatur, explicata, defensaque.*

I. CUm hactenus argumentis præcipuis (quoniam alia complura commode afferri possent) divinæ Revelationis necessitatem demonstraverimus, ad ostendendum, eam dari posse, transeamus. Prolixa oratione ad id probandum non est opus. Quid enim repugnat credere, Deum humanarum mentium creatorem ipsum per se in iis earum veritatum ideas, quas vult, imprimere? Quid repugnat credere, rectorem omnium motus ejusmodi in aere producere, impulsus hos, illosve in organis, hæc vestigia in cerebro sculpere, ut homines videant aut illas imagines, aut audiant eas voces, quibus percipiant, & evidenter cognoscant divinas dispositiones certioresque etiam de rebus præteritis fiant, futurarum sint præscii, arcanarum, & quamvis humanam investigationem superantium cognitores? Incredulorum contumacia non posse eo progredi, ut id negare audeat, videtur. Cum autem hujusmodi Revelatio adeo sit hominibus necessaria, ut superius probavimus, quis dicere audeat, Deum id facientem egisse quod se mini-

me decebat, & non potius egisse, quod valde constabat cum ideis illis, quas divinorum attributorum habemus? Quid repugnat, immo quantum decet, Deum sapientissimum, & optimum mentes hominum densis involutas tenebris, cæcaque caligine cognitione sui ipsius, cognitione eorum, quæ agere debent, illuminare, cultum iis aperire, quem sibi præstari velit, clare præmia, suppliciaque, quæ in altera vita homines manent, proponere; rationem ostendere, qua suorum criminum veniam consequi possint, modum significare, quo corruptionem curent suam, cupiditates rationi subjicientes; indigitare denique viam, qua ultimam felicitatem possint pertingere? Nihil hic repugnare, nihil quod non mirum in modum conveniat Divinis attributis, video.

§. II. Sed neque Deo indigna, ac proinde repugnans duci hæc Revelatio deberet, etiamsi investigatione, & vi rationis superiora contineret. Hic sane locus unus est ex illis, qui incredulis arrident quam maxime, qui, ut loquebatur Apostolus, *blasphemant quod non intelligunt*; at hoc illud est, quod eos, nescio dicam, utrum digniores abominatione, an risu efficit. Si Deus est, in quovis bonorum genere est infinitus. Ergo ille est, ille novit, ille potest res circumscripto intellectu nostro majores efficere; ergo fieri potest, ut quasdam proprietates, quasdam dispositiones, quarum mens nostra intelligat conjunctionem, modum, caussas, manifestet. Ecquis dubitare potest? Mirandum esset, immo summe repugnaret credere, Ens in quovis genere infinitum nihil posse mentibus finitis revelare, quod ipsis clare, perfecteque evidens non esset. Auctor tamen libelli *des Lettres sur la Religion essentielle à l'Homme* (Amsterd. an. 1738.) ita opinatur. Ipse eo maligne spectans, ut Religionem totam ad *Naturalismum* redigat, quidquid evidentiam nostri intellectus exsuperat, ab eadem excludit; hinc *Fidem* (a) *esse evidentem divinitatis, ejusdemque attributorum perceptionem definit*. (Definitio enimvero ridicula hæc est; humanum enim genus totum semper fidem ab evidentia distinxit.) Philosophus ergo hic hujusmodi perversis notionibus putat, Revelationem mysteriorum dari non posse, idque hac distorta demonstratione se probare credit. *Qui dicit* (b) *mysterium, aliquid occultum, quod concipi nequit, longe humanum captum exsuperans, aliquid non revelatum, quodque Deus sibi reservat, intelligit* .... Ergo mysteria non sunt revelata. Hoc sane est ratiocinari, ut *Spiritum fortem* decet. Hinc ille deducit, non interesse homini hæc mysteria scire. (c) *Nam quidquid* (inquit ille) *est homini scitu necessarium aut evidens per se, aut clare revelatum debet esse. Quorum unum non differt ab alio, si modo non sunt unum, & idem.* Quæ major idearum confusio dici, fingique potest? Inter propositionem *per se evidentem, & clare revelatam* nullum est discrimen? At interrogo, nonne quotidie usuvenire solet, ut explicentur quædam Mathematicæ propositiones de infinito claræ per se, quæ tamen concipi non possint? Mysterium clarissime revelari potest, quatenus enuntiari potest propositio, cujus termini non sint nobis ignoti, neque inter se repugnent; at non ideo sequitur, illud non esse mysterium, hoc est nobis esse obscurum, & occultum, quatenus non detegimus rationem, connexum, conjunctionemque, quæ esse potest inter terminos ipsos, quos concipimus, nobisque ut conjuncti enuntiantur. Mysteria igitur, quamvis sint mysteria, possunt nobis clare revelari. Neque hinc fit, (quod Naturalista noster somniat alibi) ut Religio hujusmodi, quæ mysteria credenda proponit, *exigeret, ut homines viderent id quod oculis suis non subjicitur, ut evidentiæ defectum supplerent phantasiæ nisu, atque ita ut in imaginarium falsumque res desineret* (Let. II.) Nihil minus. Religio hæc non

(a) *Qu'est-ce donc que la Foi? ..... Une notion certaine, une perception évidente sur la divinité, & sur ses attributs essentiels*. Let. XVI.

(b) *Qui dit mystere, designe quelque chose de caché, d'impenetrable, de fort au dessus de l'intelligence humaine, quelque chose de non revelé, & que Dieu reserve par devers soi ... Il est naturel d'en conclure, que les mysteres ne sont pas revelés*. Let. XIII.

(c) *On m'accordera une chose, c'est, que tout ce qu'il est essentiel à l'homme de savoir, doit être ou évident par soi meme, ou clairement revelé. L'un ne differe guères de l'autre, si ce n'est pas une même chose*. Ibid.

non exigeret ab hominibus *visum*, sed *fidem* de eo, quod non vident (quæ duo caculæ etiam, & calones distinguunt): hoc est ut assensum præstarent alicui assertioni, non ob internam ejus claritatem, sed ob externam auctoritatem Revelantis ejus, qui fallere, & falli nescit, & ut supplerent evidentiæ defectum non imiginationis nisu, sed evidentia prudentissima infinitæ sapientiæ veritatisque loquentis fulta.

§. III. Verum pergit adversari Auctor, repetitque pluribus suarum Epistolarum in locis, (*præcipue Let. II. & XIII. & XV.*) Religionem, quam dicit *homini de essentia debere proportionatam eidem esse, & respondere ejus naturalibus facultatibus, quas nedum destruat, debet immo adhibere, & explicare*. Non debet ergo ei mysteria proponere, hoc est res, quæ longe multumque ejus captum excedunt, neque ratio naturalis viribus, & inquisitionibus suis investigare possit, & cognoscere. Hoc idem Naturalistæ omnes vulgo dicunt; & ex hoc inani principio deductus est libercelus quidam, qui præsefert titulum *Discours sur la Religion des Dames*, qui editus est simul cum illo Lochii libro *Le Christianisme raisonnable*; quique prætexens causam, Religionem accomodandam esse Idiotarum, & mulierculaurum, popellique captui, ab ea fidem cujuscumque mysterii, & cujuscumque rei, quæ sub sensus non cadit, prorsus excludit.

Vidit argumentum hoc D. Thomas, eritque operæ pretium audire quo modo illud proponat, solvatque. *Videtur autem* (inquit ille) *quibusdam fortasse, non debere homini ad credendum proponi illa, quæ ratione investigare non sufficit, cum divina sapientia unicuique secundum modum suæ naturæ provideat*. Hoc est argumentum. *Et ideo demonstrandum est, quod necessarium sit homini divinitus credenda proponi etiam illa, quæ rationem excedunt. Nullus enim desiderio, & studio in aliquid tendit, nisi sit ei præcognitum*. Hypothesim nostram redigit in thesim, *Quia ergo ad altius bonum, quam experiri in præsenti vita possit humana fragilitas, homines per divinam providentiam ordinantur, ut in sequentibus investigabitur; oportuit mentem evocari in aliquid altius, quam ratio nostra in præsenti possit pertingere, ut sic disceret aliquid desiderare, & studio tendere in aliquid, quod totum statum præsentis vitæ excedit. Et hoc præcipue Christianæ Religioni competit, quæ singulariter bona spiritualia, & æterna promittit: unde & in ea plurima humanum sensum excedentia proponuntur*. Cont. Gent. Lib. I. cap. 5. Hæc D. Thomas. Et sane si homo huic vitæ superstes non esset, ejusque sors omnis in rebus his, quibus circumfunditur, versaretur, concedi posset, Religionem ei *essentialem* debere ejus captui convenire, hoc est non debere eam illi proponere quidquam ejus rationis naturalibus viribus superius; sed cum Deus sit hominis Dominus supremus, quis inficias iverit, Deum potuisse illum in systemate toto naturæ ordine superiore collocare? Illique proponere finem ultimum, seu felicitatem, quam nec oculus unquam vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis unquam ascendit? Et ad hanc felicitatem consequendam eum ducere per modos, rationesque, sua sapientia inventas, a sua voluntate pendentes, & proinde quæ ab humano intellectu investigari non possint? quis, inquam, id negabit, nisi qui fortasse Deum esse infinitum in quovis genere, circumscriptam humanam mentem negaret? Jam in hujusmodi hypothesi systematis supra naturam, opus esset, ut homo, (quin in brutum animal converteretur) aliquo modo cognosceret finem suum, ut ad eum tenderet, & hæc consilia, has vias sciret, ut se ad ea conformaret, & has conficiendas susciperet. In hac hypothesi ergo Religio homini *essentialis* non solum non posset commensurari, & referri ad ejus vires; sed etiam deberet ejus captum excedere (a). Ex parte ergo hominis nihil repugnat, immo hac hypothesi admissa, necesse est, ut illi divina mysteria, hoc est veritates qualibet ejus ratione superiores revelentur. Legatur loco supradicto S. Thomas, & quævis oppositio in nostram propositionem solvetur.

§. IV. Tamen sicut Revelationem humani intellectus aciem fugientem dari posse

(a) Hæc una doctrina virus omne latens in supradicto libro *discours sur la Religion des Dames* detegit, modumque docet, quo ejus vis possit infirmari.

posse hactenus contendimus, probavimusque, ita non posse fieri, ut Revelatio hæc veritates rationi contrarias proponat credendas, affirmamus. Contra sentire soli furiosi videri possunt; tamen hanc sententiam & defendit, & inculcat pluribus in suorum operum locis Petrus Bælius, cujus cæteroquin furor non erat nota illa, qua insigniretur. Ambigi nequit, eum hac opinione impietatis cautam, cujus erat Patronus summus, non fuisse tutatum: identidem enim exponens secum invicem pugnantia Religionis Christianæ mysteria, & rationis dictamina, speciosam prætexens causam hanc deprimendi, eam habet ludibrio. Cum autem *triumphus*, ut ille vocat, *auctoritatis Dei ex humana ratione* referri non possit, nisi Deus contra Deum ipsum pugnans, cujus non tam ratio, quam fides munus est, introducatur; triumphus potius Pyrrhonismi, & impietatis jure ac merito dici potest. Nota jam sunt certamina a Bælio cum Clerico præcipue, & cum Jaqueloto Fidei cum ratione constantiæ propugnatoribus, ut errorem hujusmodi tueretur, suscepta. Pugna cum Jaqueloto non vehemens solum fuit, sed etiam in eos Metaphysicæ anfractus, angustiasque est provecta (inquit Jaqueloti vitæ Scriptor) ut fortasse, irritis explicationibus cunctis, quid sibi uterque vellet, disputantes non intelligerent, & ad insitas ita essent redacti, ut quid approbarent, quid respuerent, quin in apertas contradictiones prolaberentur, ancipites hærerent. Leibnitius procul dubio his melior erat pugnæ. Undequaque aggressus est hic adversarium, & pede pedem illius pressit, & intra præsidia ipsa castrorum eum adortus est acutissimo *sermone conformationis fidei cum ratione* Theodiceæ libro præfixo. Sed jam pluribus annis ante materiam hanc pertractaverat D. Thomas, eoque admirabili & omni exceptione majori ingenii acumine, quo, ut VVolfius ait, in evolvendis, discutiendisque argumentis vel maxime sublimibus, excelsisque præstabat, prævidit jam quidquid nostra ætate in hac materia excogitatum dictumque fuit; & fieri non posse, ut Revelatio adversetur rationi, demonstravit. Hoc est primum ejus argumentum. Veritates naturales, sive principia, sive consequutiones demonstratæ ita veræ sunt, ut contrarium sentiri non possit; ex altera autem parte id, quod a Deo veritate prima revelatum est, debet esse adeo verum, ut de hoc ambigi nulla ratione possit: Jam ei, quod est verum, solum falsum opponitur, ut ex utriusque definitione patet; ergo fieri non potest, ut veritatibus naturalibus veritas revelata adversetur. Huc accedit, quod principia prima ratiocinii omnibus hominibus clara, manifestaque sunt nobis insita a Deo auctore naturæ nostræ, ac proinde sunt emanatio ejusdem Dei sapientiæ, eo modo, quo doctrina, quæ est in discipuli mente, est derivatio ejus, quæ est in præceptoris mente, si modo hic ficte non doceat (quod de Deo ne cogitandum quidem est). Quidquid ergo his principiis primis adversatur, ipsi Dei sapientiæ adversatur; ergo Revelatio, quæ a divina sapientia proficiscitur, nihil, quod sit his principiis contrarium, potest continere; secus enim sapientia Dei cum se ipsa pugnaret. (a) Alia argumenta ad hanc rem facientia affert S. Doctor; hæc sufficiant ad Bælii aut insanam, aut fraudulentam sententiam labefactandam, quæ eo infirmior apparet, quo diligentius considerantur fundamenta, quibus eam superstruit.

§. V. Celeberrimam distinctionem, quæ intercedit *inter id, quod excedit rationem, & id, quod est rationi contrarium*, Bælius examinat, aitque, eam esse imaginariam, & proinde, si dicimus, Reve-

(a) *Ea, quæ naturaliter rationi sunt insita, verissima esse constat, in tantum ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare, nec id, quod fide tenetur, cum tam evidenter divinitus confirmatum sit, fas est credere, esse falsum. Quia igitur solum falsum vero contrarium est, ut ex eorum definitionibus inspectis manifeste apparet, impossibile est illis principiis, quæ ratio naturaliter cognoscit, prædictam veritatem Fidei contrariam esse.*

Item. Illud idem, quod inducitur in animam discipuli a docente, Doctoris scientia continet, nisi doceat ficte, quod de Deo nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita; cum ipse Deus sit auctor nostræ naturæ. Hæc ergo principia etiam divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis hujusmodi contrarium est, est divinæ sapientiæ contrarium. Non igitur a Deo esse potest. Ea igitur, quæ ex Revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria. S. Thom. Lib. 1. cont. Gent. cap. 7.

velationem continere res superantes humanum captum, necesse etiam esse, ut fateamur, eam res rationi contrarias docere (quasi vero hoc sit unum, & idem.) En quomodo ratiocinatur. *Catholici magis suæ Religioni addicti fatentur, nos non agnoscere convenientiam nostrorum mysteriorum cum Philosophia notionibus. Ergo nobis videntur ea cum rationi nostra non convenire. Jam quod nobis videtur non concordare cum nostra ratione, nobis rationi nostræ esse contrarium videtur; eo prorsus modo, quo id quod nobis veritati consonum non videtur, veritati adversari videtur; cur igitur non dicetur etiam, & mysteria nostra infirmæ rationi esse contraria, & infirmam nostram rationem superare?* (a) Quis temperet a lacrymis, cum audiat, virum tanti ingenii, quanti Bælius erat, hujusmodi ambagibus teneri constrictum, ut veritatem impugnet? Distinctio, quæ est inter id, quod est *supra rationem*, & id *quod est rationi contrarium* non solum est verissima, sed etiam evidentissima; idque ex experientia, quæ in rebus creatis quovis die id nobis demonstrat. Concipitne Bælius, qui quantitas finita comprehendat partes infinitas, quarum singulæ in infinitas alias partes possunt dividi? Hoc est mysterium, quod cujusvis intellectus vim exsuperat, quod præstantissimus quisque Mathematicus semper fassus est (b); tamen tantum abest a naturali ratione, ut etiam humana quælibet evidentia neganda sit, ut argumentis, quibus id probatur, resistamus. Est ergo evidentissimum, esse theoremata ratione nostra finita circumscriptaque sublimiora, sed non tamen eidem contraria. Allata ergo distinctio est verissima. Et sane ut aliqua propositio dicatur rationem excedere, satis est, si ea *modum*, quo conjunguntur termini inter se, qui eam constituunt, intelligere non possit; ut dicatur propositio rationi contraria satis est, si hæc terminos ipsos sibi invicem *repugnare*, aut *opponi* videat. Igitur cum Bælius ait, *nos non cognoscere convenientiam nostrorum mysteriorum cum Philosophia cum notionibus*, si dicere vult, nos non posse Philosophiæ luminibus explicare *modum*, libenter id illi damus; sed cum hinc deducit, *nobis videri, ea non concordare cum ratione*, si significare vult, *nos inter ea, & rationem discrepantiam*, aut *oppositionem* detegere, negamus, & pernegamus. Hæc est ambages puerilis Bælii, qui *ab ignorantia convenientiæ* transit ad *oppositionis notitiam*; confunditque simul ignorantiam existendi *modi* cum repugnantia existentiæ; quas res vel quilibet mediocris ingenii homo scit distinguere.

Ex eadem ambage verborum deductum est aliud argumentum, quod, ut convenientiam Revelationis cum ratione a nobis propugnatam tollat, pluribus suorum operum in locis Bælius repetit, sibique summopere plaudit, illud amplificat, illud laudibus ad cœlum usque extollit. Hoc ejusmodi est; posse contra Fidei mysteria rationes tam validas adduci, quæ nullo modo solvi possint: quod si verum esset, jam Bælio adjudicanda causa foret: argumentum enim, quod omnino solvi nequeat, est demonstratio sententiæ nostræ contradictoria; si autem vellemus dogma defendere, fatendum esset, Revelationem, & rationem maxime opponi, duasque contradictorias propositiones eodem tempore esse veras. Audiamus quomodo, ut id probet, loquatur in suo *Eclaircissement sur les Manichèens*, quod in *Dictionario* secundæ, tertiæque edi-

(a) *Les plus Orthodoxes avouent, que nous ne connoissons pas la conformité de nos mystères aux maximes de la Philosophie. Il nous semble donc, qu'ils ne sont point conformes à notre raison. Or ce qui nous paroît n'être conforme à notre raison, nous paroît contraire à notre raison, tout de même que ce, qui ne nous paroît pas conforme à la verité, nous paroît contraire à la verité, & ainsi pour quoi ne diroit-on pas egalement & que les mystères sont contre notre foible raison, & qu'ils sont au dessus de notre foible raison?* Repons. aux quest. d'un Provinc. chap. 159.

(b) P. Lamyus in Præfat. *ad tractatum de Magnitudinibus generatim*, ait: *Si tractatus hic ostendit intellectus extensionem, ostendit etiam ejus terminos: sunt enim demonstrationes claræ, evidentesque, magnitudinem finitam dividi posse in infinitum. Hoc infinitum concipi non potest; ostenduntur tamen proprietates, quod ostendit, esse quasdam veritates certas, & incomprehensibiles; ac proinde quas Religio docet, non debent in dubium revocari, quod non comprehenduntur. Qui opus hoc explicabunt, invenient alia his adnotationibus digna &c.*

editionis reperitur. *Satis* (a) *habeo, si omnes una voce conveniant, Evangelii mysteria rationem excedere; hinc enim necessario consequitur; ut nullo modo solvi possint Philosophorum argumenta, ac proinde in disputationibus, in quibus lumina tantum rationis adhibebuntur, Theologos semper esse vincendos, qui terga vertere, & se recipere sub bellica instrumenta* (vide Metaphoræ leporem) *luminis supra naturam cogentur.* Ita ille. Antequam tamen hoc argumentum dissolvimus, volumus, observet Lector, Bælium ipsum pro virili marte suo laborare; ut has ingentes, quæque solvi non possunt ullo modo, ut ipse ait, oppositiones non solum contra *Evangelii mysteria*, se contra Metaphysices, seu Theologiæ Naturalis theoremata, verbi gratia contra *principii primi unitatem* producat; quod principium fortasse magis quam quodvis aliud dogma Manichæorum armis aggreditur, vultque, ut argumentum ab origine mali deductum invictum sit, ac triumphet. Jam si hoc foret, requiro a Bælio, sub quod *bellicum instrumentum* deberet se recipere Metaphysicus, ut Dei unitatem adversus hunc insuperabilem impetum propugnaret? Procul dubio uteretur eo *naturali* lumine, quo demonstratur, ut scholæ dicunt, a *priori unitatis* propositio: En igitur non tantum Revelatio, sed etiam ratio, quæ evidenter demonstrat, oppugnatur a ratione, quæ evidenter eam impugnat. Quid hinc est inferendum? Pyrrhonismus nempe strictissimo sensu acceptus, quo fit, ut de veritate quavis dubitetur, ut eamdem vim habeat demonstratio, ac Fabula, ut scientiæ omnes divinæ, humanæque, & Romanenses nullo in discrimine habeantur. Non sum nescius, Bælium, quo ingenio natus, factusque est, ut cujuslibet causæ etiam desperatæ patrocinium suscipiat, has omnes consequutiones concocturum; ejusque discipulos, laudatoresque illi plausuros; at ii, quibus quicquam in dextra parte mamillæ salit, nequeunt eas degustare.

Verum, ut directo Bælio respondeamus, dicimus ex eo, quod Evangelii mysteria, aliaque dogmata ad naturam, ad scientiam, ad Dei infiniti consilia, rationem superant, consequi, posse in eos hæc argumenta fieri, quibus humana ratio non potest ullum dare responsum, quo explicetur modus eorum existentiæ, vel quo explicentur consilia, & causæ peculiares, cur Deus infinitus, & omnipotens ita egerit; at debet hæc opera ratio venerari; si enim secus accideret, infinitum in omnibus consiliis suis, sinubusque, ut ita dicam, mensuraretur a finito, quod repugnat; cum verissime hac in re dici possit illud, quod contra Symmachum cecinit Prudentius (Lib. 2.)

Nam cum divinis agimus de rebus, & illum,
Qui vel principio caruit, vel fine carebit
Quique chao anterior fuerit, mundumque crearit,
Conjectare animo contendimus, exigua est vis
Humani ingenii, tantoque angusta labori:
Quippe minor natura, aciem si intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei secreta supremi,
Quis dubitet, victo fragilem lacessere visu,
Vimque fatigatæ mentis sub pectore parvo
Turbari, invalidisque hebetem succumbere curis?

Hinc tamen non sequitur in mysterium, aut in dogma productam oppositionem invictam esse; ut enim esset hujusmodi, opus esset, ut demonstraret, non posse omnino, aut ullo pacto existere ea, quæ tamquam a Deo revelata veneramur; quod numquam fiet. Cujuscumque enim argumenti in nostra dogmata producti semper infirmitas plana fiet; demonstrabiturque recta analysi, aut principia, quibus superstruitur, non posse pertingere eo, quo illatio vult; aut ex propositionibus illud constare, quæ negari possunt, quasque adversarius numquam est probaturus; aut male a termino ad terminum fieri transitum, aut demum contra aliquam rectæ ratiocinandi methodi legem illud peccans non indigitare jactatam repugnantiam inter mysterii, aut dogma-

(a) *Il me suffit, que l'on reconnoisse unanimement, qu'ils sont* (Les Mystères de l'Evangile) *au dessus de la raison: car il resulte de là necessairement, qu'il est impossible de resoudre les difficultez des Philosophes: & par consequent qu'une dispute, où l'on ne se servira que des lumieres naturelles, se terminera toujours au desavantage des Theologiens, & qu'ils se verront forcés de lacher le pied, & de se refugier sous le canon de la lumiere naturelle.* II. Eclaircis. pag. 2990.

dogmatis terminos (a). Quod Theologiæ Magistri, qui funditus artem; quam profitentur, calleant, re quotidie ostendunt, nosque evidenter præstamus eo loci, ubi argumenta, quæ Bælius ex origine mali contra unitatem, & providentiam Dei eruit, ad examen revocamus, refellimusque.

Iis, quæ a nobis hactenus sunt dicta, probatur, I. Dari omnino posse Divinam Revelationem: II. Veritates, aut mysteria, quæ rationem nostram terminis circumscriptam excedunt, ea posse continere: III. non tamen posse illam ejusmodi mysteria, & veritates continere, quæ eidem rationi repugnent.

(a) *Ex quo evidenter colligitur, quæcumque argumenta contra Fidei documenta ponuntur, hæc ex principiis primis naturæ inditis per se notis non recte procedere: unde nec demonstrationis vim habent, sed vel sunt rationes probabiles, vel sophistica: & sic ad ea solvenda locus relinquitur.* S. Th. lib. 1. cont. Gent. c. 7.

CAPUT SEPTIMUM.

Deus loquutus est.

I. *Existentia divinæ Revelationis est veritas FACTI, quæ probari non potest argumentis Metaphysicis, sed moralibus.*

II. *Persuasio firmissima, quæ haberi potest ab argumento morali. Ejus analysis: principium, cui innititur.*

III. *Hoc principium erit fundamentum demonstrationis, quam intendimus facere, Revelationis existentiæ.*

§. I. Tandem ad caput hujus tractatus gravissimum, simulque ad externam horribilemque aggressionem pervenimus, qua Naturalistarum, impiorumque cunctorum pervicacia prorsus labefactatur. Si Deus supremus Dominus, veritasque fallere, fallique nescia hominibus arcana sua revelavit, iis leges suas indixit, iis cultum præscripsit, quem velit sibi ab illis haberi, necessum est, ut Naturalismus, Deismus, Atheismus, & quodvis aliud insaniæ genus Religioni adversum ad hanc tanti testimonii vocem obmutescat, evanescatque.

Atque hoc est id, quod intendimus transeuntes a *necessitate*, & a *possibilitate* divinæ Revelationis ad existentiam ejus ostendendam. Hæc est quæstio de *facto*, & facto ejusmodi, quod a solo Dei arbitrio pendet. Ideo demonstrationes *Metaphysicas*, quales in præcedentibus controversiis attulimus, nemo a nobis requirat. Quisque autem novit, quovis die confirmari *facta* argumentis, quæ moralia dicuntur, sed quæ ita nobis veritatem eorum persuadent, ut Metaphysicarum, aut Mathematicarum demonstrationum pondus exæquent.

§. II. Fuisse Romæ Heroem, qui Julius Cæsar nuncupabatur, eum magna, & præclara gessisse, denique interfectum sua in patria fuisse, hoc factum est, sed tam evidenter demonstratum, ut ejus veritatem demonstrationibus Euclideis evidentiorem crederemus. Jam si hujus persuasionis tam claræ, stabilisque de facto natura sua ex eorum numero, quæ contingentia dicuntur, a nobis tam remoto, dissitoque analysim instituamus, eam deduci ex complexione adjunctorum, vel ut aliis placet, *phænomenorum* ita cum existentia Cæsaris conjunctorum invenimus, ut hac approbata, statim & rationem æquam, qua illa explicantur, & causam, a qua producuntur, in ea comperiamus; hac rejecta, ea *phænomena* in suspenso sint, neque in rerum natura ullum principium sit, ad quod complexio illa possit referri, (complexionem, inquam, vis enim persuasionis in phænomenis simul conjunctis consistit, non in singulis his ab illis separatis) & quod possit eam explicare. Omnium generum exempli causa monumenta reperimus, hoc est, inscriptiones, nummos, statuas, toreumata, historias, quæ per octo, & decem sæcula

la nominant, loquunturque de hoc Imperatore: præter hæc monumenta sunt alia innumerabilia facta in historiis Latinis, Græcisque a scriptoribus diversis ætate, regionibus, ingeniis, amore partium relata, quæ omnia uniuntur, inniteunturque existentiæ hujus præstantissimi viri, ita ut, si fingere libeat, eum in terris numquam fuisse, nullum omnino in rerum natura tota possit reperiri principium, quod ea phænomena adeo publica, tam universa, tam inter se connexa, illiusque existentia tamquam naturali causa inhærentia producat. Et sane quæ humana vis umquam esse potest tam ingens, tamque late pertinens, quæ perturbare, ut ita dicam, omnes mortalium animos, omnium ora, stylos omnes, tot scalpra hominum, & omnes hoc influxu tam concordi, tamque maligno inficere potuerit, ut omnes sibi persuaderent factum, quod numquam fuit, & arbitrarentur se videre, se audire palam voce una, constantique, spectrum, nihilumque personam Herois tanti agens; atque ita per plurima sæcula, totque in regionibus posteritas tota, quin hæsitaret, dubitaretque, falsa fuerit? Illud supereffet discutiendum, num hoc supremo Domino, moderatorique universi Deo esset adscribendum, qui omnipotentia sua *phænomenorum* ejusmodi, quæ inter se tam apte sunt connexa tamquam cum causa simplici, & *ratione adæquata* cum Cæsaris existentia, complexum hujusmodi efficere potuerit. At Dei potentia, licet infinita, agit tamen ex composito simul cum aliis divinis attributis: jam ejus sapientia, veritas, bonitas nos certos faciunt, se hanc ordinis confusionem sua sapientia, suaque bonitate indignam, quæ in errorem homines pertraheret, aut hominibus hujusmodi Pyrrhonismo nobilissimæ facultatis, qua sunt præditi, usum adimeret, numquam effecturum. Cum persuasissimum ergo nobis sit, non posse Deum nostri erroris causam esse, & cum ex altera parte detegamus, solam Cæsaris existentiam causam simplicem, rationemque adæquatam horum *phænomenorum*, quæ ad illum referuntur, esse posse, ex his invicta evidentia Cæsaris existentia arguitur. (a)

§. III. Jam habetis stabile illud fundamentum, quo in animo mihi est divinæ Revelationis existentiæ demonstrationem superjacere. Dico, doctrinam, quam Christiana tenet Religio, quæque in libris Veteris, Novique Testamenti continetur, complexionem tot Phænomenorum, aut signorum, notarumque ita cum divina Revelatione conjunctam habere, ut, hac admissa, naturalis causa, seu adæquata ratio hujusmodi phænomenorum complexionis cognoscatur: hac rejecta, in rerum natura nec sit, nec vero esse possit ratio adæquata, aut naturalis causa, quæ illam explicare possit, & ut illa fuerit, aut sit, efficere. Quamvis autem video, fateorque, *phænomena*, quæ afferam, etiam *singula* per se satis vis, ponderisque habere, nonnulla etiam invicta ad id, quod suscepi, demonstrandum omnino esse; juvat tamen universim ea producere, & ex iis, veluti radiis, qui in commune centrum coeunt, evidentem confirmationem desumere. In qua disputatione præcipua tantum, &, ut ita dicam, summa capita delibabo, jubens adire Lectorem eos libros doctos, magnosque, in quibus tot præstantes scriptores *argumenta*, quibus *credenda Religio nostra ostenditur*, afferentes, ea sedulo examinarunt, & objecta incredulorum cum recentium, tum veterum singillatim refellerunt.

CA-

(a) Vide M. Boullier Traité Des vrais Principes, qui servent de fondement à la certitude morale. Chap. 1. §. 3. 4. 7.

CAPUT OCTAVUM.

Prima Christianæ Religionis nota.

Veritas, puritasque ejus Doctrinæ.

I. *Breve specimen doctrinæ, quæ de Religione viguit inter Ethnicas nationes cultiores.*
II. *Præstans notitia, quam Hebræorum Religionis nobis dant Tacitus, & Dion.*
III. *Veræ, sublimesque notiones, quas naturæ, & attributorum Dei nobis suppeditant Hebraica volumina.*
IV. *Providentia divina contra errores asserta, & præstantissimo Cantico a Moyse celebrata.*
V. *Fatalismus inde eliminatus, contrariæque propositiones deductæ.*
VI. *Præstantia legis a Moyse indictæ, & primum quidem quoad ea, quæ erga Deum jubet.*
VII. *Leges cæremoniales pertinentes ad Religionem stulte a Libertinis derisæ.*
VIII. *I. Ob earum innocentiam collatam cum corruptela cæremoniarum Ethnicorum.*
IX. *II. Ob sapientissimos, ad quos referebantur, fines. Marshamus, & Spencerus confutati.*
X. *III. Quod illæ cæremoniæ erant figuræ venturi Messiæ, ac proinde in ipso completæ ostendunt divinitatis suæ originem.*

I. Ut vis hujus notæ penitus intelligatur, cernaturque, quam clare Christiana doctrina, cum sit in suis Theoreticis principiis *vera*, & in moralibus præceptis *pura*, originem suam a Deo nobis patefaciat, revocanda in memoriam Lectori sunt, quæ *de consensu Gentium de Religione*, & *de necessitate Revelationis* disputantes superius in medium produximus. Diffusam quidem per mortales omnes supremi Numinis notitiam, spemque alterius vitæ post corporis dissolutionem vidimus, at ita has notiones gravissimas perturbatas, deformatasque tot erroribus eo loci vidimus, ut quamvis revera quoad principia, substantiamque ubique gentium viguerint, nativæ tamen pulchritudinis vestigia pauca retinerent. Græciam, Ægyptum, Romamque veterem, omnesque populos his latissimis, sapientissimisque imperiis contentos, omnia demum loca turpissimo Polytheismo infecta, signumque ineffabile divinitatis non solum innumerabili falsorum Numinum turba fœdatum, sed abjectissimis, vilissimisque rebus adscriptum perspeximus. Nihil fabulosius, nihil quod a sana mente magis abhorreret, quam quæ de his Numinibus narrabantur, dici, fingique potest. Nihil crudelius, nihilque magis ab humanitate alienum, quam victimæ etiam humanæ, quibus illa colebantur; nihil turpius, nihil fœdius, nihil magis obscœnum iis diebus festis, iis ludis, iisque conviviis, epulisque, quæ in eorum honorem fiebant. Inter hanc corruptelam tam ingentem enatam ex ignorantia populorum, arte a Religionis ministris altam, non solum Poetas hymnis, & poematibus turpes has insanias celebrare, sed Legislatores etiam prudentissimos rogationibus suis eas fovere, Historicosque scriptores scriptis suis immortalitati consecrare, novimus; at quod magis miremur, illud est, Philosophos, hoc est amantes, sapientiæque investigatores, nedum has tenebras puris rationis luminibus dissiparent, densiores etiam, & magis atras eas offudisse. Innumeræ controversiæ, contradictiones, paradoxa, errores decumani, quibus eorum Theologia, moralisque disciplina scatet, satis amplo hujus rei sunt argumento. Elucet quidem in eorum scriptis identidem aliquod veritatis lumen, Deus enim illud iis manife-

nifestabat, sed hanc ipsam *veritatem*, ut eleganter D. Paulus loquitur *injustitia captivatam mutaverunt in mendacium*. Quibusdam in locis suorum operum præclare de Divinitate sentire videtur Plato. Sed Genealogia Dæmonum, aut Deorum minorum *Timæum* suum fœdat; infandis amoribus *convivium* suum maculat, legibus naturæ adversis *Remp.* lædit. Hoc idem de cæteris omnibus, qui aut de natura, supremique Numinis perfectionibus, aut de origine mundi, aut de Religione, aut de ultimo fine, aut de hominum officiis perversa scripserunt; est nobis dicendum (a). Itaque neque Athenæ, neque Roma, licet sapientia, eloquentiaque valerent, tot disputationibus; meditationibus, coitionibusque habitis, tot itineribus, experimentis, observationibus a præstantibus ingenio viris, auspiciis liberalissimorum Mæcenatum susceptis, numquam opus unum in lucem protulere, in quo syste ma aliquod Religionis veræ, castæque & rectæ rationi convenientis, haberetur. ac non potius gravissimis erroribus fœdatæ. Hoc est argumentum illud ingens *facti*, quo nos hominis viribus, ut nunc est, opus hoc majus esse, alibi probavimus.

§. II. At ab amplissimarum, & maxime excultarum nationum Porticibus, Lycæisque ad angustum Asiæ angulum transeuntes latitantem ibidem populum cernimus, „ qui ut Tacitus scribit, (b) cum Ægyptus gravi plaga affligeretur, Ammonis oraculo fuit quondam ab eo regno expulsus, ut illius pestis, & Numinibus invisus: inde quodam Moyse duce exulavit per sola loca errans: tandemque sedem fixit in solo intra Phœniciam, Syriam, Arabiam, Ægyptumque. Rudi huic, abjectæque genti præscripsit Moyses (pergit Romanus Historicus dicere) quosdam novos ritus cæremoniis omnium populorum contrarios. Populus hic in primis Religiones omnes ut improbas habet, & quicumque Judaismum profiteri vult, hoc primum addiscit Deos contemnere. Illi itaque non solum execrantur multas bestias figurasque depictas, quas Ægyptii colunt; „ *Judæi mente sola unumque Numen intelligunt. Profanos, qui deum imagines, mortalibus materiis, in species hominum effingant. Summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Itaque nulla simulacra urbibus suis, ne dum Templis sunt*. (Hist. Lib. V. c. 5.) Hactenus Tacitus, quicum Dion Cassius consentit, ubi de victoria a Pompejo ex Hebræis relata verba faciens, ait, (*Lib. XXXVII. num. 17.*) „ Nullum aliorum Numinum eos venerari, sed unum summo cultu adorare; eo temporis nullam statuam fuisse Hierosolymis; eos enim credidisse, Numen suum ἄῤῥητον, ϗ ἀειδὲς, quod *nec dici, neque conspici* potest, cultuque religioso, quo illud colebant, mortalibus omnibus præstitisse.

III. Fingamus nunc hominem clara, rectaque ratione præditum, qui magno cum animi dolore insanas totius terrarum orbis de Religione opiniones cum vidisset, ad Palæstinæ confinia se contulisset, ac a duobus Ethnicis Historicis percepisset, quod modo eorum verbis de sententiis adeo singularibus, at rectis, sublimibusque retulimus, quas gens ea in armentis pascendis occupata, abjectaque de Divinitate haberet, annon hoc insolitum, admirandumque prodigium fuisse dicturum? At qua majori admiratione corriperetur ille, si colloquens cum idiotis illis Hebræis audire explicari sibi has tam sublimes notiones, opinionemque de divinitate, magis rationi congruentia, veriora, altioraque iis ipsis dicere, quæ Socrates, Platonesque, & Tullii scripserunt? Immo, ut eum certiorem redderent, eas sententias non esse aut confictas, aut a paucis habitas, sed perennem, stabilemque omnium Hebræorum doctrinam, deprompsissent *arcanum*

(a) Legi meretur opus P. Balti inscriptum *Parallele de la Philosophie Chretienne avec celle des Payens*, ubi copiosissima collectione testium comprobatur hæc veritas.

(b) Videt Lector, nos afferre Taciti testimonium, ut ad argumentum veniamus per ea verba, quæ de Religione Hebræorum facit, quorum eo tempore, quo vivebat, aliquam cognitionem habere poterat; non ut approbemus quod ille de origine ejus gentis, antiquisque vicissitudinibus narrat. Qua in re maxime eum fuisse hallucinatum certum est; quod eruditus quisque novit, quodque ostenderunt VVormius de *corruptis antiquitatum Hebraeor. apud Tacitum, & Martialem vestigiis Lib. II.* & Kirchmajerus *in exercitatione ad C. C. Taciti hist. Lib. V. de rebus moribusque Hebræorum*.

num illud volumen (cujus Juvenalis meminit (a)) *quod continet doctrinam, leges que quas Moyses Judais tradidit*; & in prima pagina audiret statim Deum loquentem modo tam sublimi, ut Dionysius Longinus Græcæ eloquentiæ peritissimus, maxime admiratus fuerit, sitque fassus (b), *eaque digne conceptam, expressamque Dei potentiam ibi apparere, cum Legislator Hebraus scribat; Deus ait, quid? fiat lux: & facta est lux: fiat tellus; & facta est tellus*. Pervolvens autem reliquum volumen offenderet, nulli errori permixta attributa vel *ontologica*, vel *moralia*, quæ recta ratio primo Enti debet adscribere, sed quæ a iæ gentes pura, ac simplicia illi convenire noluerunt fateri. Legeret, vocari eum *Qui est*, quo verbo *esseitas*, ut postea eam dixerunt Metaphysici, seu existentia ex se ipso tamquam ejus præcipua nota a Moyse nobis indicatur, a qua necessario infinitus perfectionum cumulus debet proficisci, quæ sane in hoc libro illi tribuuntur, dicitur ille *unus*, & *solus*, cujus existentiæ plenitudo cum nemine dividitur: ille *immutabilis*, cui nihil contingit: illæ *aternus*, qui principium non novit: ille *intelligens*, qui omnia comprehendit: ille *immensus*, nulli quem circumscribunt termini: ille *omnipotens*, qui adæquatam cujusque entis rationem in se continet. Omnino hoc in volumine nobis Deus describitur, qui nutu uno cœlum, astra, terras, arbores, animalia ex nihilo educit. Harum rerum omnium principem hominem legimus, terra quidem formatum, sed *spiraculum vita* diversum ab ea terra, qua compositum ejus corpus fuit, habentem; ex quo *spiraculo*, similis creatori suo dicitur; animalium cunctorum Dominus, suæque etiam voluntatis arbiter. Jam hac doctrina Epicuri deliramenta dissipantur, qui ajebat, Mundum hunc casu creatum, aliorumque Philosophorum, quorum Diodorus (*Lib. I. Biblioth.*) mentionem facit, neque in hoc ab Epicuro dissentientium, qui ajebant, homines e terra natos, ut mures ex limo ad Nili ripas exeunt, (a qua insania fortasse non valde distat recens Auctor *systemantis Telliamedis* (c), & quidam ultimus *hominum* maritimorum dux) eorumque etiam plurimorum ab eodem Siculo Historico, a Censorino (*de die Natal. cap.* 4.), & ab aliis memoratorum, qui mundum non *esse creatum*, & esse *aternum* blaterabant. Hæc omnia deliramenta, quæ propugnatores suos inter excultas nationes habuerunt, quibus tamen recta ratio assentiri nequit, ab Hebræo volumine difflata videt, quod mundi causam cum simplicem, tum rationi consonam ostendit, quæ sola in se rationem adæquatam omnium phœnomenorum continet, hoc est ens æternum, sapientissimum, omnipotens, quod non jam ab omni retro æternitate, sed quinque & viginti sæcula circiter ante, quam Moyses scriberet, mundum creavit. Cui recenti Epochæ cum nihil recte potest objici, non solum *pro non creatione*, sed ne pro æternitate quidem rerum; tum quidquid certi de inventione artium, scientiarumque habemus (d), quidquid magis verisimile est in observationibus Physicis, Astronomisque nostra ætate factis, quidquid demum recta ars critica ex collatione veterum monumentorum (e) potest detegere, id totum, inquam, cum hac recenti Epocha concordat.

§. IV. Verum pergamus de supremi

(a) *Judaicum ediscunt, & servant, & metuunt jus*
Tradidit arcano quodcumque Volumine Moses. Satyr. 14. v 101.

Multi alii profani Scriptores mentionem fecerunt de Moyse Hebræorum Legislatore, Diodorus Siculus, Strabo, Plinius, Calcidius, Numenius, aliique, quorum testimonia legi possunt apud Josephum, Justinum, Eusebium, Origenem inter antiquos, & ex recentibus apud Hugonem Grotium *de veris. Relig. Christ Lib. I. n.* 16. & Huetium *Demonstr. Evangel. Propos. IV.*

(b) Ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, κἀξέφηνεν εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων, Εἶπεν ὁ Θεός, φησί. τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο. γενέσθω γῆ; καὶ ἐγένετο. Dionys. Longinus *de sublimi cap.* 9.

(c) *Telliamed, ou Entretiens d'un Philosophe Indien. Sixieme Jour.*

(d) Vide Georgii Cheyne *principia Philosophica Religionis Naturalis cap.* 4. ubi doctissime argumenta recenset contra æternam rerum existentiam, & ex præcipue, quæ ex theoriis Nevvtonianis eruuntur.

(e) Vid. Jaquelotii *Dissert. I. sur l'existence de Dieu*. Doctus hic Minister valde erudite ostendit, monumenta antiqua cujusvis generis testificari non æternam, sed recentem mundi creationem ut Moysis Chronologia ait, Vid. etiam Lib. I. nostrum.

Numinis attributis dicere. Rerum omnium cura, administratioque (quod necessario ex creatione consequitur) quæ providentia dicitur, ex naturæ vi ab omnibus gentibus cognita fuit, ut SS. Patres advertunt *(a)*, & a Philosophis Stoicis præcipue contra Academicos, qui de illa dubitabant, & contra Epicureos, qui eam negabant, commemorata, defensaque. At quis est in rebus Philosophicis tam hospes, & peregrinus, qui nesciat, quot turpibus erroribus hoc dogma illi corruperint, asserentes, Deum generalia tantum curare, aut principes viros, casusque solummodo magnos, non quemvis parvum, ut ajebat Balbus Stoicus apud Ciceronem *(b)*, aut huic providentiæ addentes (nisi etiam cum illa confundentes (*c*)), *fatum*, aut *fatalem necessitatem*, quæ catenæ aureæ ab Homero descriptæ instar (*d*) suspendebat, colligabatque vi ineluctabili homines simul, deosque. A quo impio dogmate a recentibus Fatalistis, & præcipue a Spinosa renovato, quæ funestæ consequutiones enascantur, & antiqui Doctores, qui in Stoicos pugnarunt, ostenderunt (*e*), & quicumque mente sibi constat, novit (*f*), ut alibi advertimus.

Jam dogma hoc divinæ Providentiæ & fuse, & nitide, ut sana, rectaque ratio postulat, in Hebraicis voluminibus reperitur. In iis omnia dicto audientia sunt *supremo illi principi, qui omnia ad libitum disponit* (*g*). Hic leges indicit hominibus, per quas ad rectum tramitem perducantur; præmia impertitur bonis, pœnis malos afficit; idque exequitur utens modo terra, modo cœlo, nunc animantibus brutis, nunc elementis, justis, impiisque, pastoribus, regibusque. Terram alluvione tegit, ut in reos animadvertat. Punit tyrannos, ut in libertatem populum vindicet suum; amat, ut pater, tuetur ut Numen; idque exequitur ex composito omnia attributa sua ostendens, sapientiam, in electione modorum; potentiam, attingens fortiter fines suos; misericordiam, dolentibus parcens; justitiam, contumaces debellans; sanctitatem, in suorum consiliorum rectitudine, efficiensque, ut homines ea cognoscant, amentque, tamquam cujuslibet honestatis regulam certissimam. Plurima loca ad confirmandam rectissimam hanc excelsam notionem, quam illa divinæ providentiæ, attributorumque cum ea connexorum nobis suppeditant, ex iis ipsis voluminibus selecta proferre in medium possem; satis tamen erit afferre partem aliquam Cantici, quod *gens hæc, vilis, abjectaque Numinibus Ægypti invisa*, at ab omnipotenti Deo protecta, dilectaque cymbalorum muliebrium intermixto sono ad maris Rubri per summum prodigium siccis pedibus trajecti litora, cecinit. Nemo est, qui nesciat, instituta *cantica* ab Antiquis fuisse, ut alicujus historiæ, aut felicis eventus memoriam posteris traderent, conservarentque. Canebantur hæc, ut ait Dionysius Halicarnassæus (*h*), Romæ, & Athenis, addiscebant, inquit Polybius (*Lib. IV.*), pueri per hæc cantica (quæ appellabant Hymnos, & Pæanas) Heroum, Deorumque gesta, patriasque leges. Opinantur etiam nonnulli, Homeri poemata divisa prius, cantataque fuisse, sicut alii bene multi antiquitatis hymni, qui integri supersunt adhuc, aut ab Histori-

(a) Lactant. *Divin. Instit. c. I.* Felix *in Octavio*. *Cyprian. de Vanit. Idol.*
(b) De Nat. Deor. Lib. II. c. 66. *Magna Dii curant, parva negligunt.*
(c) Vid. Tertul. *Apolog. c. 22. & Laert. Lib. VII.*
(d) Σειρὴν χρυσείην &c. *Iliad. Θ v. 19. & seq.*
(e) Epiphan. *Lib. I. advers. Hæres. V.* Euseb. *Lib. VI. Præpar. Evangel. c. 6.* S. Thom. *cont. Gent. Lib. III. c. 72. 73.*
(f) Svetonius *in Tiber. cap. 69. Circa Deos, ac Religiones negligentior* (Tiberius), *quippe addictus Mathematicæ, persuasionisque plenus omnia fato agi.*
(g) *Providentia est ipsa Divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit.* Boet. 4. de Consol. Pros. 6.
(h) *Histor. Lib. VII.* Placet hic observare, auctorem hunc antiquitatem chorearum, & cantuum ostendere volentem, & ut solet, a Græcis ea deducentem afferre. Homeri locum *Iliad.* Σ. *v.* 590. &c. ubi loquens de Achillis clypeo, dicit, Vulcanum insculpsisse lætam puellarum, puerorumque choream &c. Quos anteibant quidam canentes. At legenti Homeri locum memoriam subit chorea mulierum Hebræarum ad maris littora a Moyse narrata; præcedebat Maria canens Fratris Canticum, quod nos recitamus hic; in qua narratione non solum cernitur antiquitas hujus moris apud Hebræos, sed etiam videntur esse quidam colores Homericæ descriptionis.

ſtoricis in Heroum, Numinumque honorem recenſentur. Antiquiſſimum certe omnium illud eſt, quod relaturus ſum, elegantiſſimum, & majeſtate omnium præſtantiſſimum, quæ Roma, Athenæque audierint umquam. At, quod ad rem noſtram maxime facit, rectiſſimum quoad cogitationes eſt, tamque dignum, glorioſumque Deo, quam profana illa Cantica ob turpes inſanias, quibus conſarciebantur, dedecori illi erant, illoque indigna. Ita ergo ait (*Exod. cap. 15.*): *Dextera tua, Domine, magnificata eſt in fortitudine, dextera tua, Domine, percuſſit inimicum; & in multitudine gloria tua depoſuiſti adverſarios tuos. Miſiſti iram tuam, quæ devoravit eos ſicut ſtipulam. Et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ. Stetit unda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio maris. Dixit inimicus: perſequar, & comprehendam, dividam ſpolia, implebitur anima mea: Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Flavit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus. Quis ſimilis tui in fortibus, Domine? quis ſimilis tui? magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia. Extendiſti manum tuam, devoravit eos terra. Dux fuiſti in miſericordia tua populo, quem redemiſti. Et portaſti eum in fortitudine tua, ad habitaculum ſanctum tuum. Aſcenderunt populi, & irati ſunt; dolores obtinuerunt habitatores Philiſtiim. Tunc conturbati ſunt Principes Edom; robuſtos Moab obtinuit tremor; Obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Irruat ſuper eos formido, & pavor; in magnitudine brachii tui. Fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeat populus tuus, Domine, donec pertranſeat populus iſte, quem poſſediſti. Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine: Sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ. Dominus regnabit in æternum, & ultra.* Ita cogitabat, ita de Deo loquebatur Paſtor eo tempore, quo homines in denſiſſimis ignorantiæ, errorumque tenebris verſabantur.

§. V. Quamvis autem hujuſmodi eſſet notio, quam Divinæ Providentiæ extenſionis, viſque habebant Hebræi, non ideo tamen eas inde peſtiferas conſequutiones deducebant, quas a fato, aut a fataliſmo Philoſophi colligebant. Habemus hic *orationem*, & *ſacrificium* non ſolum *Latreuticum*, ſed etiam *impetratorium*. Quæ locum non habebant in eo ſyſtemate, quod negabat providentiam; inutiliaque erant in eo, quod eam *cum fato* confundebat. Hic videmus *hominem in manu conſilii ſui*, qui *ſuarum cupiditatum eſt arbiter*. Hic cum indicuntur illi præcepta obſervanda, proponitur obſervantibus præmium, violantibus punitio: cum ſit in ejus poteſtate aut ad aquam, aut ad ignem dexteram porrigendi; in quo ejus apparet libertas, quo poteſt & bonum, & malum eligere. Hujuſmodi autem dogmatis conſequutiones, quæ ſunt æquitas in Deo ultore, aut præmiorum largitore, meritum, aut culpa in homine, pœnitentia, ſuique emendatio, conſequutiones, inquam, in fataliſmi ſyſtemate everſæ, at a recta ratione approbatæ, millies in his libris reperiuntur.

§. VI. Verum quoniam de legibus mentionem fecimus, etiam de præſtantia legum indictarum in Libris Hebræorum eſt aliquid dicendum. *Quæ diſputationes* (inquit D. Aug.) *quæ litteræ quorumlibet Philoſophorum, quæ leges quarumlibet civitatum duobus præceptis, ex quibus Chriſtus dixit, totam legem, prophetaſque pendere, ullo modo ſunt comparanda? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua; & diliges proximum tuum tamquam teipſum. Epiſt. 137. ad Voluſi. n. 17.* Vid. etiam Chryſoſt. *Homil. 1. in Matth.* & Iſidor. Peluſiot. *Epiſt. Lib. IV. Epiſt. 91.*) Dicat nunc ratio puriſſimis luminibus illuſtrata ſuis num præcepta magis neceſſaria, num æquiora præſcribi poterant? Notio vera Dei, & hominis, ordines æterni, immutabileſque, qui inter has notiones interjacent, ſunt fundamentum. Ex his duobus fontibus puriſſima morum diſciplina dimanat. Præcepto primo tota Religio innititur, ſecundo ſocietas. Etiam alii Legiſlatores Divinum nomen in capite ſuarum legum poſuerunt, id tamen potius arte politica moti fecerunt, ut timorem populis injicerent; ut de Talete Græcorum omnium ſapientiſſimo loquitur Cicero (*de Legib. II. cap. 11.*), quam ut eos ad veram cognitionem, cultum, amoremque excitarent. Hinc alii Legumlatores, Philoſophique præclariſſimi, Plato, Epictetus, aliique, ut innuimus antea, Religiones patrias etiam ri-

su dignissimas, adversasque sane rationi permiserunt, faveruntque Idololatriæ.

Quæcumque alia Numina Legislator Hebræus contemnit, cumque Deum unum, Creatorem cæli, terræque agnoverit, hunc ut rectorem, dominumque populo suo proponit. Quoniam autem ei, qui talis est, debetur (*Vid. D. Th.* 1. 2. *qu. c. art.* 5.) I. *Fidelitas*; per quam ipsi uni, aliique nemini, tribuatur suprema majestas: en primum legis præceptum: *Ego sum Dominus Deus tuus; non coles alios Deos prater me*: II. *Reverentia*; per quam nulla injuria in eum fiat: habes hic præceptum secundum: *non assumes nomen Domini Dei tui frustra*: III. *Servitus*; in argumentum beneficiorum ab eo acceptorum; atque ideo quidam festi dies statuuntur, honori, cultuique hujus supremi Numinis sacrandi: en tertium præceptum: *Sabbatum sanctificabis*. Secundum hæc præcepta ergo a Legislatore Hebræo omnia ad Deum referuntur. Ita ut timor, spes, amor, cultusque ejus supremi Numinis sint principium primum omnium consiliorum privatorum, publicorumque, interiorum, externorumque ejus gentis, (cujus regimen ideo *Theocraticum* a Josepho recte appellatum fuit); quare non poterant opera illa non esse recta, & sancta. Jam quo ex fonte inter deliramenta, tenebrasque totius terrarum orbis, Religionis, Ethicæque adeo perfectum systema unus Moyses hausit?

§. VII. Ut autem hujus Religionis tam excellentis cultum stabiliret, circumscriberetque, neque hominum voluntati permitteret illum, unde errores tot, tot monstra inter Ethnicos dimanasse vidimus, præceptis, quæ Deum respiciebant, plurima alia, quæ cæremonialia appellantur, quæ præcipue ad exteriorem divini cultus usum pertinent, Moyses addidit. Numerum hunc cæremoniarum ingentem joco, derisuique Libertini habent, & tamquam Deo indignis iis ut argumento utuntur ad sacra volumina tamquam divino afflatu scripta rejicienda. Verum sunt illi aut nimium ignari, aut protervi, si inter tot clarissimas divinitatis notas doctrinam respuunt ea sola de causa, quod nonnullorum ejus capitum rationem non intelligunt. Quod, si iis diceremus, has ipsas cæremoniales leges argumento esse supremi illius fontis, unde ea volumina sunt derivata? Quid illi responderent? Ne pigeat Lectorem, si paullo fusius id demonstrare aggredimur.

§. VIII. Ac primum animadvertimus, cum iis temporibus, & subsequentibus sæculis cæremoniæ aliarum Religionum omnium, etiam inter gentes doctiores, cultioresque pluribus turpitudinibus rationi, sanæque menti contrariis fœdarentur, solos Hebræorum ritus nihil crudelis, nihil non sancti, nihil quod a virtute, & a ratione esset absonum, habuisse. Ἀνθρωποθυσία, hoc est victimarum humanarum mactatio nonne apud nationes omnes erat in usu? Penes Phœnicios, & Pœnos eam nobis ostendit fuisse in usu Diodorus (*Lib.* XX.); apud Scytas, incolasque Caucasi Herodotus (*Lib. IV.*), apud Germanos Tacitus (*Lib. de morib. German.*); Cæsar apud Gallos (*de bello Gallico Lib. VI.*); apud Græcos Pausanias (*Lib. IV. Messen.*): & Romæ usque ad tempora Hadriani Imperatoris barbarus hic mos permanserat, qui ab illo lege fuit vetitus, ut docemur ab Eusebio (*de prepar. Evang.*). Quid plura? consuetudo hæc in regionibus Hebræorum finitimis (a) vigebat, quoniam Moloccho sacrificabant Chananæi filios non solum super flammas eos traducentes ex quodam lustrationis genere, sed igne eos comburentes, ut contra Maimonidem probat Relandus (*par. II. Dissert. Miscel. pag.* 114.). In hac universa corruptione solæ Mosaicæ cæremoniæ hominibus parcunt, & hæc sacrificia severe vetant: oblationem quidem primogenitorum marium jubent; at hi redimi debebant, non immolari.

Quid de aliis sacrificiorum generibus dicam? Quid de diebus festis? Quid de spectaculis? Hæc enim erant Religionis Gentilis pars. Quid de mysteriis Eleusinis adeo insignibus, de Tesmophoriis, de Cabyris, aliisque a Clemente Alexandrino memoratis (*in protrep. pag.* 13. *& seq.* Vid. & *Arnobium Lib. VI. & VII. contra* Gen-

(a) Legantur inter alios *Jacobi Geusii* opus inscriptum *Victima Humana*: Petrus Petitus *Libr. II. de* Ἀνθρωποφάγοις *cap.* 9. *&* 10. ubi ostendit morem immolandi victimas humanas apud Ethnicos prope universum.

Gentes)? Quid de Hymnis, & Canticis, non dicam solum *Fescenninis*, quibus celebrabantur Nuptiæ, sed de iis, quibus honor Berecynthiæ Deorum matri præstabatur? (*Vid. Aug. Lib. II. de Civit. cap.* 4.) Ut omnia scatebant impudentia, turpitudine, obscenitate! At Moysis cæremoniæ etiam a nomine abhorrent. Dies festi instituti sunt, ut Dei opera commemorentur, ut ejus lex consideretur. Ritus Templi a quavis turpitudine alieni, mentes, cordaque populi adhuc terrei rectis notionibus, sanctisque affectibus in Deum excitant. Consuetudines non solum ad cultum spectantes, sed ad vivendi rationem omnes ad pudorem, modestiamque efformantur. De quo argumento legi præ omnibus debet D. Thomas (*Sum. Theol.* 1. 2. *qu.* 101. 102.), qui ex illa allegoriarum farragine compacta a Philone, & ab aliis, licet mysticum sensum, ut modo dicemus, agnoscat in iis legibus emergens, tamen litterales causas in iis graviter, & erudite explicans, eas sensum, rationemque continere demonstrat. Denique pars, & quidem singularis Religiosorum rituum apud Ethnicos erat *divinatio*, de qua libros duos Cicero composuit, & centum divinationis genera laboriosus Fabricius collegit (*Bibliogr. Antiquar. cap.* 12.). Hæc ad futura præsagienda, aut ad detegenda occulta erat instituta; & interdum modis turpibus, crudelibus interdum; semper autem ineptissimis, simulque cum ritibus stultis, ridiculisque fiebat. Viguit non solum apud Cimbros, Gallos, Germanos, aliasque barbaras gentes, ut discimus a Diodoro (*Lib. V. Biblioth.*), & a Tacito (*Lib. de Morb. German. cap.* 10.), sed apud Nationes cultiores etiam; quare Plato ipse in *Phædro*, & Xenophon in Cyropædia (*Vid. Coquaum ad Lib. VI. de Civit. Dei cap.* 30.) eam laudant; nemoque est, qui nesciat quanta cum pompa, quanta cum frequentia Romæ, quo ab Hetruria translata fuerat, ab *Augurum* collegio hæc superstitiosa, & ridicula ars exerceretur; ab aliis, qui populari errore de ejus præstantia sibi persuaserant, ex animo; ab aliis autem, qui eam deridebant, inter quos erat Cicero, tamen ea utebantur, ut quocumque vellent animos civium, militumque flecterent.

Nihil hujusmodi Hebræus Legislator habuit in animo. Invaluerat apud gentes omnes *divinatio*, vigebatque etiam ejus ætate, ut ex ejus libris colligimus; sed tantum abest, ut ille vel jubeat, vel permittat inter cæremonias suas tam improbum, stultumque ritum, ut etiam repetitis prudentissimis sanctionibus illum vetuerit (*Levit. cap.* 20. 6. & *Deuteron. cap.* 18. 10. 11.); volueritque, ut ab uno Deo rerum omnium moderatore, futurorumque præscio successuum oracula peterentur. Ex hactenus dictis ergo colligitur, cum cæremoniæ, quibus Gentes omnes Religionem aut colebant, aut colere simulabant, essent crudeles, obscœnæ, superstitiosæ, stultæque, solas Leges Moysis cæremoniales fuisse puras sine iis labibus, & ex natura sua indifferentes, & etiam bonas, ad eos fines autem, quos modo recensebimus, optimos relatas.

§. IX. Advertendum secundo est, ut recte de cæremoniis Mosaicis, sicut etiam de legibus, & consuetudinibus antiquis cujuscumque nationis (quæ quia ab hodiernis moribus distant, & abhorrent, primo intuitu libidinosæ, & rationi adversæ videntur) opus esse irrepere, ut ita dicam, in eorum sæculorum spiritum, illamque ætatem, illamque gentem intus, & in cute noscere. Per annos complures Ægypto vitam degerant Hebræi, ex illo regno egressi adeo proni in Idololatriam in Ægypto inspectam erant, ut, cum in Desertum pervenissent per inaudita prodigia ab Abrahami Deo facta, tamen illius obliti postularint ab Aharonne Deos, quos viderent, & colerent. Eorum impetus in hac re adeo fuerit, ut mulieres ipsæ inaures, monilia que sibi adimant ad Deos hos efformandos, populusque totus sese prosternat non magis lætabundus, quam impius ante eum Vitulum ex fuso metallo effictum. Post hunc eventum, non ante, ut ex Jeremia observat D. Thomas (*a*), Deus clementer, prudenterque simul, ut in rem di-

(a) *De causa cæremoniarum circa sacrificia potest assignari ratio ex hoc, quod per hujusmodi, homines retrahebantur a sacrificiis idolorum. Unde etiam præcepta de sacrificiis non fuerunt data populo Judæorum, nisi postquam declinavit ad idololatriam, adorando Vitulum conflatilem, quasi hujusmodi sa-*

dignam, innocentem, divinamque eorum propensionem ad idololatricum cultum flecteret, ipsis leges cæremoniales dedit, ut eos ab Ægyptiaca superstitione averteret; eosque tot ritibus, cæremoniisque oneravit, ut in iis gens illa carnalis occupata, vacare non posset exteris Religionibus. (*a*) Eoque magis, quod, ut ostendit D. Thomas (*ib. qu. CII. per totam*), illæ cæremoniæ aut per se, aut per circumstantias directo opponebantur illis, quæ apud Idololatras, & præcipue apud Ægyptios vigebant; quare Hebræus dum sibi imperatas cæremonias excolebat, publice detestari se idololatricum cultum profitebatur, a quo proinde magis, magisque removebatur.

Consideremus præterea, populum Hebræum singulari modo ex omnibus gentibus divina providentia fuisse electum. In eo adimplebatur, conservabaturque promissum annos circiter tercentos Seni Patri, qualis fuit Abrahamus, factum posteritatis innumeræ ex filio a matre sene, efœtaque genito. Hæc stirps numquam interrupta saltem per annos mille & quingentos post Moysem permanere debebat. Hujus promissi finis erat *semen benedictum*, seu Redemptor ex posteris Abrahami natus, in quo *omnes gentes benedicendæ erant*. Populus hic ergo, ubique locorum, quovis tempore erat conservandus contra bella, captivitatem, vastationes, quin vel cum aliis exterarum nationum stirpibus permisceretur. Ad hoc opus erat quadam peculiari providentiæ ratione: Cum nullum aliud exemplum habeatur propagationis non interruptæ, certæque alicujus stirpis per bis mille annorum spatium, quam in Abrahami progenie (*b*). Deus igitur, ut nobis ostenderet, se datam fidem exsolvisse, voluit, ut populus ex Circumcisionis nota Abrahamo primum jussa, & ex aliis cæremonialibus legibus a Moyse imperatis a quibuscumque nationibus internoscerentur; ex quibus Hebræi post diuturnam annorum seriem, post tot ex his regionibus in alias itus, reditusque, post longa exantlata servitia, post dispersiones in exteras terras a reliquis omnibus distinguerentur, noscerenturque ex hac arbore enati rami. Cæremoniæ ergo legales, tantum abesse debet, ut Libertinis tamquam inanes inutilesque faveant, ut earum divinam originem negent, ut illarum fine tanti momenti detecto, non solum optimum sapientiæ vere divinæ inventum censendæ sint, sed etiam contra ipsos evidenter demonstrent, promissum tot sæcula ante factum in libro omnium antiquissimo fuisse adimpletum, ex quo proinde Revelatio confirmatur. Invicte etiam ostendunt providentiam supremam, quæ sine certamine fines suos attigit, effecitque, ut per hæc signa semper ab aliis gentibus illius hominis, cui Reparator promissus fuerat, discerneretur genus. Immo post ejus adventum hujus ipsius nationis licet reprobatæ, dispersæque, conservatæ tamen, aliquibusque notis cæremoniarum veterum distinctæ superstites reliquias testimonio tanto certiori, quanto nobis infensiori eadem providentia nobis esse vult, auctoritatis, divinitatisque eorum monumentorum, quibus Religio nostra adversus Libertinos firmissime confirmatur. Ex quibus omnibus facile quisque colliget, quam falsa sit Spenseri (*De legib. Hebræor. Ritualib.*) & Marshami (*c*) opinio, qui cæremoniarum Hebræarum, nominatimque circumcisionis legem ab Ægyptiis deductam volunt. Si hæ

sacrificia sint instituta, ut populus ad sacrificandum promptus hujusmodi sacrificia magis Deo, quam idolis offerret. Unde dicitur Jeremiæ 7. „ Non sum loquutus cum Patribus vestris, & non præcepi iis „ in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum. & victimarum. „ 1. 2. quæst. 101. art. 3.

(a) *Erant enim in illo populo aliqui ad idololatriam proni; & ideo necesse erat, ut ab idololatriæ cultu per præcepta cæremonialia revocarentur ad cultum Dei, & quia multipliciter homines idololatriæ deserviebant, oportebat e contrario multa institui ad singula reprimenda: & iterum multa talibus imponi, ut quasi oneratis ex his, quæ ad cultum Dei impenderent, non vacaret idololatriæ deservire.* 1. 2. qu. 101. art. 3.

(b) Vid. Jaqueloti *Traitè de la veritè, & de l'inspiration des livres du vieux, & nouveau Testament*. Tom. 1. chap. 9.

(c) *In Canon. Chronol.* Opinio horum duorum Anglorum valide impugnata fuit a *Natal. Alexand. Histor. V. T. in III. Mundi ætate dissert. VI. Ab Augustino Calmet in dissert.* præmissa ad Genesim; *ab Hermanno VVitsio in Ægyptiacis*, & a pluribus aliis.

hæ cæremoniæ debebant esse notæ, per quas populus hic ab aliis internosceretur ut hucusque a nobis dicta testantur, notumque etiam exteris nationibus, ut ex Tacito colligimus (a), id erat, hæ cæremoniæ cum aliis gentibus communes esse non poterant. Hinc Deus ipse in Deuteronomio (*cap.* 14. 1. 2.) vetuit omnino alias incisiones cæremoniasque in Ægypto adhibitas; *non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo: quoniam populus Sanctus es Domino Deo tuo, & te elegit, ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quæ sunt super terram*. Neque vero Herodoti locum (b) magni faciendum esse credimus, qui in Euterpe asserit, *solos ex omnibus hominibus Colchos, & Æthiopes circumcidi: sed postea etiam Phœnices, & Syrios in Palæstina* (quo nomine intelliguntur Hebræi) *fateri se morem hunc ab Ægyptiis accepisse*. Quæ opinio etiam apud Diodorum Siculum legitur (c). Nos ab Auctore (d), ut omnes norunt, Diodori, & Herodoti, & quorumcumque aliorum, quorum scripta habemus, antiquissimo scimus, Deum Abrahamo hanc jussisse circumcisionem ut signum (e), ex quo ipse, ejusque posteri internoscerentur, tamquam certissimum testimonium singularis expectationis, fideique rei omnibus aliis nationibus prorsus ignotæ. Tunc ergo mos hic non vigebat aut inter Colchos, aut inter Æthiopes, aut inter Ægyptios; ac si post quibusdam ex his populis adhibitus fuit, ab Hebræis, qui aliunde eum non acceperint, fuisse illum desumptum, est dicendum.

§. X. Denique observandum illud est, supradictas cæremoniales leges non tam fuisse notas, per quas semper populus ille, a quo, ut Deus fuerat pollicitus, profecturus erat Messias, a gentibus omnibus distingueretur, sed etiam fuisse figuras, quæ illum prænuntiabant, & in illo erant adimplendæ (f). Hæc relatio erat, quæ illas Deo gratas efficiebat, & secundum hanc relationem erant ab Hebræis considerandæ. Ideoque, ut ab errore eos reduceret, qui eas specie tenus considerabant, nihilque aliud per Fidei lumen intuentes in iis sacrificiis cæremoniisque pietatem omnem, spemque collocabant, sæpius testatur Deus (*Isaiæ cap.* 1. *v.* 11. *& seq.*), eas non esse sibi gratas, eas se fastidire, eorum victimas, eorum thura odisse. Antiqui ergo Fœderis a Deo imperatæ cæremoniæ in Messia fuerunt adimpletæ; quod docent Patres, & D. Thomas Aquinas præsertim. Messias erat finis ille sublimis omnium earum cæremoniarum, ut prepararetur populus ad eum jam longinquum expectandum, & ad eum jam natum colendum. Voluerat Deus, in suo Tabernaculo, Temploque eos ritus fieri, qui, si in se considerentur, vim non habebant, at ex hujusmodi relatione robur maximum acquirebant. Atque hinc aliud detegimus principium, quo libertinos refellamus, & legibus cæremonialibus (quas ut Deo indignas, quoniam sunt eorum judicio futiles, inanesque, rejiciunt) infinitæ, soloque Deo dignæ sapientiæ consilia ostendamus; & quod proinde earum originis divinitatem nobis confirmat. Juvat, hac imagine id planum facere. Sæpe in quadam tabula, multos, diversosque colores videmus, at ita confusos, simul-

(a) *Moses quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque cæteris mortalibus indidit. Circumcidere genitalia, instituere, ut diversitate noscantur*. Histor. Lib. V. c. 4. & 5.

(b) Lib. 2. cap. 104. p. 125. Edit. Leid. an. 1715. μόνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι καὶ Αἰγύπτιοι καὶ Αἰθίοπες περιτέμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογοῦσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι.

(c) Lib. I. Τῶν Κόλχων ἔθνος ἐν τῷ Πόντῳ, καὶ τὸ τῶν Ἰουδαίων ἀνὰ μέσον Ἀραβίας, καὶ Συρίας οἰκίσαι τινὰς ὁρμηθέντας παρ' ἑαυτῶν. διὸ καὶ παρὰ τοῖς γένεσι τούτοις ἐκ παλαιοῦ παραδεδόσθαι τὸ περιτέμνειν τοὺς γεννωμένους παῖδας ἐξ Αἰγύπτου μετενηνεγμένου τοῦ νομίμου. *Ex natione Colchorum in Ponto, & Judæorum, qui jacent inter Arabiam, & Syriam, ferunt incoluisse quosdam descendentes ab ipsis* (Ægyptiis). *Et ideo accepisse ab antiquo has gentes morem circumcidendi pueros derivatum ex Ægypto*.

(d) *Dixit iterum Deus ad Abraham.... Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, & vos, & semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum*. Gen. XVII.

(e) *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me, & vos... Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum*. ibid.

(f) *Populus Judæorum ad hoc electus erat a Deo, quod ex eo Christus nasceretur; & ideo oportuit totum illius Populi statum esse propheticum, & figuralem, ut Aug. dicit contra Faust. Lib. XXII. cap.* 24. S. Thom. 1. 2. qu. CIV. art. 2. ad 2.

ſimulque permixtos, ut nec formam, nec digramma, nec ullam figuram repræſentantes non ab excellenti artifice diſpoſiti, ſed potius caſu ducti videantur. Quod ſi in certa illius tabulæ parte erigatur lævis cylindrus, quas informes colorum permixtiones putabamus, & formam, & proportionem, & numeris omnibus abſolutam figuram efformare, eoſque diſperſos colores rectiſſimo digrammate in lævi metallo aut bellicum Heroem, aut magnanimum Leonem, aut quid ſimile oculis objici intuemur. Jam quis adéo pervicax, amenſque erit, qui non fateatur in iis coloribus ita ductis artificium eo excellentius, quo minus apparet, latere; ac proinde non jam ſtulte, aut caſu, ſed ab induſtrio artifice, eos fuiſſe hoc modo diſpoſitos? Hoc idem de legibus cæremonialibus, omnibuſque figuris, quæ veluti colores varii, in magna ſæculorum Meſſiam antecedentium tabula a Deo fuerant jam ante ſtatutæ, eſt ſentiendum. Si eas ſpecie tenus inſpiciamus, nihil fortaſſe primo intuitu, auguſti, & magni, nihil quod ſit Proviſore ſupremo, ſapientiſſimoque dignum illæ nobis objiciunt. At in plenitudine temporum cum *Promiſſus*, *Expectatuſque* per tot ſæcula venerit, & omnes figuras illas adimpletas, omnes eas cæremoniales umbras in illo illuſtratas conſpiciamus; qui fieri poteſt, ut ſapientiſſimo conſilio eas imperatas fuiſſe, non fateamur? Qui fiet, ut potius, quam ex iis arguamus, divinitus Legiſlatorem Hebræum non fuiſſe afflatum, non concludamus, invicto eas eſſe argumento, Spiritum Sanctum per illum fuiſſe loquutum? Ille unus cum ſit viciſſitudinum, temporumque Dominus, fœdus antiquum, cæremoniaſque, quæ ad Meſsiam referebantur, ſtatuit: quas Hebræi colentes & prænuntiarent eum longinquum, noſque in illo adimpletas eas conſpicantes, eum jam veniſſe cognoſceremus. Quid igitur divina Sapientia, potentiaque dignius, quodnam clarius argumentum, ut in legibus Cæremonialibus ejus ſupremam videamus Revelationem? Maneat ergo hoc firmum ac ſtabile ex iis, quæ hactenus animadvertimus, Moſaicas Cæremonias longe diverſas a ritibus aliarum nationum crudelitatem, aut turpitudinem nullam continuiſſe, immo relatas ad fines ſuos perpenſas tam ſapientes, tam admirandas fuiſſe, ut nihil reliqui Naturaliſtis faciant, ut tamquam ineptæ rejiciantur, ſed potius quemlibet, modo vecors non ſit, ad ſe veluti divinas habendas impellant.



CA.

CAPUT NONUM.

Ethyca Moysis impolluta.

I. *Examinantur leges Hebræorum jubentes hominum inter se officia.*
II. *Stulta Platonis sententia, ut confirmet inter homines amicitiam.*
III. *Vera, primaque radix hujus amoris nobis a Moyse patefacta.*
IV. *Officia mutua parentum, natorumque. Excessus Ethnicorum de auctoritate paterna, mariti, domini; a Moyse omnes vetiti.*
V. *In alia personarum genera ab ipso Moyse jussa Benevolentia.*
VI. *Jura de vita, & facultatibus.*
VII. *Mendacium a quibusdam Ethnicis Doctoribus permissum: vetitum a Moyse: judicia æquitate exercita.*
VIII. *Jura de nuptiis, & honestate a Platone deformata, & a Lycurgo. Xenophontis insignis locus: corruptio nationum: Legislator Hebræus consulit rationi, & pudori.*
IX. *Ex his concluditur, Moysem missum a Deo: ejus leges divinas fuisse. Id confirmatur auctoritate Auctoris Libri* De l'Esprit des Loix.
X. *Confirmatur præterea ultimis duobus præceptis Tabularum Legis.*

§. I. VErum rudes, abjectosque Hebræos de legibus suis adhuc loquentes audire pergamus. Nihil magis consonum rectæ sanæque rationi, quam id, quod de officiis hominis erga Deum dicunt in præceptis iis, quæ illi primæ Tabulæ præcepta appellant, consequunturque ex primo illo præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis.* Audiamus, inquam, num ita etiam de officiis hominis in alios sibi similes loqui sciant, quæque deducant ex altero gravissimo præcepto *diliges proximum tuum sicut te ipsum* (a); sunt enim hæc duo præcepta, ut diximus, totius eorum moralis disciplinæ fundamentum; simulque fundamenta duo *Religionis, & Societatis*, quam cum recta ratione congruentia, tam ab aliis populis neglecta.

§. II. Etiam Plato, mutuus hic amor quam necessarius esset, vidit, *volebatque*, inquit Lactantius (*b*), *Remp. suam esse concordem, & amoris mutui constrictam vinculis, ac proinde homines non secus ac canes ad eamdem mulierem confluere*. Hic, ajebat præclarus Legislator, erit fons patulus mutui amoris; *si omnes omnium fuerint & mariti, & patres, & uxores, & liberi*. Inventum enimvero, in quo utrum plus turpitudinis, an fatuitatis insit, certo dici non potest. Turpitudinem dico; pudore enim expulso in lupanar Resp. mutatur, fatuitatem autem, cum nihil pietati, & mutuæ caritati infensius hac perturbata confusione fingi possit. Ita pergit Lactantius porro. *Quomodo potest servari caritas, ubi nihil est certum quod ametur? quis aut vir mulierem, aut mulier virum diligat, nisi habitaverint semper una, nisi devota mens, & servata invicem fides individuam fecerit caritatem? qua virtus in illa promiscua volupta-*

(a) *Illa duo præcepta sunt prima & communia præcepta legis naturæ, quæ sunt per se nota rationi humanæ, vel per naturam, vel per Fidem. Et ideo omnia præcepta Decalogi ad illa duo referuntur, sicut conclusiones ad principia communia.* D. Thom. qu. 100. art. 3. ad 1

(b) *Matrimonia quoque, inquit Plato, communia esse debebunt; scilicet ut ad eamdem mulierem multi viri tamquam canes confluant.... Ob miram Platonis æquitatem! ubi est igitur virtus castitatis, ubi fides conjugalis? quæ si tollas, omnis justitia sublata est.... Quam vero intu'is rationem turpissimi hujus consilii! Sic, inquit, Civitas consors erit, & amoris mutui constricta vinculis, si omnes omnium fuerint & mariti, & patres, & uxores, & liberi. Quæ ista confusio generis humani est!* Divin. Instit. Lib. III. c. 21. & c. 22. subdit: *Nam viri, qui multas mulieres habent, nihil aliud dici possunt quam luxuriosi, ac nepotes (alias perditi). Item mulieres quæ a multis habentur; non utique adulteræ, quia certum matrimonium nullum est, sed prostitutæ, ac meretrices sint necesse est.*

luptate locum non habet. *Item si omnes omnium liberi sint*, *quis amare liberos tamquam suos poterit*, *cum suos esse aut* ignoret, aut dubitet? *Quis honorem tamquam Patri deferet*, *cum unde natus sit*, nesciat? *Tantum ab hac Republica adulterium arceretur*, *in qua quævis mulier sine viro mater esse possit*. Quod sane non esset valde decorum.

§. III. Ne suspicio quidem harum turpitudinum amentiarumque est in Hebræo volumine, ubi omnia ad honestatem, & pudorem legas composita. Mutui, reciprocique amoris inter homines fontem primum significaverat Moyses, non commentitia, furenteque generationum permixtione, at origine certa unius Patris a Deo creati, a quo, tamquam fratres sanguinem omnes homines trahunt. Quæ doctrina a Philosophis aut negata, aut neglecta (V. S. August. *de Civit. Dei Lib. XII. cap. 26.*) a Poetis corrupta fabulis (V. Lactantii *Lib. II. cap. II.*) at ab Hebræis pura, & integra cognita mirum quantum vis habet, inquit D. Augustinus (*a*), ut homines ad misericordiam, amoremque in sibi similes excitet, ut simultates, rixasque, ut crudeles pauperiorum vexationes tollat, quas, natura ipsa præ horrore reclamitante, in cultioribus Rebusp. factitatas legimus, in quibus, ut hic alteri gratum faceret, ferarum belluarum ritu homines interficiebantur. Doctrina (inquit idem Sanctus Doctor) aptissima, quæ & observantiam, & amorem in fœminam excitet in viro, cum sciat, licet sexu imbelli, hanc ex carne sua efformatam fuisse, ac proinde eam ut sociam individui, castique commercii, non ut suarum cupiditatum instrumentum haberet.

§. IV. Hæc tamen una eorum originis admonitio haud satis fuit Moysi, ut ad illa officia, ad quæ sibi mutuo præstanda tenentur, homines impelleret. Illa singillatim iis tradit; ac primum quidem in eos, quibuscum arctissime quisque adstringitur, cujusmodi videlicet parentes sunt, observantiam, obsequiumque præcipit. Quo præcepto obedientia omnibus majoribus generatim, benevolentia in æquales, beneficentia erga inferiores (officia in lege alibi memorata) jussa intelliguntur (*b*). Absit autem, ut putemus, præcepto filiorum obedientiæ Genitoribus concedere Moysem aut parentibus, aut principibus illud crudele jus, quod ab aliis legislatoribus & penes alias gentes iis tribuebatur. Plato (*Lib. V. de Rep.* paullo ab init.), & post illum Aristoteles (*Lib. VII. Polit. cap. 16.*), jubent, ut aut nimius filiorum numerus impediatur, aut ne imperfecti alantur, donec in materno ventre delitescunt, eorum abortum curari, quod nisi eveniat, & in lucem edautur, *exponi*, ut præ inedia intereant. Ita hæc duo Græcæ sapientiæ lumina. Neque aliter ab iis jussit Lacædemonibus Lycurgus; qui, ut scribit Plutarchus (*in Lycurgo*) nolebat, ut possent genitores filios suos educare; sed natos Judices perscrutabantur, servabanturque fortes, robustique inventi; graciles autem imperfectique conjiciebantur in quamdam fossam ab iis *Apothetam* nominatam ad montem Taigetem, ubi peribant. Quæ tam naturæ infensa consuetudo non in iis modo regionibus se continuit. Jubetur enim in XII. Tabulis pater filium ad deformitatem insignem cito necare (*c*). *Abortus*, & *expositio* filiorum diffusa per totum Ethnicorum orbem legitur. Apologistæ nostri ut usitatum

(a) *Merito igitur vera est Religio, quæ mundi universi Deum, animalium quoque universorum, hoc est, animarum, & corporum conditorem agnoscit, & prædicat. In quibus terrenis præcipuus ab illo ad ejus imaginem homo....factus est unus, sed non relictus est solus. Nihil enim est, quam hoc genus tam discordiosum vitio, tam sociale natura. Neque commodius contra vitium discordiæ, vel cavendum, cum nondum inesset, vel sanandum cum extitisset, natura loqueretur humana, quam recordationem illius parentis, quem propterea Deus creare voluit unum, de quo multitudo propagaretur: ut hac admonitione etiam in multis concors unitas servaretur. Quod vero fœmina illi ex ejus latere facta est, etiam hinc satis significatum est, quam cara mariti & uxoris debeat esse conjunctio.* Lib. XII. de Civit. Dei, c. 26. vid. etiam infra c. 21.

(b) *Quarto autem præcepto de honore parentum, superadditur præceptum de honoratione senum, secundum illud Levit. c. 9. Coram cano capite consurge, & honora personam senis: & universaliter omnia præcepta inducentia ad reverentiam exhibendam majoribus, vel ad beneficia exhibenda, vel æqualibus vel minoribus.* S. Thom. 1. 2. q. C. art. 11.

(c) *Pater insignem ad deformitatem puerum cito necato.* Tab. IV. de Jure Patr.

tum morem hunc iis objiciunt, videmusque eum in Comiciis antiquis permissum, consuetumque (a).

Crudele hoc, & nefarium facinus, ut reipsa est, ducunt Hebræi, quod Tacitus (b) etiam non ignorabat, & de iis loquens id testatur. Erat penes illos crimen hoc, quod homicidio æquiparabatur; quod nimirum ab justo in parentes honore statim a Moyse interdicitur. Grassante ubique immanitate, ille unus Legislator Barbarus vocitatus humanitatem, rationemque semper tuetur. Quis hic divinum afflatum non cernit? Et sane inter gentes omnes Libertorum mortis jus erat penes heros, quorum status ita miseros eos efficiebat, ut ex humana conditione deleti viderentur; ita ut asperitas nulla esset in eos tam immanis, inquit Donatus (c), quod injusta crederetur. Idem jus mortis Galli (*Cæsar Lib. VI. de Bello Gallic. c. 18.*), & Germani (Tacitus *Lib. de Morib. German. cap. 25.*), aliæque barbaræ Gentes (Aristoteles Politic. *Lib. II. cap. 1.*) in uxores viris dabant; patribusque in filios tribuebant antiquæ Romanæ leges, ut observat Grotius, & legimus in XII. Tabulis. Hæc omnia cruenta facinora Moyses vetat; immo pro Libertis ipsis inter judicialia præcepta (d) multa præscribit, quæ humanitatem in eos adhibendam, eorum justum tutamen, eorumque libertatem demum respiciunt, ita ad humanitatem facta, ut in iis natura ipsa, ratioque integerrimis, æquissimisque sensibus, immo etiam divinitus loqui videantur. Exempli instar sit hæc una lex (*Deuter. cap. 25. v. 13.*) *Quem libertate donaveris* (si Hebræus erat, anno septimo in libertatem asserebatur) *nequaquam vacuum abire patieris: sed dabis viaticum de gregibus, & de area, & torculari suo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi*. (Vid. S. Thom. 1. 2. q. cr. art. 4.). Quod si ita cum libertis agendum erat, quomodo habendi erant filii? quomodo uxores? Omnia æquitatem jubent, omnia concordiam, amorem, disciplinamque fovent. (Tid. *Deuter. 21. item 22. exodi 12.*)

§. V. Hæc eadem benevolentia in alia personarum genera ab Ethnicis Legislatoribus aut contemptui, aut oblivioni datarum a Moyse præcipitur. Legimus comiter exceptos advenas, (*Exodi 22. & 23.*), pupillos defensos (*Deuter. 14*), viduasque, protectos mercenarios (*Deuter. 24.*), creditores (*Ibid.*), debitoresque in ordinem coactos; pauperes sublevatos (*Deuter. 14. & alibi*) tanta, tamque in promptu misericordia, ut Tacitus admiratus maximopere fuerit (e), fassusque Julianus Apostata fuerit (*Epist. ad Arsacium*), inter Judæos neminem egere: quod valde ab Ethnicis moribus abhorrebat, ut ex ipsis colligimus, multoque magis ex Platone (f), & ab illo crudeli effato, quod quin horrerent auditores, in scena jactabatur.

De mendico male meretur, qui ei dat quod edat, aut quod bibat:
Nam & illud quod dat perdit, & illi producit vitam ad miseriam. (Plautus *in Trinum. Act. 2. Scen. 2. v. 58.*)

§. VI. Lex caritatem, & amorem in sui similes superessundens, cujusmodi erat Lex Mosaica, justitiæ jura prætermittere non poterat. Privatum homicidium veti-

(a) Athenagoras *in Legat. pro Christ.* Tertulliani *in Apolog.* Justinus M. *Apolog. II.* ubi etiam ait, hos infantes *expositos*, nisi inedia perirent, alebant ad lupanaria, aut ad alia infanda facinora. Vid. Terentium *Heautontimor Act. IV. Scen. I.* & annotationes Farnabii ad eum locum.

(b) *Augendæ* (apud Hebræos) *multitudini consulitur. Nam & necare quemquam ex agnatis nefas*. Lib. V. Histor. c. 5.

(c) *Quid non justum domino in servum?* In Andr. Act. 7. Scen. I. Terentius.

(d) Exodi 21. v. 20. *Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus est*, v. 26. *Si percusserit quispiam oculum servi sui, aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos*. Deuter. c. 5. 4. *Requiescat die sabbati servus tuus, & ancilla tua, sicut & tu*.

(e) *Apud ipsos* (Judæos) *misericordia in promptu*. Hist. Lib. V. c. 5.

(f) Neque in Resp. Platonis debebant esse mendici; at non ex eo quod opem invenirent, sed quia debebant ejici. Quare in II. Legum scribit: *nemo in nostra civitate mendicus esto. Quisquis id tentaverit, & miserabilibus precibus stipem, victumque collegerit, eum Præfecti e foro, Ædiles urbe, agrorum Præfecti tota exterminent regione*.

vetitum audivimus, cui præcepto additur interdictum cujuscumque injuriæ in alios (Vid. D. Thom. 1. 2. *q. C. art. II.*). Raptus ergo alicujus personæ, qui cæteroquin tam creber apud veteres reperitur, hic morte multabatur (*a*). Aliis injuriis pœnæ æquæ irrogabantur; irrogabantur, inquam, ab iis, penes quos potestas erat; & licet aliquando privatis permitteretur consanguinei ultio (*Numer.* 35.), tamen ex ultione, & odio peragere, & reminisci acceptarum injuriarum inhibentur (*b*). Præceptum rationi admodum consonum, & societati valde utile, ab Ethnicis tamen ignoratum, immo etiam improbatum; ut legimus in Cicerone ex iis sapientissimo, qui ultionem homini virtute prædito concedit (*c*). Res sunt bonum alterum a vita, quod homo possidet. Etiam has Lex Mosaica respicit, & alienas res rapinis, fraudibus, furtis adoriri vetat. De emptionibus, venditionibus, permutationibus, pignoribus, depositis, mutuis, aliisque omnibus commerciorum generibus æquissima jura produntur; prohibentur usuræ, prolatationes damnantur, avaræque oppressiones, & ex lege Jubilæi post certum annorum spatium venditæ possessiones redibant ad antiquum possessorem; nimia alicujus privati præ aliis potentia erat inhibita; quod alibi erat in more positum: debuitque Athenis *ostracismo* puniri. Quæ autem præstanda essent, ne propria jura læderentur (*d*), aut in resarciendis læsis, in hoc volumine minutatim, & æquissime perscripta reperies. Idem dicendum de animadversionibus in crimina; neque enim impune debet esse furtum, ut fuisse scimus apud Lacedemones ex lege in adolescentibus; neque morte quodvis furtum multatur, ut a crudeli Dracone puniebatur apud Athenienses (Gellius *Lib. II. cap.* 18. Diodorus *Lib. I.*); at pœna *damni*, ut eam vocat D. Thomas (1. 2. *q. CV. artic. II. ad* 10.) respondens infligitur.

§. VII. Quoniam autem aliis non solum opere, sed etiam voce, aliqnid falsum iis affigendo, damnum afferri potest; ideo a Moyse generatim, & cum quovis mendacium damnatur (*e*); quod Plato non fecit (*Lib. II. & III. de Republ.* sub finem,), qui illud Principibus, Magistratibus, cuique demum in adversarium permisit; qui quidem error, quem, ut observat Cardinalis Ursius (*f*) vir doctissimus, & quavis laude major a Timæo Locrensi, & a Sophocle Plato didicerat, post eum a pluribus aliis fuit imbibitus; ita ut Aristoteles primus fuerit, ut Ursius ait (*cap.* 4.), ex Philosophis, qui in mendacium declamarit. Cicero tamen præclarus ille Romanus (*Lib. III. De Offic.*) non tantum mendacium approbavit, sed aliquando etiam perjurium. Hos protulit fructus sapientia Græca, Latinaque: a recto tamen tramite Legislator Hebræus numquam deflectit. Et sane mendacium in testibus præcipue ab illo damnatur, ut judicium sit rectum; quamobrem leges gravissimas non solum ad testes, sed ad judices ipsos spectantes indicit (*Deuter.* 16. & 17. & *Exod.* 23. & *S. Thom.* 1. 2. *q. CV. art.* 2.). Per has efficit, ut neque ex imprudentia, neque ex ignorantia, neque ex fraude, negligatur justitia, quæ facile violatur, ut sæpe ille repetit, a judice, qui aut officiis se vinci patitur, aut accipit munera, quæ *obcæcare solent*; ideoque severissime ea vetat accipi. Hinc quidquid juris Ethnica jurisprudentia de celeberrima lege *de pecuniis repetundis*, immo de tota judiciaria provincia præscripsit, ille primus jusserat, erroresque, in quos hæc est prolapsa, ille declinat, aut damnat.

At

(a) *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur*. Exod. 21.

(b) *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*. Exod. 19.

(c) *Justitiæ primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuria*. De offic. Lib. I. c. 7. & Lib. III. c. 19. Ad quæ verba egregie Lactantius ait: *ob quam simplicem, veramque sententiam duorum verborum adjectione corrupit! .... Nociturum esse dixit bonum virum, si fuerit lacessitus. Jam ex hoc ipso nomen boni viri amittat necesse est, si nocebit. Non minus enim mali est referre injuriam, quam inferre*.

(d) Habemus legem in XII. Tabulis, quæ ait, *si nox furtum faxit, sim aliquis occisit jure cæsus esto*, Tab. II. de furtis. Hanc legem præcessit, ut notat Gravina Orig. *juris Civil. L. II. n.* 48. Lex Mosaica quæ *furem nocturnum occidi permisit, non vero interdiarium*. Vid. Exod. 22.

(e) *Mendacium fugies*. Exod. 23.

(f) *Dissert. Dogm. Moral. contra l'uso materiale delle parole*. cap. 2.

§. VIII. At quid de juribus, quæ Nuptias respiciunt, dicemus? Audivimus jam a Lactantio, hæc in Platonis Republ. in qua ne nuptiæ quidem erant, locum habere non potuisse. Erant hæ quidem sub Lycurgo Lacedæmone, sed, ut a Xenophonte (*De Republ. Lacedam.*), & a Plutarcho (*in Lycurgo*) scimus, Legislator ille nisi mulieres communes esse jussit, voluit tamen, ut sæpe possent cum aliis, præter viros, rem habere. Quæ lex, quæ a Grotio (*de Verit. Relig. Christ. Lib. II. §. XIII.*) *non solum* Laconibus, sed Catoni etiam tribuitur, a Plutarcho ipso, tamquam aptissima, quæ *a nuptiis* amandaret *Zelotypiam*, laudatur. Egregium remedium enim vero (inquit Bælius *Diction. Critiq. Articl. Lycurg. Remar. E.* non ad superstitionem his in rebus religiosus) nisi esset morbo ipso multo pejus. Commendatur tamen Lycurgus, quod ea nefaria sustulerat commercia, quæ peculiari modo natura prohibet. Ad hanc rem insignem Xenophontis locum producere placet; qui cum retulisset hoc Legislatoris Lacedæmonis interdictum, statim ait (*a*), *quæ non miror, quosdam esse, qui non credant*. Hucusque cæcitas, corruptioque gentium fuerat progressa. Lex, quæ vetabat maxime abominandum, infandumque omnium scelerum facinus, quod vel ipso nomine horrorem incutit, *incredibilis* in Græcia ducebatur; idque eo quod, ut inquit Auctor ille, in pluribus Græciæ urbibus aut hæc turpitudo erat maxime usitata, aut saltem non vetita; Philosophique ipsi non modo eam non damnabant, sed in id unum laborabant, inquit Grotius, (*b*) ut rei turpi honestum nomen imponeretur.

Cæterum neminem latet, qua immodestia vellet Lycurgus, ut virgines educarentur, quæ simul cum adolescentibus *Γυμνοῖσι μηροῖς, καὶ πέπλοις ἀνειμένοις*, ut ait Euripides, *Gymnasticis* exercitationibus interesse debebant. In quem indecorum morem non solum Patres declamaverunt (*c*), sed Aristoteles etiam improbavit (*Lib. II, de Republ. cap. 9.*), verissimeque Euripides in Andromacha dixit, (*d*)

——— *Neque si vellet, esse honestior*
Virgo ulla posset ex Lacedæmoniis.

Quare Apologia, quam recens Auctor scripsit (Mr. Guillet *Lacedæmone ancienne, & nouvel. &c.*) non solum inepta est, sed etiam pias aures lædit, atque ut ejusmodi eam judicemus, satis erit scire, etiam a Bælio improbari (*Diction. Critiq. articl. Lycurg. Remarq. H.*) confutarique. Nihil dicam de incestis nuptiis, quæ legitimæ contrahebantur a Persis (Vid. *Minut. Felic. in Octav. cap. 31. aliosque Patres*), ab Ægyptiis, aut Athenienfibus, aliisque quamplurimis; nihil dicam de aliis nefariis turpitudinibus, quibus, natura ipsa repugnante, quibuslibet temporibus se gentes dediderunt. Oculos ad Moysis libros modo convertamus, ratione ipsa pura, rectaque facem nobis præferente, & inter nefanda hæc usu a Gentibus cunctis recepta, ille unus erit, qui modestiam, pudoremque non excusserit. Speciei propagationem (*Levit. 18.*) leges integerrimæ circumscribunt, gradusque cognationis, extra quos tantum iniri connubia possint, sedulo assignantur. Jura intacta thalami mortis minæ sarta tecta servant; commercia aut sexu, aut specie nefanda pœna mortis plectuntur; violatio virginis, incestuosæ copulæ eodem afficiuntur supplicio: instabiles concubitus vetantur; *inter filias enim Israel meretrix esse non poterat* (*Deuter. 23.*) Immo ut pudor custodiatur, hoc etiam præcipitur (*Deuter. 22.*), *ne mulier vestem virilem induat, neque vir vestem muliebrem: qui enim hæc facit, abominatio est Domino*. Uno verbo omnes turpitudines naturali honestati adversæ, quibus cunctæ finitimæ nationes conscelerataæ erant, Hebræo interdicuntur: initio illius capitis, in quo singulæ leges hæ indicuntur, ita dicitur (*Levitic. 17.*) *ne faciatis secundum opera Ægypti, ubi morati*

(a) Τὸ μὲν ταῦτα ἀπιστεῖσθαι ὑπό τινων οὐ θαυμάζω. *ubi supra*.
(b) *A Græcis autem Philosophis in id laboratum videtur, ut rei turpi honestum nomen imponeretur.* De verit. Relig. Christ. Lib. II. §. 13.
(c) Theodor. *de Græcorum affection. Lib. IX.* Chrysost. *Hom. V. in epist. ad Titum.*
(d) Οὐδ᾽ ἂν εἰ βούλοιτό τις,
Σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη. v. 595.

rati estis : ne faciatis secundum opera Canaam , quo vos introduco , neque procedatis secundum mores eorum ; & in subsequenti capite suppliciis in vetita delicta denunciatis , quasi signum tot honestatis , pudorisque legibus hæc præclara apponitur sententia (*Levit. cap. 19.*): *Estote Sancti* (inquit Deus) *quia ego Dominus Deus vester Sanctus sum , & vos separavi ab omnibus aliis gentibus , ut essetis mei*.

§. IV. Quid ad hæc Libertini nobis dicunt ? Moysem Sycophantam putidissimum fuisse ? Ita ; at certe fateri debent, rectam rationem , honestatem , virtutemque locum principem in hujusmodi simulatione habuisse , ac proinde hanc simulationem felicem , innoxiamque omnino esse. Quamquam quis umquam vim tan tam sibi adhibere potest, ut in hujusmodi re nescio quid humano majus non introspiciat , quod inter errores , deviosque omnium populorum tramites unum Hebræum Legislatorem ad sanciendas leges tam æquas, tam sanctas veluti manu duceret ? Sed etsi concedamus, Moysem per se hæc omnia præcepta, de quibusetiam posteri sapientissimi errarunt , reperisse , & indixisse, illud requiro, quæ humana politica ars potuit efficere , ut sibi conciliaret populum illum humi serpentem, corporeaque tantum curantem leges indicendo naturæ perversis cupiditatibus adeo graves, & ab omnibus nationibus , quas quidem nosset , neglectas , & ab eo, si vel tantillum ab illis discederet, pœnas severissimas , mortemque etiam exigendo? Omnes , quos novimus , Sycophantæ aliis institerunt viis; Si Hobbesii , Spinosæ , aliorumque Libertinorum præcepta audimus , nulli minus quam hi , ut principatum suæ gentis adipisceretur , erant a Moyse modi adhibendi ; cum humanitus considerati sint ejusmodi , ut ad turbas , defectionemque illam impellerent . Si ergo totius ejus legum systematis consilium humana conditione majus , quod ex aliarum gentium omnium contrariis consuetudinibus arguitur , & harum legum populo corrupto , & terrena tantum sectanti promulgatio adversatur sycophantæ finibus , consiliisque impii Principis; potius enim quam benevolentiam conciliet , odium etiam , defectionemque excitat ; ergo Legislator Hebræus, qui hujusmodi systema confecit , felicique per tot sæcula eventu promulgavit , sycophanta non fuit; fuit ergo a Deo missus : ergo vera dicebat , cum Dei nomine & indicebat , & scribebat volumina , quæ ut divina venerantur.

Dicamus etiam quod propius hodiernos Libertinos pertingat . Auctor Libri *de l' Esprit des Loix* , quod est unum ex eorum voluminibus in deliciis habitis , arbitratur , *ut plurimum climata terminos Religionibus præscribere , ita ut si antiqua Religio climati conveniat , sæpenumero nova rejiciatur* (*a*) . Mores etiam adeo referuntur ad climata, ut nonnulli sint , *in quos vim tantam exerit Physica , ut moralis disciplina eos immutare non possit* (*b*) . Hoc fundamento jacto , quo totus quantus est *Legum Spiritus* innititur , in quo , ut sapienter quidam Auctor ait (*c*) id præstat cœli

(a) *Lors que la Religion fondée sur le climat a trop choqué le climat d'un autre pays , elle n'a pu s'y établir , & quand on l'y a introduite , elle en a été chassée . Il semble humainement parlant , que ce soit le climat , qui a prescrit des bornes à la Religion Mahometane . Liv. XXIV. chap. 26.* Ipse auctor paullo ante , nempe cap. 24. ejusdem libri scripserat , *Quand Montesuma s'obstinoit tant à dire , que la Religion des Espagnols etoit bonne pour leur pays , & celle du Mexique pour le sien , il ne disoit pas une absurdité , parce qu'en effet les Legislateurs n'ont pu s'empecher d'avoir regard à ce , que la nature avoit établi avant eux. L'opinion de la Metempsicose est faite pour le climat des Indes.* Liv. 24. chap. 24.

(b) *Il y a des tels climats , où la Physique a une telle force , que la Moral n'y peut presque rien. Dans les pays froids on aura peu de sensibilité dans les plaisir : elle sera plus grande dans les pays temperés , dans les pays chauds elle sera extreme . Comme on distingue les climats par les degrés de latitude , on pourroit les distinguer , pour ainsi dire , par le degrès de sensibilité.*

(c) *Le climat est dans l'Esprit des Loix , ce que le mouvement est dans l'univers , la cause universelle de toutes les choses. Ce qui regle le culte , que l'on rend à la divinité , ce est le climat ; ce qui fait , qu'une nation a plus de vertu , qu'une autre , c'est le climat : ce qui rend les femmes sages , ou voluptueuses , c'est le climat .* Observations sur l' Esprit des Loix .

Hæc animadversio verissima est , quam probare possemus innumeris testimoniis , quæ simul clarius ostenderent , cupientem nova producere passim incredibilia , falsaque effutire . Quid sane absurdius quam ut explicentur quædam hominum propensiones ad hos , illosque mores , omnia Physicæ tribuere, nihil Ethicæ , ut observat modo laudatus Auctor , omnia elementis , nihil hominibus , quorum causa statutæ sunt leges ? Hoc tamen est fundamentum , & , ut ita dicam , *Spiritus legum* , quo superstructa moles ex necessaria consequutione debet prolabi . Non tamen inficias iverim , Auctorem ingenium , & erudi-

cœli tractus, quod motus in natura, ut ita dicam: Si Moyses humanis consiliis, politicisque permotus fuisset, cum suæ Religionis præcepta traderet, qui umquam cum eam daret populo in regionem Canaam ituro, poterat illam omnino contrariam Religioni excultæ in terra possidenda imperare, quæ cum per plura sæcula ibidem floreret, dicendaque illius terræ tractus religio esset, spes nulla erat, ratione humanorum, politicorumque consiliorum novam Religionem inibi posse consistere? Præterea Ethica Cananæorum procul dubio consideranda erat a Moyse ut illius climatis Ethica; cur ergo populo suo jussit, cum primum illuc esset ingressus, ut aliter prorsus viveret? illi enim inquit, *Ne faciatis secundum opera terræ Canaan, in quam vos introduco, neque secundum mores eorum procedatis*. Moyses ergo Religionem suam prædicaturus, humana illa consilia non respexit, quæ, ut Auctor libri *de l'Esprit des Loix* putat, ut novæ Religiones stabiliantur, necessario requiruntur. Cæterum Hebraica Religio migravit in terras Canaam, ibique permansit fulta Legibus Mosaicis (quæ omnino adversabantur & *theorice*, *&* *practice* Cananæorum Religioni) permansit, inquam, florens, constansque per plura sæcula. Ex ipsis principiis ergo Auctoris *de l'Esprit des Loix* concludendum est, Moysis Religionem non humanæ politicæ artis, sed divinæ, supremæque potentiæ fuisse.

§. X. At his imaginariis recentis Scriptoris principiis prætermissis, validissimum divini afflatus Moysis tabulæ extrema duo præcepta nobis suppeditant argumentum, quibus, cum superius inhibuerit damnum, injuriamque alienis facultatibus, aut thalamis afferri, etiam internæ cordis cupiditates vetantur. (*Exod.* 20.) *Non concupisces domum proximi tui, non concupisces uxorem illius, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, non rem quamcumque illius*. Quis Legislator unquam ex hominibus tam longe prospexit? *Vos* (inquit Minutius Felix in Octavio c. 35.) *scelera admissa punitis, apud nos & cogitare peccare est. Vos conscios timetis, nos etiam conscientiam solam, sine qua esse non possumus*. Cæteri Legislatores cum legibus suis ea facinora, quæ concordiam civium, aut status quietem, aut privata Principis emolumenta perturbant, sustulerant, finem assequutos suum se esse arbitrabantur. Moyses non solum facinora, quæ manibus fiunt, sed etiam cogitationes cordis considerat; quod, etiamsi nulla externa opera consequuta essent, si pollutum fuisset, populo suo verenda supplicia minitatur. Quis hinc non deducit, hanc legem esse, quæ virtutem, & integritatem, quæ in corde residet, una respiciat? Cum aliæ leges, & Philosophorum præcepta cupiditatibus cordis minime medentia hominem meliorem non reddebant. Quis non videt, hanc unam legem sapientem esse, efficacemque, quandoquidem cor refrenans, malorum gestorum radicem evellit, quæ in systematibus aliorum Legislatorum licet vetita, & inhibita ex illo corrupto magis magisque pullulare debebant? Quis demum non videt, esse Deum ejus legis Auctorem, quæ etiam id respicit, quod hominis imperio non subjicitur, cor regens, moderansque, cujus cum ille unus est perscrutator, tum unus & judex, & ultor esse potest?

CA-

eruditionem magnam non præseferre, totumque opus pulchris, acutisque cogitationibus non redundare; at hæ ut plurimum sunt separatæ invicem, neque colligatæ, ut systema efficiant. Antitheses nobis nimiæ videntur; proinde multæ frigent, & si quid phantasiam movent vocibus ita dispositis, nihil animum rebus movent. Prætermitto nunc capita illa, in quibus videtur Auctor saltem ex consequutionibus certissimas Religionis veritates lædere; ut alii observarunt, nosque alibi demonstrabimus. Hoc certum est, opus esse Libertinis carissimum, quod etiam libris editis patefecerunt. Fortasse *litteræ Persicæ*, quæ eidem Auctori tribuuntur, quæque undequaque putent, effecerunt, ut huic societati Auctoris nomen esset gratissimum.

CAPUT DECIMUM.

Doctrina aliorum Veteris Testamenti Librorum.

I. *Signa animadversa in doctrina Librorum Moysis constanter reperiuntur in omnibus libris, qui dicuntur Veteris Fœderis.*

II. *Futilia Libertini recentis de veritate, & sublimi stilo Scripturarum verba copiose refutata.*

III. *Animadversiones de puritate Ethices Librorum Parœneticorum Scripturæ. Argumentum eorum divinitatis.*

IV. *Character Librorum Historicorum; eorum præstantia supra profanos. Religio numquam immutata. Contentus omnium Scripturarum inter se.*

V. *Digressio, num Hebræi semper noverint sæculum futurum. Opinio Clerici, & VVarburtonis.*

VI. *Confutatur. Lex Mosaica expressam mentionem futuræ vitæ non facit. At non poterant illam ignorare Hebræi. Systema totum Fœderis eam supponit. Veri Hebræi eam spectabant.*

VII. *Quibus Scripturarum in locis ea inveniatur expressa.*

§. I. Veritas, integritasque doctrinæ, quam hucusque in Libris Moysis deteximus, eadem in cæteris aliis libris, qui Veteris Testamenti appellantur, constans, concorsque apparet. Eorum triplex est divisio: alii dicuntur *Historici*, *Prophetici* alii, alii demum *Parænetici*. Temporis spatium, quo scripti fuerunt, excedit annos mille. Auctores, quibus tribuuntur, ortu, ingenio, conditione fuerunt diversi singuli. Stilus varius est, argumenta sunt dissimilia, tempora, regiones, in quibus scripserunt, inter se distant; tamen inter eos est concordia mira doctrinæ cum theoreticæ, cum practicæ, totque in voluminibus, ut egregie ait D. August. *una castorum sermonum facies cernitur*. Imi primis, medii cum utrisque nihil discrepant. Notiones sublimes, veræque Dei puræ, integræque conservantur, tantumque novis, pulcherrimisque coloribus nobis a Prophetis objiciuntur. Eorum Cantica, hymnique, & Psalmi præcipue omnes œstro illo, quo afflatus Legislator Hebræus erat, concinuntur. Systema veracis, arcanæque Theologiæ vel ad attributa, vel ad Dei opera spectantis est ubique idem; ejusdem modi est, Majestatis nempe, & imaginum plenus stilus, ita ut profana Homeri, Pindari, Horatii, cæterorumque omnium carmina longe multumque superentur. (a) Satis est si legantur animo præjudiciis non præoccupato, non contumaci, ut statim Deum, hoc est primam veritatem, quæ falli, & fallere nequit, in iis loquentem intelligamus.

§. II. Quamobrem nescio, num imperi-

(a) Dicere opus esset, fuisse bardos Doctores illos, qui ad hæc usque tempora vixerunt, qui pulchritudinem Sacrorum eorum operum non detexere; ut in præfatione cuidam *versioni quorumdam carminum Sacræ Scripturæ* præmissa dicitur. Satis est legere Muisium, Coccajum, Castillionem, Flaminium, Fleurium, Vulpium ut sciamus, quantum ea admirarentur, & quantum Græcis, Latinisque omnibus ea anteferrent. Placet afferre quosdam versus immortalitate digni Lazzarini hujus artis præceptoris, qui ægerrime ferebat, se non posse Veneres eorum operum degustare in Hebræa lingua; at ex eo, quod e Græcis, Latinisque versionibus conjiciebat, solebat omnes poetas præ Hebræis pueros dicere; quare ita ait in invocatione, quam de iis facit in Hymno D. Augustini:

Vos ego (sacri Vates) *si quicquam merui dum vestra revolvo*
Carmina, queis conferre nefas, quæ Grecia quondam,
Et quæ Roma potens, & quæ demum Itala tellus
Iuserunt; si vos relego noctesque, diesque,
Vos illum excrate mihi, qui Spiritus olim
Afflavit vestros animos, docuitque futura.

Hanc habemus invocationem a Benaleo in præfatione ad collectionem quorumdam Lazzarini operum, *pag.* 37.

ritior, an perfidior recens Libertinus fuerit (a) qui scripsit, per *solam rationem digniorem nobis Dei notionem Christiana religione dari. Hæc nobis Deum semper ut hominem repræsentat; respondebitur, ita loqui Scripturam, ut nostræ imbecillitati se aptet . . . At concipere nequeo, quomodo loqui de Deo verbis, quæ discrepant a notionibus, quas de illo habeo, possit dici tenuitati nostræ se aptare. Ratio mea* (pergit ille) *me monet, Deum omnia videre, ubique adesse, quandoquidem omnia conservat :... Scriptura ait, eum inquirere Adamum in Paradiso terrestri, eum vocare,* Adam, Adam, ubi es? *Deum ambulare, cum Diabolo de Jobo loqui. Ratio mea mihi dicit, Deum esse purum Spiritum, si esset corpus, obnoxium divisioni futurum; Scriptura autem ait, eum brachia habere... Mea ratio ait, Deum cupiditatis cujusque esse expertem, providentiam infinitam habere, & esse immutabilem; Religio me docet, Deum secum loquentem hæc dixisse,* pœnitet, me fecisse hominem; *ejusque ira jam gravi supplicio mortales affecit.* Ita pergit alia ejusdem furfuris effutire verba. An non hoc unum satis, superque Libertinorum fatuitatem coarguit, qui ætate hac, qua tot doctissimi homines florent, tam rancidas insanias producunt in medium? hujus farinæ homines censoriam virgam in Religionem expedient? At petulantem hunc rubore suffundamus; eique planum faciamus, quantum hallucinetur. *Religio, inquis, nobis Deum veluti hominem semper repræsentat.* Arrige ergo aures, audi illum, & responde. *Dixit Deus* (*Genes.* 1.) quid? *fiat cœlum, & factum est cœlum. Fiat terra, & facta est terra.* Qui mortalis umquam ita loquutus est? Nempe *Deus* (illa ait *Numer.* 23.) *non est homo qui mentiatur, nec Filius hominis, quem pœniteat. Dixerit aliquid, & non faciet? Loquutus erit, & non sustinebit? Triumphator in Israel* (dicit 1. *Reg.*) *non mentietur, nec pœnitebit; quoniam non est homo, quem pœniteat.* Quid ais ad hæc? Num *Scriptura nobis semper Deum velut hominem repræsentat?* Pergamus porro. *Ego sum Deus* (ille dicit *Malach.* 3.) *& non mutor. Cœlum* (*Jerem.* 23.), *& terram ego impleo. Sed Cœlum* (11. *Paral.* 6. inquit Salomon) *& cœli omnes eum capere non possunt: ideoque quanto minus templum illum capiet.* Ergo inquit David *Psal.* 138.) *Quo ibo a Spiritu tuo? Et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me; & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut & tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Innumera alia afferre loca possem, in quibus Scriptura Deum tamquam Spiritum immensum, omnipotentem, immortalem, qui oculis cerni non potest, omni bonorum cumulo perfectissimum, iisque coloribus eum nobis pingit, quibus nemo omnium potuit umquam. Quid ergo aliud quam aut ignorantia, aut perfidia scripsit, *Recta ratio digniorem nobis Dei notionem dat Christiana Religione?* At quid dicendum erit de locis illis, quæ ille affert, & adversa Dei notionibus videntur? Nihil aliud, nisi quod responderetur illi (quamquam tenuis etiam est comparatio) qui locum hunc Ciceronis recitaret: *Paries* (b) *medius Fidius C. Cæsar, ut mihi videtur, hujus Curiæ tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suo-*

(a) *La raison pure nous donne une idée bien plus digne de Dieu, que la Religion Chrétienne. Et nous represente toujours Dieu comme un homme, c'est, dit-on, pour s'accommoder à nostre foiblesse.. mais je ne sçaurois comprendre, que ce soit s'accommoder à ma foiblesse, que de parler de Dieu en des termes, qui repugnent à l'ideè, que j'en ai. Ma raison me dit, que Dieu voit tout egálement, qu'il est present par tout, puisqu'il conserve tout... Et l'Ecriture pour s'accommoder à ma foiblesse, me dit, que Dieu cherche Adam dans le Paradis terrestre, qu'il appelle,* Adam, Adam ubi es? *Que Dieu se promene, que Dieu s'entretien avec le Diable au sujet de Job. Ma raison me dit, que Dieu est un pur esprit, que s'il etoit corps, il seroit sujet a la division; me dit, que Dieu ne doit etre sujet à aucune passion; qu'il doit avoir une prevoyance infinie; & qu'il est eternellement immuable, & la Religion m'apprend, que Dieu parlant à lui même a prononcé ces belles paroles,* je me repens d'avoir fait l'homme, *que sa colere n'a pas eté inefficace.* Examen de la Religion ... attribuè à M. de S. Evremond chap. 2. n. 6.

(b) *Radius divinæ Revelationis non destruitur propter figuras sensibiles, quibus circumvelatur; ut dicit Dionysius, sed remanet in sua veritate, ut mentes, quibus fit revelatio, non permittat in similitudinibus permanere . . . unde ea quæ in uno loco Scripturæ traduntur sub Metaphoris, in aliis locis expressius exponuntur.* S. Thom. 1. p. q. 1. art. 9. ad 2.

rum, *& suis sedibus* (Pro Marcello c. 3.); atque hinc concluderet, Ciceronem errores effutire; arbitratur enim nos posse credere parietes illos anima carentes, tamquam animatos & gratos esse, & lætari. Vim hujusmodi habent demonstrationes illæ, quæ jactabandi ultra montes in lucem emittunt Spiritus fortes, atque in vulgus spargunt. Quis audivit umquam, figuras, imaginesque errores esse? erroresque esse illo in libro, (*b*) in quo alibi sine tropis, puris, simplicibusque verbis eadem veritas nobis significatur, quæ sub illis venustis, & captui nostro accommodatis imaginibus exponitur? Qua ergo in mente nisi vecordi, & pervicaci Dei notio distorta, perversaque excitari potest ex eo, quod interdum in Sacris Litteris sub sensibilibus imaginibus repræsentatur? Mihi pingitur instar Regis, qui per hortum suum perambulat, vocatque Adamum. At si de illo mihi enunciatur, cælum, & terras eum replere, qui possum symbolum non conspicere? Quomodo brachiorum nomine ejus potentiam infinitam non intelligam, cum de illo dicatur, manibus montes ipsos radicitus evellere, omnia vincere, debellare omnia? Quomodo in pœnitentiæ verbis non intelligam *effectum*, hoc est mutationem rerum vicissitudinum, numquam autem Provisoris mentis, cum novi, eum, qui semper *est idem*, voluntatis suæ æternæ nutu immutabilem vices omnes producere? Quid mirum, si Deus a Jobo (*c*) symbolice tamquam Princeps, qui inter aulicos suos assidens regni negotia transigit, nobis describitur, qui Angelis bonis, reisque consilia suæ providentiæ, qua regit homines, aperit? An non ille ipse Jobi liber nobilissimarum, eximiarumque divinæ amplitudinis notionum plenus est? At hospes sit prorsus, & peregrinus in tota antiquitate oportet, qui nescit, quam Orientalibus parabolarum, allegoriarum, symbolorum, ut hoc pacto animi motus sermonibus suis excitarent facilius, familiaris usus fuerit. Vel cursim pervolvat Clementis Alexandrini Stromatum librum V. qui avet de hac re ex innumerabilibus exemplis cujusque generis in eum congestis certior fieri. Et sane responsum hoc ita obvium Libertinus noster vidit: in alio enim capite iisdem pene verbis repetit difficultatem, quam hactenus examinavimus. *Ferunt*, inquit, (*d*) *allegoriis*, *& parabolis in sermonibus maxime Orientales uti*. (En invictam, rectissimamque consequutionem, quam hinc deducit) *De Scriptura nihil ad nos; ad illos spectat. Spiritus Sanctus non nisi ad Orientales est loquutus*. Audaciane, an furore opus est, ut hæc scribantur? At quo sermone, ab eo requiram, alloqui Hebræos, Hebræis scribere Hebræi debebant? Num Græco, num Latino, num Gallico, an Anglo? Atqui tunc ad Occidentales, non ad ipsos Scriptura pertinuisset. Tunc autem Spiritus Sanctus cum esset Occidentalis (liceat mihi cum hujusmodi hominibus ita loqui) omnibus populis voluntatem suam patefacere non potuisset; nisi ut quælibet emergebat lingua, hominibus novam revelationem dabat indoli, ingenioque illius idiomatis accommodatam. Si Scriptor a S. Evremontio (cui impius liberculus, de quo loquimur, tribuitur) præ Epicureismo, quem profitebatur, studuisset non dicam Theologiæ, sed quicquam Philosophiæ, & in sanitatem mentis rediisset, & bonam fidem didicisset, & numquam hujusmodi ineptias, nequid acerbius dicam, scripsisset, quæ non confutandæ, sed sunt contemnendæ; ut contemnendi sunt ii omnes, qui contra veritatem, integritatemque Revelatæ doctrinæ ejus puerilia deliramenta proferunt. Quod autem ad alia argumenta pertinet, quæ de mali permissione eodem in loco ab eodem Libertino afferuntur, dico, si quicquam vis haberent, etiam pura, putaque ratione solvenda esse, quæ non minus, quam revelatio nos docet, esse Deum provisorem hujus universi, & nisi ipse velit, permittatque, nihil posse contingere. Verum de hoc

(a) Præterquamquod quæ repugnantia est, Deum, licet immensum, in aliquo loco determinato se impressionibus sensibilibus præsentem Adamo præbuisse?

(b) *Hoc autem symbolice, & sub ænigmate proponitur secundum consuetudinem Sacræ Scripturæ, quæ res spirituales sub figuris rerum corporalium describit*. S. Thom. Lect. 11. in Job.

(c) *C' est, dit-on, que les allegories, & les Paraboles sont du goût, & du stile des Orientaux. L' Ecriture n' est donc pas pour nous; elle n' est, que pour eux. Le S. Esprit n' est-il que d' Orient*. Chap. 6. n. 6. Vid. etiam n. seq.

hoc argumento fuse Libro III. loquemur, in quo de secundo impietatis fonte sumus disputaturi.

§. III. Quidquid de Theoricarum doctrinarum veritate diximus, etiam de puritate Moralis Philosophiæ, quæ est in libris Veteris Testamenti, præcipue in *Paræneticis*, dici potest. Decalogus, qui rectæ rationis dictamina continet, potissimum est fundamentum totius Ethicæ Hebrææ; hoc superstruuntur pulcherrima, & purissima præcepta, quæ pro quovis personarum, adjunctorum, temporum genere Salomon præscribit. *Dei Timor, ejusque legis observantia totus esse homo* dicitur. Hoc est astrum illud polare, ut ita dicam, quo humanæ vitæ velificatio dirigitur; adeoque tuto dirigitur, ut in numero prope infinito sententiarum ad tot, tamque diversa hominum opera, & negotia, aut quoad Deum, aut quoad se, aut quoad sibi similes pertinentium, numquam a recto virtutis, rationisque tramite deflectatur, neque ad dexteram, neque ad lævam partem vel ex nimio rigore, vel ex nimia indulgentia declinetur. Beata, ajebat Plato, ea Respubl. foret, in qua aut Principes philosopharentur, aut Philosophi regnarent. Ille tamen, licet magnus, divinusque, ut vulgo appellatur, Philosophus esset, cum tamen aggressus est leges scribere, & Reipublicæ formam præscribere, in plurimos incidit errores; ita ut si Respublica illa imaginaria fuisset constituta, non modo beata, sed etiam infelicissima, paullatim prolapsa, demum una cum mole sua consepulta fuisset. M. Antoninus Imperator fuit, quod nemo negaverit, insignis Philosophus: neque a bona ejus scriptorum parte detrahenda laus est, probitatem, & honestatem ea præseferre, & rationi esse consona; at quot palmaribus, turpibusque erroribus scatent, etiam fatentibus, qui eorum sunt laudatores nimii? Unus Rex Israel nullibi errat: ille, unaque cum illo Filius Sirachi præcepta dant Oeconomiæ tutissima, vitæ Monasticæ sanctissima, artis Politicæ, quæ sola potest Solium Principis confirmare, Reipubl. felicitatem parere, consilia prudentissima (a). At undenam, adversarios Revelationis interrogo, privilegium hoc tam singulare Hebrææ nationi? Undenam caput unum Proverbiorum redundat pluribus, magisque cum ratione concordibus præceptis, quam opera omnia Platonis, Antonini, Plutarchi? undenam magis affectus animi movet & in eum blande sese insinuat, quam totum Epicteti Enchiridion, Cebetis Tabula, & quidquid demum summi, præstantisque celebris illa Stoicorum Ethica, Gentilisque sapientia jactare solet? Si ad rationem confugimus, quo mentis acumine hi non pollebant, quantumcumque gravioribus disciplinis non erant exculti? Aliquid amplius dicemus; ratio hæc, mens hæc quanto acutior, quanto subtilior hujus ætatis Libertinorum non extollitur? illi enim uni ex hominibus cunctis in errorum tenebris versantibus sapere creduntur: quanto illustrior, si illi uni de doctrina, de ingenio sæculi hujus tam eruditi judicium ferre possunt? Si tamen aliquando contingit, ut quædam de Morali Philosophia scriptitent (& Catechesis, quam ab adolescentia didicerunt, obliviscantur) certo certius est, viam turpitudini, vitiisque eos munire, ut alibi ad trutinam eorum principia revocantes evidenter demonstrabimus, quod quidam ex eorum recentibus Poetis uno versiculo fateri videtur, ubi de ratione loquens ait (b),

Excusas vitia, & virtutis nomine honestas.

Ratio ergo quæ numquam fallitur, quæ hominum cupiditatibus non obsequitur, quæ virtutis jura contra vitium secernit, tueturque, est humana ratione major, & a supremo lumine eam duci, erit fatendum.

§. IV. Utrumque demum supradictum decus veritas videlicet Theoreticæ do-

(a) Ut summatim collectum legatur quod hic innuimus; hoc est præcepta sapientissima Salomonis de his tribus gravissimis Moralis Philosophiæ partibus satis erit legere *Jacobi Benigni Bossuet in proverbia Salomonis Præfat. n. V.* & præterea *in Libr. Sapientiæ* ejusdem *Præfat. n. III. & IV.* Legatur etiam ejusdem Auctoris *Politica extracta ex verbis Sacræ Scripturæ.*

(b) *Tu fais justifier nos differens caprices,*
Et du nom de vertu tu decores nos vices.
Pope *essais sur l'ame pag. 92.*

ctrinæ, integritasque moralis Philosophiæ mirum in modum emicat, & in omnibus veteris Testamenti Historicis voluminibus se prodit. Omnia in iis tamquam ad fontem primum ad ejus providentiam referuntur, qui cum Mundum crearit, omnes illius vicissitudines e sententia sua disponit, moderaturque. Manifestatio illius invictæ potentiæ in attingendis fortiter finibus suis, justitiæ in ulciscendis criminibus, misericordiæ in exaudiendis precibus, fidei in solvendis promissis, sanctitatis in imperanda innocentia, & in sceleribus inhibendis; hæc, inquam, aliaque attributa, quæ inesse debent in Deo Universi creatore, & moderatore in his libris voce una, constantique describuntur. Hic Religio, quæ est cultus, quo supremo Numini honorem homo præstat, inter gravissima negotia primas tenet; & ars politica ei semper subjicitur. Principum solium illo innititur, quod tamdiu firmum est, quamdiu ab hac regitur. Vitium virtusque eodem semper aspectu ab his Historicis effingitur; neque unquam (quod sæpe evenisse legimus in prophanis Historiis) inter se confunduntur: non magnatum auctoritas, non amor patriæ, non amicorum gratia efficere possunt, ut ex his libris horror, quo respici debent crimina, deleatur, aut minuatur. Lex æterna Dei ab his Historicis ubique locorum, quovis sæculo regula una, veraque humanorum consiliorum, operumque habetur; hinc illa eadem animi ornamenta, quæ Machabæorum tempore Heroem constituunt, etiam Judicum ætate hujusmodi constituebant; illaque pietas, quæ in Davide Israelis rege laudatur, commendatur in Tobia in Babylonica captivitate. Hic passim edita a Deo oracula, prodigia patrata, edicta jussa; verum quantum hæc, ut ita dicam phænomena ab iis, quæ in Historicis Græcis, Latinisque legimus frequentissime, omnino discrepant. Multa crudelia, obscœna, rationi obsona, turpia reperies in illis, ita ut jure miremur, homines prudentes Herodotum, Diodorum, Livium, Tacitum, aliosque ea serio referre, & veluti divina tradere posteritati. In nostris Historicis autem semper internoscis nescio quid, quod illa aut ex amplis, rectisque finibus, ad quos referuntur, aut ex admirandis circumstantiis, quæ illa comitantur, aut modo ineluctabili, quo perficiuntur, a cælo descendisse, apertissime ostendit. Hoc tamen notatu dignum est, legere nos varietatem pene innumeram casuum, præliorum, captivitatum, fœderum, mutationum status, civilium certaminum, migrationum in exteras terras, vastationum, Principum crudelium, & falsorum Numinum cultorum, tyrannidum, descriptam ab Historicis nostris. Quid plura? Caput ipsum regni eversum funditus, Templum veri Numinis æquatum solo, sacerdotes dispersos, interrupta sacrificia, gentem Hebræam cum Ethnicorum colluvione permixtam, confusamque; inde post aliquot lustra, & generationum seriem in antiquas sedes regressam videmus. Tamen in his tot, tamque diuturnis vicissitudinibus immutantur omnia, Religio una immobilis permanet, semperque eadem; & sane ejusmodi nobis objicitur in his voluminibus ob oculos, ut neque in theoreticis, neque in moralibus dogmatibus immutationem nullam passa fuerit. Nullæ Religiones exteræ commiscentur cum illa, nulla Numina alibi exculta cum vero Deo societatem ineunt. Facinus hoc machinari omnium scelerum habetur pessimum; atque ideo non verbis quibuscumque, quod facerent Livius, Tacitusque, refertur, sed horrore summo ab his Historicis describitur, & a Deo exacta ab eo supplicia singillatim enarrantur. Tandem cum Historiis Prophetarum missiones una eunt, prædicationesque horum cum illarum narrationibus mire consonant. Ita ut in quinque, & quadraginta voluminibus (tot enim veteris Testamenti sunt) cernatur spiritus unus, qui illa informat, harmonia unius doctrinæ, quæ illa conjungit, relatio theoriarum, & successuum, quæ illa illustrat. In qualibet pagina reperitur Dei nomen, quodlibet caput pietatem præsefert; quo simplicior est stilus, eo vehementius movet, quo est candidior in narrationibus, eo clarius veritas elucescit, quo tenuiores, minorisque momenti casus sunt, eo majores Religio illos reddit, extollitque relatio, quam cum supremo Numine habent. Ut breviter dicam, fac legas quidquid jucundissimi habent Poetæ, quidquid acutissimi Philosophi, quidquid magnifici Historici, atque Oratores, intelligis loqui

qui homines; identidem enim humanum prodit; at si Scripturas pervolvas, offendesque sermones semper theorice veros, practice semper castos, similesque *argento igne examinato, probato, purgato septuplum* (*Psal. II.*), non potes, quin fatearis, hos Dei sermones esse.

§. V. Commode in locum hunc valde agitata hinc, & inde potissimum hac ætate quæstio, num in antiquo fœdere fuerit vita futura cognita, incidit. Joannes Clericus (*Biblioth. Ancienne, & moder. Tom. V.*) ex primis est, qui partem negantem propugnant, arbitranturque, post Græcorum imperium tantum, & circa ætatem Principum Hassamonæorum hanc opinionem, persuasionemque inter Hebræos invaluisse, quæ tamen in Machabæorum libris litteris cubitalibus reperitur. Belgico scriptori satis mihi erit addere Anglicum Villelmum VVarburtonem, qui e postremis fortasse hanc opinionem magno animi motu, magnaque eloquentia defendendam suscepit in libro inscripto *de Moysis Missionis divinitate &c.* (a) Statuit ergo auctor hic eruditus quidem, sed in paradoxa pronus nimis (*Tom. VII. par. 2. p. 384.*), *Genus humanum omne, potissimumque cultiores, doctioresque antiquitatis nationes credidisse, & docuisse omnes hujus dogmatis necessitatem*; hoc est pœnarum, præmiorumque in altera vita; cum sit hoc, ut ipse recte contra Bælium, aliosque probat, societatis necessarium vinculum. Gradum autem facit ad probandum, sub Oeconomia Judaica numquam hujus dogmatis factam fuisse mentionem; proinque, *cum illud Moyses numquam credendum proposuerit*, opinatur (*Tom. VII. pag. 406.*) *veteres Judæos nullam prorsus ejus notionem habuisse*. Ex quibus præmissis autem putat se posse colligere, Moysem hoc modo conditorem Reipub. quæ permansit, quin hoc dogma crederet, habitum a cunctis gentibus vinculum societatis necessarium, Legislatorem fuisse missum, & protectum a Deo peculiari modo. Titulus ipse illius libri diagramma totum ostendit. *Divinitas Moysis Missionis demonstrata . . . . . ex eo quod sub Oeconomia Judaica facta numquam dogmatis de præmiis, suppliciisque alterius vitæ fuerit mentio*. Haud immorabimur examini, quam hæc illatio recta sit; breviter tantum afferemus id, quod de secunda harum propositionum sentimus, quæ nimirum ad materiam hanc, quam præ manibus habemus, pertinet.

§. VII. Dico ergo I. certissimum esse Vetus Testamentum expresse non proposuisse nisi pollicitationes, & minas temporarias, ut Hebræos ad observantiam legis moveret; quin claram, apertamque bonorum, malorumque alterius vitæ mentionem faceret. Quicumque Moysis libros, Exodum Leviticum, & Deuteronomium legit, hoc verissimum esse sibi persuadebit. (b) II. At hic habenda est ratio sublimis doctrinæ SS. Augustini, & Thomæ, per quam a Lege Mosaica distinguere oportet pactum fœderis a Deo cum Adamo jam prævaricatore facto initi, iteratique postea cum Abrahamo simul cum promissione Messiæ, *in quo benedicenda essent omnes gentes*. In illo fœdere nulla fit expressa bonorum spiritalium, æternorumque mentio; verum in hac continentur. Atque hinc fit, ut Divus Paulus loquens de Abele, de Noemo, de Abrahamo, seu de Justis ante legem scriptam ait (*ad Hebr. cap. II. vers. 13.*) *juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas respicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram*. Hinc etiam derivatur perpetua Judæorum sub Mosaicæ legis jugo traditio, quæ sub velamine bonorum temporalium, ut docet idem Apostolus (*ad Hebræor. cap. 10. vers. I.*) *præfigurat bona futura*, id est bona æterna, & spiritalia. Et sane *genus humanum totum, & præsertim nationes cultiores doctioresque* hoc dogma cognoverunt, ut fatetur ipse VVarburton, & nos alibi evidenter ostendimus. Si ita est, ergo, inquio, Hebræi illud cogno-

(a) Possunt legi hujus operis copiosæ Epitomes in Bibliothecâ Britannica *Tom. XI. XIII. XVII.*

(b) *In illo Testamento, quod proprie Vetus dicitur, & datum est in monte Sina, non invenitur præmitti apertissime nisi terrena felicitas*. Augustinus *De Gestis Pelagii cap. 4. n. 14.* Vid. S. Thom. 1. 2. *quæst. 99. artic. 6.*

gnoverunt. Et sane qui umquam potuit hujus universæ persuasionis esse fons (*a*); nisi traditio a primo humani generis stipite progressa, & in ramos omnes propagata; & præterea hujus dogmatis cum clarissimis humanæ rationis notionibus conformatio? ut alio jam loco demonstravimus. Cur umquam fons hic traditionis universas nationes alluens, iter deflectere ab una Hebræa natione debebat, quæ, ut cuique patet, fuit rivus ille purissimus, rectusque, qui recepit, servavitque incorruptas eas notiones, quæ a primordiis rerum sunt derivatæ? Cur non poterant Hebræi conjunctionem hujusmodi dogmatis cum notionibus, quas de divina Providentia habebant clarissimas, videre, quæ cum in hac vita præmia, poenasque non omnibus æque dividat, ex necessaria consequutione fiebat, ut illa, & has in altera vita deberet impartiri? Non sum nescius, opinari VVarburtonem, Deum in veteri Testamento, (*Biblioth. Britan. Tom. XVII. par. 2. pag. 406.*) *insolita providentia dispartitum fuisse æque præmia, suppliciaque temporalia cum Reipub. universa, tum privato cuique*. At hoc est paradoxum Historiæ Patriarcharum, & Prophetarum lamentationibus aperte contrarium. Nulla ergo ratio est, cur dicendum sit, cognitionem alterius vitæ habitam a remotissimis usque sæculis ab hominum genere toto latuisse solos Hebræos. III. Præter cognitionem, quam hujusmodi dogmatis ex hoc patulo omnibus fonte Hebræi haurire poterant, ex aliis etiam nationi suæ peculiaribus principiis poterant eam deducere. Cujus aures non personabant promissiones Redemptoris factæ, ut diximus modo, Adamo, tum iteratæ Abrahamo, ejusque filiis clarissimæ? Redemptoris, inquam, in quo gentes omnes erant benedicendæ. Jam cum promissa hæc Patriarchis ob eorum eximiam obedientiam, & fidem facta, si omnia mors auferebat, nullum iis erant emolumentum allatura; cum fuissent in hac vita pauperes, afflictique, & cum hæc promissa salutassent a longe, ut ait D. Paulus (*b*); tum proclive erat Hebræis deducere, Reparatorem hunc ita expectatum, consolationis, speique omnium justorum fontem, & summa, & maxima emolumenta, quorum essent in altera vita participes, fuisse pariturum. IV. Excitabantur itaque temporariis pollicitationibus, & minis Hebræi ad legis complementum; at qui Messiam patribus suis promissum expectabant, non hæc tantum respiciebant: videbant, hæc tropos esse, & allegorias; sicut autem non in victimarum sanguine fiduciam suam collocabant, sed in Messiæ vindicta in victimis adumbrata, ita non ad mortalia hæc bona a lege litteraliter promissa, sed ad alia bona æterna iis velata spes suas erigebant (*c*). V. Expectatio ergo futuræ vitæ in gente Hebræa (*d*) erat con-

(a) Novi dicere VVarburtonem, *qu'aucun des anciens Philosophes n'a cru le dogme des peines, & des recompenses d'une autre vie: quoique tous les Philosophes Theistes, l'ayent enseignè avec soin, parce qu'il est la base de la Religion, & par consequent le soutien de la societè*. Biblioth. Britan. Tom. XII. p. 2. p. 216. Sed facile ex dictis a nobis alibi cognosci potest hujus propositi nis falsitas, sicut & illationis, quæ ea ea videtur enasci; hoc est Philosophorum prædicationem causam fuisse persuasionis hominum de dogmate, quod falsum Philosophi putabant. Lege supra, ubi egimus de consensu gentium de Religione. Vid. etiam Joachim Oporini *Hist. Critic. de Immortal. Mortal. c. 5.*

(b) *Juxta Fidem defuncti sunt omnes isti* (Patriarchæ) *non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se Patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem appetunt, idest cælestem*. Vide sequentia *Cap. 11. Epist. ad Hebræos*.

(c) Aliis verbis hoc idem dicit Anonymus recens scriptor celebris Abbas Prades asseela hujus sententiæ VVarburtonis; hæc inter cætera ait: *On peut envisager le Peuple Juif sous deux faces tres-differentes. Premierement en qualitè de Nation distinguèe de toutes les autres par un gouvernement, une police des loix, des privilèges que Dieu lui avoit donnè, en se dèclarant son Monarque particulier.... En a lieu, on peut regarder les Juifs, comme un Peuple, dans le sein du quel la vraye Religion etoit en depôt; comme l'azile de l'Eglise, ou de la Societè des Adorateurs du vrai Dieu*. Hoc posito pergit dicere: *Ainsi la Loi Mosaique considerèe comme fondement d'un etablissement national, & temporel n'avoit que des promesses & des menaces, ne proposoit que des peines, & des recompenses temporeles; au-lieu qu'à considerer les grandes vues de cet ètablissement par rapport à l'Eglise meme, la Loi ètoit une espèce de tableau emblèmatique, qui sous l'enveloppe des objets charnels figuroit les spirituels; en sorte que, raisonnant selon les principes d'une juste analogie, la foi des Israèlites èclairès & pieux trouvoit dans les promesses de la Loi, qui portoient uniquement sur les biens presens, un nouveau garand de la certitude des biens avenir. Court examen de la Thèse de M. l'Abbè de Prades* §. 4.

(d) Dico in natione, non dico in singulis Hebræis, ex quibus scimus quot essent terreni; qui non

conjuncta cum expectatione Messiæ, qui illam debebat producere: sicut autem negari nequit, secundam non semper floruisse, ita dicendum etiam est de prima.

§. VII. Progressu temporis per Prophetarum prædicationem clarior hujus dogmatis notitia fiebat; prænunciantes enim ipsi novum fœdus pronunciare, inquit Augustinus (*vide proximam præcedentem notam*) poterant regnum cælorum, quod ad novum spectabat, non ad antiquum Testamentum, per quod sine fide, & expectatione Messiæ ad illud veteres pervenire non poterant. Hinc S. Doctor post Synodum (vid. *eamdem notam*) Palæstinæ opinatus fuit, id scilicet significare locum illum Danielis allatum a Pelagio, *Suscipient autem regnum Sancti Dei Altissimi, & obtinebunt regnum usque in sæculum, & sæculum sæculorum* (*Cap.* 8. *v.* 18.). Quamquam etiamsi respiciatur tempus Danielem longe multo præcedens, quomodo fieri potest, inquio, ut legentes Psalmos scriptos annos quingentos ante Machabæorum tempora, inter metum, spemque, inter preces, animique motus Regis Prophetæ nullum aliud objectum sublimius bonis, malisque hujus vitæ, & non potius bona alterius vitæ sempiterna videamus? Qui fieri potest, ut Historiam Saulis (1. *Reg. cap.* 28.) ad Pythonissam progressi, ut spiritum Samuelis consuleret, legentes non cernamus in quavis pene linea persuasionem, animam morti corporis futuram superstitem? Qui fieri potest, ut post eam præfationem adeo suspensam Jobi, cujus liber a Criticis (*a*) doctioribus aut refertur ad Mosaica tempora, Moysique ipsi tribuitur, aut saltem antiquissimus creditur; *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stilo ferreo, aut plumbi lamina, & celte sculpantur in silice?* quomodo fieri potest, inquam, ut post præfationem hanc nihil aliud expectandum sit a Jobo, nisi se sperare vindicem, qui a temporariis ærumnis eum liberaret, ut volunt Clericus, & VVarburton, ac proinde hoc unum dicere voluisse verbis illis vehementibus, emphaticis, sublimibus, quæ sequuntur? *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Næ opus est vim veritati, & sibi adhibere, ut in hac sententia immortalitatis dogma non cernamus: mitto alia loca, aliasque animadversiones, quæ in hac materia fieri possunt ad multos veteris T. Libros. Legantur duorum Ord. Prædicatorum illustrium, doctorumque Theologorum opera, Patuttii (*de futuro impiorum statu Lib. I. c.* 6.) & Ansaldi (*b*), qui ex professo hoc argumentum pertractarunt; quibus addi potest Joachimus Oporinus (*c*), cujus habemus opus *de immortalitate animæ* eruditum sane, quod tamen ob stilum obscurum, incommodumque, quo scriptum est, Lectorem admodum patientem requirit. Hæc sufficiant, ut dicamus, VVarburtonis, & quicumque cum illo facit, opinionem longe a veritate abesse, antiquos Hebræos futuræ alterius vitæ nullam habuisse notionem. Legis verba expresse eam non enunciant, at fœderis systema totum illam supponit, & infert. Patriarcharum Historia eam indigitat. Prophetæ satis eam ostendunt; verique Israelitæ, qui Messiam operiebantur, semper eam crediderunt. In extremis tamen Libris, qui sunt Judith, Tobias, Sapientia, Machabæi magis expresse, & clare docetur non ex notionum mutatione, aut doctrinæ aliunde profectæ, (de quo dubitare nos non sinit custodia summa, quæ ab Hebræis in his rebus ad fidem spectantibus servabatur) sed ex consilio, inquit Bossuetus, (*Præfat. in Libr. Sapient. n.* 3.) Providentiæ sapientissimo, quæ volebat, ut, quo Messias solus æternæ vitæ dator propius accedebat, etiam apertius hæc hominibus prædicaretur.

N 4 CA-

nos comprehendentes legis spiritum ad V. Testamentum, ut ait D. Augustinus, pertinebant. *Quibus* (*terrenis bonis*) *etsi figurantur ad novum pertinentia spiritualia; tamen qui propter illa terrena suscipit legem Dei, ipse est heres Veteris Testamenti . . . Unde perspicitur, qui ad Regnum terrenum, & qui pertineant ad Regnum cælorum. Istam distinctionem, qui etiam illo tempore per Dei gratiam intelligentes, filii promissionis effecti sunt, Novi Testamenti heredes in occulto Dei consilio deputati sunt; etiamsi Vetus Testamentum per temporum distributionem divinitus datum populo veteri congruenter ministraverunt*. De Gest. Pelagii c. 5. n. 14.

(a) Vid. *Huetii Demonstr. Evangel. Prop. IV. De Libro Job & Calmeti Præfat. in Job.*

(b) *De Futuro Sæculo ab Hebræis ante captivitatem cognito. n.* 31. *& seq.*

(c) *Historia Critica Doctrinæ de immortalitate mortalium cap.* 3.

CAPUT UNDECIMUM.

Præstantia Novi Testamenti.

I. *Veritas, puritasque Doctrinæ in Libris Novi Testamenti; ejus præstantia supra Testamentum vetus.*

II. *Sublimes Theoriæ de Natura, & Attributis divinis. Novi prospectus, sub quibus hæc nobis explicantur.*

III. *Mysteria. Causam nullam habent Libertini, cur ea rejiciant.*

IV. *Trinitas Personarum in unitate Naturæ. Mysterium augustum, Deoque dignum, explicatum notionibus Evangelii.*

V. *Superius rationis inquisitionibus; proinde in Philosophis nullum est ejus vestigium; non tamen potest ostendi contrarium rationi.*

VI. *Incarnatio Verbi: quædam ejus vestigia in Veteri Testamento; similitudo in conjunctione animæ cum corpore. Paschalis cogitatum.*

VII. *Excellentia hujus mysterii. Ipsum est centrum totius systematis, insane rejicitur a Libertinis.*

VIII. *Æterna beatitudo ab Evangelio promissa; ignorata ab Ethnicis; sola potest efficere hominem felicem; ratio eam approbat.*

I. SI nihil aliud hic præstarem, nisi ut in Libris Novi Testamenti concentum perfectissimum doctrinæ cum theoricæ, cum pradictæ cum doctrina, quam hactenus examinavimus, Veteris Fœderis esse demonstrarem, jure ac merito dicere possem, me in hujusmodi Libris notam detexisse, quæ illos supra id, quodcumque Philosophi, & Legislatores doctissimi, & prudentissimi nos docuerunt, extollit, ac proinde peculiari Dei afflatu eos esse scriptos nobis fidem facit. Sed his cancellis argumentum nostrum non adstringitur; immo multo magis amplificatur ex illa præstantia, qua Doctrina Christi Moysis Doctrinam antecedit.

§. II. Atque ut a parte theorica, quæ ad Divinitatem pertinet, initium capiamus, attributa, quæ recta ratio debet in Ente supremo agnoscere & quæ vere in Veteri Testamento nobis significantur, hic etiam invenimus, at clariori, nobiliorique multo aspectu, quippe quæ ex iis excussa velis sunt, quibus, ut aptarentur populo illi corporeo, terreoque, identidem erant obvoluta. Audimus hic elata, claraque voce (*Joan.* 4. 24.) *Deum esse purum Spiritum, se velle coli in spiritu, & veritate.* Hierosolymitanum Templum haud solum est illius gloriæ Thronus, & scabellum pedum ejus, ubi victimas, thuraque exigat. *Deus* (inquit Paulus Areopagitis *Actor.* 17.) *qui fecit mundum & omnia, quæ in eo sunt, hic cæli, & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: fecitque ex uno* (*a*) *omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrorum. In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* (*b*) Habemus pau-

(a) Ita in Græco textu Ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος.

(b) Non sum nescius, hoc D. Pauli loco quosdam Libertinos abusos esse, ut ipso Spinosæ Pantheismum auderent dicere confirmari. Tolandus omnium Atheorum impudentissimus, qui in suis *Originibus* Judaicis labe illa, qua infectus est, vult & Moysem, & Scripturas inficere, ita inquit (pag. 157.) *Æquivoca sunt istæ loquendi formulæ*: Ens summe perfectum: Alpha, & Omega, quod principio caret, & fine: quod fuit, quod est, quod erit: omne in omnibus; illud, in quo vivimus, movemur, & sumus; *quæ Atheismo æque ac Theismo apprime congruunt: cum de præsupposita universi æternitate sint verissima omnes.* Nolo nunc probare, singulas has formulas in quavis hypothesi posse alii convenire, quam vero Deo: satis est animadvertere, pessima fide Tolandum eas *æquivocas* dicere, cum ignorare non possit, in Scripturis, e quibus eas desumpsit, illas cum adjunctis iis esse conjun-
ctas.

paucis verbis naturam illius ſupremi Numinis a Mundo omnino diverſi, Mundi totius Creatoris, rerum omnium Domini, immenſi, omnipotentis, rerum quarumlibet Moderatoris ſummi. At ejus Providentia etiam de rebus minimis quibus vivioribus, magiſque nativis coloribus pingi poterat, quam ut Matthæi (*cap.* 6.) pingitur? *Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus; neque corpori veſtro, quo operiemur? Nonne anima plus eſt, quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum? Reſpicite volatilia cæli, non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea; & tamen Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos pluris eſtis illis? Quis ex vobis eſt, qui poſſit adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, non laborant, neque nent. Ego autem*

ctas, ut a quovis alio ſubjecto eas abſtrahentes ſoli Deo O. M. quem colimus, oſtendant, illas convenire. Ille, *in quo,* inquit D. Paulus (quoniam in hoc verſamur loco) *vivimus, movemur, & ſumus,* eſt ille ipſe, *qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, & eſt Dominus cæli & terræ.* Jam qui umquam poteſt hoc convenire Spinoſæ, & Tolandi Pantheiſmo, qui Deum cum hac Mundi machina confundunt, vel, ut verius loquar, non aliud, quam hanc Mundi machinam agnoſcunt, cui ſtulte impieque Dei nomen attribuunt? In D. Pauli loco Deus eſt ens omnino a Mundo diverſum; quomodo ergo locum habere poteſt æquivoca vox, multoque pejus ſimilitudo? Hoc ipſo D. Pauli loco, & cum iis, quæ ſequuntur, opinatur Traductor Latinus Popii poſſe defendere quaſdam auctoris ſui ſententias tamquam Pantheiſticas reprehenſas; ſed vocet in auxilium quot *annexa, connexaque* libuerit, numquam verſus hos tuebitur, quos ita vertit: *Epiſt.* 1. v. 170. *Commentatio de homine.*

Quidquid ubique rei eſt, non eſt niſi portio Mundi;
Natura eſt corpus, Directrix corporis hujus
Mens, ratioque Dei eſt. Deus unus ſemper & idem
Cum rebus variis varie mutatur in horas.
. . . .
In zephyris recreat ſpirans, in Solibus ardet,
Emicat in ſtellis, in plantis floret, & herbis.
In vita vivit quavis, extenditur una
Rebus in extenſis; ſe expandit, nec tamen ullas
Scinditur in partes. Impertit munera large,
Et nihil amittit. Noſtræ in ſpiramine ſpirat
Mentis, & influxu ſuavi vegetatque, animatque
Mortalem noſtri partem &c.

Quis non videt his in verſibus dicendi Spinoſæ modos? Commentator id negare non audet; quare dicit; *loquitur Poeta cum Spinoſa, ſed valde diverſum ab eo ſenſit: Immo vero & loquitur, & ſenſit cum Scriptura Sacra.* Quid ſenſerit Popius, non quæro. At quoad ſermonem, quem Commentator vult congruere ſermoni Scripturæ, eum provoco, ut in ſacris litteris hos loquendi modos reperiat; *Deus eſt portio Mundi, cum rebus variis varie mutatur in horas, extenditur una rebus in extenſis &c.* Reſpondet, Scriptura *aſſerit, in Deo nos vivere, moveri & eſſe. Actor.* 17. Ibidem *Arati Poetæ vocem* τοῦ καὶ γένος ἐσμέν *non omnino improbat: Deum paſſim in nubibus, in tonitru, in ventis, in igne, in pluvia eſſe, & operari affirmat.* At, quæro, quæ ſimilitudo inter phraſes has, & illas Popii? Dicit D. Paulus, in Deo *vivimus, movemur, & ſumus;* at non ait, Deus *vivit in vita quavis;* neque *influxu ſuavi vegetatque, animatque mortalem noſtri partem,* multoque minus, *recreat ſpirans in Zephyris, ardet in Solibus.* Nulla conventio eſt inter verba Popii, & Arati, quæ D. Paulus non improbat; quæ nil aliud ſignificant, niſi homines originem a Deo ducere, & eſſe illi anima ſimiles. Ut etiam alii Scripturæ loquendi modi ſolam Dei præſentiam, & efficientiam in rebus omnibus, non *coextenſionem, animationem, vivificationem* earumdem notant. Nihil ergo Popium excuſant; & id injuria Commentator ait, *loquitur, & ſenſit cum Scriptura S.* Hic tamen mihi temperare non poſſum, ut non dicam, etiam Catholicum Auctorem his annis cum tetigiſſet hoc argumentum, loquutum fuiſſe ita, ut faveret Pantheiſmo. Hic eſt auctor operis inſcripti *De principiis Moralis Philoſophiæ collatis cum principiis Catholicæ Religionis.* In t. 2. Dial. 12. n. 29. ait, *divinam eſſentiam, Mundi & omnium rerum creatarum, quæ illum conſtituunt, eſſe veram formam, veram animam, per quam formaliter ſubſiſtit, & vivit.* Quod ut confirmet erratum, affert loca Virgilii, Manilii, Senecæ, Philoſophorum, Poetarum, quæ Spinoſiſtæ ipſi afferunt. Sciant tamen Religionis Catholicæ hoſtes, vix emiſſo in lucem hoc libro, in quo hic aliique ſunt errores, nos non tacuiſſe. Docti, piique viri excanduerunt. Summus Pontifex per Congregationem Indicis contagium impedivit, coegit Auctorem, ut palinodiam caneret hujus aliorumque errorum, in quos ex humana infirmitate fuerat prolapſus; quod ille fecit; foliumque typis edidit, quo eos errores retractat, & quoad locum a nobis allatum, proteſtatur Auctor n. 8. *ſe refutare, rejicere quemvis dicendi modum, qui videri poſſet ſyſtemati Stoicorum a Catholica Religione damnato favere.* Ita rejicit, refutatque quidquid numeris 29. & 30. in ſupradicto Dialogo ſcripſerat; ubi omnia ſane ſunt ejuſdem farinæ. Hic inter Catholicos mos eſt; ſi idem mos eſſet in Proteſtantibus, (qui e ſyſtemate ſuo id efficere nequeunt) inviti non viderent Atheiſmum, & Deiſmum impune in ſuis regionibus debacchari. Qui autem avet legere radicitus errorem hunc evulſum, & diſcere, quo modo ſecundum ſanam doctrinam Scripturarum, & Metaphyſicæ loquendum ſit de præſentia, & operatione Dei in omnibus rebus, legat D. Thomam Aquinatem, qui in tribus egregiis capitibus, hoc eſt 26. & 27. Libri I. & in 63. Lib. III. contra Gentes acutiſſimam quæſtionem hanc agitat; modos dicendi ſupradicti Auctoris *formaliter* rejicit, & Pantheiſmum veterem recentemque aggreditur, evertitque.

tem dico vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si Deus ita vestit lilium agri, quod hodie est, & eras in clibanum mittitur, quanto magis vos modicæ fidei? Hæc Dei Providentia tamen in Novo Testamento peculiari modo explicat quod ad meliorem hominis partem pertinet in altera vita; de qua non ita clare, ut observavimus, in Veteri Testamento dicitur. Anima immortalis, præmiorum largitio, pœnarum mulcta, væ illa respondentia gestis facinoribus, & Deus in judiciis suis justificabitur; hæc veritas, inquam, in pagina pene qualibet Evangelii reperitur. Ex hoc agendi modo tam plane explicato, rationique apprime consono intelligimus, non dicam ignota in Deo attributa, sed ignotam novamque eorumdem manifestationem, per quæ ille consilium illud summum exequitur. Cernimus in Deo misericordiam illo uno dignam, qui eo progreditur, ut amore majore quam paterno hominem infelicem, reumque recipiat; quique ex gratuita electione non pingues greges, non opimos agros lacte, & melle manantes, sed incorruptibilia, & æterna bona ei largiatur: Hic potentiam non elementorum victricem, sed quæ invicte flectit humanam voluntatem, & momento temporis e contumaci, indomitoque audiens dicto, piumque cor efficit. Hic Sapientiam, quæ in consiliis suis falli nequit, utpote quæ omnium eventuum est causa; at incomprehensibilem in suis judiciis, quippe quæ a nulla externa relatione pendet. Hic demum cernimus in Deo Justitiam, quæ eo magis se verendam præbet homini, quo acerbiores antiquis sunt pœnæ illæ, quas minitatur; Sanctitatem tanto magis splendidiorem, quanto magis impolluta debet esse illa perfectio, quam a Fidelibus exigit; hic Majestatem, amplitudinem, gloriamque hoc magis augustam, divinamque, quo admirabiliores sunt thesauri illi, quos in se contentos nobis patefacit.

§. III. At intelligit Lector, nos jam in Mysteriorum adyta progressos. Hæc enimvero est nota vera Evangelii, non solum ut superet mentis acumen, sed omnia Veteris Testamenti volumina, in quibus sublimissimæ hæ veritates adumbratæ tantum erant, longe, multumque antecedat. Scio hic horrendum Libertinos infremere, sed immerito. Ratio ipsa eos cogit, ut saltem attente audiant. Si enim Deus est, non modo possunt, verum debent etiam arcana mysteria quovis intellectu superiora in illo inesse. Si qua ergo revelare hominibus volebat (quod, ut probavimus, non repugnat) poterat hæc arcana iis manifestare. Ea illum revelasse, hoc est *factum*, quod nunc sumus demonstraturi. Cum sint igitur mysteria pars illius doctrinæ, quam nos Revelatam fuisse asserimus, exponi debent; suscepta enim demonstratione exposita, eorum *credibilitas* omnino statuetur; immo illa ipsa hoc se digna hujusmodi obsequio ostendent, cum nihil in se contineant, quod rectæ rationi dici possit adversari, immo omnia infinita divina excellentia sint dignissima.

§. IV. *In principio* (*Joan. 1.*) *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* En augustum Mysterium, quod nec Roma, nec Athenæ sapientiæ laudibus florentes numquam audierant. Deus fœcundus est: Deus, qui fœcunditatem dat rebus creatis, in se etiam decus hoc continet; non ut naturam suam immortalem propaget; sed ex plenitudine naturæ suæ perfectæ Deus est fœcundus, & sine mutatione, vel divisione, vel tempore, quin aliena permixtione indigeat, in se ipso alium seipsum generat. Ecce Patrem, ecce Filium (a). Extollit vos supra sensus, removentesque ab idea Patris quidquid imperfectum est, solam communicandi naturam suam facultatem in eo agnoscite; eamque Deo dignam videbitis. A Filii etiam idea quidquid imperfectum est, removete, & hoc unum in eo agnoscite, ut trahat originem, ut habeat naturam Patris, & hoc dignum Deo admiraminor. Filius hic dicitur *Verbum*; Pater enim qui substantialiter, perfecte, æternum cogitat, neque cogitat, neque vero cogitare potest quicquam aliud, quam

(a) Vid. Bossueti *Elevation à Dieu, seconde Sémaine* nemo mea sententia inter recentes scripsit de hoc ineffabili mysterio majori excellentia cogitationum, & proprietate verborum.

quam seipsum, exprimit, generatque imaginem substantialem, perfectam, & æternam sui ipsius. Hic est illius partus, hæc æterna illius generatio, perfectaque. Isthæc autem imago ab intellectu Patris procedens dicitur Verbum. Hoc Verbum *est splendor* (ad Hebr. 1.) *& figura substantiæ ejus*. Omnia igitur, quæ sunt in Patre, sunt etiam in Verbo; (*a*) quia autem in Deo nihil est *accidens*, omnia hæc, quæ in Filio sunt, de substantia Patris; ideoque Verbum est Deus, ut Pater Deus est, & habet (*b*) *in semetipso vitam* substantialem, & divinam, *sicut Pater habet vitam in semetipso*. At quoniam substantia hæc, vita hæc divina, quæ est in Patre, quia est spiritalis, immortalis, perfectissima, expers divisionis est, partiumque, fit, ut vita, & substantia, quam Filius hic habet a Patre, sit vita ipsa Patris, Patris ipsa substantia: Atque ideo *Filius* (*c*) *fuit semper in sinu Patris*, *Verbum fuit in principio apud Deum*, *& Verbum erat Deus*, *& unus solus Deus* (*d*) *cum suo Patre*. Solus, inquam, in Natura ob indivisibilitatem essentiæ; at distinctus in Persona, quia procedens, & trahens hanc Naturam a mente fœcunda Patris. Quæ angustior, Deoque dignior notio? Quid est in hoc Mysterio quod repugnet Enti in quovis genere infinito? At pergamus porro. Filius hic, qui est Patris substantialis imago, quia omnes ejus perfectiones in seipso exprimit, est etiam, in quo Pater necessario, æternum, incomprehensibilique ratione sibi complacet. Eum diligit; qui autem eum diligere non potest? At Filius hic dilectus mutuo Patrem diligit: quoniam autem mutuus hic amor dignus Deo est, est substantialis, ut est cogitatio; Tertia prodit Persona, quæ est Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedens, habensque ab utroque, ut ab uno fonte vitam, substantiam, & perfectiones omnes infinitas, & proinde Deus (*e*) *immortalis*, *invisibilis* non secus ac Pater, & Filius, *unus*, *sapiens*, *Deus*, *cui est honor*, *& gloria in sæcula sæculorum*.

Mysterium itaque hoc est maxime sublime, & quod in nobis Naturæ eo altiorem Divinæ Naturæ notionem excitat, quo quavis naturali creatæ mentis inquisitione majus, magisque inaccessum cognoscitur. Omnes Veterum Philosophorum insignes sententiæ, in quibus putarunt quidam, se hujusce arcani mysterii vestigia quædam reperire, sunt, ut dicam quod sentio, commenta, & somnia; (de iis præcipue si loquamur, qui Evangelium præcesserunt.) Hinc eruditissimus Huetius (*f*) post testimoniorum in hac re prolixam collectionem, in quibus numerus hic ternarius ad Divinitatem translatus legitur sæpe; Huetius, inquam, cujus scimus quantum esset studium ad internoscendas inter Ethnicas umbras Fidei veritates, fatetur, horum neminem omnium ne cogitasse quidem de divinarum Personarum *consubstantialitate*; in qua nimirum ineffabilis mysteriis nucleus consistit. Quamobrem ii, qui Revelationis deserta face voluerunt se accingere Platonicis notionibus de hoc mysterio ad verba facienda, in errores turpissimos sunt prolapsi; confirmatumque est illud (*g*)

Nullum lumen adest, veniat nisi lumine ab illo
Quod nulla obducunt nubes; est immo tenebra,
Aut carnis corruptæ umbra, illiusve venenum.

Cum non possit ergo ab humana ratione

(a) *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt*. Joan. 16. *Qui videt me, videt & Patrem*. Joan. 14.
(b) *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*. Joan. 5.
(c) *Unigenitus Filius Dei, qui est in sinu Patris*. Joan. 1.
(d) *In principio erat Verbum; & Verbum erat Apud Deum*. ibid. *Ego, & Pater unum sumus*. Joan. 10.
(e) ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ σοφῷ θεῷ &c. ad Timoth. 1. 1.
(f) *Caruerunt* (Gentes, & Philosophi) *cognitione ὁμοουσιότητος, quod in Platonicis arguebat Cyrillus*, (contr. Julian. Lib. VIII.) *nec eam, uti debuerunt, ad tres illas Hypostases adjunxerunt; nec triplicem illam a Deo removerunt distinctionem, quæ infert diversitatem naturæ, & inæquales diversitatis gradus: Ad quæ cum impegisset Arius fide excussus in errorem præcipitavit*. Alnetan. quæst. Lib. II. cap. 3.
(g) Lume non è, se non vien dal sereno,
Che non si turba mai; anzi è tenebra
Od ombra della carne, o suo veneno. Dante *Parad. Cant.* 19.

ne hoc mysterium detegi ; & quoniam Revelatio illud nos docuit, cum non possit comprehendi *modus*, non esset nisi summa insania, si rejiceretur; quandoquidem, ut optime addit idem Poeta (*a*)

Ecquis es, ut credas, res te discernere longe
Tam positas, visus tibi sit cum haud longior ulna?

Quantum autem hæc differant, mysterium hoc est *superius* rationis lumine, & rationis lumini est *contrarium*, & cur hæc secunda oppositio in nostris mysteriis esse non possit, contra Bælium supra ostendimus. Hanc oppositionem esse in hoc augusto Trinitatis mysterio, ajunt Libertini, sed numquam eam demonstrarunt. Infirmitasque eorum argumentorum liquido apparet ex eo, quod Entis in quovis genere infiniti essentiam, & amplitudinem ideis, modulisque suis, quos desumunt ab Entibus creatis, circumscriptis, definitisque, metiri volunt. (*b*)

§. VI. Progrediamur ad alias veritates altissimas, quas de Divinitate nobis Evangelium patefacit, considerandas. *Verbum*, (*Joan.* 1.) *quod erat in principio apud Deum, caro factum est; & habitavit in nobis plenum gratiæ, & veritatis*. In antiquo Fœdere identidem ante copiarum aciem, aut in montium verticibus sub humana assumpta forma Angelus Dei vicibus fungens cernebatur; immo antiqui Doctores senserunt, Verbum ipsum Dei iis humanis indutum spoliis Moysi in Sina, aliisque fidelibus servis suis apparuisse. Erat illud præsagium alterius apparitionis, quam statuto tempore in terris cum hominibus erat facturum. Et sane cur non poterat Verbum Divinum sub humana natura assumpta, non ut externis apparitionis brevissimæ causa exuviis, at ut natura perfecta, subsistente, conjuncta cum Divina sua Persona se conspiciendum hominibus præbere? Conjungitur cum corpore materiali, terreoque anima, quæ purus, putusque spiritus est, constituiturque ex hac conjunctione animæ & corporis homo; conjunxit secum humanam naturam Verbum, quod est verus Deus; & ecce Christus. Cuperem summopere horum Naturalistarum audire aliquem, qui ab hoc mysterio credendo tantum abhorrent, explicantem modum, quo spiritus extensione carens (qualem lib. 1. Animam nostram esse, ostendimus) cum corpore conjungatur, & cum illo tam arctum habeat commercium? Vidimus alibi, quantum huic nodo solvendo præstantes doctrina viri insudarint, at novimus etiam quam parum eorum systemata approbentur, & arrideant. Num ideo junctionem horum duorum Entium animę & corporis dari inficiabimur? Unitur ergo cum humanitate Verbum Divinum; at quamvis permixtio, confusioque duarum naturarum non fiat, secum tamen eam naturam inferiorem *hypostatice* conjungit, & tamquam proprium, unitumque divinarum suarum operationum instrumentum assumit; sicut anima rationalis copulatur cum corpore, tamquam cum instrumento non extraneo, non separato, sed proprio, & proximo suarum actionum (*c*). Si causa requiratur, qua fuerit permotus Deus, ut opus tam *ineffabile* patraret, respondebunt Scripturę, amorem incomprehensibilem in hominem causam fuisse; si emolumentum, quod homo percepit, dicent, hoc fuisse, ut hic haberet Pręceptorem, qui ignorantię tenebras, in quibus cęcutiebat, disjiceret, ut haberet Mediatorem, per quem ipse reus, & infirmus posset reconciliari, sanarique. Horum autem indigere hominem,

(a) Or chi se' tu, che vuoi sedere a scranna
Per giudicar da lungi mille miglia
Colla veduta corta d'una spanna?

(b) Leg. D. Thom. *Lib. IV. cont. Gent. cap.* 14. qui objectiones Libertinorum contra hoc Augustum mysterium solvit eo meliori modo, quo mens creata, quæ de ineffabili hoc mysterio loquitur, potest; quod tamen sufficit ne Libertini quid majus expectent.

(c) *In omnibus rebus creatis nihil invenitur huic unioni tam simile sicut unio animæ ad corpus .... Unde propter hanc similitudinem Athanasius dicit in Symbolo quod* ,, sicut anima rationalis, & caro ,, est unus homo, ita Deus & homo unus est Christus. ,, *Sed cum anima rationalis unitur corpori & sicut materiæ, & sicut instrumento, non potest esse similitudo quantum ad primum modum unionis: sic enim ex Deo, & homine fieret una natura, cum materia, & forma proprie constituant naturam speciei. Relinquitur ergo ut attendatur similitudo secundum quod anima utitur corpore ut instrumento: ad quod etiam dicta Antiquorum concordant, qui humanam naturam in Christo organum quoddam posuerunt, sicut & ponitur corpus organum animæ.* S. Thom. IV. cont. Gent. cap. 41.

nem, homo nullus omnium est, qui non intelligat ac sentiat. Hęc esse Incarnationis emolumenta Christianus quicumque optime novit. Et sane probavimus alibi, etiam priscos Philosophos cognovisse, hominem esse corruptum, & ut dicebant, & a natura, non tamquam matre, sed veluti matertera in lucem edi, cum non sit (quidquid false Voltęrus cum suis Naturalistis scriptitet) *ille qui debet esse*. Viderunt, inquam, id Philosophi, at causam tanti morbi ignorarunt, nec proinde quęrere medicinam sciverunt. Itaque hoc *ænigma*, ut illud Paschalis vocat, a nulla Religione explicatum, & cęteroquin necessarium, quod explicetur, sola Christiana Religio dissolvit. Incarnatio Verbi, ut Deum inter & hominem esset Mediator, nos docet, nasci nos universos, & singulos Dei inimicos, & originalem noxam esse ęrumnarum nostrarum fontem pestiferum; a quibus nostris viribus nosmet vindicare non possumus; at hoc remedium nos habere tantum posse ex gratia illius, qui cujuslibet expers criminis, plenusque divinitatis unus poterat nos cum Deo conciliare, & quodvis bonum nobis impartiri: *est itaque* (ita loquitur Paschalius) *aque necessum hominibus utrumque hoc dogma scire. Est aque exitiosum homini Deum cognoscere, quin infirmitatem suam, quin Redemptorem, qui afferre remedium potest, cognoscat. Una harum cognitionum Philosophorum superbiam fovit, qui Deum, non morbos suos cognoverunt, aut Atheorum desperationem, qui morbos suos vident, Redemptorem non aspiciunt. Cum autem aque necessaria horum duorum capitum homini cognitio erat, tum erat Dei misericordia ea nobis revelare. Id Christiana Religio prastat, atque hoc est illud, in qua ipsa consistit*. (*Pensées, sur la Relig. II.*)

§. VII. Cęterum in hoc mysterio nihil est, quod Deo dignum non sit (*a*); immo in hoc, quam in cunctis naturę operibus, totoque in veteris Fœderis systemate divina Attributa clarius emicant. Justitia, quę a mediatore hoc ob totius mundi crimina satisfactionem, quod ab homine Deo persoluta fuit, pretii infiniti accepit; Sapientia, quę disponit seriem omnem antecedentium sęculorum, conjungitque simul seriem futurorum cum opere ita magno. Homo Deus hic est totius Systematis centrum, per quod omnia fiunt, omnia disponuntur, omnia conficiuntur in cęlo, & in terra. Per illum vocantur Patriarchę, afflantur Prophetę, unguntur Reges, pręscribuntur sacrificia, dantur leges, ostenduntur figurę, eduntur oracula, & pactione admirabili, solemnique eligitur ex cunctis nationibus, propagaturque inter vices tot sęculorum domus selecta, ut eum secundum carnem generet. Quid dicam de aliis divinis perfectionibus in hoc mysterio manifestatis? Nascitur ex intacta Virgine; atque hic unus conceptus, partusque erat Deo dignus: vitam degit, ejusque vitę tenor omnium virtutum lucidissimum exemplar est; loquitur, ejusque doctrina patefacit & sapientiam, & sanctitatem quavis laude majorem; operatur, ejusque prodigia in admirationem mortales omnes pertrahunt; moritur ob suorum adversariorum odium, verusque homo apparet; post dies tres resurgit vi suæ omnipotentiæ, incredulisque verus Dei Filius apparet. Successus hic, qui dici potest anulus ultimus hujus pretiosæ catenæ, antiquorum promissorum omnium confirmatio, argumentum prædictorum mysteriorum veritatis invictum; successus, inquam, hic, quem millia millium martyrum sanguine suo sunt testata, tot Doctores scriptis defenderunt, quem unanimis omniumque sæculorum consensus credidit, his potissimum temporibus examen artis criticæ severissimæ, justissimæque subiit; cer-

(a) Scimus ex D. Paulo, hoc ineffabile mysterium detectum visum fuisse Hebræis scandalum, gentibus autem stultitiam: at sapientia, virtusque ejusdem fuit ab omnibus tandem cognita ob argumenta omnium generum, quibus fuit confirmatum. Veritatis hostibus, qui mysterium hoc ut Deo indignum ducebant, Catholici Doctores responderunt. Breviter at valide D. Thomas hoc argumentum pertractavit, collegitque viginti sex capitibus omnes objectiones, quas impietas excogitare potuis (*IV. Cont. Gent. cap. 53.*) respondितque, & triumphum retulit (*cap. 55.*). Legant ergo hostes recentes hujus mysterii Doctorem hunc, & legat præcipue hodiernus auctor Libri *Examen de la Religion* supradictus, qui fatuitates, & sophismata a se cap. 4. & ab aliis impiis collegis tot libris in hoc augustum Mysterium objecta inveniet iisdem pene verbis relata jam ab hinc sæculis quinque, & invicte fracta.

certissimusque inventus est; quod Libertini ipsi licet ingratiis suis fatentur; quandoquidem evidentiæ argumentorum nonnisi conviciis ex trivio desumptis, nisi venenatis morsibus, quæ omnia viros prudentes, honestosque dedecent, respondere solent.

§. VIII. Verum non erat tellus eo sedes digna, qui *Regis sæculorum immortalis, invisibilisque* verus Filius est. Sicut autem propria virtute a mortuis resurrexit, ita propria virtute ad cælos ascendit: ascenditque, iis videntibus, qui de omnibus testimonium perhibuerunt, & veritatem eventuum sanguine suo defenderunt. Eo migravit locum æternæ beatitatis iis, qui in terris ejus fidem caste, integreque servassent, præparaturus. Quæ, qualisque, & quanta esset quies hæc, Hebræi (vulgo) nonnisi per figuras, at ita tenues, ita remotas, ut a regione stellarum Palæstina distat, sciverunt. Philosophi Gentiles (Vid. *Huetii Alnetan. quæst. Lib. II. cap.* 24.), simulque Poetæ de *campis Elysiis, de Beatorum insulis, de cælestibus sedibus*, ubi inter voluptates, conviviaque felicem Heroum manes vitam degerent, verba fecerunt. Mahumedani rentur, cælum esse fœminarum ergastulum, in quo cum illis perpetuo vivent; & fortasse Libertini operibus carnis dediti, & sola terrestria inquirentes non gravate cum Mahumedanis vellent vivere. Alloquitur Evangelium homines, qui se animum præditum cognoscendi, amandi, fruendique bono infinito facultate habere sentiunt: his ergo ait, esse *Regnum Dei (Roman. 14.) non cibum, non potum, sed justitiam, & pacem, & lætitiam in Spiritu Sancto*. Iis ait, exulare ab eo loco luctum doloremque, motus animi in perfectissima futuros pace, quia spiritus creatus cum Spiritu Creatore primævo, & archetypo cujuscumque veritatis, boni cujuscumque fonte erit conjunctus. Cum cognoscetur, qualis est, infiniti æternique veri pulchritudo cognoscetur. In eo amando immutabile, perfectumque bonum amabitur; ex hac autem cognitione, & amore in spiritum voluptas pura, æternaque superedundetur. Opinio est, Malebranchii (*Recherch. de la verité*) in hac vita quidquid homo videt, quidquid cognoscit, eum in Dei essentia intime cum anima conjuncta videre, & cognoscere. Voltærus (*Lettr. Philosophiq. lettr.* 13.) hanc, aliasque hujus ingeniosissimi Metaphysici *Illusiones sublimes* vocitavit. At Voltærus, ut felix erat in aliquo Idylio componendo, ita certare cum illo de ratiocinio non poterat. Hæ duæ voculæ scitulæ *illusiones sublimes* illi, ejusque amicis contra quodcumque systema sunt demonstrationis instar. Haud intendimus, docti Galli sententiam tueri; hoc unum dicimus, numquam posse ostendi, fieri non posse, ut Deus, quod nobis Evangelium testatur (*a*), se proxime videndum præbeat; & *facie ad faciem* spiritui creato; & in hujus conjunctione hic felicitatem suam perfectam possit reperire; immo perpendentes ex una parte quidquid Philosophi de ultimo hominis fine tam varie opinantes, quas opiniones recensent Varro, & D. Augustinus (*De Civitate Dei Lib. XIX. cap. I. & seq.*), senserunt, ex altera speculantes hominis cupiditates, propensiones, voluntatem, inveniemus, cum sint hæ in infinitum extensæ, neque bona omnia creata cum satiare illum possint, Deum, qui solus infinitus est, esse etiam solum, qui possit eum omnino contentum efficere; ac proinde solam beatitatem, quam nobis Evangelium promittit, esse unam, quam expectare debemus.

Lumen inest illic, per quod sese ille Creator
Objicit aspiciendum homini, qui cum videt illum.
Gaudet in immensum, simul ardescitque tuendo. (*b*)

Hoc specimen breve est capitum præcipuorum Doctrinæ Evangelicæ, quibus qui præjudiciis non agitur, numquam quicquam jure poterit opponere; immo quo attentius doctrinam hanc considerabit,

(a) *Videbimus eum sicuti est*, 1. Jo. 3. *videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*. 1. Cor. 13.

(b) *Lume è lassù, che visibile face*
Lo Creatore a quella creatura;
Che solo in lui vedere ha la sua pace. Dantes Parad. cant. 30.

hit, hujusmodi notionum præstantiam, cogitationum concentum, veritatis systema in ea reperiet, ut longe multumque humanum captum eam superantem agnoscens illam Deo dignam fateri sit cogendus.

CAPUT DUODECIMUM.

Evangelii Spiritus.

I. *Ethica Evangelica: ipsa est complementum & perfectio Legis veteris.*
II. *Fundamentum, quo distinguitur, hujus disciplinæ morum est Amor Dei. Errores Dacieri.*
III. *Modi præscripti ad coercendam cupiditatem. Quam præstantes.*
IV. *Hic in intima humani cordis penetralia descenditur: intentio regitur: virtutes falsæ Philosophorum, & Pharisæorum: Jesus Christus exemplar perfectionis nostræ.*
V. *Præcepta Evangelica particularia de Decalogo. Cultus divinus interior, & exterior; quam sublimis; quantumque Hebræorum cultum superet.*
VI. *Amor proximi perfectus, jussusque etiam in inimicos. Officia humanitatis, & benevolentiæ in omnes.*
VII. *Alia officia in alios correcta. Nuptiæ integerrimæ: Ratio vivendi tota sanctificata.*
VIII. *Quo sensu Christus adimpleverit legem. Perfectionis consilia. Animadversio notatu digna. Dicteria cujusdam impii derisa.*
IX. *Anima Evangelii est* Gratia: *sine ipsa nihil potest fieri: stulte neglecta a Libertinis, indoles ejus, & vis.*
X. *Modus eam per orationem obtinendi; quantum ab Evangelio hæc inculcetur.*
XI. *Ex effectibus cernitur gratia; ex gratia demonstratur Evangelii divinitas. Conclusio.*

§. I. Cum doctrina speculativa ita vera, sublimique, qualis est ea, quam in Evangelio doceri modo demonstravimus, nisi pura, & præstantissima doctrina morum non poterat conjungi. Videbitur initio statim nihil in hoc genere, quod Mosaica Ethica, de qua jam verba fecimus supra, sit excellentius, posse dici. Rectissima ratio detexit ibi doctrinam nullis conspersam erroribus; & fundamenta immobilia, qualia sunt, existentia æterna *Dei* infiniti, *hominis* ab eo creati natura, aliorumque sibi similium fratris, rectissimis notionibus exprimuntur; leges ad Religionem, & ad societatem pertinentes, quæ his sustinentur fundamentis, deductæ, indictæque eo modo, quo nullus umquam vel Philosophus, vel Legislator fecit. Quid ergo in Evangelio dici poterit amplius? Respondeo (si sapienter velit comparatio iniri) quantum Hebræi super Ethnicos sese extulerunt, tantum Hebræos a Christianis quoad Ethicam vinci. Facessant igitur Leges *cæremoniales* (a), quæ sicut Christi venturi erant figuræ, ita eo in terris nato, evanuerunt; & *judiciales*, quæ cum institutæ essent, ut singularis ille populus regeretur, nunc inutiles omnino sunt. Naturales, quæ in Decalogo continentur, quod æternæ immutabilesque sunt ab Evangelio *solutæ* non sunt, immo

(a) *Cæremonialia* (præcepta), *adeo sunt* evacuata, ut non solum sint mortua, sed etiam mortifera observantibus post Christum... Præcepta autem Judicialia non sunt instituta ad figurandum, sed ad disponendum statum illius populi, qui ordinabatur ad Christum; & ideo mutato statu illius populi Christo jam veniente, obligationem amiserunt. S. Thom. 1. 2. quæst. 104. art. 3.

mo perfectæ, *adimpletaque*. Atque in hoc Evangelicæ doctrinæ præstantia consistit.

§. II. Legislator ergo noster divinus docet (*Matth.* 22.) *primum*, *& maximum præceptum esse amare Deum ex tota mente, ex toto corde, & ex omnibus viribus*. Hoc denotat spiritum peculiarem, propriumque legis Gratiæ non in tabulis lapideis inter minas, & promissa pœnarum, præmiorumque temporalium insculptæ, at impressæ in cordibus suavi cum impulsu in Deum, tamquam Patrem, cum spe, quæ non confundit, æternæ gloriæ, veluti amoris nostri centri, præmiisque hujus legis observantia digni. Supremum hoc præceptum datum etiam fuit Hebræis ex vi Fœderis cum illis initi, de quo alibi loquuti sumus; fidelesque ejus cultores merito ad novam Gratiæ legem pertinere sunt dicti. Lex Mosaica interea denuntiata cum temporariis minis supervenit; non ideo tamen spiritus Fœderis ablatus fuit. Hebræus carni deditus ab hoc spiritu discedens supplicia, præmiaque terrea spectavit. Potius quam sancto amore, qui filios moderatur, accenderetur, instar servi tantum ad agendum impellebatur. Amor hic itaque, caritas hæc cælestis movere debet, & ad Deum dirigere non modo aliorum præceptorum observantiam, sed etiam quæcumque alia opera nostra: quare D. Paulus nos monet (*ad Coloss.* 3:), *quidquid facitis, omnia in nomine Jesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum*. Hæc est illa virtus, quæ efficit, ut opera nostra vim habeant, & meritum, & sine qua nihil sumus. *Etsi* enim (inquit idem Apostolus 1. *ad Corint.* 13.) *habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Jam de hac caritate tam excellenti, omnium virtutum regina, quæ Deum sibi objicit amandum, & ad eum tamquam ad finem ultimum hominem non minus debito quam nobili obsequio, ut se totum Deo dedicet, extollit; de hac, in quam, nihil Philosophi docere potuerunt, qui *cum Deum (Roman. I.) cognovissent, non glorificaverunt, neque gratias ut Deo egerunt*. Neque enim magni facienda est recentis Auctoris (*a*) sententia asserentis, Platonem, & Zenonem, & Imperatorem Antoninum post eos *statuisse, necessario amandum esse Deum, illi inserviendum, laborandum, ut ejus sanctitatem, & justitiam imitemur; hanc unam esse veram felicitatem, cum Deo uniri*. Satis est legere horum Philosophorum opera, ut quam sint inania, sensusque expertia hæc, & his similia verba, quæ identidem scripserunt, intelligamus; & in quibus furore certe non multum laudando, putarunt nonnulli (quod alibi innuimus) Christianam Theologiam se reperire, & præsertim Dacierus, qui scribere non dubitavit, *cum apud Judæos obmutuissent Prophetæ, Deum suscitasse Philosophos, ut inciperent docere Gentes, & Evangelii principia Athenis tradita fuisse*. Hæc, ut mitius loquamur, somnia mera sunt, de quibus merito coargutus, confutatusque fuit a P. Balto e Societate Jesu opere maximopere erudito (*b*): & quidquid nos diximus, cum de Ethica antiqui Fœderis agebamus, & quidquid nunc de Christi morali disciplina dicturi sumus, ejus errorem planiorem faciet.

§. III. Quia tamen caritati opponitur cupiditas, quæ est immodicus nostri amor, qui in eas res, quæ sensus nostros alliciunt, superbiamque fovent, nos rapit; ex quo fit, ut caritas extinguatur, & omnia alia præcepta violentur, hic est, ubi Christi Jesu Ethica præstantiam suam exerit modos nobis indigitans, quibus vehemens, funestusque hic affectus nisi radicitus evellitur, reprimatur saltem, subjugetur, imperioque caritatis subjiciatur.

Itaque nobis generatim indicitur, ne amemus (1. *Joan.*) mundum, neque res, quæ in eo sunt, diciturque, has res esse *cupiditatem carnis, cupiditatem oculorum, & superbiam vitæ*, hoc est voluptates, divitias, fastum, quibus cor suum Christianus apponere non debet, sed magnanime despicatui habere. Hoc opportune con-

(a) Mr. Dacier. *Discours sur Platon, & preface sur les Reflexions Morales de l'Empereur Marc Anton*.

(b) *Parallele de la Philosophie Chretienne avec celle des Payens*. Livr. II. chap. 5.

consequitur per carnis macerationem, per bonorum suorum pauperibus distributionem, per tolerantiam incommodorum, spectaculorum fugam, gloriæ, honorumque contemptum: quæ omnia peculiaribus Lectionibus nobis ab Evangelio inculcantur; omniaque autem monito illo Christi cuique dato, hoc est, ut (*Luc.9.*) *tollat crucem suam*, & eum pauperem, humilem, contemptum *sequatur*, continentur. Animum enim a rebus his corporeis removere humanæ fragilitati tam grave non potest non esse, quam parti nostrum potiori, animam intelligo, est utile. Et sane si illorum bonorum amor *hominem demergit ad mortem* (1. *ad Tim.* 67.), eorumdem contemptus ad motibus caritatis obsecundandum, quæ in bonum infinite supremum ardet, ut in terris *degens* (*Math.* 11.) *suam conversationem in cælis habeat*, idoneum facit; *quod quidem cælorum regnum vim patitur, & violenti tantum rapiunt illud*. Hic est scopus, hæc meta totius Christianorum Ethicæ, quibus ideo indicitur, *ut quærant quæ sursum sunt, non quæ super terram, ubi Christus ad dexteram Dei sedet; quæ sursum sunt sapiant, non quæ super terram* (*ad Colos.* 3.). In antiquo Fœdere observantibus legem pingue solum, magna proles, ex hostibus victoriæ, ætas longæva prmittebantur: nobis dicitur, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Dei; beati qui lugent, quoniam consolabuntur; beati qui esuriunt, quoniam saturabuntur; beati mundi spiritu, quoniam Deum videbunt; beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth.* 5. & *Luc.* 6.)

§. IV. Præcepta hæc, ut cuique patet, in abdita humani cordis adyta illabentia & ejus regunt consilia, & ad id quod est altissimum, nobilissimumque illud convertunt; proinque eam perfectionem, quæ verax est, residet in animo, sine qua opera omnia, magna licet & excellentia, inania sunt, deficiuntque, immo ob intentionis perversitatem in prava tendentia mala sunt, & corrupta, hominem docent. Hujusmodi ut pluri-

mum Philosophorum, celeberrimorumque Gentilitatis totius Heroum virtutes erant. Ambitio, utilitas, amor rerum corporearum erant illi aculei, qui ad præclara suscipienda, peragendaque eos excitabant. *Ipse Tullius*, inquit D. Augustinus (a), *hujus rei amplissimus nobis testis est in libris, quos de Republ. scripsit, ubi de institutione Principis civitatis loquitur, quem nutriendum, ait, amore gloriæ: ideoque majores suos commemorat, qui admirabilia, & illustria multa gloriæ cupiditate peregerunt. Itaque huic vitio non solum non resisterunt* (Ethnici), *sed putabant, excitandum esse, inflammandumque, existimantes id utile fore Reipub.* Pharisæi, qui ætate Christi vivebant, quique præter cæteros legis cultores se jactitabant, ita hac erant infecti labe, ut Redemptor ipse sæpius eos vehementer castigarit, appellaritque ideo *sepulchra dealbata, hypocritas tristes*, quia omnium suorum operum, laborumque mercedem nullam aliam quærentes quam applausus, odio erant Deo. Contrarium omnino nos docet; *cum jejunatis*, inquit *Matth.* 6. *nolite mœsti esse, ut hypocritæ faciunt; exterminant enim facies suas, ut videantur hominibus jejunantes; amen dico vobis, receperunt mercedem suam: cum vero tu jejunas, unge caput tuum, & faciem lava, ut non videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito, & Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram, ubi ærugo, & tinea demoliuntur, & ubi fures effodiunt, & furantur, sed thesaurizate vobis thesauros in cælis, ubi fur non appropiat, neque tinea corrumpit; ubi enim est thesaurus vester, ibi & cor vestrum erit.* Quod hic de jejunio dicitur, alibi de eleemosyna, de precibus, generatimque de operibus cunctis præcipitur. Vult ille *nos* (*ibid.* 11.) *mansuetos, & humiles corde, ut ipse erat; vult ipse nos* (*ibid.* 17.) *simplices, & parvulos, & infantes; secus non intrabimus in regnum cælorum*. His doctrinis non solum nos evehit super externa omnia, a quibus quidam Philosophi etiam avertendum a sapiente animum esse

O vi-

(a) *De Civit. Lib.* 5. *c.* 23. Legi præterea potest ejusdem Doctoris caput sequens 14. & *I. Oratio S. Gregorii Nazianzeni in Julianum*, ubi falsa Heroum Gentilium virtus, quia in intentione mala mira eloquentia irridetur; puritasque christianæ disciplinæ sanctæ in suis intentionibus jure commendatur. Legantur etiam nostri Apologistæ, Justinus, Tertullianus, Athenagoras, qui hoc argumentum versant & solide, & invicte.

viderunt, sed supra nos ipsos, eumque intimum voluptatis sensum extollit, quam perverse agentes percipere possumus: vult, omnia ad Deum referamus, vult, *nos* (*Luc.* 10.) *servos inutiles*, etiam praeclarissima cum gesserimus, *confiteamur*. Cum hoc praeceptum illud ejusdem divini Praeceptoris concordat, quo jubemur *nosmetipsos odisse* (*Joan.* 12.), ut immodico amori nostrum adversemur, quod odium aeterna merces consequitur. Hoc felix odium efficit, quod ajebat D. Paulus, *ut crucifigamur, & moriamur Mundo*, hoc est, ut animo aequabili ejus felicitates, aerumnasque, ejus honores, contemptumque, ejus bona, malaque respiciamus; efficit, ut nos hospites & peregrinantes super terram existimemus, degamusque *vitam absconditam in Deo cum Christo Jesu* (*ad Colos.* 3.); qui cum in semetipso cujuslibet virtutis exemplar ostenderit, vita sua ipsa integerrimae, praestantissimaeque Moralis disciplinae imaginem nobis praebet, ut suo spiritu induamur, ut ejus vestigia sequamur nobis imperans.

§. V. Hoc universe, & generatim Spiritus Evangelicae Theologiae specimen dici potest. Quaedam etiam strictim de praeceptis a Moyse indictis singillatim dicamus. Et primum quidem quoad Religionem, qua divino Numini honos praestatur: ab illo caeremonialium legum gravissimo jugo nos immunes, quo populus ille corpori, terreisque rebus affixus, divino tamen prudentissimo consilio oppressus gemebat, filiorum Dei libertate nos fruimur, & *adoramus* (*Joan.* 4.) *Patrem nostrum caelestem in spiritu, & veritate*. Fides, Spes, Caritas cultum, quo Christiani Deum suum afficiunt honore, constituunt. Fides tamen nostra Hebraeorum fide tanto est excellentior, quanto magis augusta, magisque revelata, immo adimpleta, praesentiaque, quamvis velata, mysteria sunt illa, quae credimus. Spes eo est firmior, quo ditior est harra illa, quam aeternorum bonorum habemus, hoc est pretiosum illum cruorem pro nobis ab Homine Deo effusum. Caritas hoc magis accenditur, quo magis abundat gratia, quae ex novo foedere in cordibus nostris Spiritus Sanctus diffundit; causaeque sunt majores, quibus Pater aeternus, qui pro nobis Filium suum tradidit, nos ad se amandum exstimulat.

Quoniam tamen non solo spiritu, ut Angeli, sed spiritu, & corpore simul constat homo, & per res exteriores, cadentesque sub sensus ejus cogitationes, affectusque excitantur, & incenduntur, ideo a Religione nostra ritus quidam sensibiles, exterioresque caeremoniae, per quas mens in Deum elevetur, interiorque vicissim accendatur pietas, solent adhiberi. Qui eas arroganter rejiciunt, vellentque eas a Religione exulare omnino, *se homines esse non* meminerunt, inquit D. Thomas (*a*); cum nos, ut alibi diximus, experientia, intimusque sensus doceat, animam ex commercii lege, quod habet cum corpore, motibus hujus ad agendum excitari. Huc etiam accedit, quod cum sit Deus non minus corporis quam animae creator, & dominus, aequum erat, ut non solum affectibus hujus, sed etiam actibus illius ejus dominium protestaremur. Legislator ergo noster quosdam externos ritus nobis imperavit, quae sunt signa sensibilia, quibus aut testamur servitutem illam, quae illi uni debetur, cujusmodi est sacrificium, *quod in commemorationem* (*Luc.* 22.) *illius Agni, qui sanguine suo tollit peccata mundi*, Patri offerimus; aut invisibiles effectus, quos, ut nos sanctificet, Deus in nobis producit, significantur; & hujus gene-

(a) *Instituta sunt sensibilia sacrificia, quae homo Deo offert, non quod Deus iis indigeat, sed ut repraesentetur homini, quod seipsum, & omnia sua debet referre in ipsum, sicut in finem, & sicut in creatorem, & gubernatorem, & dominum universorum. Adhibentur etiam homini quaedam sanctificationes per quasdam res sensibiles, quibus homo lavatur, aut ungitur, aut pascitur, aut potatur, cum sensibilium verborum prolatione, ut homini repraesentetur per sensibilia intelligibilium donorum processum in ipso ab extrinseco fieri a Deo; cujus nomen sensibilibus vocibus exprimitur; exercentur etiam ab hominibus quaedam sensibilia opera, non quibus Deum excitent, sed quibus se ipsos provocent in divina, sicut prostrationes, genuflexiones, vocales clamores, & cantus, quae non fiunt, quasi Deus his indigeat, qui omnia novit ... sed propter nos facimus, ut per haec sensibilia opera intentio nostra dirigatur in Deum, & affectio accendatur: simul etiam per hoc Deum profitemur animae, & corporis auctorem, cui & spiritualia, & corporalia opera exhibemus. Propter hoc non est mirum, si haeretici, qui corporis nostri Deum esse auctorem negant, hujusmodi corporalia obsequia Deo fieri reprehendunt. In quo etiam apparet, quod se homines esse non meminerunt, dum sensibilium sibi repraesentationem necessariam non judicant ad interiorem cognitionem, & cultum.* III. contr. Gent. c. 119.

neris sunt lotio (*Mat.* 25.), unctio (*Jacob.* 4.), cibus (*Mat.* 26.), qui nobis cum sensibilium verborum prolatione ab ejus ministris adhibentur; aut tandem sunt laudes, Cantica (*ad Colos.* 3.), vocales clamores, quos ad Deum convertimus, quod non Deus iis indigeat, ut sensa animi nostri cognoscat, sed quia nos juvant ad excitandam pietatem, ad confirmandam fragilitatem, ad mitigandas hujus vitæ ærumnas. Quamquam tamen christiani, qui cum sint (1. *Petr.* 2.), *gens electa*, *regale sacerdotium*, *populus acquisitionis assidue sacrificia hæc spiritualia Deo per Christum Jesum acceptabilia* offerre debent: tamen etiam illi diem quietis Lege jussum habent, quo peculiari modo prædicta Religionis opera sunt exercenda. Legislator noster Hebraico sabbato præcipua ratione magis venerandum diem hunc augustioremque reddidit, si enim illo commemoratione Dei quietis post universi creationem patratam populus Hebræus ad admirandam potentiam, ad adorandam magnitudinem, ad contemplandam creatoris Dei bonitatem, a quo ex nihilo fuerat vocatus, excitabatur; die nostro Dominico cum Christi quies post nostræ reparationis laboriosissimum opus, illiusque ad immortalem vitam resurrectio commemoretur, accendimur, impellimurque ad commendandum ejus amorem, ad Patris clementiam celebrandam, qui per Filii sui sanguinem a mortis laqueis nos eduxit, *& secundum* (1. *Petr.* 1.) *suam magnam misericordiam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis in hereditatem incorruptibilem, & immaculatam, & immarcescibilem conservatam nobis in cælis*. Non ergo fides nostra instituta fuit, ut in absoluto otio vivamus, sed in quiete, quæ a temporalibus negotiis nos subducens, cupiditatumque nostrarum, veluti tempestatum, motus comprimens per religiosa, sanctaque opera, symbolum sit illius æterni sabbati, illiusque æternæ quietis, qua ex hac miseriarum valle sublati in cælo ceu viva membra cum capite nostro, qui est Christus illuc progressus jam, ut nobis beatam illam sedem pararet, unum spei nostræ propositum scopum, desideriorum nostrorum solam metam propositam conjuncti perfruemur. Ita ex Legislatoris sui consilio dies festos Christiani sanctificant.

Ad Religionem etiam reverentiam divino Nomini debitam pertinere vidimus: hinc antiqua Lex perjurium præceptis suis interdicit (*Exod.* 20.): nova quid amplius vetat; inhibet etiam jurare (*a*). Excellens doctrina, inquit D. Thomas (*b*), quia facile & levi de causa juramento humana infirmitas potest abuti; in quo quidem reverentia debita tremendo illi Nomini violatur. Quin etiam, ait D. Augustinus, *ex felicitate ad jurandi consuetudinem pervenitur, & ex consuetudine in perjurium deciditur* (De mendac. cap. 15.). In quo summa injuria invocationi illius veritatis primi fontis infertur. Quæ moralis disciplina hac perfectior, hac prudentior?

§. VI. Sed tempus nos admonet, ut ad tabulam secundam, quæ præcepta complectitur, quæ jubent, quomodo in nobis similes afficiamur, transitum faciamus. Legislator noster nobis maximam curam suam studiumque declarasse hic videtur. *Præceptum* amandi proximum *suum* dicit (Joan. 15.); atque cordibus nostris illud propositum vult, ut *hoc*, inquit (*Joan.* 13.) *futurum sit signum, ex quo omnes vos discipulos meos noverint; si mutuo vos diligetis*. Plenum est Evangelium totum, plenæ Apostolicæ Epistolæ hujus amoris, qui ita cum Dei amore conjunctus dicitur, ut qui putat se hunc sine illo habere, decipiatur, & sit æternum interiturus. Mensura autem, quam hujus amoris in proximum nobis Deus dat, est amplissima, ut nihil supra; vult enim nos invicem amare eo modo, quo ipse nos dilexit (*Jo.* 13.). Sicut autem pro nobis inter plurimos cruciatus vitam amisit, ita nobis hoc exemplar sub oculos subjicit, ne, cum opus fuerit, pro fratribus nostris hunc amoris actum, quem

 jure

(a) *Audistis, quia dictum est antiquis, non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua: ego autem dico vobis, non jurare omnino.* Mat. 5.

(b) *Juramentum secundum se est licitum, & honestum . . . Sed juramentum cedit in malum alicui ex eo, quod male utitur eo, id est sine necessitate, & cautela debita; videtur enim parvam reverentiam habere ad Deum, qui eum ex levi causa in testem inducit; quod non præsumeret etiam de aliquo viro honesto.* 1. 2. q. 89. art. 2.

jure ac merito appellat (*Joan.* 15.) omnium maximum, exercere dubitemus. At quinam erunt proximi hi, quos amare jubemur? Scribæ, hos esse solos Hebræos, & ex his cultores legis tantum, opinabantur. Pessimum hunc intellectum refutat Christus, imperatque, amorem nostrum ad genus totum humanum pertinere. Distinctio nulla Samaritani, aut Judæi, Scythæ, aut Barbari, Impii, aut Fidelis habenda nobis est; quin immo, neque amici, aut inimici; etiam inimicus enim est diligendus. Atque hoc est caput illud cum excellens, tum in terris rarissimum perfectionis, quam Lex Christi jubet. Mitto Mahumedanos, quorum lex undequaque ultionem, cædemque inspirat; mitto populum Romanum terrarum orbis victorem, at eo potentiæ, imperiique per bella, per ultiones, immanes cædes, etiam injustas progressum. Mitto alias nationes ex ferocia videlicet *barbaras* vocitatas. Animum ad Hebræos convertamus, quibus licet odium interdicatur, tamen ut ferinæ illius gentis in cæde alicujus propinqui dolor mitigaretur, privato propinquo *capere* (*Numer.* 35.), *& statim per se homicidam interimere* permittitur. Immo male detorquentes antiquæ legis significationem Christi ætate arbitrabantur Hebræi, licere sibi inimicum odisse; & *ex more*, inquit Grotius (a), *penes eos inveterato persequuti sunt quicumque aliter ab ipsis de religione sentiebant; idque ex imprecationibus crudelibus, quas orantes in Christianos jaciunt, nunc etiam colligitur*; quod Librorum, Rabbinorumque eorum testimoniis confirmat. Non novit inimicum Christianus: *ille habere debet pacem cum omnibus* (*Hebr.* 12.), *amare, qui offendit, benefacere, qui odit, orare pro persecutoribus suis, & calumniatoribus*. *Us* (inquit Præceptor noster *Matth.* 5.) *sitis Filii Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & super injustos. Si enim amatis eos, qui vos amant, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis tantum eos, qui vos salutant, quid aliud facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*. Vel inviti fateri debemus, ex hujusmodi præceptis colligi Legislatorem fuisse divinum. Quare quid mirum, si post hujusmodi præceptum edictum, audimus Evangelium ubique humanitatem, benignitatem, patientiam, obedientiam, pacemque cum quibuscumque indicere? Vult, exulare a suis non solum homicidium (*Matth.* 5.), quod & Scribis, & Pharisæis erat inhibitum, sed *verbis contumeliosis se afficere, irasci, rixari*, multoque magis dolo malo alios circumvenire; Jubet locupletibus pauperibus dare quod superest (*Luc.* 11.: subjectis populis tributum, honoremque præstare principibus; viris amorem (*ad Coloss.* 3.), uxoribus obsequium; servis subjectionem; dominis humanitatem, & mansuetudinem; omnibus denique etiam in discolum, crudelem, idololatram misericordiam, caritatemque, quæ alienam nequitiam semper vincat, neque umquam illa se vinci patiatur.

§. VII. Eodem modo alia in proximum officia corrigit Christus, & perficit. Fænerari cum Hebræis Hebræo lege non licebat, cum exteris licebat (*Deut.* 13.): Christiano (*Luc.* 6.) quodlibet usuræ genus a quocumque extortæ vetatur; potestas erat Hebræis (*Deuter.* 24.) propter eorum cordis duritiam variis de causis uxori libellum repudii dandi: Christiano numquam (*Matth.* 19.), nisi ab illa violetur fides, id conceditur. Polygamiæ dabatur facultas Hebræo (b): Christiano perpetuo vinculo cum muliere una se conjungi conceditur (1. *Cor.* 7.) jubeturque (*Hebr.* 13. 1. *Thessal.* 4.) *honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus; ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore; non in passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant Deum*. Et quoad mulierem alienam ait Christus (*Matth.* 5.) *audistis, quia dictum fuit antiquis, non adulterabis; at ego dico vobis, qui viderit mulierem*

(a) *De verit. Relig. Christ.* Lib. II. §. XII. De odio intestino, imprecationibus, blasphemiis Hebræorum tum veterum, tum novorum in nostros ritus, & in divinum Magistrum nostrum, & caput legi potest, quod scribit *Joan. Alber. Fabricius de verit. Relig. Christ. capp.* 31. & 37. post Buxtorfium, aliosque.

(b) Vid. Josephum *Antiquit.* 16. & Augustinum *de Doctr. Christ. Lib. III. cap.* 12.

rem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Alia ad hanc rem facientia honestatis, integritatisque plena habemus. *Fornicatio* (*Ephes.* 5. 1. *Thessal:* 4. 1. *Corint.* 6.) *autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio. Non enim Deus nos vocavit in immunditiam, sed in sanctificationem; &* sanctificare debemus *corpora nostra ut templa Spiritus Sancti, qui in nobis est*. At Libri integri Novi Testamenti essent mihi exscribendi, qui hujusmodi doctrinis cœlestibus redundant. Epilogi instar hæc D. Pauli verba, quibus epistolam ad Philippenses concludit (*cap.* 4.) *De cætero, Fratres, omnia, quæ sunt vera, omnia, quæ sunt justa, omnia, quæ sunt sancta, omnia quæ sunt desiderabilia, omnia, quæ sunt bonæ famæ; si est aliqua virtus, si est aliqua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ etiam didicistis, accepistis, audistis, vidistis in me. Hæc facite, & Deus pacis erit vobiscum*.

§. VIII. Doctrinis his Legislator noster, ut ipse testatur, *Legem adimplevit*; omnia recensita documenta, & alia, quæ adduci commode possent, cum sint aut *explicationes*, consequutionesque naturalium præceptorum in Decalogo contentorum; aut *modi certi, tutissimique* ut ea observentur, sicut docent D. Augustinus, Divusque Thomas. Non tamen hæc tota Christiana Moralis scientia est. Quod hactenus diximus, ad omnes pertinet, qui Christianum nomen profitentur. Verum ut ad altiorem perfectionis in intima mentis cum Deo junctione sitæ gradum tendere homo posset, quædam consilia, quæ *perfectionis* consilia nimirum dicuntur, Christus addidit, per quæ ab humanis curis omnino soluti illi, qui illa amplecti animum inducerent, facilius multo ad metam hanc possent pervenire. Hæc consilia sunt rerum omnium exteriorum abdicatio per *paupertatem* (*Matth.* 19.) voluntariam; abdicatio voluptatum, curarumque, quas secum nuptiæ afferunt per *virginitatem* (1. *Cor.* 7.), abdicatio sollicitudinum, quas habet homo de statu, operibusque suis per *obedientiam* (*Hebr. ult.*) alienæ voluntati jussisque se subjiciens. Atque hoc, inquit D. Thomas (1. 2. q. CVII. art. 2.) fuit complementum ultimum, sive perfectio, quam Legi suæ Christus imposuit. De quo Lectorem obsecramus, ut legat *notam* (*a*) quam,

(a) Quavis ætate contra hæc consilia declararunt Libertini. Ita fieri debebat; inter perfectionem, & licentiam nulla potest interesse societas. Tamen hoc testari possum, quidquid ipsi, & quidam maligni Politici garriunt in hac materia his diebus, D. Thomam aut *in opere contra VVillelmum a Sancto Amore*, aut *in Summa Theologica*, sed præcipue *in Opere contra Gentes Lib. III. cap.* 130. *& seq.* examinasse & confutasse, ita ut nihil responderi posse videatur. Placet specimen quorumdam Deistarum recentium, quorum opera præ manibus habeo, afferre. Unus ex iis est auctor libelli, *Examen de la Religion*. Invehitur hic contra omnia hæc consilia, eorumque fines; & ut ejus fert opinio, omnia evertit horrifico illo syllogismo. *Omnes Christiani tendere debent ad perfectionem*: estote perfecti, *inquit Christus Jesus. Jam quoniam Virginitas matrimonio præstat, sequitur, omnibus Christianis eligendam virginitatem; ad quam nos hortatur. At quis falsitatem hujus principii non videt naturæ ita contrarii? ..... Si totus terrarum orbis Christianam Religionem coleret, omnesque Christiani hoc principium sectarentur, non esset valde difficile interitum Mundi prædicere*, c. 10. p. 124. Hoc pulcherrimum argumentum. Quid opus est pluribus verbis ad illud dissolvendum, cum duo, quatuorve rem totam conficiant. Audiat auctor. Virginitas, idemque de aliis duobus consiliis dicatur, non sunt perfectio, ad quam tendere Christiani debeant, sed sunt media, per quæ ad eam pervenitur; media tamen non una, & necessaria, sed expeditiora, & tutiora; non est ergo opus, ut Christiani omnes illa amplectantur, ut eam consequantur. D. Th. *cont. Gent. Lib III. c.* 129. *Quia vero summa perfectio humanæ vitæ in hoc consistit, quod mens hominis Deo vacet; ad hanc autem mentis vacationem prædicta tria maxime videntur disponere; convenienter ad perfectionis statum pertinere videntur; non quasi ipsæ sint perfectiones, sed quia sunt dispositiones quædam ad perfectionem, quæ consistit in hoc, quod Deo vacetur*. Paulloque ante in eodem dixerat capite: *Hoc autem* (abdicatio bonorum, voluptatumque exteriorum) *non est ita necessarium homini ad justitiam, ut sine ea justitia esse non possit. Non enim virtus, & justitia tollitur, si homo secundum ordinem rationis corporalibus, & terrenis rebus utatur; & ideo hujusmodi divinæ legis admonitiones dicuntur consilia, & non præcepta, in quantum suadetur homini, ut propter meliora minus bona prætermittat*. Nihil æquius est, nihil accommodatius ad retundendum supradictum Libertinum, eumque, de quo modo loquemur, qui falso opinatur, *in lege Christi Jesu*, omnia esse de præcepto, nihil ex consilio, ut ita tamquam absurdam virginitatem disjiciat, aliosque modos perfectionis, utpote qui sub præceptum cadere non possint. Ille est Apologista libri *de l' Esprit des Loix*, qui typis Berolinensibus edidit libercuium inscriptum: *Suite de la defense de l' Esprit des Loix*. Putat se videre per cœlibatum humanum genus jam inibi esse, ut propediem intereat, quod malum ut impediat, tam vehemens, tam furiosus loquitur, ut posset alicujus Alcorani articuli commentator esse. SS. Patres, quos per contemptum Cœlibatarios vocitat, fuerunt omnes fanatici: D. Pau-

quam, ne sermonem interrumperemus, ad pagellæ calcem adjecimus. Momenti maximi res est, hac potissimum ætate, qua ætate cum credele, intestinumque bellum fuerit Religioni indictumque præcipue ex immodicæ vivendi licentiæ cupiditate effræna, ideo hæc Evangelica consilia, per quæ Divinus præceptor ad pe-

Paulus Cœlibatum ad libidinem inculcavit, non S. Spiritus afflatu *pag.* 30. *Fuitque in hoc casuista, mysticusque sibi uni luminibus suis, suisque erroribus fidens.* pag. 31. *Monachi quocumque amore ferantur in perfectionem, semper societatem lædunt, cui nati erant, cuique prorsus sunt inutiles, quandoquidem malo moventur fine, ut augeant Sanctorum numerum, minuentes hominum multitudinem.* pag. 27. *Deus ipse auctor Religionis nequit consulere cœlibatum, est enim malus.* pag. 29. At quomodo id probat? Ita I. quia *Legislator qui dixit*, crescite, & multiplicamini, *nunquam legem hanc antiquavit, neque illam abrogare poterat, quin sibi contradiceret.* pag. 30. II. Quia in homine vehementissima, naturalique propensio est ad speciem suam propagandam. pag. 30. III. *Ratio calculi inlusa*, quam hic novus Nevvtonus *affert de consequentiis cœlibatus*, omnes numerans homines, qui a centum millibus cœlibibus per annos sexaginta possent nasci. Ea qua ratione aucta per progressionem Generationum, *per quas*, ejus judicio, *numerus entium infinitus haberetur, quæ cœlibatus destruxit*, putat se desumpsisse τεκμήριον contra hujusmodi dogma, ut hæc acerrima damna videns dolosis impotens exclamet

Quis talia fando
Temperet a Lacrymis? pag. 38. & seq.

Ait, se in hoc capite tam prolixum fuisse, quia Europæ vicem dolet in exitium mox casuræ; se tamen non sperare, verba sua esse audienda. pag. 43. Atque hæc est consequutio una, quæ ex dictis ab eo vera elici potest. Quem enim argumenta illa, quæ paucis difflantur verbis, sanæ mentis hominem movebunt? Nihil ea probant, quia nimis probant. Hoc est, ex principiis ab eo sumptis stultissima, & absurdissima consequuntur; ergo ejus ratiocinia sunt falsa. Quod ita probo. Si præceptum Geneseos, *crescite, & multiplicamini*, singulos homines respiceret, juberetque omnino, ut quisque pro virili sua parte generationi vacaret, fortasse non solum in regionibus, in quibus cœlibatus colitur, sed in toto terrarum orbe nemo esset, qui vel omnino, vel ea parte, vel ex aliquo, vel ex multo tempore reus criminis non esset. Promat quæso Libertinus *calculos suos* de germinibus illis, quæ sese explicare possent, & quæ, ejus universis principiis positis, deberent magis evolvi, invenietque numerum majorem illo, quem per virginitatem amitti dicit. Quæ natio tamen tam barbara de hoc est umquam questa?

Distinguenda ergo sunt, inquit D. Thomas (*Lib. III. cont. Gent. cap.* 136.) præcepta naturæ quodvia ad *individuum* spectantia, & spectantia ad societatem. Primum, quale esset nutriri, debet a quocumque fieri; secundum ab aliquibus, sed non a singulis speciei. Cuilibet dedit natura sibi similes generandi facultatem; sicut impertita est etiam facultatem ædificandi, vim pugnandi; sed ut opus non est, ut quisque exerceat artem ædificandi, aut militarem, ita non est opus, ut quisque sit Pater. Varietate officiorum societas indiget; non quodvis individuum potest omnia præstare; quamvis singula hæc individua ad omnia munia exercenda sint apta; satis est ut præstentur a Societate, unum uni, alterum alteri, cum occasio feret, muneri cum incumbat. In exercitu quidam vasa custodiunt (*D. Thom.* 2. 2. *q.* 152. *art.* 2. *ad* 1.), alii vexilla ferunt, alii enses expediunt, imperant alii. Hæc omnia munia sunt exercitus munia: non tamen hæc omnia munia sunt unius militis munia. Hoc idem dicatur de officiis humanæ societati a natura præscriptis; inter quæ est etiam illud speciem producendi; quod proinde non est necesse ut a quovis perficiatur (quibusdam casibus exceptis; ut primis Mundi temporibus); immo confert etiam illud non exequi, ut aliud munus utilius, nobiliusque exerceatur; & hic nimirum est finis ille, per quem dicimus nos, Christianum cœlibatum adeo extolli. Hoc docet certissimum, evidentissimumque D. Thomas, de quo tamen Libertinus dicere audet (*p.* 60.) *Div. Thomas? est ne auctor afferendus sæculo hoc, & objiciendus Philosopho?* (hoc est auctori *de l' Esprit des Loix*, cui a censoribus fuerat objectus.) At estne credendum, eum legisse umquam D. Thomam? sin legit, credendumne est, eum illum intellexisse? Det argumentum nobis, refutetque eas doctrinas D. Thomæ, quibus ejus insanias contudimus. Denique misericordiæ, qua tangitur prævidens Europæ jam proximum interitum, respondemus, jam decem, & octo excurrisse sæcula, ex quo cœlibatus viget; neque unquam caruit hominibus, qui eam colerent, qui artibus, scientiisque operam darent, immo, qui peste interirent plurimi, qui bella acerrima gesserint; cur idem non eveniet in posterum? Suntne hæc argumenta ejusmodi, ut SS. Patres Fanatici traducendi sint, D. Paulus Fanaticus, Virgines omnes, hoc est illustrior Christi gregis portio, Fanaticæ infelicissimæ?

Alii Libertini demum, & inter hos Bælius in pluribus sui Dictionarii locis multum *in mala proficiscentia*, ut ajunt illi, *ex cœlibatu*, declamant. Hoc est argumentum gratissimum Romanensium, Epistolarum, aliorumque hujus generis libellulorum scriptoribus. Ecclesiæ Romanæ hostes eos præcellerunt; mendacia, fabulæ, ut ipse Bælius invitus fateri debet, (*art. Vayre*) sæpissime patent. Apologista libri *de l' Esprit des Loix* id quoque fatetur; aitque, *suo quidem judicio generatim conservari bene cœlibatum.* pag. 40. (Terrarum orbis excidium cum habet sollicitum). Tamen ab his judicibus criterio tanto præditis liguritur quidquid contra Catholicam Religionem dicitur. Ut iis obstrueretur os satis esset, quod ait D. Hieronymus *epist.* 97. *alias* 78. *Quid maledictorum pannos hinc inde consuitis, & eorum carpitis vitam, quorum fidei resistere non valetis? Num idcirco non estis vos hæretici, si nos quidam assertione vestra crediderint peccatores, & os fœdum impietate non habebitis, si cicatricem poteritis in nostra aure monstrare?* Nos fatemur candide cum D. Augustino, *quamlibet professionem habere suos fictos.* Sufficit dicere, eos, qui cœlibatum promittunt se servaturos, esse homines, ut sciamus, eos cadere posse; at dici nequit, hos lapsus a cœlibatu derivari, ita ut hoc sublato nulla prorsus peccata sint futura in hoc genere. Afferam rem certissimam, recentissimamque, non ut cuiquam insultem, sed ut Adversarii retundam convicia. Londini certe non residet cœlibatus.

Jam

peculiarem integritatem, sanctitatemque nos extollere intendit, impetuntur, conviciisque, & satyris audacissimis proscinduntur. Sperare me juvat, fore, ut Lector attente quæcumque a nobis dicentur, perpendens noscat & horum Philosophorum in curanda cute occupatorum unice impudentis dicacitatis injuriam, & illius Legis jus, quæ non alia de causa iis displicet, nisi quod eos redarguit, condemnatque. Hac pictura ita crassa Minerva adumbrata liceat mihi, antequam ulterius progredior, requirere ab iis, qui vel tantillum sapiunt, num ulla scribendi ratio, non dicam falsa, sed petulantior, dignaque homine, cui nullus sit Dei timor, nullus hominum pudor, nihil pensi omnino faciat, & honestatem omnem ejurarit, esse possit, quam illa cujusdam Libertini superius commemorati, qui hæc effutit, *Christus Jesus (a) nihil nos revera docuit, nisi quasdam Moralis scientiæ sententias, quas Ethnici jam docuerant certius multo, apertiusque. Nullum Religionis dogma docuit. Perpendantur præcipua Fidei veritates, ne verbum quidem de iis Christus fecit*. Ita scribit, qui putat verbis suis Religionem evertere. Vesaniane est isthæc, an furor? me puderet, si cum tot hactenus de hac re dixerim, quicquam huic responderem. Res per se loquitur. Ejusdem furfuris est sequens propositio, quam Philosophus contra Ethicam Christianam in aciem producit. *Nisi (b)*, inquit ille, *homines præoccupati essent, videremus, Christianam Religionem maxime societati civili perniciosam esse. Divitiarum contemptus immodicus a Christiana Religione jussus, commercium, quod est societatis spiritus, prorsus destruit*. Quam bene hæc propositio cum præcedenti propositione cohæreat, Lector ipse per se, vel me tacente, videt. Quam stulta, falsaque sit, argui potest ex lectione vel levi Evangelii præceptorum, quibus ad servandam justitiam, ad custodiendam pacem, quæ sunt fundamenta, & societatis vincula, nihil est aptius. Jubet Evangelium, ne divitiis inserviamus, apponamusque iis cor nostrum ut supremo bono; haud nobis interdicit eas modis honestis, licitisque acquirere. Hoc autem non tollit commercium, sed auget, sed conservat, efficitque, ut magis, magisque floreat. At insanum hoc cogitatum, quod scitulus hic impietatis Præceptor noster a Bælio desumpsit (*Contin. des pensées divers.* §. 197.), inde, ubi putat, se demonstrare, *societatem ex veris Christianis constantem non posse permanere diu*, strenue a Bernardo (c), & novissime ab eodem Auctore *de l' Esprit des Loix*,

O 4 (*Liv.*

Jam de hac civitate hoc scimus. I. Auctor libri *Lettres sur les Anglois*, qui certe Catholicis non favet, *Lett. troisieme* pag. 88. ait, *un plus grand desagrement pour les femmes Angloises, ou du moins pour les femmes de Londres, c'est que la plus-part des Maris ont des Maitresses en chambre. Il s' en est un, qui les ont prises chez eux, & qui les ont fait manger à une même table avec leur femme.* II. Idem auctor pag. 81. inquit; *Le nombre de ces Courtisannes n' est pas croiable, non plus que le peu de honte, que les hommes ont d' etre vus en leur compagnie: elles sont publiques de toutes manieres. Ces ex ès trop frequents contribuent sans doute beaucoup à rendre tans d' Anglois sombres, & emportès dans leurs passions*; non *filtratio* spirituum animalium, ut vult Montisquiæus. III. Londinensis Episcopus in prima suarum trium Epistolarum Pastoralium pag. 5. ait hæc, *dans quelques Ouvrages imprimès depuis peu, l'on n' a point rougi d' y faire l' apologie des Maisons de debauche, & de recommander même à la protection des Magistrats les vices des particuliers comme avantageux au public.* IV. Idem Episcopus in alia Pastorali supradicta *de terræmotus Morali causa*, postquam scelera multa modo indicata attulit, ait pag. 33. *Mais notre malice n' est point encore à son comble: il sembloit, que la nature etoit devenue trop foible pour fournir à toute la depravation de nos coeurs; on est allè jusqu' à la brutalitè.... Epargnez à ma douleur le recit des ces crimes inouis, qui nous couvrent d' opprobres; les relations publiques en ont assez dit.... allons plus loin.* Hoc idem dicit in Epistola 1. trium Pastoralium pag. 5. Videt per se Lector, quantum distent fontes, e quibus hæc deducimus ab iis, e quibus historias desumunt suas Bælius, auctorque litterarum Judaicarum, aliique hujusmodi scriptores: videt etiam, quid profecerint Protestantes e suis regionibus cœlibatum expellendo, quid Libertini quoad mores; & num jure damnent legem de pudore quasi fontem erratorum cupiditatis, quæ quo magis irritatur eo magis furit.

(a) *J. C. il ne nous a effectivement rien apris, que quelques sentimens de Morale, que les Payens avoient enseignè devant lui d' une maniere plus persuasive, & plus nette. Il n' a enseignè aucun dogme de Religion. Qu' on examine les principales veritez de foy, J. C. n' en a jamais dit un mot.* Exam. de la Relig. c. 4. n. 2.

(b) *Si nous n' etions pas prevenus, nous verrions, que la R. C. est très-nuisible à la societè civile... Le mepris outrè, que la R. C. ordonne des richesses, detruit entierement le commerce, qui est l' ame de la Societè.* chap. 10. p. 117.

(c) *Dissertation, où l' on fait voir par l' idèe, que l' on donne d' une societè toute composèe des vrais Chrètiens, qu' elle seroit très-propre à se maintenir.* Dans les Nouvel. de la Republ. *Let. Ann.* 1707. *Juillet pag.* 69. *& seq.*

(*Liv. XXIV. chap. 5.*) qui quidem Liber apud Libertinos maximo est ponderi, labefactatum fuit. Sed præ cæteris in hujus Philosophi, multorumque deceptorum Politicorum dedecus opus immortalitate digni Bossueti inscriptum, *Politica eruta ex ipsis Sacræ Scripturæ verbis*, legi meretur (*a*). Cujus operis, & hactenus a nobis dictorum lectione peracta, neminem sanæ mentis futurum arbitror, qui de impudentia hujus Critici non stomachetur, & præstantiam doctrinæ Evangelicæ modo descriptæ maxime non admiretur.

§. IX. Nihil aliud tamen hujus præstantiæ, ut ita dicam, præter corpus vidimus: anima, quæ illam informat, quæ robur illud ei suppeditat, cujus cum expertes omnes aliæ doctrinæ fuerint, nullum ex iis solidum stabilemque perceperunt homines fructum, superest consideranda. Nobis ergo Legislator noster edicit, ex omnibus eximiis præceptis suis (*Joan.* 15.) *nullum viribus nostris nos posse* adimplere; *nos non esse* (II. *Corinth.* 3.) *sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis*. Fateturque expertus Div. Paulus, se præ mentis oculis legem Evangelicam ita impollutam habentem, tamen *sensisse* (*Roman.* 7.) *aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ*. Quid ergo nobis prodesset pulcherrima hæc novisse præcepta, nisi Legislator noster vim, ut ea exequeremur, nobis præberet? *Infelix homo*, (*ibid.*) exclamat idem Apostolus, *quis me liberabit de carcere mortis hujus?* Consulamus, si lubet, Philosophos omnes, ne unum quidem reperiemus, qui nobis quicquam aliud respondeat, quam somnia, & deliramenta. Hebræus ipse in sola lege Mosaica a Fœderis pacto separata vim, qua legem adimpleat, cupiditatesque suas superet, non invenit; immo recti, quod non sequitur, cognitio eum majori crimine obstringit.

Increduli omnes, Libertinique dicere consueverunt, hominem esse hujusmodi, qualis debet esse; quare ipsum sibi, ut Stoici ajebant, sufficere, & in se ipso, quibus rationis lumina sequatur, satis virium habere. Quodlibet tamen vel tenue historiæ eorum vitæ rationis specimen nobis ostenderet, quid eorum vires quoad mores valerent. Illos Horatii versiculos (*Epist.* 18. *Lib.* 1.) sæpius usurpabant,

Sed satis est orare Jovem, qui donat, & aufert;
Det vitam, det opes: æquum mi animum ipse parabo.

At quotus est, qui nesciat, similes videlicet moribus Venusini Poetæ, qui se dicebat *nitidum bene curata cute Epicuri de grege porcum*, ut plurimum fuisse mores? Nihil aliud ergo restat, nisi *Gratia* (*ad Roman.* 7.) *Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*, ejusque superna lumina, sanctaque, & libera Dei ipsius dilectio menti, cordique afflata, quæ efficere possint, ut officia nostra peragamus. Hoc est præsidium illud (*b*) præsentissimum, quod non solum mentes nostras illustrabit, ut ea cognoscamus, sed etiam cor flectet, ut illa amemus. Hæc est jucunditas illa, per quam *condelectamur* (ad Rom. 7.) *legi Dei secundum interiorem hominem*; sed ita *condelectamur*, ut vincentes vim (*c*), & terrenarum voluptatum illecebras, quæ nos ad peccatum rapiunt, *viam mandatorum* divinorum *curramus*, *cum Deus cor nostrum* dilatat (*Psalm.* 118.); pergamusque ad Christum, ad quem *nemo potest venire*) Joann. 6.) *nisi Pater traxerit eum*. Hoc est auxilium illud, quo Deus *operatur* (*d*) in nobis, ut aut negligentes ante, aut mali *bonum velle incipiamus*; & *cooperatur cum* nobis, ut libere volentes, efficaciter & libe-

(a) Vid. Ludov. Vives *de Verit. Fidei Lib. V.* Samuel Pufend. *differt. de concord. veræ Politic. cum Religion.*

(b) *Non solum ut monstrante ipsa, quid faciendum sit, sciant, verum etiam ut præstante ipsa, faciant cum dilectione quod sciunt.* August. *de corrept. & grat. c.* 2.

(c) *Si homo agi cœperit Dei Spiritu, concupiscitur adversus carnem fortiore robore caritatis, ut ex Fide justus vivat .... in quantum non cedit malæ concupiscentiæ, vincente delectatione justitiæ.* Aug. *in Enchir. cap.* 118.

(d) *Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incepit, quia ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* August. *De Grat. & Liber. arbitr. cap.* 17. Vid. & S. Thom. 1. 2. *q.* 121. *art.* 2.

libere illud exequamur. Hoc est subsidium illud, cujus vi Paulus, qui paullo ante ita animis ceciderat, infirmusque erat, testatur (*ad Philip.* 4.) *se posse omnia in eo, qui illum confortat*. Hoc est donum illud omnipotens, quod ab amore rerum mutabilium ad illum incommutabilis boni, quod Deus est, cor convertens delet omnia peccata nostra, amicos nos Deo reddit, & ut est semen vitæ æternæ, jus nobis dat illius consequendæ. Hoc demum est decus illud *quod est potissimum in lege Novi Testamenti, & in quo tota virtus ejus consistit, hoc est Gratia Spiritus Sancti, quæ datur per Fidem Christi. Et ideo principaliter Lex nova est ipsa gratia, quæ datur Christi Fidelibus*; (S. Thom. 1. 2. q. 106. art. 1.) per quam omnia hujus Legis munera & multa, & ardua perficiuntur, mercesque percipitur.

§. X. Verum qui, dicet aliquis, donum hoc tam excellens, & ita necessarium poterit homo consequi? Nomen ipsum *Gratia*, inquit D. Paulus, satis indicat, illud non posse sibi hominem promereri; ipsa est fons cujusque nostri meriti; nullum ergo meritum ipsam præcedit. Modum tamen certum eam adipiscendi Legislator noster nobis tradidit, & hic est demissa, constans, fervida ad Deum Patrem in Fide, & in nomine dilecti Filii sui, Dominique nostri Jesu Christi oratio facta. Hæc est Testamenti, cœlique clavis; ideoque nullum præceptum fortasse magis hoc in Novo Testamento inculcatur. *Oportet* (*Luc.* 18.) *semper orare, & numquam deficere*: *Petite* (*ibid.*) *& dabitur vobis*; *quærite, & invenietis*: *pulsate & aperietur*. *Si vos cum sitis mali, scitis bona dare Filiis vestris, quanto magis Pater vester cælestis dabit Spiritum suum petentibus illum? Amen amen dico vobis* (*Joan.* 16.) *omnia quæcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Quærite* (*Luc.* 12.) *primum regnum Dei, & justitiam ejus* (quæ omnia ad gratiam reducuntur) *& hæc omnia temporaria adjicientur vobis*; & alia his similia loca plurima. Pervolutemus nunc omnium Philosophorum Ethicam, forte nullum hujus gravissimi officii vestigium in eorum scriptis reperietur: sed nihil mirari subit; nolle enim agnoscere necessitatem ad bene vivendum divini auxilii, causa erat, cur negligerent ad Deum confugere; & negligentia hujusmodi precum eorum cæcitatis, abominandæque morum corruptionis erat origo: sine oratione enim gratia illa, quæ efficit, ut homo operetur, quo debet modo, non obtinetur; otiosus autem salutem non consequitur. (*a*)

§. XI. Non me latet, Libertinos hæc omnia *mysthicherias, & imaginationes* appellare; gratiamque hanc, hoc auxilium interius invisibile, supra naturam, eorum sententia, esse commentum, somniumque. Vellem, ut eorum quispiam placidus breve hoc argumentum, quod edo, audiret, tum vero responderet.

Innumeros mortales cujuscumque ætatis, conditionis, sexusque altos antea, versatosque in erroribus, vitiisque Evangelicam Ethicam amplecti, & ne latum quidem unguem, dum vita iis superest, ab ea discedere tum quantum ad leges pertinet, tum quantum ad alia ejus præcepta quam immaculáta, tam severa, eaque servare ita, ut potius quam eorum aliquod violent, lubentes inter exquisitos cruciatus animam efflent, hoc est *phænomenum* naturalibus viribus hominum vulgi superius. Omnes humani generis historiæ, & notitia, quam quisque habet hominis, & sui ipsius experientia hujusmodi veritatem perspicue comprobant. Pergamus porro. Atqui admirandum hoc phænomenum post Evangelii prædicationem in innumeris mortalibus palam inspectum fuit (quæ propositio mox a nobis evidenter plana fiet): ergo mortales hi præsidio humanis viribus superiore erant præditi; ergo mortales hi auxilio gratiæ Jesu Christi ab ipso in lege sua promissæ confirmabantur: ergo promissa in Evangelio gratia non est commentum, non est somnium; sed est donum ita verum, ut orbis conversio est vera.

Ita nunc argumentum resumamus; atqui lex non solum impolluta in suis præceptis, sed quæ promittit, vimque præstat,

(a) *Nullum credimus ad salutem nisi Deo invitante venire; nullum invitatum salutem suam nisi Deo auxiliante operari: nullum nisi orantem salutem promereri*. Genad. Libr. de Eccles. Dogmat. cap. 27.

ſtat, ut omnis obſervetur, colaturque licet aſpera uſque ad mortem, non aliunde, quam a Deo proficiſci poteſt, qui unus id promittere poteſt, & in cordibus humanis peragere: ergo Lex Evangelica eſt a Deo, & gratia ab eo promiſſa, & ab ipſo collata ejuſmodi nobis eam oſtendit.

Magis etiam argumentum firmemus. Donum hoc, quod eſt ſupra naturam, Legis Evangelicæ proprium, quod flectit corda, eiſque ad illam adimplendam opitulatur, non ſolum arguitur ex conſequenti effectu orbis terrarum converſionis; ſed etiam longe ante ab Jeremia nobis prædictum fuit, quale nimirum nobis illud ſub oculis in Evangelium ponit, & cujuſmodi in converſione orbis animadverſum fuit. Talis eſt Jeremiæ locus (31. *v.* 31. *&c.*): *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Juda fœdus novum: non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, ut ducerem eos de terra Ægypti: pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus* (Græcus textus, cum quo convenit D. Paulus, legit *abominatus*) *ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in viſceribus eorum & in corde eorum ſcribam eam* (quid aliud ſignificat, niſi Evangelii interiorem gratiam, quæ mentes illuminat, quæ corda flectit, cujus cum expers eſſet Lex vetus, ſcripta in lapideis tabulis exterius erat?), *& ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens, cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me a minimo eorum uſque ad maximum, ait Dominus; quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Quod ſi conferatur hoc & cum Lege Evangelica, quæ prædicat, & promittit Gratiam, quæque proinde *Lex Gratiæ* dicitur, *in cordibus noſtris ſcripta per unctionem Spiritus Sancti*, & componatur cum effectibus ex ipſius prædicatione in orbem derivatis, qui, ut oſtendimus, nonniſi gratiæ adſcribi poſſunt, tam ad amuſſim adimpletum eſt, ut ſit quavis exceptione majus. Iterum ergo argumentum hoc modo afferamus. Atqui Lex quoad ſua ſupra naturam promiſſa confirmata per conſequentes effectus, Lex quoad ſua ſupra naturam promiſſa pluribus ſæculis ante prædicta non poteſt eſſe niſi a Deo; ergo Lex Evangelica vera Dei Lex eſt: ergo in ſuis præceptis falli non poteſt, & fallere; ergo ex neceſſaria conſequutione eſt colenda. Huic ratiociniorum generi ineptias, injurias, convicia, quibus redundant eorum Polyantheæ, opponere poſſunt; at ſolide, at recte numquam reſpondebunt. Hoc Jeremiæ loco qui tam perſpicue antiqui Fœderis abrogationem, indolemque progreſſumque novi oculis ſubjicit, uſus eſt D. Paulus ad Hebræos (8.) pro Evangelio, nec per tot ſæcula quiſquam inventus fuit, qui illum refutare quovis modo potuerit, aliterque interpretari. Sed hoc argumentum alibi fuſius pertractabimus. Hic tantum illud extremis labiis delibavimus, quia cum veritatem, integritatemque Evangelicæ Legis demonſtraverimus & reſpectu dogmatum, & reſpectu præceptorum omnium cum recta ratione concordium, præceptis antiqui Fœderis perfectiorum, & ſupra id, quod umquam dicere, & fingere Philoſophi potuerunt, præſtantiſſimorum, peculiaris etiam hujus novi Fœderis portio, quæ gratia eſt, cujuſque boni, quo fruimur, fons, & quæ per ſolum Jeſum Chriſtum nobis confertur, oſtendenda erat, ac defendenda. Cum corporeis oculis hæc cerni non poſſit, ex effectibus ſuis, quos ſub oculis habemus, ex oraculis, quæ ad illam referuntur, in aperto poſita fuit; atque ita ſuſcepta veritatis, integritatiſque doctrinæ Librorum cum veteris, tum recentis Fœderis demonſtratio ducta eſt ad umbilicum.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Secunda nota Doctrinæ Christianæ.

Integritas morum introducta per ejus Prædicationem in homines.

I. *Corruptio morum in Ethnicis. In ipsam frustra invehebantur Philosophi.*
II. *Solum Evangelium introducit in orbem admirandam sanctitatem: Testimonia Plinii Junioris, Tertulliani, Eusebii, & S. Cypriani.*
III. *Correctio morum quoad honestatem. Pudor Christianarum mulierum; Christianorum fuga a profanis ludis, præcipue a Theatralibus spectaculis.*
IV. *Christianorum caritas in suos similes ab impio Luciano, & ab Juliano Apostata memorata. Præclarus Athenagoræ locus de inimicorum amore. Fides in Principes.*
V. *Testimonium nostrorum Apologistarum; cujus ponderis: animadversio Eusebii. Argumentum, quod hinc desumitur pro Evangelii divinitate.*

§. I. Qualis, quantaque morum corruptio in Ethnicis fuerit, nemo est, qui ignoret. D. Paulus in primo ad Romanos Epistolæ capite eam ad vivum exprimit. Ipsi Gentiles scriptores sæpe nos horrore perfundunt, non minus publicas, quam nefandas consuetudines, quæ hominem quadrupedibus spurciorem efficiunt, referentes. Ex Svetonio uno, qui turpes mores in urbe Imperii principe, Cæsaribus regnantibus describit, satis possumus addiscere; Xenophon etiam, Plutarchus, Tacitusque quibusdam suorum operum in locis, quæ in cultioribus orbis nationibus fuerit morum turpitudo, enarrant. Fusius de hac re loquemur postea. In infandum hunc vivendi modum, cujus rationem ipsam pudebat, & cujus sub jugo natura ipsa gemebat, identidem Philosophi invehebantur. Personabant Porticus, Academiasque quædam sanæ Ethicæ præcepta. Socrates quasi e cœlo eam desumpsisset, qua homines imbueret, inter cæteros colebatur. Mite, & grave Platonis ingenium, Aristotelis acumen, severa Stoicorum præcepta materiam disputandi doctis præbebant, imperitisque saltem admirandi. Romanus fastus præclare secum agi putabat, si divitias scientiarum ex Athenis hausisset. Eo docendi mittebantur Liberi, & latina eloquentia Panætiorum, & Cratipporum Ethicæ mirum quantum luminis elegantiæque addebat. At quæ hinc orbi corrupto, moribusque perversis emendandis utilitas? Philosophi ipsi secus ac docebant agentes, suorum præceptorum fidem elevabant. Cicero ipse id ait (Tuscul. Disput. *Lib. II. cap.* 4.). *Quotus enim quisque Philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo, ac vita constitutus, ut ratio postulat? Qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet? Qui obtemperet ipse sibi, & decretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate, & jactatione, ut iis fuerit non didicisse melius: alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos; multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio: quod quidem mihi videtur esse turpissimum.* Si hæc præceptores agebant, quid egisse discipulos censendum erit? Potius disputare, quam bene vivere hi discebant; & lectionibus, quas audiebant, nihilo efficiebantur meliores. *Plerique* (inquit Aristoteles ipse *Lib. II. Ethic. cap.* 4.) *non agunt secundum virtutem, immo sermones de virtute evitant, putantque, se esse Philosophos, atque se proborum nomen consequi; imitantes eos ægrotos, qui attente medicorum consilia audiunt quidem, sed præceptis a medicis non utuntur.* (Vid. Quintilian. Institut. *Lib. I. in Præfat.*)

§. II. Hominum corruptorum morum emendationem, quam nulla umquam ætate, nulla in regione Philosophorum doctrina, & tota quanta fuit eloquentissima, & splendidissima Ethnica sapientia introducere non potuit; præstitit Chri-

ſtiana doctrina, præſtitique non in paucis hominibus, ſed in latiſſimis nationibus quavis ætate, conditione, ſexu conſtantibus, præſtititque ita, ut illas ad eum perfectionis gradum evexerit, ut hoſtes ipſi obſtupuerint. Viri multi eruditiſſimi argumentum de vita, & moribus veterum Chriſtianorum pertractarunt. Poſt Fleuryum legi meretur P. Thomas Mamachius Theologus Caſanatenſis, qui & rerum ubertate, & dicendi elegantia valde inclaruit (*a*). Nos quædam ad rem noſtram pertinentia afferemus. Primum ſeſe objicit nobis teſtimonium eo illuſtrius, quo infeſtius, Plinii Junioris, qui ad Trajanum ſcribens, referenſque de Chriſtianis ſuæ ætatis ait, ſe comperiſſe, (Lib. X. epiſt. 97.) *Hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem, ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod adſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent. Quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſuſque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen, & innoxium.* Hanc eamdem innocentiam quotidie Principes, & Magiſtratus, & Sacerdotes profani intuebantur; qui odio inteſtino ante tribunalia Chriſtianos trahentes nullo alio ſcelere eos accuſare poterant, niſi fidei. *Nos* (ajebat Tertullianus *ad Scapulam cap. 2.*) *ſacrilegos exiſtimatis, nec in furto umquam deprehendiſtis, nedum in ſacrilegio.* Et (in Apologia cap. 44.) *De veſtris ſemper æſtuat carcer, de veſtris ſemper metalla ſuſpirant, de veſtris ſemper beſtiæ ſaginantur.... Nemo illic Chriſtianus, niſi hoc tantum: aut ſi & aliud, jam non Chriſtianus. Nos ergo ſoli innocentes.* Idem iiſdem pene verbis legitur apud Minutium Felicem *in Octav. cap. 35. extr.* Veritas hæc Cæſaribus ipſis innotuit, quod ex illuſtri Euſebii loco diſcimus, (*Lib. VIII. in init. ex antiqua verſion. Rufini*) qui hæc ſcribit: *Aliquanti ex principibus Romanis & facultatem regendi provincias, juriſque dicendi noſtris præbebant; & conjugibus,* (tales fortaſſe fuerunt Priſca Diocletiani uxor, & Valeria filia, Galerii uxor) *& miniſtris, atque univerſæ domui ſuæ non ſolum credere in Dominum Jeſum Chriſtum, verum etiam cum omni fiducia, ac libertate in fide agere ſinebant: ita ut illos ſibi fideles, ac familiares ducerent, de quibus certi erant, quod pro fide Chriſti nihil perfidum ſaperent. Sicut fuit opinatiſſimus ille Dorotheus in cubiculo Regum, qui propter fidem Domini fideliſſimus in omnibus habebatur. Unde & cunctis præferri honore meruit, & amore. Cum quo & Gorgonius, cæterique cum ipſis in Domino fideles, vel qui intra palatium in ſummis honoribus erant, vel qui ad Provincias gubernandas præferri cæteris fidei contemplatione merebantur.* Impavidi ergo certique, ſe non poſſe mendacio convinci, Apologiſtæ noſtri coram Ethnicis omnibus innocentiam, virtutemque Chriſtianorum celebrabant, quorum dicebant, verum argumentum eſſe *magnitudinem non verborum, ſed morum. Nos,* ajebat S. Cyprianus (*de bono patient. ſub init.*) *qui Philoſophi non verbis, ſed factis ſumus, nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate præferimus, qui virtutum conſcientiam magis quam jactantiam novimus, qui non loquimur magna, ſed vivimus, quaſi ſervi, & cultores Dei.* (*b*) Non eſt tamen negandum, in hac illuſtri copia, integritate, & virtute tanta prædita, ſententia ipſorum hoſtium, quoſdam degeneres fuiſſe filios, aucta præcipue progreſſu temporis Eccleſiarum quantitate, & paullatim diſciplinæ rigore, & fidei robore ex diutina pace decreſcente. Hi tamen præ bonis erant tam pauci, ut Tertullianus (*c*), qui ſub finem ſecundi, initiumque tertii ſæculi vixit, cum corporis nævis eos comparare non dubitaverit; immo ex eo quod a Gentilibus hi digito monſtrabantur, argumentum deſum-

(a) *Originum, & antiquit. Chriſt. Tom. III.* Idem argumentum ille tractat Italo ſermone in opere in Tomos tres diſtributo, inſcripto *De' coſtumi de' primitivi Criſtiani.*

(b) Similes præclari dicendi modi leguntur pro Chriſtianis apud Juſtinum Mart. *Cohort. ad Græc. cap. 36.* Athenag. *in Apolog. pag. 12.* Clement. Alexandr. I. *Strom. pag. 318.* Minut. Felic. *in Octav. cap. 38. Non eloquimur magna, ſed vivimus.*

(c) *Non negabimus, quoſdam* (eſſe malos): *ſufficit & hoc ad teſtimonium nominis Chriſtiani, ſi non omnes, ſi non plures. Neceſſe eſt in corpore, & quantum velis integro, aut puro, ut nævus aliquis effruticet... Major boni portio modico malo ad teſtimonium ſui utitur; cum tamen aliquos de noſtris malos probatis, jam hoc ipſo Chriſtianos non probatis.* Lib. I. ad Nati. c. 5.

ſumpſerit, (a) quo ejus cœtus perfectionem, integritatemque, a cujus moribus infelices illi deſciverant, defenderet.

§. III. At aliquid ſingillatim de hac ipſa virtute, morumque emendatione ab Evangelio introducta, & in primis Chriſtianis ab Ethnicis ipſis commendata dicamus. Qualem, quantamque ſanctiſſimarum naturæ legum antea cladem impudicitia faceret, jam cuique patet; ſed quem pulcherrimum triumphum de monſtro hoc fides noſtra non retulit? *Itaque*, inquit Euſebius (*Præpar. Evangel. Lib. 1. c. 4.*) *nec Perſæ, qui ſemel ejus diſciplinæ nomen dederunt, nuptias amplius cum matribus ineunt... Nec alia Barbarorum genera inceſto filiarum, ac ſororum concubitu polluuntur, nec ad mares furioſo libidinis æſtu mares ipſi rapiuntur, nec ceteras, quæ naturæ leges violant, voluptates perſequuntur*. At id leve eſt. Pudoris cuſtodia erat Chriſtianorum nota. Sciebant inimici, dicebat Tertullianus, hujus dotis violationem eſſe noſtris morte ipſa acerbiorem; quare ſperabant, ſe Chriſtianam mulierem permoturos eſſe, ſi eam *Lenoni* (b) *potius* quam *Leoni* ſe trādituros eſſe illi minarentur. Satis erat, ut virgo diceret, ſe Chriſtianam eſſe, ut ſe disjectum de ponte amator crederet. Viderunt mulieres noſtras a Tyrannis in arenam productas pugnaturas cum feris beſtiis in illo diſcrimine, in iis cruciatibus, nihil curaſſe ſtudioſius, quam ut veſtes adducerent, & velum ita componerent, ut in ipſo luctæ ardore nihil, quod modeſtiam læderet, eveniret (c). Quid præſtantius dici poteſt, ſi externæ pudicitiæ ſollicitudo in

(a) *Ipſi in colloquio ſi quando adverſus nos; cur ille, inquitis, fraudator, ſi abſtinentes chriſtiani? cur immitis, ſi miſericordes? adeo teſtimonium redditis non eſſe tales Chriſtianos, dum, cur tales ſint, qui dicuntur Chriſtiani, retorquetis*. Ibid.

(b) *Nam & proxime ad Lenonem damnando Chriſtianam potius quam ad leonem confeſſi eſtis* (o Ethnici) *labem pudicitiæ atrociorem omni pœna, & omni morte reputari*. Tertul. Apolog. c. 1.

(c) Exemplum illuſtre habemus in actis integerrimis SS. Martyrum Perpetuæ, & Felicitatis, in quibus legitur, cum fuiſſet S. Perpetua in publica arena a ferociſſima bove impetita *concidit in lumbos, & ut conſpexit tunicam a latere diſciſſam, ad velamentum femorum adduxit pudoris potius memor, quam doloris*.

Holſtenius primæ claſſis doctus, qui hos actus edidit, eruditiſſimiſque notis eos ornavit, ad locum allatum advertit, hujuſmodi fœmineum pudorem *generatim loquendo ſenſum naturæ eſſe*; & ut id confirmet, locum illum Clementis Alexand. *Pædag. lib. II. cap. 10.* affert οὐδὲν μέρος ὅτιοῦν ἀπογυμνοῦσθαι γυναικὶ ἐπιτρεπτέον; *ſummam eſſe indecentiam quamcumque muliebris corporis partem nudari*. Inde Holſtenius addit, *quod in gentilibus quoque fœminis naturalis pudor ſemper abhorruit. Hinc illud Euripidis de Polixena jam moriente in Hecuba* verſ. 566.

. . . . ἡ δὲ καὶ θνήσκουσ' ὅμως
πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν,
κρύπτειν θ' ἃ κρύπτειν ὄμματ' ἀρσένων χρεών.
Illa vero etiam moriens
Multum curam habuit honeſte cadendi,
Et tegendi ea, quæ tegi oculis virorum decet.

Quod Ovidius Faſtor. l. 2. v. 833. ad. Lucretiam tranſtulit:

Tum quoque jam moriens, ne non procumbat honeſte.
Reſpicit, hæc etiam cura cadentis erat.

Ita Cornelia Maximilla Veſtalis inceſti damnata, teſte Plinio Lib. IV. ep. II. *cum in ſubterraneum cubiculum demitteretur, hæſiſſetque deſcendenti ſtola, vertit ſe ac collegit: cumque ei carnifex manum daret, averſata eſt, ac reſiluit, fœdumque contagium, quaſi plane a caſto, puroque corpore noviſſima ſanctitate rejecit*. πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν.

Putarem tamen, non magni hæc exempla eſſe facienda, ſaltem non eſſe conferenda cum noſtra Martyre, aliiſque mulieribus Chriſtianis. Et primum quoad Polixenam, nos hoc ſcimus a Poeta, qui (ut poſt Ariſtotelem obſervant artis Magiſtri) ad differentiam Hiſtorici res narrat non ut fuerunt, ſed ut eſſe debebant, vitiis exceptis, defectibuſque. Vid. Clariſ. Vulpium *de utilit. Poetic. c. 1.* Euripides ergo admirabilis in rebus deſcribenndis finxit Heroinam ſuam morti proximam, hunc honeſtatis, pudicitiæque actum feciſſe, qui quo eam honeſtiorem oſtendebat, etiam majorem effectum excitabat, quod eſt illud πάθος tributum huic Poetæ tamquam proprius character hujus Tragœdi. Quamquam, ut quod res eſt, dicamus, neque in Polixena conſervatum vidimus pudorem illum, quem Clemens Alexand. citatus ab Holſtenio ait, eſſe legem fœminei ſexus; quoniam a Poeta nobis deſcribitur Virgo hæc coram Agamemnone, totoque Achivorum exercitu, quin poſtularetur, ultro, per ſe ipſa ante mortiferum ictum ver. 556.

Λαβοῦσα πέπλους ἐξ ἄκρας ἐπωμίδος
Ἔρρηξε λαγόνας εἰς μέσας παρ' ὀμφαλόν,
Μαστούς τ' ἔδειξε, στέρνα θ' ὡς ἀγάλματος
Κάλλιστα.
Apprehendens peplos ex ſummo humero
Rupit ile ad medium juxta umbilicum,
Mamillaſque oſtendit, pectoraque quaſi ſtatuæ
Pulcherrima,

Quod

In sexu ita molli, imbellique cruciatuum earum, mortisque horrorem superabat? Sed quid dicam de innumeris illis cælibum utriusque sexus agminibus? Habuere quidem etiam Ethnici Vestales suas; verum ne ignoremus, quantum non solum numero, sed etiam virtute distarent a Christianis virginibus, ut cum his conferri possint, satis est S. Ambrosium, & Prudentium, immo ipsos profanos auctores legere, qui id memoriæ tradunt. Castæ etiam erant nuptiæ, sive fidelitatem sponsorum respiciamus, sive usus sanctitatem, & quia raro admodum, per mortem alterius sponsi soluto vinculo, superstes sponsus, quamquam id non erat inhibitum, secundo nubebat. Nihil autem aut in exteriori cultu, aut in familiaribus colloquiis, aut in totius demum vitæ actione in Christianis adverti poterat, quod honestatem non præseferret. Neque id mirum cuiquam videri debet; quandoquidem cogitationes ipsas pudicas servabant, utpote qui semper mentis oculis supremum judicem propositum habebant. Quo argumento Athenagoras in celebri sua Legatione pro Christianis utitur, ut ostendat Romanis Imperatoribus, quanta injuria *Edipodeorum concubituum*, aliarumque infandarum turpitudinum criminibus accusarentur. Quia vero ad pudoris custodiam fugam a peccandi occasionibus necessariam esse ducebant, ideo a Gentium conviviis, Bacchanalibus, choreis, & præcipue a theatralibus spectaculis, vix Fidei Christi sacramento dato, abhorrebant. Idque non tam ob idololatricam superstitionem, qua spectacula illa inficiebantur, quam ob res turpes, quæ ibi & audiebantur, & perspiciebantur. Quapropter ab omnibus SS. Patribus (a) ea damnantur, ex quibus facile percipitur, quantopere homine Christiano etiam usitatæ nostrorum dierum comœdiæ, & drammata indigna sint judicanda. Hæc primorum Christianorum ab hujusmodi spectaculis cum pudori, tum modestiæ infestis fuga ita Ethnicis ipsis erat aperta, ut inter ea crimina recenseretur, quibus nostri tamquam Reipubl. Imperatorumque hostes accusabantur, quod iis ludis, bacchanalibus, turpibusque spectaculis non intererant, quibus dies natales, decennalia, triumphi, aliæque solemnitates in Cæsarum honorem a quibusque nefarie celebrabantur. Tertullianus in suo Apologetico potissimum legatur.

§. IV. Quæ cura pudoris servandi esset, cum exposuerimus, amorem, quem Christiani in quoscumque ostendebant, inspiciamus. Ethnici ipsi non ignorabant, eos, qui nomen huic militiæ dederant, habitos ab aliis ut fratres fuisse, ut fratres se mutuo amavisse, certasse inter se mutuis benevolentiæ officiis, sibi ultro opitulatos fuisse suis in ærumnis, eo etiam devenisse quosdam, ut pro aliis mortem subirent. Hujusce reciproci amoris Christianorum quolibet officiorum genere testati, comprobatique imaginem ingenuam, ut Apologistas, Patresque nostros prætveream, habemus ex impio Luciano in Dialogo *de Peregrini morte* (b). „ Videmus „ hic

Quod pertinet ad Lucretiam, habemus ex Livio, ex Dionysio Halicarnasseo ejus mortem; ille tantum ait, eam in vulnus moribundam, corruisse; hic, eam in amplexu Patris expirasse: de circumstantia ab Ovidio narrata ne verbum quidem apud eos habetur; est Poetica descriptio.

Denique Vestalis actus videtur potius superstitio furens, superbaque, quam honestus pudor, præcipue si jam fuerat cognita; sicut & multæ aliæ ante illam fuerant cognitæ, & ideo capite multatæ, ut habetur in Eusebii Chronico; & nisi fuerunt punitæ, evenit, *quod in residuis impunitatem fecerit non castitas tutior, sed impudicitia felicior*; ut loquitur Minutius Felix in *Octav. c. 25.*

(a) Facillimum esset afferre plura Patrum testimonia de hac re, & producere plures doctissimos recentes Scriptores, qui ea collegerunt, & perpenderunt. Sufficiet locus unus P. Balti Jesuitæ, ut colligi ex ejus operibus potest, in Sanctorum PP. doctrina versatissimi. Ille ergo in libro inscripto *Parallel de la Philosophie Chrétienne &c. p. 308. in not.* cum attulisset D. Augustini locum, & Lactantii alterum, ita ait: *On ne connoit pas seulement par ce passage de Lactance, ce que c'etoit les Mimes, & les Comediens, & par consequent quelle pouvoit etre la pudeur des Vestales, qui assistoient à tous ces spectacles, mais encore ce qu'il auroit pensè de toutes nos Comedies d'aujourdui, qui asseurement ne sont pas plus chastes, que celles qu'il condamne avec tous les autres S. S. Peres, qui sur ce sujet sont d'un consentement le plus unanime qui fut jamais.*

(b) *Cum igitur in vinculis esset* (Peregrinus) *communem eam calamitatem rati Christiani, nihil intentatum relinquunt, ut illum eripiant. Deinde ubi hoc fieri non poterat, ministerium omne reliquum non obiter, sed summo studio peragebatur. Et mane quidem statim videres, præsto esse ad carcerem vetulos, viduas quasdam, & orphanos. Qui vero honoratiores eorum, ii etiam, corruptis carceris custodibus intra apud ipsum pernoctabant. Deinde cœnæ inferebantur collatitiæ; & sacri illorum libri recitabantur. Quin etiam ex Asiaticis quibusdam urbibus Christianorum missu publico venere quidam adju-*

„ hic Christianos cujusque ætatis, condi„ tionis, sexus trepidare ad carcerem „ fratrem suum Peregrinum eo detrusum „ consolaturos, trepidare, inquam, pri„ vatoque impetu, communique edicto „ permotos ei *summo amore* genus quod„ libet auxilii, opisque præstare, neque „ incommodis, neque impensis, neque „ laboribus ullis parcere, ut illi opem „ ferant. „ Actus Martyrum autographi narrationis hujus ab infensissimo Religionis nostræ hoste factæ veritatem pluribus exemplis confirmant. Quamquam non carceres solum, & vincula illustria erant mutuæ caritatis testimonia. Quamlibet ærumnæ alienæ speciem quisque suam ducebat; quisque illa oppressum quam maxime erigere laborabat. Hæc nimirum caritas invisa etiam erat alteri acerrimo Fidei nostræ aggressori, Juliano Apostatæ, qui eam Arsacio Sacerdoti idololatræ in Galatia (*epist.* 49.) ita ob oculos ponit. *Sed quid causæ est . . . . . cur non potius convertamus oculos ad ea, quibus Christianorum Religio crevit, id est ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuis sepeliendis positam, & ad sanctimoniam, quam simulant? . . . Non turpe profecto est, cum nemo ex Judæis mendicet, & impii Galilæi* (ita ille appellabat Christianos) *non suos modo, sed nostros quoque alant; ut nostri auxilio, quod a nobis ferri ipsis debeat, destitui videantur*. Locus hic viam nobis sternit, ut intelligamus, quam vere hæc magnifica verba Athenagoras proferre posset (*in Legat. pro Christian. num.* 12.): *Quænam sunt illa placita, in quibus enutrimur?* Ecce, *Dico vobis, diligite inimicos vestros. Per vos hoc loco mihi liceat, ut apud Reges Philosophos causam dicens, in sermonem magno clamore exaudiendum liberrime erumpere. Quinam enim vel ex his, qui syllogismos resolvunt, ambigua dicta dissolvunt, & voces, unde dicta sint, explanant* (hoc est inter Philosophos) . . . *quinam, inquam, ex hic ita puri, insontesque vivunt, ut inimicos non modo non oderint, sed etiam diligant, ac iis, qui priores maledixerunt, non modo non maledicant, quod tamen moderatissimum videtur, sed etiam benedicant, & pro illis precentur, qui ipsorum vitæ insidiantur?* Ad tam sublime, heroicumque caritatis, amorisque fastigium progrediebantur Christiani, præcipue dum persecutiones sæviebant, dum cruciatus acerrimi exquirebantur. Quare in actibus autographis Martyrum sæpissime legimus, eos pacem dedisse carnificibus, & pro tyrannis orasse. Quod si caritate tanta fervebant, quam attentos fuisse, ne in aliena jura delinquerent furtis, fraudibus, adulteriis, defectionibus credendum est? Quod autem ad defectionem præcipue spectat, celebris est locus ille (jure inquit Fabricius *de Veritat. Religion. Christian. c.* 5.) ubi Tertullianus, Historicis omnibus *synchronis* monumentis id confirmantibus, hæc ait (*ad Scapul. cap.* 2.): *Numquam Albiniani, aut Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani: Sed iidem ipsi, qui per Genios eorum in pridie usque juraverant, qui pro saluto eorum hostias & voverant, & fecerant, qui Christianos sæpe damnaverant, hostes eorum sunt reperti. Christianus nullius est hostis, nec dum Imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit cum toto Romano Imperio*.

§. V. Sed de virtutibus his & de moribus Christianorum omnibus legi possunt antiqui Apologistæ, Justinus, Tatianus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, & Tertullianus; qui cum Apologias suas iisdem Imperatoribus (a) obtulissent, edidissentque, publicique juris fecis-

jutuei virum, & advocati ejus futuri, consolatueique. Incredibilem enim alacritatem ostendunt, si quid fias publice. Ut enim breviter dicam, nulli cei parcunt . . . . Persuaserunt enim sibi miseri in universum quidem se futuros esse immortales, & perpetuo tempore victuros; unde etiam contemnunt mortem vulgo, suaque se sponte occidendos prabent. Deinde vero primus illis Legislator persuasit, omnes esse invicem fratres &c. Lucian. *de morte Peregrini*. *Tom. III. Opre.*

(a) Bælius (*act. Athenagoras Remarq. B*) opinatur *primos Fidei defensores* scripsisse quidem Apologias suas Imperatoribus scriptas, & etiam in vulgus sparsisse, ratos aliquod exemplar in manus Principum venturum, sed tamen illos eas numquam iis obtulisse. *Eo modo* (inquit) *quo Calvinus in suo conclavi clausus Basilea Francisco I. nuncupavit suas Institutiones Christianas, quas neque ille, neque alii ei obtulerunt umquam*. Hoc est unum ex usitatis Bælii mendaciis. Argumentum enim ex illorum temporum monumentis, quod res postulabat, & ut redargueret titulum, quem Apologiæ illæ præseferunt in fronte, erutum nullum affert. At nos ex antiquis monumentis contrarium elicimus. Eusebius *Lib. IV. cap.* 3. & in Chron. *ad ann.* 127. & post eum D. Hieronymus epist. 84. *ad Magnum Oratorem* ita scribit: *Quadratus Apostolorum discipulus, & Atheniensis Pontifex Ecclesiæ nonne Hadriano Prin-*

fecissent, suspicioni cuilibet mendacii, quo procul dubio fuissent convicti, locum nullum relinquunt: atque ita, nedum causam, cui patrocinabantur, tutarentur, prodidissent. Horum Apologistarum autem, veterumque Scriptorum omnium selectiora loca collegit, illustravitque memoratus P. M. Mamachius (*Tom. IV. Originum Christianarum*), & in tribus Tomis, quos Italo sermone composuit (*dei costumi dei primitivi Cristiani*). Videmus ibi ex testimoniis omni exceptione majoribus, quænam eorum Fidei integritas, eorum Spei firmitas, eorum Caritatis æstus, eorum cultus sanctitas, terrenorum contemptus, humilitas, temperantia, justitia, pax, orandi fervor, præcipue invicta in defendenda coram immanissimis Tyrannis veritate fortitudo (de qua dicemus alibi) fuerit. Ibi, ut breviter dicam, videbimus clarissima sub luce *phænomenum* illud, quod nos hic tantummodo indicavimus, innocentiam videlicet, sanctitatemque morum in mortales fœdissimos per Evangelium inductam; quod nulla alia doctrina præstiterat ante, neque postea unquam præstitit. Quam veritatem his verbis Eusebius explicat *Lib. 1. Præpar. Evangel. cap. 4. Illius autem utilitatis, quæ palam doctrina hujus prædicationem consequuta est, cuivis rem secum attente reputanti clarum hoc imprimis, & illustre specimen intueri licet: quod nec alias unquam ex hominum memoria, nec ab eorum ullo, qui fama quondam nominis, & existimatione floruerunt, sed tantum ex quo ipsius doctrina per universum orbem diffusa verbis, & concionibus hominum aures afflari cœperunt, continuo factum sit, ut qui ferini prius, ac barbari nationum omnium mores fuerant, iidem lenioribus, & humanioribus institutis mansuescerent.* (a)

Demonstratio itaque ad præcedentis capitis finem allata hic repetatur. Hominum morum corruptorum prius, turpiumque immutatio, ut casti, integrique essent, ita ut omnia jura, virtutesque colerent, est opus ejusmodi, quod nulla umquam Religio, aut doctrina patravit, & quod longe, multumque humanæ naturæ vires exsuperat, ut exempla omnia, intimaque singularis experientia demonstrant. Atqui hanc admirandam conversionem per Evangelicam Legem perspicue, & evidenter factam cernimus; quam hujus ipsius Religionis hostes acerrimi factam fuisse & agnoverunt, & ingratiis suis fassi sunt, ut hactenus probavimus. Lex ergo hæc a Deo est, qui unus ita humana corda, quod numquam vires, curæque hominum effecerunt, aut efficere possunt, potis est immutare; quandoquidem ille unus Deus, inquit D. Prosperus *Carmin. de Ingrat. v. 333.*

Sic prius immites populos, urbesque rebelles
(Vincente obstantes animos pietate) subegit;
Non hoc consilio tantum, hortatuque benigno
Suadens, atque docens, quasi normam legis haberet
Gratia; sed mutans intus mentem, atque reformans,
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.

C A-

Principi Eleusina sacra invisenti librum pro nostra Religione tradidit, & tanta admirationi omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam itius excellens sedaret ingenium? Simile quid legimus de Aristide, & ipso antiquo Apologista apud eumdem S. Hieronymum *de Scriptor. Ecclesiast. cap. 29.* in quo libro loquens de Justino Martyre hæc scribit: *Justinus Philosophus pro Christi Religione plurimum laboravit, in tantum ut Antonino Pio, & Filiis ejus, & Senatui* librum contra gentes scriptum daret, ignominiamque Crucis non erubesceret. Satis est legere utramque Apologiam hujus Patris, ut nobis persuadeamus, eas fuisse *scriptum publicum* oblatum ipsi Imperatori, Senatuique, ut postularet examen, judicium, sententiamque causæ. Quid plura? Justinus idem id testatur *in Dialogo cum Triphone n. 110.* ubi ait, *se appellasse Cæsarem* ἐγγράφως, hoc est scripto inter *acta publica relato*, sicut intelligendum esse locum hunc argumentis multis probat Maurinus editor. Qui editor præterea in præfatione ad opera ejusdem Justini *par. 3 cap. n. 4.* loquens *de negatione Athenagoræ* ostendit contra Bælium, non tantum *fuisse scriptam, verum etiam Imperatori oblatam*. Quam autem apte Calvini profugæ latentisque in cubiculo Basileæ, qui Religionem abjuraverat, exemplum conveniat cum iis primis germinibus Christi Sanguinis, quæ provocabant persecutores ipsos, putabantque secum præclare agi, si pro fide morerentur, prudens Lector videt; acumenque singulare Bælii intelligit. *Vid. Joan. Albert. Fabric. de Verit. Relig. Christ. cap. 5.* & hoc dictum sit pro rei veritate. Cæterum quamvis daremus, eos Scriptores apologias suas Principibus non obtulisse; sed solum eas edidisse sperantes, ut aliquod exemplar ad eorum manus perveniret, ut effingit ad libidinem Bælius; tamen argumentum nostrum ex testimoniis eorum Scriptorum deductum vim suam haberet. Non enim credi potest, eos Christianos fuisse adeo imprudentes, barbarosque, ut permiscerent gesta invisa, falsaque; quæ cognita & apud vulgus, & apud Principes (qui ea legere poterant) plurimum bonæ causæ, quam defendendam susceperant, detrimenti attulissent.

(a) Vid. præterea Clementem Alexandr. in principio eruditissimi Operis: *Admonitio ad Gentes*; ubi eadem, quæ Eusebius, dicit.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Tertia Nota Doctrinæ Christianæ.

Pernix, lataque ejus propagatio.

I. *Propositio demonstranda.*

II. *Scriptores Ethnici, Christianique testes pernicis, lataque Evangelii propagationis.*

III. *Error Campegii Vitringæ confutatur.*

IV. *Numerus incredibilis Martyrum aliud argumentum propagationis Fidei. Dodwellus impugnatus, Praclarus Prudentii locus.*

V. *Persecutiones, nedum extinguerent, Ecclesiam propagarunt. Constantinus Magnus. Roma Christiana.*

VI. *Deus solus propagare potest hanc fidem. Hæc propagatio fieri per homines non poterat. I. Animadversio de Augusti sæculi moribus, & subsequentium Cæsarum Ethnicorum.*

VII. II. *Animadversio de charactere Religionis Christi: Hæc superstitioni, moribusque Imperatorum omnino adversabatur. De lege Mahumedana.*

VIII. III. *Animadversio: quæ consequebantur professionem Christianæ Fidei, turpissima, & acerbissima: proinde humano modo ejus propagatio fieri non poterat. Dicteria Libertini cujusdam refelluntur.*

IX. IV. *Observatio. Omnes modi, quos humana sapientia potuisset sycophantæ suggerere, consequi effectum ejusmodi non potuissent. Falsum theorema in libro* de l'Esprit des Loix. *Vis adhibita a Mahumede; vetita ab Evangelio. Eloquentia inepta per se ad propagandam Fidem.*

X. V. *Observatio. Christus ad Evangelii prædicationem, si humana ratione res consideretur, modos omnium ineptissimos, & adversantes successui eligit, tamen mirum in modum consequitur, quod intenderat.*

XI. *Ex his omnibus consequitur, Evangelii propagationem esse opus divinum. Argumentum cujusdam impii difflatum.*

§. I. Conversio humanorum cordium per Religionem facta satis superque, eam divinam esse, demonstrat; sed circumstantiæ, quibus Fides hujus immutationis instrumentum propagata fuit, mirùm quantum ponderis huic demonstrationi addunt. Hoc est illud, quod demonstrandum suscipimus. Sic habeto paucis argumentum. Religio Christiana totum terrarum orbem quam citissime pertinuit; tamen humano lumine considerata secum gestabat, offendebatque in hominibus obstacula omnia invicta, ut amplificaretur, immo ut permaneret; ejus igitur propagatio est divina. A pernici, lataque ejus propagatione sumamus initium.

§. II. Imperante Augusto orbis totus (si Palæstinam Hebræam excipias) erat Gentilis. Regnante Nerone, Romæ, quæ erat & idololatriæ, & Imperii Sedes, Tacitus (a) *multitudinem maximam Christianorum fuisse*, dicit; tamen ut ille ait, *hæc secta in Judæa, ubi magis amplificabatur, nata erat; ejus Auctor fuerat Christus, qui sub Pontio Pilato Procuratore morte fuerat multatus.* Ab hoste infensissimo initium Religionis Christianæ, ejusque incre-

(a) *Auctor nominis ejus* (Christiani) *Christus Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat; non modo per Judæam originem ejus mali, sed per urbem etiam... Igitur primo correpti, qui fatebantur, dein de indicio eorum multitudo ingens.* Tacit. *Annal. Lib. XV. c.* 44.

crementum habemus. Celebris in Dione est locus (a), a quo scimus, Cons. Romanum, qualis fuit Flavius Clemens, & Domitillam ejus uxorem, propinquum utrumque Domitiani, Christianos fuisse, & hac de causa ab immani Imperatore simul cum aliis pluribus capite plexos fuisse. Trajano rem tenente, Plinius Junior (b) Proprætor in Bythinia innumeros reperit Christianos *in urbibus*, *in pagis*, *in agris*, *cujusque ætatis*, *conditionis*, *sexus*, *etiam morte contempta*, *quæ illis denuntiatur*, *prope jam desolata esse templa Idolorum*, *& eorum sacrificia jamdiu intermissa*. De qua re Imperatorem consulit, quid sibi sit agendum. Ad Trajanum etiam eodem modo scribit primæ Palæstinæ Præses Tiberianus (c) qui *se defatigatum* dicebat *puniendo*, *& neci tradendo Christianos*, *qui non cessabant ad eadem se patefacere*. Trajani etiam ætate Romam venit sanguine suo Christianam Fidem testaturus S. Ignatius, qui ad Philadelphenses scribens, ait, *Ecclesiam Sanguine Christi fundatam* per Apostolorum labores, curasque jam propagari (d) *a terra terminis usque ad terminos*. S. Justinus Martyr (e); qui Antoninorum temporibus florebat, in Dialogo cum Triphone ait, *nullam fuisse nationem hominum aut Barbarorum*, *aut Græcorum*, *aut cujuscumque alterius nominis vocarentur*, *aut incolerent paludes*, *aut carerent tecto*, *aut in tabernaculis viverent*, *aut armenta ducerent ad pascua*, *a quibus preces*, *gratiarumque actiones ad Patrem*, *Creatoremque universi in nomine Jesu Christi Crucifixi non effunderentur*. Ecclesias Christianas recenset S. Irenæus (f) qui post medietatem secundi sæculi vivebat, erectas *in Germania*, *in Hispaniis*, *in Galliis*, *in Oriente*, *in Ægypto*, *in Libya*, *& in Meditullio*, *hoc est Hierosolymis*, *& in Judæa*. Alibi (g) autem ait, Apostolicas Traditiones orbem totum fuisse pervagatas; & in omni-

(a) *Domitianus cum alios multos*, *tum vero Flavium Clementem Cons.* (*etsi is Consobrinam ejus uxor ac Flaviam Domitillam*, *& ipsam Domitiani consanguineam uxorem habebat*) *morte affecit*, *illato ambobas* (ἔγκλημα ἀθεότητος) *crimine impietatis in Deos: quo crimine* (καὶ ἄλλοι πολλοὶ) *& alii plures*; *qui ad mores Judæorum aberraverant*, *damnati sunt*: *quorum pars occisa est*; *& pars spoliata facultatibus*. *Domitilla tantummodo in Pandateriam relegata est*. Xiphil. ex Dion. *in Domit. a.* 14. sequuti sumus nitidissimam Rheimari editionem ultimam. Nomine autem ἀθεότητος intellectam fuisse Christianam Fidem Idolorum contemptricem advertimus alibi, communisque Eruditorum sententia est, ut ibi in adnotationibus observat Fabricius, ubi etiam ostendit, nomine *Judæorum* a Dione nominatorum a multis vocatos fuisse Christianos; nec aliud significare potest Historicus.

Nolo hic supersedere, quin animadvertam, ex hoc Dionis loco, sicut etiam ex aliis in Lib. I. recensitis, lumen accipere, mutuoque referre inscriptionem, quæ Sæculi II. creditur a Viro Ethnico uxori Christianæ, ideoque *impiæ* appellatæ, positam. Inscriptio, allata jam a Patre de Colonia, rursusque edita a diligentissimo Mannio in Lib. cujus titulus *principj della Religione Cristiana in Firenze*, est hæc

D. M.
ET. MEMORIAE. AETERNAE
SVTIAE. ANTHIDIS
QVAE. VIXIT. ANNIS. XXV.
MEN. IX. D. V. QVAE. DVM
NIMIA. PIA. FVIT. FACTA
EST. IMPIA. ET. ATTIO. PRO
BATIOLO. CERIALIVS. CALLISTIO
CONIVX. ET. PATER. ET. SIBI
VIVVS. PONENDVM. CVRAVIT
ET. SVB. ASCIA. DEDICAVIT

(b) *Visa est mihi res digna consultatione propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis*, *omnis ordinis*, *utriusque sexus etiam vocantur in periculum*, *& vocabuntur*. *Neque enim civitates tantum*, *sed vicos etiam*, *atque agros superstitionis istius contagio pervagata est*.... *prope desolata templa*, *& solemnia diu intermissa*. Plin. Lib. X. Epist. 97. ad Trajan.

(c) *Defatigatus sum puniendo*, *& neci tradendo Galilæos* (*qui nobis veniunt sub nomine Christianorum*) *secundum vestra mandata*. *Illi vero non cessant ad eadem sese patefacere*. Meminit hujus Epistolæ Suidas in Ἰγνάτιος: Cotelerius eam asserit G. L. *tom.* II. *Patr. Apostol.* alibi de ea suspicatur, quia non memoratur ab Eusebio, sed docti, quos appellat Fabricius *Lux Evangel. cap.* 7. ex hoc argumento de illa non dubitabunt.

(d) Ἀπὸ περάτων ἕως περάτων. *Ad Philadelph. cap.* 4.

(e) Οὐδὲ ἓν γάρ, ὅλως ἐστὶ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων εἴτε Βαρβάρων, εἴτε Ἑλλήνων &c. *Dialog. cum Triph. n.* 117.

(f) Lib. I. cap. 10. n. 2. Ἐν Γερμανίαις ... ἐν ταῖς Ἰβηρίαις ... ἐν Κελτοῖς, κατὰ τὰς ἀνατολὰς ... ἐν Αἰγύπτῳ ... ἐν Λιβύῃ, καὶ κατὰ μέσα τοῦ κόσμου ἱδρυμέναι.

(g) *Traditionem itaque Apostolorum in toto Mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus*, *qui vera velint videre* ... *Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum*

omnibus Ecclesiis vigere. Regebantur hæ a Pastoribus suis, mutuoque amore secum invicem conjungebantur; omnium autem centrum, caput, & magistra habebatur Ecclesia Romana, ut ille ait in eo perillustri loco, qui semper Hæreticos torsit, & novissime Grabbium, qui secundum Salmasium ridiculis modis eum explicare satagit. *Ad hanc enim Ecclesiam* (inquit ille *Lib. III. cap. 3. n. 1. & 2.*) *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.* (Vid. Cl. Massueti *dissert. III. prævia ad opera Iren. art. 4. n. 31. & seq.*) ex quibus, aliisque plurimis, qui in hujus S. Patris operibus occurrunt, dicendi modis corpus, & Hierarchia Catholicæ Ecclesiæ ejus ætate per orbem totum diffusa, stabilisque perspicue colligitur. In fine secundi sæculi florebat in Africa Tertullianus, & in præclarissimo suo Apologetico (a) Gentes alloquens hæc dicere iis non dubitat, *Hesterni sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, decurias, Palatium, Senatum, Forum, vobis templa reliquimus* (*cap. 37.*) Iisdem dicendi modis utitur in parvo libro, quem ad Scapulam scripsit de Carthagine nominatim loquens (*ad Scapul. cap. 5.*), Christianosque & plurimos numero, & conditione, & ætate diversos recenset: atque ita a persequendis nostris illum Præfectum idololatram, oculis ei subjiciens, quam magna futura esset strages, si solum illius Provinciæ urbis Principis *decimarentur* Christiani, se revocare posse arbitratur. Sed fusius hæc tractat Doctor Afer in Hebræos disputans (Advers. Judæos cap. 7.) *In quem alium*, inquit, *universæ gentes crediderunt, nisi in* Christum, qui jam venit?... (Numerat hic *Parthos, Medos, & Elamitas*, aliosque populos, de quibus fit mentio *cap. II. de Actibus AA.*) *ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; & Sarmatarum, & Provinciarum, & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare non possumus: in quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat: utpote ante quem omnium civitatum portæ sunt apertæ, & cui nullæ sunt clausæ, ante quem seræ ferreæ sunt comminutæ, & valvæ æreæ sunt apertæ.* Hinc omnium clarissimorum Imperatorum ex Barbaria, ex Græcia, ex Romanis præstantissimum fuisse Christum, ostendit. *Christi autem regnum ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur &c.*

§. III. Nihil factu facilius esset quam multa alia Origenis, Arnobii, Lactantii, Eusebii, Theodoreti, Joannis Chrysostomi loca conglomerare; quæ quam feliciter per totum orbem Fides Christiana ab Apostolis prædicata usque ad ea tempora, quibus scribebant, fuisset propagata, satis aperte testantur. Perverse quidem sensit Campegius Vitringa (*Observat. Sacrar. Lib. IV. cap. 7.*) Religione Calvinista, qui putat, & diffuse probare studet ab initio Neronianæ persequutionis usque ad Trajani tempora Christianorum fervorem deferbuisse, propagationem Religionis velificari desiisse, numerumque Fidelium imminui cœptum. Hæc opinio tamen fuit a P. M. Mamachio satis valide refutata, solaque a nobis allata testimonia ad illum falsitate coarguendum sufficiunt. Tot Christianæ hostiæ & in Palæstina, & in Bythinia, & Romæ Trajani ætate immolatæ num fortasse tunc temporis e cœlo deciderant, & repente Fidei nota iis fuerat inusta? Copia hæc tam ingens electorum fructuum annon arborem jam robustam, fœcundissimam, & quoquoversum ramos extendentem suos significat? Domitianus, qui *Neronis portio* a Tertulliano vocatur, quique annos septem, & decem ante Trajanum Imperium accepit, annon amplam Christianorum segetem invenit, in quam falcem suam crudeliter mitteret? Atne, quod veteri vetamur proverbio, actum

P 2 ca-

quum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem..., indicantes. Lib. III. cap. 3. n. 1.

(a) De anno, quo hoc opus celebre lucem vidit legat. Joan. Lauren. Moshemii *disquisit. Chronolog. Criticæ de vera ætate Apologetici a Tertulliano conscripti*. Est in fine ipsius Apologetici illustrati, & editi ab Havercampio.

canamus; hoc enim argumentum docte, eruditeque, si quis alius, Theologus noster modo memoratus pertractavit (*Origin. Christian. Tom. I. πάρεργον ad cap. 6. Lib. II.*) haud impar congressus cum Protestante illo erudito quidem, at æque perperam de multis Religionis capitibus opinante. Ad propositum potius nostrum redeamus.

§. IV. Præter Auctorum, qui litterarum monumentis ea mandabant, quæ suismet oculis videbant, testimonia, & qui quamquam nostrarum sunt partium, suspecti esse non possunt; numquam enim, præcipue in scriptis Polemicis, tam quam rem in propatulo positam propagationem hanc Fidei admirandam dixissent, quoties ab adversariis mendacio coargui potuissent; præter hæc testimonia, inquam, actus autographos habemus, catalogos, & cujuscumque generis monumenta, quæ numerum incredibilem Christianorum pro Fide cruciatorum, datorumque neci in decem claris persecutionibus in Ecclesiam motis, quarum primæ Auctor Nero fuit, ultimæque Diocletianus, demonstrant. Non sum nescius, magni nominis Criticum, qualis Dodvvellus fuit (*in Dissert. XI. inter Cyprianicas*, quæ inscribitur *de Paucitate Martyrum*) nullum non movisse lapidem, ut maximam vim hanc Martyrum levibus conjecturis, argumentisque negativis, quæ nihil probant, vel quia nimis probarent, vel quia a contrariis affirmantibus evertuntur rationibus, imminueret. Livor in Orthodoxam Ecclesiam, quæ jure ac merito ut vera, solaque Mater de tot Heroibus gloriatur, hunc etiam eruditum virum egit transversum. Sola Tertulliani, Eusebii, Lactantiique operum Lectio; Historia unius decimæ diutinæ, immanissimæ, & universæ persecutionis; Acta autographa eorum cruentorum certaminum, quæ nobis supersunt; Scriptores non Christiani modo, sed etiam Ethnici, consensus universus omnium Ecclesiarum per tot sæcula non solum eum de errore suo debebant convincere, sed etiam pudore suffundere. *Roma Subterranea* Arringhii nonne oculis nostris subjicit Martyrum tumulum ita magnum, ut ipsa Roma patet? Neque spectaculum hoc novum Dodvvello videri debebat; poterat enim illud in Prudentio IV. Sæculi Scriptore legere, ab ipso cæteroquin producto, at perperam, qui ita Hymnum XI. incipit:

ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝΩΝ

Innumeros cineres Sanctorum Romula in urbe
Vidimus, o Christo Valeriane Sacer.
Incisos tumulis titulos, & singula quæris
Nomina? Difficile est, ut replicare queam.
Tantos justorum populos furor impius hausit
Quum coleret Patrios Troja Roma Deos.
Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut Epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia turbas *
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virum jaceant congestis corpora acervis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic, defossas mole sub una
Reliquias memini me didicisse hominum.
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
Utpote quos propriæ junxit amicitiæ.

Quod si tot victimæ Romæ tantum furori Gentili immolatæ fuerunt, quid evenisse dicemus in reliquo Imperio, ubi modo minus, modo vehementius Christiano nomini exquisitissima tormenta fuerunt inflicta? (a). Sed Dodvvelli somnia ab hominibus doctissimis fuerunt confutata, & potissimum a Cl. P. Ruinarto in præfatione *ad Acta selecta Martyrum*, in qua eum Protestantem intra vallum ipsum aggreditur, & urget, numerumque *immensum* (ut omnia monumenta loquuntur) Christianorum Martyrum strenue propugnat.

§. V. Rebantur itaque (& sane ita eve-

* Editiones habent quidem vulgo *Tumbas*: videtur tamen melius legi *Turbas*. In annotatione Editionis *in usum Delphini* dicitur, Giselinum legere *turbas*, & ita legit Muratorius proferens locum hunc *in Anecdot. T. II. p. 200.*

(a) *Gentiles erant Imperatores Augustus, Tiberius, Cajus, Nero, Vespasianus, Titus, & post illum omnes usque ad tempus Beati Constantini Imperatoris, omnesque illi, alii minus, alii vehementius Ecclesiam oppugnabant; oppugnabant tamen omnes. Quod si qui eorum visi sunt mitius agere, hoc ipsum tamen, quod Imperatores palam in impietate viverent, materia bellorum erat, cum alii, qui ipsis adulabantur, gratiam illorum captantes Ecclesiæ bellum inferrent.* Chrysostom. *Quod Christ. sit Deus. Tom. I. num. 15.*

evenire debebat) tam atroci bello debellatam fuisse Fidem, & tot cladibus Christianum nomen prorsus deletum. Hinc veluti ob præclarissima gesta Diocletiani immanitati Pagani plaudebant; quod quædam lapidea monumenta in Hispaniis inventa testantur. (*a*) *At Martyrum sanguis Christianos germinabat*, ut loquitur Tertullianus (*Apolog. cap. ult.*). Ex persequutionibus Christianorum numerus augebatur; si qui autem cedebant, alii in eorum locum prodibant; & si qui erant in exilium acti, aut ultro ab Imperio Romano fugerant, ad barbaras gentes migrabant, prædicabantque ibi Fidem, eam propagabant. Atque hic fuit unus ex miris ejus propagationis modis, non secus ac flamma, quæ alicui nemoris arbori adhærescens tantum abest, ut vento contrario flante extinguatur, ut etiam magis, magisque accendatur, latius serpat, & remotissimas quoque plantas incendat; quod animadvertit Eusebius in Constantini vita (*Lib. II. cap. 53.*). Interea peribant, qui Ecclesiam Christi fuerant persequuti (*b*): ipsa firma, fœcundaque permansit; cujus rei evidenti argumento sunt, vel sola Concilia IV. sæculo, vel dum crudelissima Diocletiani sæviebat persequutio, vel annos haud multos post coacta, & habita. Convenientes simul Pastores de negotiis Gregis sui agunt, de Fidei puritate custodienda, de morum disciplina agunt. Concilio Nicæno anno CCCXXV. celebrato tercentum decem, & octo Episcopi, & pene omnes Orientales interfuerunt. Quis non videt, quam late in illa una Orbis parte annos duodecim, aut circiter post acerbissimas cædes a Diocletiano, & Maximiano factas Ecclesia floruerit? At superarat Religio. Roma publice Crucem colebat; quæ non in Labaro tantum splendebat, sed Diadema ipsius Constantini primi Imperatoris Christiani ornabat; Romanaque signa auspiciis hujus felicissimi Principis ab Oriente in Occidentem peragrarunt, ut ait Eusebius, & quacumque terrarum fidem triumphum speciosissimum agentem circumduxerunt. Ut eam amplificaret, disseminaretque Imperator ipse se a Deo electum, totque insignitum victoriis prædicabat; summaque perfundebantur lætitia populi; quod in alia præcedentibus contraria omnino in Hispaniis quoque inventa inscriptione legimus (*c*); clariusque etiam multo ex legibus, quas pro Christiana Re-

(a) *Apud Gruterum p. 280. 3. in Hispania*

DIOCLETIANVS. IOVIVS. ET
MAXIMIAN. HERCVLEVS
CAES. AVGG.
AMPLIFICATO. PER. ORIEN
TEM. ET. OCCIDENTEM
IMP. ROM.
ET
NOMINE. CHRISTIANORUM
DELETO. QUI. REMP. EVER
TEBANT

Ibidem. 4.

DIOCLETIAN. CAES.
AVG. GALERIO. IN. ORI
ENTE. ADOPT. SVPERS
TITIONE. CHRIST.
VBIQ. DELETA. ET. CVL
TV. DEOR. PROPAGATO

(b) Vide præstantem Librum de *Mortibus persecutorum* plurimis illustratum notis in ultima editione Lactantii. Parisiis 1748.

(c) *Apud Gruterum 159. 4. Emeritæ;*

IMP. CAES. FLAVIVS
CONSTANTIN. AVG
PACIS. ET. IVSTITIÆ
CVLT. PVB. QVIETIS
FVND. RELIGIONIS
ET. FIDEI. AVCTOR
REMISSO. VBIQVE
TRIBVTO. FINITIME
PROVINC. ITER
RESTAVR. FECIT
CXIIII.

Religione tulit contra idololatriam, & Judaismum Constantinus ipse, colligimus. Itaque hactenus a nobis de Evangelii propagatione dicta Cl. recentis auctoris prudentissima animadversio confirmet (Fleury *second discours sur l' Histoire Ecclesiast. n. 2.*) „ Bene peragendo retuderunt „ Christiani calumnias, quæ illis affigebantur; patientiaque persecutores defatigarunt. Tandem post annos tercentos dominata veritas est, Imperatoresque ipsi ejus tutelam susceperunt. Tunc vera Religio quantum a falsis differret, patuit. Idololatria per se cecidit, cum publica majestate, qua substentaretur, caruit. Ut id evidenter Deus ostenderet, quinquaginta annos post Juliani Imperatoris apostasiam permisit, qui omnibus imperii viribus, præsidiisque Philosophiæ, Magiæque armatus restituere idololatriam non potuit. Ille ipse pluribus suorum operum in locis queritur, & præcipue contra populum Antiochenum. Dum Ethnicorum mores reformare intendebat, invitus sanctitatem Christianæ Religionis, quam imitari satagebat, testabatur; ejusque persequutio, licet singularis esset, ac subdola, magis, magisque veritatem confirmavit. Una cum ejus regno corruit Idololatria; Romaque ab illo nonnisi Christianos Imperatores habuit.

§. VI. Cum satis aperte probaverim primæ propositionis meæ partem, scilicet citissimam, & latissimam quoquoversum Fidei dilatationem, ad secundam nunc transeo: hoc est, si res humana ratione perpendatur, Fidei hujus propagationi tot adversabantur obstacula, ut non modo non debuerit augeri, sed descrescere, & imminui, ita ut aliud ab eo, quod evenit, eventurum esset, nisi Deus ipse Fidem suam sustinuisset. Ex variis animadversionibus illatio, quod sperare me juvat, evidentissima consequetur.

Animadversio prima ex Augusti sæculo, quo Christi Religio primum caput exeruit, lucemque aspexit, petatur, subsequentiumque Cæsarum, quibus regnantibus diffusa fuit.

Roma, Græcia victa, Asia debellata, triumphataque Ægypto, jam erat rerum domina. Ex Orientis victoriis maximas sibi comparaverat divitias (a). Simul cum peregrinis opibus etiam peregrina vitia Romam migrarunt. Mollities, voluptates, luxus, quæ exempla Cæsarum, licentiaque populorum fovebant, eo fuere progressa, ut, quod sæpe de aliis rebus evenire solet, non dicam credere, sed mente quoque concipere sit difficile (b). Quodvis corruptelæ genus grassabatur, Religioque etiam confirmabat. Avaritia immodica, crudelisque jactantia erat comes assidua divitiarum, dum fortuna stabat. Una plebis erat cura pergræcari, Circique, Theatrique interesse spectaculis (c). Eamque hujusmodi rebus detinere summa erat imperantium ars politica (d). Simul cum *parvarum casarum, humilisque fortunæ casu* prolapsa etiam fuerat *Latinarum matronarum pudicitia* (e), modestia, labor, & in earum locum impu-

(a) *Nunc patimur longæ pacis mala: sævior armis*
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit . . . .
. . . .
Prima peregrinos obscæna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles. Juvenal. *Satyr. VI. v. 292.*

Sic Asia Romanorum facta, cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit. Justin. *Lib. XXXVI.*

(b) Vid. Stanislai Kobirzykii *De Luxu Romanorum Lib. II.* est in collectione Grævii Tom. VIII.: & etiam *Meursium* de eodem argumento.

(c) . . . *Duas tantum res anxius optat,*
Panem, & Circenses. Juvenal. *Satyr. X. v. 83.*

(d) De hoc Augustum monuit Pylades ille Histrio insignis memoratus ob id, laudatusque a Dione Cassio. *Proinde sapienter admodum Pylades ab eo* (Augusto) *objurgatus, quod cum Bathyllo eamdem artem* (histrionicam) *exercente, & Mæcenatis familiari rixaretur, respondisse fertur; expedit tibi Cæsar, populum nobis intentum tempus consumere. Lib. LIV. in Augusto.* Num hoc principium politicæ *Histrionicæ* in hoc sensu acceptum locum habere debeat apud Christianos Principes, ut quidam Scriptor recens vult, viderint alii, Vid. *Notas in locum Dionis.*

(e) *Præstabat castas humilis fortuna Latinas*
Quondam; nec vitiis contingi parva sinebat
Tecta labor, somnique breves, & vellere Thusco
Vexatæ, duræque manus . . . . Juvenal. *Satyr. VI. v. 287.*

pudicitia, licentia, luxus immodicus successerant. Viveudi actiones Romanarum Augustarum nobis sunt argumento. Quid hinc consequeretur, unusquisque, vel me tacente, videt.

Athenæ, aliæque Græciæ urbes (a) cum suis divitiis etiam vitia sua Romam intulerunt. Artes ingenuæ, scientiæque ibi florebant. Philosophiam ergo, mari trajecto, Roma excepit; quæ in duas sectas erat divisa, Stoicam, & Epicuream. Illa fovebat superbiam, hæc voluptates consectabatur: apta enimvero Romanorum ad indolem remedia. Gymnasia itaque, rostra, Nobilium cubicula, Palatium Cæsarum Philosophiæ præcepta personabant. Roma Philosophis scatebat. Disputare, scire omnes avebant; at perverse sciebant. Philosophica theoremata non sanabant, sed augebant animi superbiam, pravosque cordis affectus. Hadrianus (Vid. Spartianum *in Hadriano*), ut alios prætermittam, & disputabat cum philosophis, & *muliercularum more* lugebat, deperibatque Antinoum. Vulgo tamen Cæsarum ætate artes liberales, imitatio morum, & elegantiarum Atticarum magis Romæ excolebantur. Non dicam statuas, toreumata, gemmas insculptas, picturas, aliaque opera, quæ ex *Perspectiva* nascuntur, in Græcia orta, quæ anxie Romani inquirebant, magnaque auri copia sibi comparata sedulo custodiebant, supellectilemque *hominis beati*, ut ait Cicero *Lib. II. de natur. Deor. c. 37*, putabant. Hoc dico, artem Oratoriam, Poesimque, & quidquid Litterarum humaniorum nomine significatur, Græcis exemplaribus (b) ad imitationem propositis, Augusti ætate ad unguem perfectas summo in pretio fuisse. Qualibet ejus sæculi opera ex ingenio profecta, quæ ad nos pervenerunt, præstantissima ducuntur. Vulgo tamen rationis Græcorum vivendi imitatio magis cordi erat. Tangebantur instrumenta (c), saltabatur, palæstra exercebatur, cœnabatur, bibebatur, & alia his similia Græcorum more fiebant: in primis tamen studium Attice loquendi erat tam immodicum, ut (nempe sicut hac, qua vivimus ætate nemo, nisi qui omnia Gallice peragit, præsertimque qui Gallice non loquitur, & non scriptitat Gallice, elegans habetur; quamvis fortasse Italam natalem linguam ignoret) mulier formosa non putaretur illa, quæ de *Tusca non esset facta Græcula* (d); hic enim erat leporum, venerumque sermo, quo non solum puellæ, sed matronæ, Cæsaresque utebantur ad animi affectus significandos (e).

Paucis adumbrata civilis Augusti sæculi, Cæsarumque subsequentium hæc est imago. Pauca etiam quædam de Religione dicamus. Erat illa cum superstitiosa, tum exculta. Quidquid Mythologia, fictioque jam commentatæ fuerant, erat apud Romanos Religio. Agmen Deorum ultra id quod credibile est, magnum; ex iis alii erant Mares, alii Fœminæ, erant Nobiles, Plebeji, Cœlestes, Inferi, Rurales, Civiles. Etiam Dii Peregrini locum habebant Romæ, iisque tamquam advenis honore dignis præstabatur cultus (f). Quæ de his Numinibus narrabantur erant probrosa; cæremoniæ, quibus colebantur, erant aut ridiculæ, aut crudeles, aut infandæ. Roma tamen has impietates, dementiasque vero cultu, & obsequio observabat. Frequentia collegia Ministrorum ad hæc tam gravia negotia peragenda selectorum erant instituta, iis

(a) *Græcia capta ferum victorem cepit, & artes*
Intulit agresti Latio. Horat. *Epist. Lib. II. Epist. I. ad August.*

(b) Legatur immortalitate digni Lazzarini *Oratio 1. pro optimis studiis habita anno 1711.*

(c) *Venimus ad summum fortunæ, pingimus, atque*
Psallimus, & luctamur Achivis doctius unctis. Horat. *Epist. Lib. II. Epist. I. v. 33.*

(d) . . . . *se non putat ulla*
Formosam, nisi quæ de Thusca Græcula facta est,
De Sulmonensi mera Cecropis, omnia Græce,
Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid ultra? &c. Juvenal. *Satyr. VI. v. 185.*

(e) *Imbutus Hadrianus Græciæ studiis, ingenio ejus sic ad ea declinante, ut a nonnullis Græculus diceretur.* Spartian. *in Hadrian.*

(f) Ideo a Theophilo Antiocheno, ni fallor, fuit appellata Roma ἐπιτομὴ τῆς *δεισιδαιμονίας*, compendiis superstitionum; quod elogium æque illi conveniebat ac illud, quod leginus apud Athenæum *Lib. I. cap. 17.* ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης.

adſcribebantur & genere, & honoribus viri ampliſſimi. Pontificatum Maximum, cui omnes Religiones ſubjiciebantur, a morte Lepidi Triumviri iniit Auguſtus (Sveton. *in Aug. n.* 31.), retentuſque fuit ab Imperatoribus omnibus uſque ad Gratianum; ut Numi, & Marmora teſtantur. Emolumenta, decoraque Veſtalium erant ex oræcipuis Romæ. Templa frequentia, & magnifica; ſupellex, muneraque magni pretii; aliquot reliquiæ, quæ ſuperſunt præter ea, quæ narrant Hiſtorici, fidem faciunt. Antequam quidquam alicujus momenti vel quoad bellum, vel quoad pacem ſuſciperetur, auſpicia ab Jove petebantur; oracula conſulebantur, divinationi habebatur fides. Omnino Religio ſtulta, impiaque erat negotium maximum, quod ſollicitos habebat Cæſares, Senatumque, & Plebem; Reipub. enim gubernatio, reſque privatæ, vitaque cum Religione aut ex Magiſtratuum arte, aut ex ſuperſtitione erant conjunctæ, & ad ipſam ſemper referebantur. Auguſti ſæculi hæc facies erat, Cæſarumque ſubſequentium; ſæculi artibus, ſcientiiſque exculti, voluptatibus, ambitioni, licentiæque, & impotentiæ addicti, auro, ædificiis, triumphis conſpicui, ſuperſtitioni dediti, quæ ſpiritum, utpote quæ fovebat omnes malas cordis cupiditates, illaqueabat.

Quod autem de Roma diximus intelligi volo, habita ratione, de toto Romano Imperio, & præſertim de civitatibus principibus provinciarum, quæ ex crebris Imperatorum itineribus, & præſidiis militaribus, & civilibus Magiſtratibus, ex pluribus commerciorum generibus mores Romæ addiſcebant, & quoad per ſe fieri poſſet, eos imitari ſtudebant.

§. VII. Ad Chriſti Religionem nunc mentis oculos convertamus, conſideremuſque, num ſæculo ejuſmodi poſſet illa, ſi a Deo non eſſet, diſſeminari, fierique, ut revera facta eſt, orbis domina. Omnibus Imperii Diis, quorum præſidio, & condita, & amplificata *immortalis urbs* cenſebatur, bellum indicebat. Jupiter Capitolinus, quem venerabantur inter triumphandum orbis victores, per recentem hanc Religionem inanis vox erat; alia Numina omnia, & ſingula aut dæmones erant, aut nihil: Ac proinde iis dedicata templa amentiam redolebant; ſacrificia iis oblata erant ſuperſtitio, ſacerdotes ſycophantæ, Veſtales fanaticæ, Pontifex Maximus Comœdus, immo auctor errorum, ſcelerum, impietatis. Hoc erat Chriſtianæ Religionis theorema primum. Jam qui recipi poterat Romam a Cæſare primum, deinde a populo? non ſolum univerſa, & inveterata perſuaſio, ſed politica, ſed cupiditas, ſed præjudicia alte defixa pectore obſtabant, quæ ex tot Numinibus, quæ cernebantur, quæ habebantur auguſta, quibus urbs tota referta erat, referebanturque ad Religionem, originem ſuam trahebat. Legatur Symmachi (*a*) relatio ad Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium Augg. pro veteri Deorum cultu, & ex eo quod hic ad IV. ſæculi finem, hoc eſt, cum jam noſtra Religio dominabatur, dicit, quiſque præjudiciorum vim arguat, quibus occupati populi fuerint tum, cum idololatria pacata, reginaque imperabat. Pergamus porro. Idolis confractis, ſolo æquatis Deorum ædibus, extinctis ignibus, impiis ſacerdotiis eliminatis, Deus adorandus, amanduſque proponendus eſt; novaque Religio eos docet, eſſe hunc Jeſum Chriſtum, hoc eſt ejuſmodi, qui ex paupere Virgine in Judæa natus eſt, qui latitans ibidem per plures annos vixit, qui tandem, ita efflagitante populo ſuo, ſub Pontio Pilato Tiberii Procuratore ſimul cum duobus latronibus Cruci affixus obiit; dici hunc Jeſum Chriſtum, Deumque, & Deum quidem ſolum, & eumdem cum patre ſuo, qui in cœlis eſt; dici, eum mortuum eſſe, & reſurrexiſſe, inde ad cœlos aſcendiſſe, unde judicaturus homines venturus ſit; omnes homines debere reſurgere cum corporibus ſuis, ut pro meritis aut præmium, aut ſupplicium æternum recipiant, quod ille electus Judex conſtituet. Quid ad hæc Romanam amplitudinem, & mortalem Philoſophiam dixiſſe putamus? Ipſum Judæi nomen, ut Tacitus teſtatur (*Hiſtor. Lib. V.*) Romanis abjectum erat, & inviſum; no-

(a) *Symmachi V. C. & Præfecti Urbis Relati ad Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium Augg. pro vetere Deorum cultu adverſus Chriſtianos.* Confutata hæc relatio a D. Ambroſio fuit. *Epiſt. XXIX. & XXX. ad Valentinian. Imp.* & a Prudentio duobus Libris *contra Symmachum*.

nomen autem Crucis ita odio habebant, ut vellet Cicero, ut *non modo a corpore civium R. sed etiam a cogitatione, oculis, auribus abesset* (*a*). Iam Roma genua flectere Judæo, illique Crucifixo, eumque colere debebat? At hic Filius Dei dicebatur. Scilicet. At nonne stomachari humana sapientia debebat audiens, prædicari sibi magnitudinem tantam conjunctam cum tanta abjectione, gloriæque splendorem latitantem in tanta humilitate contemptui habita, opprobriisque summis proscissa? Quid plura? Deus hic unus, idemque cum Patre, a Patre distinctus, immortalis, inconspicuus descendit e cœlo, natus est e muliere, se tot ærumnis subdidit; qui hæc tam inter se pugnantia credere Philosophia poterat? Resurrectio autem ad immortalitatem risum Atheniensibus movit a D. Paulo primum prædicata (*b*); Pliniusque Roma in eorum numero eam recensuit, quæ ne Deus quidem potest efficere (*c*). Hæc erant principia theorica novæ Religionis. An sperari poterat fore ut radices immitterent? ut ante *arborem tristem infamemque* superbi illi Quirites genua flecterent? Progrediamur & ad ulteriora: Non solum captivandus erat intellectus, cor etiam vincendum erat. Persuadenda erat humilitas in urbe illa tumente, quæ gloriæ cupiditatem in virtutibus ponebat. Imperanda erat continentia iis, qui non modo in turpitudinibus pervolutabantur, ut amica luto sus, sed etiam religionis specie vitium teterrimum fovebat. Venia, amorque in inimicos erat indicendus iis, qui fortitudinem in ultione collocabant. Huic Romæ mollitie, commodisque affluenti Lex, quæ sensus cohibet, quæ opes contemnit, erat denuncianda, spectaculorum, chorearum, conviviorum exquisitorum, promiscuorum amplexuum fuga erat edicenda; permovenda erat ad amorem in pœnitentiam, in paupertatem, in mansuetudinem, jubendaque cogitationum etiam, cordisque affectuum custodia rigida. Omnia, ut dicam summatim, cupiditatibus acrius adversantia populo occupato in cute tantum curanda, motibusque carnis obsecundanti erant præscribenda præcepta. Equidem ut dicam, quod sentio, quantum Augusti, & subsequentium Cæsarum sæculo Romæ hujus legis acceptio desperanda prorsus erat, tantum videbatur Lex Sycophantæ Mahomedis libidini favens, cruentaque ab Asiæ Saracenis facile acceptanda. Contrariorum ratio consequutionem confirmat. Lex fuit hæc earum gentium turpibus appetitibus conformis, ideoque statim exculta; Lex fuit illa omnino contraria eorum populorum ingeniis; secundum humana consilia ergo stabiliri non poterat.

§. VIII. Contra tamen rem accidisse vidimus, ut superius ostendimus. Christi Religio brevi temporis intervallo toti terrarum Orbi est dominata. At qui umquam? Num Lex hæc tam ardua quoad dogmata, ita aspera quoad præcepta res ejusmodi pariebat, quæ allicere amorem, & æquiponderare, & vincere possent difficultates & multas, & magnas exantlandas, ut ea colatur? Nihil sane minus. Hinc tertia observatio adtemperate se nobis offert, quæ novum pondus addit argumento. Consequutiones, quæ ex cultu Christianæ Religionis derivabantur, acerbæ, horribilesque tantopere erant, quæ ab illa amplexanda, licet neque cupiditatibus, neque sæculi moribus ita ad-

(a) *Nomen ipsum Crucis absit non modo a corpore civium R. sed etiam a cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non solum eventus, atque perpessio, sed etiam conditio, atque expectatio, mentio denique ipsa indigna Cive R. atque homine libero est. Pro. C. Rabirio c. 5.*

(b) *Act. 17.* Celebris fuit apud Stoicos, & alios etiam antiquos Philosophos doctrina *παλιγγενεσίας*, seu renovationis rerum post certam sæculorum periodum in eum statum, in quo nunc sunt. Eam in Virgilio reperimus *Egl. VI. Magnus ab integro sæculorum nascitur ordo*, ad quem locum vid. Servium. Hæc opinio tamen differebat valde a dogmate *ἀναστάσεως νεκρῶν* Christianorum expectantium corporum resurrectionem ad immortalem vitam. Dacierus *in vita Platonis p. 219.* putat eum Philosophum illam agnovisse; sed errat in hoc, ut solet in aliis bene multis Gallus scriptor, nimio amoris æstu in auctorem hunc abreptus; quod admonuimus alibi. Loca habemus in Phædone, & ibi præcipue, ubi Socrates alloquitur Simmiam de eo solo puro, ubi vitam ducent beati; ex quibus non est difficile colligere, Platonem longe aliter sensisse ab eo, quod, ut ille honestetur, ei adscribitur. Vid. Eruditis. Huetium *Alnetan. quæst. Lib. 2. cap. 22.*

(c) Lib. II. cap. 7. *Namque nec sibi potest* (Deus) *mortem consciscere, si velit, quod homini dedit optimum in tantis vitæ pœnis: nec mortales æternitate donare, aut revocare defunctos.* Horum errorum nescio uter dicendus sit magis impius, aut magis crassus.

stionem eos dicit Cæcilius (*apud Minutium Felicem in Octav. cap.* 14.). *Homines idiotas* eos nominavit Lucianus (*a*), salibusque aliis contumeliosis eos affecit. Quorum omnium, aliorumque opprobriosorum nominum aut ab inimicis nostris, aut a nostris Apologistis collectorum catalogum bene longum P. M. Mamachius contexuit (*Origin. Christian. Tom. I. capp.* 2. 3.), qui etiam calumnias, quæ Patribus nostris affigebantur, Atheismi, hoc est *Cœnarum Thiestæarum*, *Oedipodæorum concubituum*, aliarumque nefariarum turpitudinum, quarum causa, ut orbis pestis, hominibusque, Diisque merito dicebantur invisi, redegit in unum. Proinde hæc Tertullianus scripsit (*Apologet. cap.* 40.): *Prætexentes ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse in causa. Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cælum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad Leonem.* Hic jam qui aliquantulum secum constet, interrogo, qui sperari poterat, fore ut cujusvis ætatis, conditionis, sexus, sæculo tam elegante, ita sollicite voluptates sectante huic adeo invisæ, tantopere contemptæ, tam male habitæ sectæ homines nomen suum darent; ideoque darent, ut legem humano captu superiorem, jucundissimis, vehementissimisque cordis motibus adversantem sequerentur? Neque hanc legem profitentes sunt exigui numero, ut eos furore percitos, vel vesanos dicere possimus eam fuisse amplexatos: innumeri sunt cujuslibet ætatis, conditionisque, & regionum; hoc ergo egerunt systemate aliquo, aliquibus communibus principiis moti. Examinemus ergo cordis affectus omnes, seu principia, quæ homines ad agendum consueverunt impellere, & ea præcipue, quæ tot mortalium millia suorum, suæ gloriæ, commodorum, honorumque, & voluptatum cupidorum urgere possent, ad se omnium odio, contemptui, derisui, contumeliis, ut Fidem Christi profiterentur, objiciendos. Næ quidquid in humana rerum natura reperire, & fingere fas est, eligendam contrariam esse partem suadet. Non fuit igitur hominum, sed Dei opus hæc ad Fidem Orbis terrarum conversio. Verum magis, magisque argumentum confirmemus. Quamvis acerbum sit, asperumque despectum, & execrationem omnium subire; tamen malum hoc fit majus, si cunctorum bonorum, quæ cariora habentur, amissio consequatur. Huic tamen periculo subjiciebantur, qui Christianæ Religioni nomina dabant. Facultatibus, domo, patria, natis, libertate, vita denique privabantur; exilia, carceres, vincula, cruciatus eos manebant. Hæc tamen omnia discrimina læti, alacresque non modo valentes viri, sed imbelles feminæ, puellæque; non modo imperiti, sed etiam docti, non plebeji solum, famulæque, sed generosi, matronæque adibant; eaque omnia patiebantur, ut Religionem colerent, quæ mysteria docet intellectum in obsequium captivantia, quæ præcepta indicit cupiditates omnes in officio continentia. Qui se motum sentiat ad Fidem hanc excolendam, cujus cultum tot taliaque mala, & pericula consequantur, alio luto ab eo, quo cæteri homines efformantur, ejus ficta esse præcordia dicendum est. Quicumque igitur hoc esse Dei opus, qui solus moderari, & flectere humana corda potest, inficias ibit, meridiana in luce cæcutit. Quapropter dicere non ausim, num plus vesaniæ, an impudentiæ insit in superius allato Libertino, qui admirandæ Fidei propagationis argumenti pondus elevare nitens ita scribit (*b*); *Ecclesiæ progressus est omnino humanum opus. Cœptum est seduci populum eo tempore, quo, nulla erat impressio* (quid sibi velit Auctor per hoc verbum *impressio* divinare non possum) *quo tempore imaginatio una dominabatur, cujus monstrosiores fœtus asseclas suos habebant.* Quænam ejus ætatis, qua prædicari cœpit Evangelium, fuerit indoles, vidimus supra. Hactenus ab omnibus Augusti sæculum excultissimum, doctissimumque est ha-

(a) *ἀνθρώπους ἰδιώτας. de morte Peregrini.*

(b) *Le progrès de l'Eglise est tout humain. On a commencè par seduire le peuple dans un temps, où il n'y avoit point d'impression, où l'imagination seule regnoit, où les visions les plus extravagantes trouvoient des sectateurs. La diversitè des opinions etoit du gout du siecle.* Examen de la Religion chap. 5. 3.

ſus ineptas ad legem ſpiritalem, hoc eſt in intellectu tantum, & in libero cordis amore ſitam inducendam. Poſtremo quis non videt ſtrages, cladeſque Evangelii indoli, conſiliiſque ejus Auctoris, qui ſemper caritatem, veniamque præſetulit, jubetque, tantum adverſari, quantum poſt Alcorani, ejuſque commentatoris feroci ingenio, qui putabat in decus ſuum cedere, ſi armorum vi, & cladibus vincere adverſarios ſuos, convenerunt? Num ſeligent ergo hi Politici virorum, doctrina exquiſita, & flexanima eloquentia, & quavis arte ad perſuadendum conſpicuorum agmen, qui prædicaturi Evangelium circumeant. Scilicet, inquit Libertinus ſæpius memoratus (a). *Duodecim dentur mihi homines, quibus perſuadere poſſim, ſolem non eſſe, qui diem efficiat, non deſpero fore, ut nationes integra hanc opinionem non ſint habitura.* Fortaſſe hic non multum a veritate abludit; ut enim eſt in veteri adagio *ſtultus ſtultos facit*; & ipſe ad hoc factus eſſet ad unguem. Sane in hæc loquente eſtne mica ſalis? Ne quidquam de hypotheſis fatuitate dicamus, ubi eſt comparatio? Quæ poteſt eſſe collatio inter chimæram, quæ nullum emolumentum, nullum detrimentum affert, & ſyſtema legum, quæ omnes cupiditates oppugnant, quæ totum hominem requirunt, & acerbioribus caſibus eum ſubjiciunt? Quamvis Socratibus, Platonibus, Ariſtotelibus, Demoſthenibus, Tulliis ſapientiores, eloquentioreſque fuiſſent, niſi divina ſapientia fuiſſent afflati, & niſi eorum doctrina divinitatem præſetuliſſet, numquam hominibus Legem hanc amplectendam eſſe perſuaſiſſent. Experientia ipſa id probat. *Quid ergo?* inquit Lactantius *Inſtitut. Lib. III. cap. 27. Nihilne illi* (Philoſophi) *ſimile præcipiunt? Immo permulta, & ad verum frequenter accedunt. Sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia ſunt humana, & auctoritate majore, ideſt divina illa carent. Nemo igitur credit; quia tam ſe hominem putat eſſe, quam eſt ille, qui præcipit.* Et ſane Romam (fingere ſiquidem id nihil prohibet) ingreſſi eſſent hi recens inſtituti præcones, ut artibus omnibus copioſæ eloquentiæ, omnibus humanę ſapientię ſubdolis modis, eſſe condonandas injurias, fugiendum luxum, evitandas voluptates, humilitatem amandam adorandam Crucem, & propter amorem hominis Crucifixi exilia ſubeunda, cruciatus, mortem, denuntiarent. Æterna pręmia polliciti eſſent hęc facientibus, fuiſſent non facientibus ęterna ſupplicia minitati. Quid tum? Quod jus, reſpondiſſent Romani, nobis hujuſmodi jugum imponendi vobis arrogatis? Si tanta vobis libido eſt, vos feratis, nos lumini noſtrę rationis, noſtręque naturę motibus indulgebimus. Si hęc pręcepta prudentia ducitis, nos delirantium ſomnia illa habemus, & ita opinandi ęqua nobis poteſtas eſt. Quid plura? Dixiſſent pręcones hi, ſe a Deo miſſos. Quid inde, ſi ut fingimus, a Deo miſſi non fuiſſent? ne riſum quidem profeciſſent Romę ſolitę jam audire quotidie reſponſa, & oracula Numinum, quibus ſtudia ſua, cupiditateſque approbabantur. Num perſuadere potuiſſent, ut eam Legem ſequerentur Romani, quę vires naturę ſuperans, non ſatis eſt, ut adimpleri poſſit, ut in Dei nomine denuntietur, niſi adſit divina virtus, quę hujuſmodi vires det, recreetque laſſas? Hi denique pręcones a politicis hominibus ſelecti, miſſique, aut de Lege Evangelica perſuaſi fuiſſent, & moribus etiam eam ſervaſſent, aut nec perſuaſi fuiſſent, nec ſervaſſent. Nil medii. Si perſuaſi fuiſſent, & coluiſſent, quis, quęſo, mutationem tantam in eorum intellectu, & corde facere potuiſſet? Non enim hic agitur de Fide, *num ſol ſit* ille, *qui diem efficiat*; quod ait Libertinus noſter, quam ut quis imbibat, ſatis eſt inſaniæ unciola; agitur de emendando homine, de vincendis omnibus cupiditatibus; ad quod pręſtandum excellens, & divina virtus requiritur. Si vero neque perſuaſi fuiſſent, neque coluiſſent, quę utilitas ex eorum verbis percepta fuiſſet? omnino nulla, quandoquidem nulla etiam ex Philoſophorum declamationibus in homines redundavit, inquit Lactantius (*Inſtitut. Lib. III. cap. 26.*) *Illi ſcilicet perſuadere cuiquam poterunt, qui nihil perſuadent etiam ſibi? Aut cujuſquam cupidita-* tes

(a) *Donnez moi une douzaine de perſonnes, à qui je puiſſe perſuader, que ce n'eſt pas le ſoleil, qui fait le jour, je ne deſeſpere pas, que des nations entieres n'embraſſent cette opinion.* Exam. de la Relig. chap. v. 5.

tes oppriment, iram temperabunt, libidinem coercebunt, cum ipsi & cedant vitiis, & fateantur plus valere naturam?

§. X. Omnis ergo hominum ars politica, omnisque potentia rationem, qua Evangelium posset disseminari, non potuisset excogitare. Hæc igitur propagatio fuit unius Dei opus. Per se res ipsa loquitur. Deus tamen voluit eam reipsa magis confirmare. Erit hæc quinta observatio. Humani modi ad eum finem attingendum, quem quærimus, minus idonei fuissent. Negari tamen non potest, armorum vim, spem præmiorum, eloquentiæ robur instrumenta illa non esse, quæ humanos animos movent, flectuntque; hæc ergo cum in Evangelicis præconibus fuissent, credi potuisset, saltem a Libertinis, nisi perfecte consequuti finem essent, saltem valde eos fuisse homines permoturos (a). Ut ergo quælibet dubietas tolleretur, & ut ostenderet nobis Deus, Evangelii prædicationem esse opus dexteræ suæ, voluit, ut his modis omnibus carerent, suæ Legis præcones primi; atque ita carerent, ut secundum humana consilia essent ad hujusmodi opus omnium hominum ineptissimi. Selecti ergo, ut bellum Idololatriæ inferrent, ut humanam sapientiam refellerent, ut captivum ad Crucem ducerent Imperium totum Romanum, omnes orbis nationes, fuerunt duodecim ita rudes, ita abjecti homines, ut ne prima quidem litterarum limina salutaverint. Tam clara, apertaque omnibus hæc res est, ut *Celsus ipse*, inquit Origenes (b), *lubens eam fateatur*. Hi ergo ex gente invisa, utpote qui Hebræi erant; conditione egentes, nempe piscatores; vivendi ratione ab Attica elegantia, & a Romana jactantia valde alieni, scilicet pauperes, & ex plebe, Romam adeunt Athenas, Corinthum, Ægyptum, & in in quamlibet elegantiorem orbis regionem, sine calamistris, sine tropis indicunt, hominem Crucifixum, & in Cruce mortuum esse ut Deum adorandum. Totusque Orbis eum adorat: Deos tanto in honore habitos a populis, esse dæmones; populique credunt; mores mutandos esse, novumque hominem induendum; mortales mores mutant, novum hominem induunt; Detrimentum potius rei familiaris, patriæ, propinquorum, vitæ ipsius denique esse faciendum, quam hujus Legis apex unus violetur; hominesque eorum detrimentum faciunt. Hæc missio, hæc prædicatio, si oculis corporeis cernatur, insania est; at hæc insania fuit, quæ Mundum vicit. Opprobrium Crucis, *Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia*, nedum occultetur, tamquam basis jacitur, argumentumque primum cujuslibet sermonis. Præcepta Moralis disciplinæ cupiditatibus adversa, nedum mitigentur, elato vultu, minisque edicuntur. Ad hanc agendi, loquendique insolentem rationem fremunt primo Cæsares, Sacerdotes, Philosophi, omnes e convento certatim in hos contemptissimos duodecim homines impetum faciunt; ac Philosophorum doctrina eorum simplicitate superata loco cedit; Sacerdotum superbia illorum abjectione prosternitur; Cæsarum impotentia eorum patientia frangitur. Ipsi quidem concidunt extincti ab hominibus in eos conspirantibus, at ex eorum casu Religio illa, quam prædicabant, triumphat, illique ipsi, qui eam eversam volebant, lubentes in ejus propugnationem conversi sanguinem, animamque profundunt. Jam quicumque hoc opus Dei non agnoscit, aut est Matpesia cautes, aut perfidia ipsa. Nam quæcumque dixi, in has argumentandi breves formulas redigo.

§. XI. I. Pernix per universum orbem Religionis Catholicæ propagatio est certissima, ut superius probavimus.

II. Ob-

(a) *Mihi sane videtur, si aliquos opinione vulgi sapientes idoneosque sapere, ac loqui ad multitudinis gratiam elegisset Jesus, quorum in docendo uteretur opera, non evasurus fuisset justam suspicionem, quasi more Philosophorum novam aliquam sectam suo nomine vellet instituere, neque promissum de divinitate doctrina repræsentatum esset.* Origen. *Lib. I. cont. Celsum.*

(b) *Nunc vero quis videns Piscatores, atque publicanos, ac ne ipsa quidem litterarum rudimenta scientes, ut Evangelistæ scribunt de illis, & ipse Celsus hac parte libenter credit vera dicentibus de eorum imperitia, confidenter non solum Judæos alloqui de Fide in Christum, sed & inter reliquas gentes eamdem efficaciter prædicare, non quæreret, unde nacti sint tantam persuadendi vim? Non enim oratores vulgares. Ecquis non dicat, promissum illud, venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum, implevisse Jesum in discipulis divina quadam potentia?* Legi meretur Magnus hic Pater præcipue in hoc opere, in quo valide, & strenue agit de hac materia, quam versamus.

II. *Obstacula*, quæ huic propagationi repugnabant, erant *maxima*; vel opposito, quæ inter præcepta legis hujus, mortaliumque ingenium interest, præsertim temporibus Augusti consideretur; ut probavimus *animadversionibus* 1. & 2. vel considerentur quæ horrenda redundabant in amplexantem hujusmodi Religionem; quod probavimus *animadversione* 3.

III. Vis modorum, ut hæc resistensia vinceretur, erat *minima*; tum quia etiamsi hi modi habuissent quidquid humana politia excogitare potest, ineptum ad hujusmodi finem consequendum fuisset; id ostendimus *Observatione* 4. tum quia revera Apostoli quovis humano præsidio apto ad subjugandas, vicendasque nationes, ut hanc legem crederent, omnino carebant; id ostensum est *observatione* 5.


IV. Jam cum vis causæ non adæquat, & non superat obstaculorum vim, numquam potest effectus consequi, nisi invisibilis virtus interveniat.

V. Ergo Evangelii propagatio non fuit opus humanum, sed divinum. Haud nobis opus hic est Theoriis Bernullii, aut Montis Mortui, qui calculum in Politicam, & in Ethicam invexerunt, ut majorem minoremve factorum probabilitatem definirent. Successus hic noster nobis simplex admodum videtur, ut evidenter videamus, eum non potuisse prorsus evenire. *Obstacula* opposita Evangelii disseminationi undique erant maxima: *modi* adhibiti erant per se ineptissimi; ergo successus haberi non poterat; *resistentia enim maxima posita, vi minima, effectus nullus est*. Si ergo effectus fuit *res*, & quidem magna, quin etiam maxima, cujusmodi fuit totius Orbis ad Evangelium conversio, hæc *res* Omnipotentis Dei fuit opus.

Nolo in fine hujus capitis sæpius memorati Libertini quoad Apostolorum prædicationem silentio contrarium argumentum præterire. Ita ergo ille (a); *Verum quidem est, populo sub oculos subjectum fuisse hominem Crucifixum; at simul ei prædicabatur, Crucifixum hunc miracula patrasse, resurrexisse ex mortuis, ascendisse ad cœlos; esse Deum, propter nos homines his ærumnis se subjecisse. Hoc erat id, quod misericordiam, & Fidem populi Crucifixo conciliabat*. Papæ! egregie. At respondeat mihi admirandus hic adversarius, qui quærit in scirpo nodos; Splendidæ illæ notæ, quas de hoc homine Crucifixo prædicabant Apostoli, hoc est ejus resurrectio, divinitas, aut probabantur ab Apostolis testimoniis quavis exceptione majoribus, aut non comprobabantur. Si comprobabantur, ergo Christi resurrectio quamlibet incredulitatem destruit; Sin autem hæ illius hominis Crucifixi dotes non satis ab Apostolis comprobabantur, interrogo, credebantne homines, an non? Si non credebant; scandalum ergo Crucis non erat ablatum per resurrectionem, cæterasque Christi qualitates: hoc autem est portentum adeo incredibile, ut nihil supra, homines adorasse hominem Crucifixum, quin eum & a mortuis virtute propria excitatum, & Deum crederent. Si vero homines credebant; en aliud portentum, credi res adeo abstrusas, & difficiles, & ita credi, ut credentes in earum confirmationem sanguinem effunderent, & inter cruciatus expirarent, quin satis probatas has veritates haberent. *At in populum*, ait Libertinus, *neque animadversio, neque examen cadit*. Verum, inquio ego, Christi Ecclesia ab Ortu ad Occasum pertinens constabatne tantum populo? Objecta, quæ nunc in aciem producunt *Spiritus Fortes*, annon fuerunt examinata, revocata ad severam trutinam a nostris Apologistis in Græcia, in Africa, in Latio? Justini, Origenes, Tatiani, Tertulliani, Theophili Alexandrini, Cypriani, Minutii Felices, Lactantii, ut prætermittam tacitus Eusebios, Cyrillos, Augustinos, totumque Patrum agmen; isti, inquam, erantne quadrupedes, bovesque stolidi, qui se circumagi temere, & inconsulto paterentur? In uno Origenis opere in Celsum annon omnia dicteria, artificia omnia quæ excogitare impietas potest, refutata, convictaque leguntur? At *in populum*, pergit ille effutire, *neque animadversio*; *neque examen cadit*. Ut lubet; nihil moror. Hinc igi-

(a) *Il est vrai, qu'on lui offroit un Crucifié: mais on lui disoit, que ce Crucifié avoit fait des miracles, qu'il etoit resuscité, monté aux Cieux, qu'il etoit Dieu, que ce n'etoit, que pour eux, qu'il etoit reduit à cet etat deplorable. C'est ainsi, qu'on s'est attiré la compassion, & la credulité au peuple incapable de reflexion, & d'examen.* Exam. de la Relig. chap. v. 3.

igitur non mendose colligo, veritatem rerum enunciatarum summam præsetulisse evidentiam, persuasionem fecisse maximam; quandoquidem populi ipsius, *in quem animadversio, & examen non cadit*, fulgore suo potuit oculos perstringere, eumque illa persuasionis, evidentiæque vi convincere, quam populus, si sit præcipue innumerus, requirere solet, cum debet eam religionem, quam simul cum lacte hausit, relinquere, & una cum illa debet rem suam familiarem, sanguinem, vitamque amittendi sciens, prudensque adire discrimen. Quamquam immorari longius in hujusmodi deliramentis refellendis, neque nos decet, & iis scriptoribus nimium honoris tribuimus.



CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Quarta nota Doctrinæ Christianæ.

Martyres, qui eam defenderunt.

I. *Testimonium prolatum ab Apostolis Christi Resurrectionis: cujus sit momenti: in Naturalistarum hypothesi ea fieri non poterat.*

II. *Hoc erat testimonium* eventus, *de quo errare non poterant; nec quicquam eos poterat movere, ut illud deferrent, nisi sola veritas.*

III. *Apostolorum prædicatio* Hierosolymis, *inde in toto Orbe, qui iis credit, convertiturque.*

IV. *Argumentum hinc proficiscens pro veritate Fidei.*

V. *Martyres, qui Apostolis succedunt, sunt aliud argumentum veritatis eorum, prædicationis.*

VI. *Proponitur argumentum, quod pro Religione Christiana deducere intendimus a Martyribus. Dodvvelli dissertatio de hac re:*

VII. *Causæ humanæ a Dodvvello propositæ, ut explicet fortitudinem Martyrum. Infirmæ.*

VIII. *Stulta causa ficta a Libertinis, Martyres cujusque Religionis. Vaninius Martyr Atheismi, Ejus actus scripti a Bælio. Falsi omnes.*

IX. *Fortitudinis Martyrum Christianorum cum suis circumstantiis considerata in sola omnipotenti Dei gratia reperiri causa potest. Propositio demonstrata exponendo, quales sint hæ circumstantiæ.*

X. *Quæ evidenter hinc consequantur, ut refellantur Libertini, confirmeturque Religio.*

XI. *Cujusdam impii objecta confutantur. Illustris Minutii locus, quo confutatio confirmatur, & concluditur.*

§. I. SÆpius in præcedentibus capitibus eos innumeros Heroes, qui pro Christi fide sanguinem, vitamque impavedi profuderunt, commemoravimus. Sed iis in locis id egimus, ut clariori in lumine per Evangelium in homines inductam sanctitatem, servatamque in ipsius mortis atrocissimis cruciatibus poneremus, vel ut evidens a nobis fieret, Fidei propagationem tam citam, latamque, irritis Tyrannorum persecutionibus, qui insontes victimas has immolarunt, ut terrorem incuterent quibuscumque, vel ut ejus progressum remorarentur, immo si fieri posset, ut eam prorsus de medio tollerent, esse Dei opus. Nunc tamen fuerit operæ pretium hoc idem argumentum illustre rursus pertractare, ut auctoritatis illius, quam Evangelio testimonium tot Athletarum sanguine confirmatum satis

tis per se grave addit, pondus cognoscamus.

Ac primum quidem de Apostolorum testimonio dicamus, de aliis Martyribus loquuturi postea.

Dico, testimonium Resurrectionis, & hinc Divinitatis Christi ab Apostolis Hierosolymis, tum per orbem universum prolatum esse hujus rei veritatis demonstrationem. Antequam ad id probandum descendo, postulo, mihi concedi, Apostolos non fuisse homines alius speciei a nostra, non omnino furentes, neque cujuslibet rationis usus, sensusque communis expertes. Crederem a quovis *postulatum* hoc mihi esse concedendum. Ut autem argumentum illustremus magis, fingamus esse veram Libertinorum dementissimam, impiamque hypothesim, fingamus Christum sycophantam fuisse, qui dolis malis, fraudibus, eloquentia pellexerit, detinueritque secum Apostolos, iisque falso persuaserit, se esse Messiam. Enato jam die, quo ab hostibus suis captus fuit, flagellis cæsus, Cruci affixus, mortuus est, jam actum conclamatumque de Christo fuisset, jam ejus artificia detegenda erant, jam seductor agnoscendus. Et sane scimus, illo atro die diversos abiisse discipulos; illucescente autem tertio die, quo resurrecturum se esse dixerat, duo ex iis quoddam castellum, quod dicebatur Emmaus, petentes, de illius morte sermocinantes, jam inibi erant ut prorsus desperarent, eum, ut spoponderat, redempturum esse Israel. Jam, his omnibus rebus præcognitis, nisi reipsa ille resurrexisset, requiro a Libertinis, quid causæ movere poterat Apostolos, hoc est homines, qui non erant prorsus vecordes; ut exsilirent in publicas plateas, ut ingrederentur Hierosolymitanum Templum, & ibi elata voce, Christum hunc, a quo se deceptos, illusosque videbant, resurrexisse a mortuis, ac proinde eum esse Messiam, prædicarent? Quodnam emolumentum ex tam impia, ita indigna, adeo invisa fallacia sperare umquam poterant? Immo quæ malorum genera inde ab hominibus, Deoque iis perhorrescenda non erant? Hic ergo a Deistis scire vellem quid respondere possent, quod esset aliqua ex parte ferendum. *Nemo* (vetus est, verissimumque omnium Philosophorum effatum) *agit propter mali desiderium.* Jam nil aliud, quam mala, & quidem maxima ex hoc tam aperto testimonio ab ipsis prolato, Apostolis obversabantur. Nulla Judæis erat magis nomini Jesu invisa vox. Illi ut blasphemo, ut seductori inflicta mors erat. Res erat adhuc in ore omnium; tepebatque adhuc expostulatus, ut super se filiosque suos caderet, a populo cuncto effusus cruor. Eum ergo a mortuis resurrexisse prædicare quid aliud erat, nisi eum rursus in publicum magno cum ejus decore producere; quin etiam impietatis atrocissimæ Synhedrium damnare, quod dignum morte illum judicaverat, populumque omnem eodem scelere constrictum dicere, qui a Præside illius crucifixionem petierat? Quid ergo expectandum Apostolis erat ex hac prædicatione, nisi ut mortis genus idem subirent, quam magister passus fuerat, qui (ut impie Increduli dicunt) eos fefellerat; & propter eum, a quo ita turpiter fuerant decepti, infeliciter ipsi quoque crucifigerentur? (a)

§. II. Dicamus quid amplius: hoc testimonium, quod Apostoli dare debebant Resurrectionis Christi, non poterat nasci ex erronea cogitatione, quod evenit in speculativis opinionibus. Hic agebatur de facto recenti, de facto, quod evenerat reipsa, de facto, de quo non poterat quoad circumstantias omnes, quæ in illo erant, error ullus oriri, ut alibi ostendemus: de facto denique, quod Apostoli Deistarum sententia, falsum omnino

(a) Argumentum hoc affert Origenes in Celsum. *Mirum etiam est, unde discipuli, qui ut obtrectatores Iesu dicunt, nec eum a mortuis suscitatum vidissent, nec eum divinum quippiam esse persuasum habuissent, in mentem venisset non reformidare, quæ Magister passus fuerat, intrepide se periculis committere, patriamque relinquere, ut ex voluntate Iesu doctrinam sibi ab ipso traditam docerent. Nam arbitror neminem fore, qui rebus diligenter perpensis, dicat illos tumultuosam vitam* (textus habet ἐπισφαλῆ βίον, melius verteretur *discriminibus obnoxiam vitam*) *propter Iesu doctrinam electuros fuisse; nisi eis vehementer persuasisset & ex ejus præceptis vivere, & alios ad ea capessenda adducere: præsertim cum, ut sunt humanæ res, in præsens exitii periculum se conjiciat, quisquis nova quæcumque promulgare audet, infensosque sibi reddere, quicumque sunt priscis dogmatis & consuetudinibus addicti.* Lib. I. cont. Cels. n. 31. Edit. Parit.

esse sciebant. Non ex ignorantia ergo prædicabant; ergo ex malitia, hoc est ut errorem hujusmodi in vulgus spargerent. At qui poterant credere, se non solum eventum rei tantopere invisæ persuasuros, sed cujus nullum argumentum potuissent afferre, quod falsitate coargui non potuisset? Sed quamvis illum disseminare, quin coarguerentur, potuissent; quid emolumenti, quid voluptatis, quid decoris inde percipiebant? Christus inter vivos non erat: nec ab illo quidquam boni expectare poterant, Judæi maximo ejus nomen persequebantur odio; ergo Apostoli, quin crederent id, quod enunciabant, scientes maxime impie se agere, quin utilitatem ullam hinc sperarent, prævidentes etiam, se proculdubio conjici in pericula summorum incommodorum, odii, contemptus, crudelium persecutionum, mortis etiam, Christum resuscitatum prædicavissent? Hæc ex Libertinorum sententia derivantur. Argumentum ita urgeamus: Atqui in hominibus nostri generis, neque rationis, neque communis sensus expertibus (quales fuisse Apostolos, concessum fuit) hoc numquam post homines natos vidimus; Testimonium ergo Apostolorum Hierosolymis resurrectionem Christi confirmat; contrariaque sententia nonnisi ab hominibus, qui sensu communi, & ratione abutuntur, sustineri potest.

§. III. Sed stultissima, impiaque hypothesi missa facta, quæ hujus eventus nullam affert rationem, immo illi opponitur, quicumque pudorem non ejuravit, & ratione ducitur, consideret attente hujus Apostolorum testimonii Hierosolymis prolati adjuncta omnia, tum per universum Orbem disseminati resurrectionis Christi, candideque dicat, num illud ut evidens rei veritatis argumentum non agnoscat?

Apostoli isti, Christo patiente, mortuoque, perterrefacti, dispersique impavidorum leonum instar in publicum prodeunt, Israelitico populo inspectante, & audiente alta voce attestantur, Christum resurrexisse, *cum, quem* (*Act. cap.* 2.) *Judæi affligentes interemerant, Deum suscitavisse, doloribus solutis inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo; seque hujus rei testes esse*. Obstupuerunt ad nuncium hunc mirum in modum Judæi; at Apostolorum testimonium satis virium habuit, ut tria hominum millia die illo ad Jesum Christum converterentur; tum quinque millia etiam hoc testimonio permota crediderunt. Fremere interea Synedrium (*ibid.* 4.), manus in eos injicere, in carcerem eos detrudere; tum causam rogati, cur ea prædicent; impavidi, *Jesum Nazarenum, quem illi crucifixerant, Deum a mortuis excitavisse, & in ejus nomine se mirabilia operari*, testificantur. Minitabundi iis summus Sacerdos, senioresque populi, scribaque interdicunt, *ne exosum illud nomen palam usurpent*; quibus respondent, *non esse æquum obedire hominibus potius quam Deo*; *se non posse non loqui ea, quæ viderunt, quæque audiverunt*. Et sane Apostoli *unanimiter* imperterriti (*ib.* 5.) *stabant in porticu Salomonis*, & eorum testimonii vi permoti *viri & mulieres frequentes credebant in Dominum*. Rursus *in carcerem mittuntur, & flagellantur*. Incassum omnia; & in concilio enim, & in plateis prædicant, *Deus Patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos occidistis suspendentes eum ligno*. Consilium ergo initur eos interimendi. *Non* ideo tamen *intermittunt Apostoli docere, & Evangelizare Jesum*. Stephanus (*ibid.* 6. & 7.), quem comprehenderant, & in Concilio *testimonium reddebat Jesu Christo*, *ejicitur ab urbe, & lapidatur*: *in Ecclesia* (*ibid.* 8.) *quæ erat Hierosolymis, persequutio magna facta est, ut dispersa sit per Judæam, & Samariam*; Apostoli tamen prædicant. Saulus (*ibid.*) minister Principum, & Sacerdotum factus *spirat minas, & cædes in discipulos Domini*; Herodes (*ibid.* 12.) fovens Sacerdotum odium, *occidit Jacobum fratrem Joannis, & mittit in carcerem Petrum*. Non ideo cadunt animis Apostoli. *Verbum Dei crescebat, & amplificabatur*. Sane Petro e carcere ab Angelo erepto, Sauloque Apostolo facto, Apostolica tuba altius canit, Christusque *Crucifixus, & resuscitatus* non per Judææ unius loca finitima, sed in Romani Imperii arce, & per omnes Orbis plagas prædicatur. Ex Judaica gente ubique homines reperire fas erat. *Neque enim* (ajebat Agrippa in celebri oratione ad Hebræos habita, relataque ab Josepho (*Lib. II. de Bel. Judaic. c.* 16.) *in toto Orbe populus est, qui non ex vobis portionem habeat*. Noverant ergo Apostoli, Hebræos ubique sibi contradicturos, eos insi-

insitum odium Ethnicorum in præcones hominis Crucifixi, & crucifixi a sua natione ut seductoris inflammaturos. Videbant certamen sibi fore cum gentibus omnibus; fames, sitis, frigus, nuditas, naufragia, carceres, flagra, ignominiæ, contumeliæ, mors denique ipsa obversabantur oculis, nihil tamen horum eos absterret. Relinquunt domos suas, trajiciunt maria, superant montium juga, ignotos terræ, cœlique tractus petunt nulla alia de causa, nisi ut nationibus, & linguis omnibus Jesum Nazarenum Crucifixum, & a mortuis excitatum, qui Deus est, annuntient. Id dicunt, id testificantur coram Hebræis, & Gentilibus, Regibus, & Philosophis, plebe, & Imperatoribus. Id dicunt, testificanturque & in equuleis positi, & in carceribus marcescentes, & e cruce pendentes, & capite feriendi; id dicunt, & testificantur donec sibi vita suppetit; demum ut eventum hunc confirment, sanguinem profundunt. Intra annorum viginti, aut triginta spatium Evangelium ab iis per omnes Orbis plagas disseminatur; Orbisque hoc testimonium accipit, creditque; Christusque Crucifixus, & resuscitatus adoratur ubique.

§. IV. Nunc requiro, num fieri possit, ne in hujusmodi testimonio Deus, hoc est veritas ea, cujus ille est auctor, internoscatur? Testimonium hoc eventum præcipue, cui tota Christi Religio innititur, nempe ejus resurrectionem, spectabat. Hunc eventum Apostoli poterant plane scire, & sua intererat, eum omnino se scire; illo enim suscepti operis moles erat superstruenda. Hoc confirmat Apostolus ita scribens (1. *Corint. cap.* 15.): *si Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra. Invenimur autem & falsi testes Dei; quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit; si mortui non resurgunt .... Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Jam inquio, hominem interdum esse, qui opinionem speculativam, etiam falsam imbibat, semelque imbibitam eam mordicus ad mortem usque defendat, non est difficile concipere; ignorantia eum excæcat, amor proprius eum impellit, susceptæ partes eum permovent; at homines quosdam, agmine facto, quin emolumentum ullum percipiant, ut ultro & sponte in publicum prodeant, Orbem totum pervagentur, Religionem prædicent, semperque eamdem omnibus in locis prædicent, omnesque eam ab eventu uno desumant, quem ignorare, utpote qui se inspectantibus acciderat, nullo pacto poterant, singulique eum eodem modo narrent, seque testes dent, immo vades, & obsides, licet iis intententur minæ, labores, cruciatus, tormenta, mors, dicere oportet, evidentia facti moveri, re humanarum utilitatum omnium maxima impelli, vi suprema, & divina, quæ eodem modo in omnibus, & singulis iis operetur, regi, & recreari. Genus hoc testimonii nullibi nisi in Christiana Religione vidimus. (Vid. Houtteville. *La Relig. Chretien. prouvée par les faits. Tom. III. Reponse à la dixieme difficulté.*) Homines, qui, ut confirment tamquam oculati testes eventum momenti tanti, quanti est Christi resurrectio, sanguinem effundant, nulla alia secta ostentare potest, Libertinique, licet tot martyres fingant, exceptionem nullam alicujus ponderis possunt afferre; ergo testimonium ab Apostolis pro Christi Religione prolatum evidentissimum est argumentum, quod veritatem nobis ostendit.

§ V. Sed tandem aliquando ad Martyres sermo noster progrediatur; qui primi ab Apostolis pro Christo mortem pertulerunt; antequam autem vim argumenti exponamus, consideret Lector illud victimarum primis nascentis Ecclesiæ sæculis pro fide immolatarum agmen ingens, ac prope innumerum, materiam illam, quam jamdiu versamus, invicte confirmare. Hæc enim nominum millia, quæ firmissime fidem, quam ab Apostolis sibi traditam acceperunt, & crediderunt, & usque ad mortem inter immanes cruciatus sanguine suo sunt tutata, ostendunt, testimonium ab iis prolatum Christi resurrectionis, aliorumque præcipuorum nostræ Religionis Capitum quavis exceptione majus, assensuque hominum cujusque ætatis, conditionisque esse accipiendum. Cur ergo nisi per summam arrogantiam nunc a Libertinis illud rejicietur?

§. VI. At ad rem accedamus. Dico, Martyres Christianos esse veritatis Fidei

dei evidens argumentum. Ita autem ratiocinor.

Ex monumentis certissimis, hoc est ex publicis actis, ab Historicis ejusdem ætatis non Christianis tantum, sed etiam Ethnicis, ex traditione universa, constantique, ab iis demum testimoniis cæteris, quibus probari factum potest, habemus in compertis, per quatuor sæcula innumerabiles homines ætatis cujusvis, gradus, regionis Fidem Christi inter atrociora tormenta, morte etiam proposita, firme, constanter, & lætos, quæ res rubore tyrannos affecit, obstupefecitque hostes ipsos, testatos esse.

Atqui hujus eventus in hujusmodi circumstantiis in sola Dei omnipotentis gratia causa efficiens reperiri potest. Martyrum ergo Christianorum testimonium probat, hujus Religionis auctorem Deum esse, quem illi per ejus gratiam ad mortem usque defenderunt.

De prima propositione in sua quavis parte considerata consentientes adversarios habemus, ut opinor, nisi velint ridiculum Pyrrhonismum objicere. Præter examina exquisitissimæ criticæ artis ab Holsteniis, ab Henscheniis, a Papebrochiis, a Tillemontiis, a Fleuriis, ab Alexandris, a Ruinartis & ab aliis etiam morosis Criticis facta, habemus *Imperialia edicta*, *gesta proconsularia*, *Passiones sinceras*, *litteras Encyclicas Ecclesiarum*, & monumenta cujusvis generis, e quibus colligimus, & numerum Martyrum majorem fuisse supra quam credibile cuique est, eorumque fortitudinem ab hostibus ipsis, qui aderant eorum certaminum crudelium, inauditorumque spectatores, cognitam fuisse. Pervolvantur acta Martyrum a Cl. Ruinarto collecta, & verissimum esse quod diximus, quisque intelliget.

Difficultas ergo esse potest quoad *assumptionem*, seu secundam propositionem. Patronum, tum judicem do Adversarii meis hominem liberrime cogitantem, & de Martyribus Christianis aut nihil, aut parum admodum benemeritum. Est hic Henricus Dodvvellus, qui cum nullum lapidem non movisset, ut numerum incredibilem Martyrum imminueret in XI. e suis Cyprianicis Dissertationibus, strenue confutata, ut alibi diximus a doctissimis viris, in XII. agit *De Primorum martyrum insigni fortitudine eiusque causis*. §. 11 Præmittit ergo Dodvvellus tamquam rem certissimam ,, admirandum animum, quo ,, primi Christiani mortem perferebant; ,, atque hanc non naturali modo, sed ,, per aspera, & diuturna tormenta datam; atque ut in hoc certamen æque ,, Laici, & Clerici, mulieres, virique, ,, adolescentes, adultique descendebant; ,, singulique eos cruciatus patiebantur ,, fortiter, & athletice, quæ aliis tam ,, horribiles videantur. Advertit etiam, ,, perspicacissimos fuisse hostes, ut ea ,, tormentorum genera invenirent, quorum lectio ipsa perterrefacit legentem; ,, ducebantque tam gloriosum Christianorum constantiam expugnare posse, ,, ut putarent novis honorum titulis familias suas se honestasse, & Rempublicam novis triumphis amplificavisse. ,, Hinc inexorabiles, & integri semper ,, in affligendis iis Christianis, nondum ,, obductas veteres cicatrices novis vulneribus, flagrisque renovabant. Tamen, ait ille, hæ artes omnes, hæc ,, durities animi prius victæ fuerunt tormentis infligendis, quam patientia martyrum iis perferendis. Quodque maxime admirandum est, fœminæ imbelles, mollesque, qualis erat Felicitas ,, (a) prægnans, animo hilari, invictoque cruciatibus obviam ibant, & martyrium patiebantur.

His præmissis, eas *humanas causas* inquirere studet, quæ fortitudinem hanc tam ad-

(a) In actis autographis SS. *Perpetuæ*, & *Felicitatis* erutis ex Codice Cassinensi, editisque in lucem ab Holstenio legimus de secunda hæc; ad quæ refertur, quod ait Dodvvellus: *Cum octo jam mensium suum ventrem haberet, nam prægnans fuerat apprehensa, instante spectaculi die in magno erat luctu, ne propter ventrem differretur .... Conjuncti itaque unito gemitu* (Commartyres) *ad Dominum orationem fuderunt ante tertium diem muneris. Statim post orationem dolores eam invaserunt. Et cum pro naturali difficultate octavi mensis in partu laborans doleret, ait illi quidam ex ministris cataractariorum: quæ sic modo doles, quid facies objecta bestiis, quas contempsisti, cum sacrificare noluisti? Et illa respondit modo ego patior, illic autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia & ego pro illo passura sum; ita enixa est puellam*. Tum narrantia, quomodo hæ fortissimæ fœminæ ductæ fuerunt in Amphitheatrum dicunt acta: *Horruit populus respiciens puellam alteram delicatam, alteram a partu recenti stillantibus mammis &c.*

admirabilem potuerint efficere. Hæc est Adversariorum causa. Si enim *causæ* istæ *humanæ* per se possunt, (quod Dodvvellus, ut dicemus postea, aperte negat) argumentum e testimonio martyrum deductum nihil valet; si non possunt, vincit Religio; tunc siquidem ad omnipotentem Dei gratiam, qui testes suæ fidei erigit, recreatque, est confugiendum.

§. VII. Incipit Dovvellus (§. 2.) ab obstinata Galilæorum mortis contemptorum indole, quam simul cum nomine vult derivatam fuisse in primos Christianos, qui Galilæi appellabantur, eamque ita impavidos, ita fortes in patiendis tormentis illos effecisse. Sed hoc, ut dicam, quod sentio, somnium est. Quid enim Martyribus Gallis, Hispanis, Romanis Galilæorum indoles animi addebat? Satisne erat, ut Celsus, & Julianus eos appellarent Galilæos, ut una cum nomine Galilæorum fortitudinem in eos injicerent? Quamquam demus hoc verum esse, suffecissetne illa, ut eventus explicaretur? Quandonam inter Galilæos, nisi cum de Religione est actum, hujusmodi eventus sunt inspecti? Commemorat ille secundo loco (§. 3. & *seq.*) *rigorem pristinum veteris disciplinæ, austerumque vitægenus, quo utebantur Christiani, per quod fortes fieri ad tolerandos cruciatus poterant*. Hic saltem dicitur, quod est magis rationi consonum; voluptates infirmant, & enervant homines; dura vitæ ratio assuefacit, & ad perferendum confirmat. Ita vero. At hic causa isthæc nec erat *universa*, nec *sufficiens*: non universa, siquidem tot Martyres in gentilitate natos, altosque scimus; tum paucos dies, immo paucas horas post quam conversi ad Fidem sunt, martyrium subiisse; quæ Christiana dura disciplina ad patiendum eos erudiit ad hoc certamen? Non erat sufficiens; quænam enim proportio inter abstinentias, vigilias, jejunia, quæ adhibebant Christiani, & equuleos, picem ferventem, rotas, pectines, quibus lacerabantur a Tyrannis.

Tertiam *humanam causam*, quæ locum in Martyribus habuit, ait Dodvvellus (§. 9. & *seq.*), fuisse *amorem gloriæ*, quo accensi homines non raro difficilia opera suscipiunt. At ratio hæc quoque per se corruit. Hic enim quærendi gloriam modus non erat; ipsa siquidem confessio, se Christianum esse, erat vituperium ingens apud homines cultiores, elegantioresque. Et quicumque in Amphitheatrum pro hac Fide pugnaturus descendebat, opprobriis, conviciisque ab omnibus excipiebatur. *At cultus*, inquit hic Libertinus, *qui ab Ecclesia Martyribus præstabatur, eorum mentes alliciebat*. (a) Verum qui, inquio, gloriola hæc poterat impellere ad mortem homines, qui lubenti animo opprobria, & vituperia subibant, eaque gloriæ vitæque præferebant? Sed hi (quod animadvertit etiam Dodvvellus §. 13.) aut veram credebant Ecclesiam, a qua honores sperabant, aut non credebant; si veram putabant, credebant etiam, eam non approbare agere propter gloriam, tormentaque hac de causa tolerata nullam iis utilitatem in altera vita allatura; nemo autem est, qui non videat, quantum cogitatio hujusmodi eos retrahere a martyrio, eosque impellere deberet, ut fines mutarent. Si vero falsam Ecclesiam judicabant, cur umquam, ut honores a decepta plebe haberent post mortem, pati tot contumelias, & persecutiones, mortemque a nationibus, quæ dominabantur, non minus Christiana habitis insanis? Præterea, si concipimus, posse viros magnos amore gloriæ accendi ad magna suscipienda, & peragenda, ad pugnandum strenue, quomodo umquam amor hic famæ gloriæque tot fœmellas, tot Virgines, homines egentes, obscurosque inflammare poterat, ut amorem vitæ, horroremque ingenitum immanium tormentorum suffocarent, superarentque? Demum nonne scimus, quot insontes hujusmodi victimæ nullo habito delectu immolarentur, sine *actis publicis*, quod præcipue accidit in ultima Diocletiani crudelissima persecutione, in qua, ut quidam Scriptor ait, occidebantur velut *jure belli*? Nonne scimus, quot simul incendio uno absumerentur; quot inter noctis tenebras projicerentur in mare, aut modis aliis de medio sustollerentur, quin sperare possent non solum posthumum honorem corporibus suis præstandem esse, sed

(a) *Le culte, qu'on rendoit aux Martyrs flattoit sa vanité*. Exam. de la Relig. chap. v. 3.

sed ne memoriam quidem suorum nominum futuram in Ecclesia superstitem? Quinam laudis, humanæque gloriæ amor Heroas istos ad certamen hoc non minus ignotum, & obscurum, quam terrificum poterat excitare?

Causa quarta a Dodvvello allata (§. 16.) est integræ vitæ anteactæ intimum testimonium; huic autem addit & quintam causam, nempe spem vitæ futuræ immortalis: quæ duæ cogitationes, inquit ille, semper animos contra timorem mortis hominibus addiderunt. Nos quoque has cogitationes inhæsisse nostrorum Martyrum mentibus non gravate fatemur; at in ea sumus opinione, ut credamus, eas non sufficisse, ut Dodvvellus ipse fatetur (§. 18.). Possunt quidem hæ duæ cogitationes efficere, ut patienter, quoties infertur, mors toleretur; at non sufficiunt, ut avide illa desideretur, ut sine querelis feratur, ut hilari animo exantletur, præcipue si illam antecedant diuturna, & exquisita tormenta, quæ mortem nostrorum Martyrum præcesserunt, ut in aperto ponere ex plurimis testimoniis possumus.

Gradum ergo Dodvvellus facit (§. 19. *& seq.*) ad eas singularium bonorum spes, quæ antiqui Christiani, inquit ille, Martyribus Deum præparasse putabant, quorum spe accensi sereno vultu cruciatibus iis obviam ibant. Hic vera quædam falsis multis permiscet Auctor, quod iis accidit, qui *criterium* certum in rebus Religionis non habent. Præcipuus ejus error (*a*) in eo consistit, ut opinetur, credidisse illa ætate Christianos, *primam Resurrectionem*, de qua in Apocalypsi sermo fit, esse resurrectionem corporum justis omnibus communem, in qua tamen *præcipua portio* Martyrum esset; post quam statim cum Christo celebri *millenario* regno terreo non spiritalibus tantum, sed etiam corporeis bonis scatente essent fruituri. Quæ opinio, ait ille, conjuncta cum Mundi dissolutione jam credita vicina, quæ tunc vigebat, quæque vicinum hoc *millenarium* regnum ostendebat, mirum in modum in Martyrium Christianorum animos accendebat. Nimis a suscepto proposito aberrarem, si hanc Dodvvelli sententiam, quam alii Protestantes etiam tuentur, vellem refutare, qui erroris hujus primos Christianos accusant.

Præter Theologos nostros legatur præclarus Bossuettus *ad caput 20. Apocalypsis*, ubi veritatem explanat. Mihi, ut probem Dodvvello, non posse afferri tamquam universam, præcipuamque causam, qua impellerentur Christiani ad Martyrium, millenarii regni errorem, satis erit, ut ejus oculis subjiciam locum illum clarissimum D. Justini, qui a Papia primus fuit, qui hanc opinionem defenderet. Loquitur ille cum Tryphone de hoc temporario regno, quo Christus fruiturus per annos mille Hierosolymis refectis una cum Sanctis resuscitatis dicebatur; ita inquit (*in Dial. cum Tryph. n. 80.*). *Tibi igitur & antea confessus sum, me, & multos alios hoc sentire... & multos rursus, eosque ex illo Christianorum genere, quod piam, & puram sequitur sententiam, id non agnoscere, tibi significavi. Et sane*, inquit laudatus modo Bossuettus, (*b*) *præterquamquod sententia hæc* (de regno millenario) *neque in Clemente Alexandrino, neque in S. Cypriano, neque in Origene reperitur; contra vero principia, quæ hi SS. Patres statuunt, huic systemati opponuntur, ex altera parte scimus, pugnasse Cajum, S. Dionysium Alexandrinum, tertii sæculi splendidissimum lumen, ut novimus ab Eusebio & a S. Hieronymo*. Legatur locus ipse Præsulis doctissimi de *resurrectione prima* in Apocalypsi nominata, memorataque a Dodvvello: ubi Protestantium errores in hac re confutantur. Cum satis nos habemus ostendisse, cum millenariorum sententia numquam Ecclesiæ, & Fidelium doctrina fuerit, tamquam causam universam, quæ moverit Christianos illos ad martyrium subeundum, afferri non

(a) §. 20. *Jam in milleni regno primam fore resurrectionem corporum crediderant primævi Christiani. Et ut justorum propriam eam crediderunt resurrectionem, ita Martyrum in ea portionem esse præcipuam*, §. 27. *Jam ut minus veræ fuissent hæ Christianorum opiniones erant certe illæ animis ad martyria incitandis longe tamen utilissimæ. Id genus enim argumenta suppeditabant, quæ pro captu vulgi essent accommodatissima. In primis non spiritualia dumtaxat præmia captum illum superantia, sed etiam sensibilia pro milleni saltem illo Christi in terris regno proponebant. Tum nec ipsa illa præmia sensibilia admodum remota &c.*

(b) *In animadversione de opinione Millenariorum* posita ad finem *explicationis cap. 20. Apocalypsis.*

non posse; tum etiam alia errata, quæ pro suæ sectæ præjudiciis in sequentibus suæ Dissertationis paragraphis Dodvvellus effutit, non habemus in animo refutare. Redeamus ergo in viam, advertamusque, quamvis omnes has memoratas causas Martyres impulisse fingamus, tamen Scriptorem hunc candide fateri, non sufficisse per se unas ad explicandam eorum Heroum fortitudinem; sed necessaria fuisse *superna auxilia*, *& Dei impulsus*, quibus Martyres supra vires suas extollerentur, & in asperrima pugna recrearentur; de quibus auxiliis, impulsibusque & erudite & docte (§. 39. *& seq.*) usque ad finem dissertationis scribit. Licet igitur ejus sententia litem dijudicare vellemus, causa Libertini caderent, argumentumque a Martyribus pro religione sumptum esset invictum dicendum.

§. VIII. Sperandum tamen non est, hos sanam sententiam amplexaturos. Quid enim, inquiet aliquis, num causas alias detexerunt præter conquisitas, expensasque, ut fortitudinem Martyrum explicarent? Scilicet: Eas sic habe; *Fanatismum*, sive *speciem quamdam furoris*, *& ebrietatis*, ex quo fit, ut in omnibus religionibus fuerint Martyres sui. Hæc est potens, universaque causa, per quam Spiritus Fortes Martyrum Christianorum fortitudinem in subeundis tot cruciatibus se explicare putant, eodemque tempore eos derident. *Imaginatio fervens* (ita unus ex iis scribit) *est Martyrii* causa: *ut veritas hæc probetur, satis est ut omnes religiones inspiciamus, quæ Martyres suos singulas habent* (a). Fateor, si ita aut impudentes, aut vecordes Libertini sunt, ut commenta hæc in publicum edere eos non pudeat, me in iis refellendis maximopere stomachari. Sed quoniam *respondendum est stulto juxta stultitiam suam, ne se sapientem existimet*, hanc quoque larvam ab iis detrahamus; quod eo libentius a nobis est agendum, quo majus momentum argumento nostro accedet. Ac primum quidem vellem, ut isti, & quidam eorum gregarii imperiti, qui clanculum identidem *hos omnium Religionum Martyres* in lucem producunt, tandem aliquando Martyrologium conscriberent, & acta authentica, gesta, confessionem, tormenta, fortitudinem, vitam demum usque ad mortem integerrimam, sanctissimamque colligerent, publicique juris facerent. Bælius qui aptus natus ad hæc scribenda erat, specimen quidem nobis dedit in Libro inscripto *Pensées diverses* (§. 182.), ubi vitam, passionemque Vaninii, quem specioso titulo *Martyris Atheismi* decorat, nobis dedit. Eum nobis describit „ sectæ ducem, & impietatem prædican„ tem, ut a sui similibus inferorum ti„ morem excuteret, quo putabat, eos „ non jure vexari. Tum eum pingit ca„ ptum, ductumque ad tribunal, impa„ vidum confiteri opiniones suas sub ocu„ lis crudelissima habentem tormenta, „ noluisse illum ne fingere quidem eas „ retractare; quo facto mortem effugis„ set, quam demum subiit, sustinuitque „ in suarum sententiarum defensionem „ Inclytus Atheismi Martyr. „ Hoc est specimen *Baliani Menologii*. Verum, ut alibi ostendemus, hæc Bælii narratio falsitatem, erroresque tantum continet. Et sane ille ipse in parte secunda suorum colloquiorum inter *Maximum*, & *Themistium* fateri coactus fuit Jaqueloto, se vera hujus facti monumenta non habuisse, Vaniniique causam diversam fuisse. Fuit siquidem impius ille scelestissimis moribus, juventutisque corruptor: Tolosæ captus ob impietatem finxit (inquit Bartholomæus Gramondus *Hist. Galliæ Lib. III. pag.* 209. oculatus testis) & in vinculis, & ante judices, se esse Catholicum, sed videns neque simulata pietate, neque palinodia facta, se posse pœnam effugere, simul ac ad mortem se damnari audiit, erupit in furorem, aspectuque truci, & horribili, animoque abjecto ad supplicium perrexit, brutique animantis instar mortem subiit. Hic fuit ille inclytus Martyr, atque hæc vera, sinceraque diligentia, qua Liberniti suorum Martyrum acta describunt. Non agebatur hic de Epochis Syro - Macedonum, neque de re in Groenlandia gesta; Vaninii ætas erat pene recens, affectusque morte in Gallia fuerat; Bælius tamen ita sinceram hi-

(a) *L'imagination échauffée est la cause du Martyre. Pour en convenir, il n'y a qu'à faire attention, qu'il n'y a point eu de Religion, qui n'ait eu ses Martyrs*, Exam. de la Relig. chap. 6. n. 3.

historiam composuit. Non dubito, si Libertini vellent suorum Martyrum acta producere, quominus hujus similia simus omnia reperturi.

§. IV. Verum ut ad id, quod instat, veniamus, non negaverim, fuisse, & posse esse homines, qui obstinati, aut furore capti errorem suum vel morte proposita defendant; neque etiam dico, effusionem sanguinis opus esse, quod insolitum Dei auxilium requirat, invictum proinde testimonium ejus veritatis, quæ sanguine confirmatur. Hoc secundo loco proposui, *ex Martyrum Christianorum morte cum iis omnibus circumstantiis in sola Dei omnipotenti gratia causam reperiri posse*; atque hinc collegi, Martyrium esse certissimum veritatis Religionis argumentum. Jam vero quæ sunt circumstantiæ illæ, quæ cum hujusmodi facto conjunguntur? Eas audiant Libertini, considerentque, num eas inveniant in iis Martyribus cujuscumque Religionis, quos nobis objiciunt; & num omnes ab accensa phantasia originem duxerint.

Circumstantia prima est Martyrum nostrorum numerus, ultra quam credibile est, ingens, quod firmissimis argumentis jam alibi demonstravimus. Hinc harum victimarum conditio consequitur, quæ genera, ingeniaque omnia hominum, quæ in terris sunt, complectitur, hoc est non aliquos sectarum duces, quos obstinatio seducere potest; non aliquot imperitos, non quasdam mulierculas, in quibus perturbationem aliquam mentis inesse sit suspicandum. Sunt in horum numero viri, & mulieres, senes, & pueri, nobiles, plebejique, docti, indoctique, profani, & Sacerdotes, Philosophi, & milites, ab Ortu solis ad Occasum, ab Austro in Aquilonem. Omnes hi per quatuor sæcula impavidi variis quidem linguis una tamen voce eamdem fidem confitentur. Phantasiæ fervorem ita concordem in tot capitibus diversimode sentientibus singulis in terrarum Orbe numquam vidimus. Tertio loco cruciatuum, quibus affligebantur Martyres, acerbitas consideranda est. Non enim aut laqueo suffocati fuerunt, aut capite plexi momento temporis, sed ut plurimum spectabant oculis suis objectum acerrimorum tormentorum apparatum, quæ industris efferataque immanitas poterat excogitare. His tamen sese Martyres subjiciunt. Traducitur mulier imbellis, mollisque, qualis exempli gratia fuit S. Blandina per omnia pœnarum genera, quibus carnifices plures simul mortalem excruciare possunt; fustigationes consequebantur ferrei pectines, quibus caro discerpebatur, tum equuleus, inde laminæ ignitæ. Semivivus reducebatur in carcerem Martyr, per aliquot dies fame, siti confectus, aliisque modis male habitus, examinabatur, constansque in Fidei confessione repertus eadem subibat supplicia, renovabanturque illi vulnera. Huic reti inclusi pugnandum erat cum feris belluis, ille vivus excoriabatur, alius super crate ustulabatur, in ejus os liquefactum fundebatur plumbum, unus in oleum fervens conjiciebatur; iste picibus illitus vivus ardebat, & pedetentim consumebatur velut nocturna fax. Hæc supplicia infligebantur matribus infantes suos gestantibus, recentibus a partu stillantibus mammis, puellulis inter commoda, delitiasque altis, quæ nomen ipsum doloris reformidant. *Phantasiæ æstum* hæc patrantem prodigia, ut tot cruciatus leves redderet, quis potuisset Poeta effingere? Vel quæ alia Religio potuit tot gravissimosque impetus sustinere?

Ad fortitudinem constantiamque per certamen totum nostrorum Martyrum gradum facio (a). Ducti ad tribunalia, Præfectis, Proconsulibus, Imperatoribusque ipsis, quin tergiversentur, quin paveant viri, mulieres, pueri, puellæque respondent, *Christiani sumus*, *Christum stat adorare*, *vestra Numina sunt nihil*. Indicuntur illis exilia; reponuntque, Orbem totum esse sibi exilii locum, patriam suam esse Cœlum; præmia promittuntur, quæ ii ut lutum contemnunt, denuntiantur supplicia, quæ veluti ludicra derident; tem-

(a) Quidquid a nobis hic, totoque in capite dicitur de Martyribus potest legi in *actis autographis* collectis a Ruinarro, quæ sub oculos habemus, & quorum lectio satis numquam laudari potest. Possunt enim quovis Metaphysicæ volumine melius in religione confirmare lectores: immo credimus, si nostri Libertini pro Epistolis Persicis, Judaicis, Cabalisticis, operibus a S. Evremontio vellent animo æquo ea legere, fore ut non possent non erubescere suæ impietatis.

tempus deliberandi iis datur, dicuntque, se non indigere consultationibus, statuisse quid sibi sit agendum. Mortis sententia iis edicitur, unaque voce *Deo gratias* respondent. Legantur acta autographa & Proconsularia praecipue, aut ea, quae ex illis fuerunt exscripta, in quibus interrogationes judicum, responsionesque Martyrum, quibus verbis fuerunt redditae, sunt descriptae: num omnis, Graeca, Romanave antiquitas a suis Heroibus sublimiora, & animosiora sensa iis, quae expromunt non solum Justini, Cypriani que, sed Perpetuae, Afraeque, sed tot foemellae, sed tot pueri, audivit umquam? Quam bene adimpletum promissum illud Legislatoris nostri videmus. *Sed ante haec omnia injicient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in synagogas, & custodias, trahentes ad reges, & praesides, propter nomen meum; continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non praemeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere adversarii vestri* (Luc. cap. 21.). Et alibi: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim Vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* (S. Matth. cap. x.) Aestum imaginationis, erroremque fanaticum, qui ex imperitis hominibus & imbellibus in viros tam fortes, tam sapientes facerent, quis umquam, & usquam vidit, legitque?

Etiam de fortitudine, qua haec tormenta Martyres perferebant, est dicendum. Modis omnibus immanissimis ut discerperent corpus, flecterentque nostrorum Heroum animum atebantur Tyranni. At operam sumebant inanem *Tanto animi robore* (hoc unum exemplum exscriptum ex actis autographis sufficiat) *firmata est Blandina, ut tortores, qui invicem sibi succedentes a prima luce usque ad Vesperam omni tormentorum genere eam cruciaverant, resoluta nervorum compage deficerent, seque victos confessi, cum nullum tormenti genus, quod ipsi inferri posset, reliquum haberent, mirarentur adhuc illam spiritum ducere, toto corpore lacerato, atque perfosso; testarenturque, unicum tormenti genus ad illam enecandam suffecisse, nedum tot ac tanta tormenta. Verum beata illa, instar generosi cujusdam Athletae, in ipsa confessione vires, atque animum resumebat: eratque ei refectio, & quies, sensumque omnem praesentis doloris adimebat prolatio horum verborum; Christiana sum, & nihil apud nos mali geritur.* (Epist. Ecclesiar. Vien. & Lugdun. apud Euseb. Lib. v. Histor. Eccles. c. 1.) Haec confessionis vox, numquam flebilis, numquam querula audiebatur a Martyribus nostris inter supplicia. Res enimvero admiranda, inquit Lactantius, qui eam oculis videre potuit. *Latrones, & robusti corporis viri ejusmodi lacerationes perferre nequeunt; exclamant, & gemitus edunt: vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem (ut de viris taceam) pueri, & mulierculae tortores suos taciti vincunt, & exprimere illi gemitus nec ignis potest.* Instit. Lib. v. cap. 13. Hoc addamus; argumentum illustrius multo suae fortitudinis Martyres dabant exprobrantes impietatem tyrannis, imbecillitatem in cruciando carnificibus; attestantesque se cupidos majorum tormentorum in suae Fidei, Christique nominis defensionem.

Neque vero haec fortitudo perturbata erat, turbida, furiosa; at prudens, tranquilla, laetaque. Prudens, inquam, nihil enim in iis apparebat, quod non a ratione, & a divinis luminibus non proficisceretur, ut advertit Clemens Alexandrinus; qui proinde appellat hanc fortitudinem veri hominis, non puerorum, qui temere, aut imperite periculis obviam eunt. Tranquilla, inquam, laetaque, quod ex vultu ipso emicabat, quod saepe in actis legimus. Quare in actis SS. Perpetuae, & Felicitatis dicitur: *Illuxit dies victoriae illorum, & processerunt* (Martyres) *de carcere in amphiteatrum* (ubi tolerandum erat Martyrium.) *quasi in Coelum, hilares, vultu decori, si forte gaudio paventes, non timore. Sequebatur Perpetua placido vultu, & pedum incessu, ut Matrona Christi, Dei dilecta, vigorem oculorum suorum dejiciens ab omni conspectu. Item Felicitas salvam se peperisse gaudens, ut ad bestias pugnaret &c.* Passio SS. Perpet. & Felicit. n. 18. apud Ruinar. Quod etiam legimus de Martyribus Lugdunensibus, *qui laeti ad tormenta properabant, praeferentes vultu quamdam gravitatem cum laetitia permixtam.* Idem de D. Cypriano scribit Pontius, de S. Agnete Ambrosius, & vulgo, quod etiam Dodvvellus animadvertit,

tit, hæc vultus tranquilli, lætique in veris Martyribus circumstantia invenitur, longe ac in Apostatis fiebat, qui horrentes, deformesque apparebant. At undenam fortitudo hæc ita invicta, ita læta derivari poterat? Dicam facta certa, visaque, ex eo quod sæpe sensum nullum, aut saltem levissimum doloris percipiebant, ex eo quod iis vulnera curabantur, & obducebantur, ex eo quod feræ belluæ placidæ ad eorum pedes provolvebantur; aliisque modis defendebantur. Audivimus modo, S. Blandinam eas voces *Christiana sum* usurpantem, *refectionem & quietem* fuisse expertam, *sensumque omnem præsentis doloris* ei fuisse ademptum. Expavit S. Perpetua „ cum primum (*a*) „ in carcerem ingressa est, cum numquam alias eas tenebras esset experta: „ fuitque ei dies ille acerbus, at paullo „ post ita læta fuit, ut carcer Prætorium illi videretur, libentiusque ibi, „ quam alibi erat: in amphiteatro autem cum impetita fuisset a ferocissima „ vacca (*b*), ne audivit quidem, & tunc „ solum id credidit, cum in corpore, „ & in habitu vexationis quasdam notas „ cognovit. „ Plagarum curatio habetur in actis Martyrum Lugdunensium, in S. Andronico, aliisque; allevamentum pœnarum in S. Vincentio, in S. Philippo Heraclæensi, & in aliis etiam; voces e coelo auditæ a D. Polycarpo, & a D. Victore; belluarum ferarum mansuetudinem a multis visam scriptam legimus in S. Ignatii Epistolis.

Jam horum gestorum, quæ certe animos ingentes nostris addebant, & quæ sexto loco inter circumstantias Martyrii recenseo, testes erant hostes ipsi; publice enim accidebant; neque, ut Dodwellus ipse observat, illi umquam ea negarunt, immo multi ea videntes Fidem Christi amplectebantur, ut testantur eadem acta, & Lactantius (*Instit. Lib. V. c.* 13.): Alii autem eam dicebant per magiam gesta. Quæ calumnia Christo afficta, ut D. Ignatius queritur, (*c*) affigebatur ob hæc admiranda prodigia vulgo Christianis; quod, ut animadvertit eruditissimus Holstenius (*d*) ex omnibus pene actis discimus. Quod si Libertini nostri legentes, Ethnicos ad artes magicas confugisse, ut hæc explicarent, quæ suismet oculis videbant, se in cachinnos solvent, requiro, num ipsi sint digni venia, an risu, qui, cum non possint (quin in pudendum Pyrrhonismum incidant) hujusmodi facta negare, quorum ingentem habemus numerum, nobis dicunt, *causam Martyrii errorem fanaticum fuisse, fervorem capitis fuisse*: ut dicendum sit, æstum hunc effecisse, ne homines cruciatus sentirent, æstum hunc vulnera obduxisse, ex feris mansuetas reddidisse belluas?

Ex iis ergo, quæ hactenus diximus, colligimus, circumstantias, quæ conjunctæ fuerunt cum eventu Martyrum Christianorum esse I. numerum longe maximum. II. Qualitatem hominum cujusvis conditionis, & regionis. III. Acerbitatem tormentorum immanissimorum, quæ audita, & excogitata umquam fuerint; IV. Animum nostrorum, eorumque sapientiam coram tyrannis; V. Eorum fortitudinem inter cruciatus non constantem solum, sed tranquillam, lætamque. VI. His addatur tamquam circumstantia facti certissimi, & publici, mira *refectio*, dolorisque sensus ademptio, aliique modi admirandæ defensionis, qui sæpe in actis Martyrum cernebantur.

§. X. Videt, vel me tacente prudens Lector, ejurasse pudorem omnem (qui quidem in quovis controversiarum genere servandus est) quicumque, quod Libertini faciunt, audet aliarum religionum martyres præ Fidei Catholicæ Martyribus in medium proferre. Quæ similitudo

(a) *Recipimur in carcerem, & expavi quia numquam experta eram tales tenebras. O diem asperum! æstus validos turbarum beneficio* (id est ob multitudinem inclusorum) *concussuræ militum.... Tales sollicitudines multis diebus passa sum.... & statim convalui.... & factus est mihi carcer quasi prætorium, ut ibi mallem esse, quam alibi.* ib. n. 3.

(b) *Quando, inquit Perpetua, producimur ad vaccam illam nescio; & cum audisset, quod evenerat, non prius credidit, nisi quasdam notas vexationis in corpore, & habitu suo recognovisset.* ibidem num. 20.

(c) *Χριστεμπορία μαγεία.* Epist. ad Phil.

(d) *Quam calumniosam magiæ accusationem & in Christianos quoties mirum aliquid super vim humanam patrarent, frequentatam a persecutoribus cuncta fere Martyrum acta testantur.* In Not. ad Pass. SS. Perp. & Felic. §. 16.

do umquam, quæ proportio intereſſe poteſt inter aliquot ſceleſtos per vim ad patibulum tractos mercedem vitæ anteactæ ſceleſte, & agmen hoc innumerabilium Heroum illis, quas expoſuimus, quarum ne vola quidem, & veſtigium in iis impiis inveniri vere poteſt, notis inſignitorum? Quod ſi & ratione habita numeri, & prædictarum circumſtantiarum nulla comparatio fieri poteſt inter Martyres noſtros, & eos juſte morte multatos, qui nobis objiciuntur, quis non videt, longe diverſam fuiſſe cauſam, quæ Martyres noſtros ad patiendum impulerit ab illa, quæ effecit, ut hi paterentur? Quis non intelligit, ſi *fervens imaginatio* potuit ad mortis ſupplicium auctorem ſectæ perducere, furorem unum poſſe efficere, ut quis putet, eamdem cauſam ſufficere ad explicandum Chriſtianorum martyrium iis circumſtantiis circumſeptum, quas ex monumentis certiſſimis demonſtravimus?

Si igitur cauſa iſthæc, vel verius figmentum iſtud nullo modo explicare poteſt (Provocamus autem hic omnes impios noſtræ, veuturæque ætatis, ut aliqua veroſimili umbra opus ſuſcipiant) factum hoc humanis viribus majus: ſi præterea ex humanis aliis cauſis a Dodvvello propoſitis, & a nobis examinatis (licet earum aliquæ potuerint aliquid efficere) nulla per ſe, nec omnes ſimul ſumptæ poſſunt probabilem *hujus Martyrum eventus cum ſuis circumſtantiis* rationem reddere; ex neceſſaria conſequutione ad principium illud, quod ſolum poteſt eum explicare, eſt confugiendum. Principium hoc non eſt niſi omnipotens Dei gratia, quæ interioribus validiſſimis luminis, affectuſque auxiliis, interdum etiam exteriori ope refectionis, defenſioniſque opera manuum ſuarum in arduo certamine ſuſtinebat, & ad illud animi, victoriæque perducebat faſtigium, quo humana debilitas numquam per ſe pervenit. Gratiam hanc videlicet ſumma humilitate, ſummis precibus & ante pugnam, & in pugna ipſa a Deo Martyres requirebant, ut novimus ex actis; illi confidebant, illi acceptum animum referebant. Quare hæc de S. Felicitate (ut alia prætermittam exempla) ſcripta legimus: *Cum pro naturali difficultate octavi menſis in partu laborans doleret, ait illi quidam ex miniſtris cataractariorum; quæ ſic modo doles, quid facies objecta beſtiis, quas contempſiſti, cum ſacrificare noluiſti? Et illa reſpondit: modo patior quod patior, illic autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia & ego pro illo paſſura ſum.* Paſs. SS. Perp. & Felicit. n. 15. Hanc demum omnipotentem Dei gratiam ſuos Athletas recreantem agnoſcebant, fatebanturque Ethnici ipſi, qui per hanc præcipue cauſam Fidem amplectebantur; ut *Sanguis martyrum ideo Chriſtianorum ſemen diceretur. Nam*, inquit Lactantius *Inſtit. Lib. V. cap.* 13. *cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, exiſtimat id, quod res eſt, nec conſenſum tam multorum, nec perſeverantiam morientium vanam eſſe, nec ipſam patientiam ſine Deo cruciatus tantos poſſe tolerare.*

Quod ſi Deus ipſe gratia ſua fons Martyrum fortitudinis primus fuit, qui teſtimonium perhibebant de Chriſtiana Religione, neceſſaria conſequutione dicendum eſt, Religionis hujus Deum ipſum auctorem eſſe; qui cum non poſſit eſſe auctor niſi Religionis veræ, idcirco Martyrum teſtimonium divinitatem, & veritatem Religionis Chriſtianæ comprobat, quod nos demonſtrandum propoſueramus.

§. XI. Hic tamen argumentum ex reconditis Theologiæ fontibus deductum, quod Libertinus noſter contra eamdem conſequutionem profert magiſtrali ſupercilio, tacitus præterire nullo modo poſſum. *Patres Eccleſiæ dicunt, eſſe cauſam, non ſupplicium, quod faciat Martyres.* Cauſa Martyrem facit, non pœna. *Cum concluditur R. C. eſſe veram, quia habuit Martyres, ſumitur id, quod eſt in quæſtione* (a). At ex iis quæ dicimus argumentum per ſe corruit. Hic enim ab homine, qui mortem ſubit, ad Martyrum Chriſtianorum omnium ſuis cum circumſtantiis martyrium

(a) *Les Peres de l'Egliſe diſoient, que c'étoit la cauſe & non le ſupplice, qui faiſoit le Martyr; & c'eſt un axiome de Religion, que* cauſa martyrem facit, non pœna. *Ainſi quand on conclud que la C. R. eſt veritable, parcequ'elle a eu des Martyrs, on ſuppoſe ce qui eſt en queſtion.* Exam. de la Relig. chap. 6. n. 4.

rium fit transitus. Miserum enimvero sophisma! casus primus a principiis humanis, & etiam malis oriri potest; secundus a sola Dei omnipotentia potest produci. Id jam demonstravimus. Patres ergo loquuntur de primo, & in eo *causa* est nota, ex qua Martyr cognoscitur; nos loquuti sumus de secundo, asserimusque, agmen hujusmodi Martyrum iis decoribus ornatum evidens esse argumentum, per quod veritas causæ cognoscatur. Neque hic ponitur id quod est in quæstione. Veritas Christianæ Religionis non pendet a Martyrum testimonio, erat verax antequam ipsi in lucem ederentur; immo quia erat ejusmodi, eam illi sunt amplexati, & sanguine suo confirmarunt: at sanguis hic in ejus defensionem a tot Martyrum millibus effusus iis circumstantiis, quas explicavimus, est aliud argumentum, est alia evidens ejusdem veritatis demonstratio. Religio ergo facit Martyrem, & Martyres Religionem confirmant. Reciprocæ sunt hæ duæ causæ, quæ diverso in genere & illustrantur, & probantur. Quicumque in scientiis, & in ratiocinandi arte, in qua Libertini non videntur excellere, non est prorsus hospes, & peregrinus, plura hujus similia habet exempla. At Adversarius rursus urget, & in nos telum hoc formidandum immittit (a). *Tantum abest, ut martyres sint veræ religionis argumentum, ut etiam falsitatis fuerint testes.* Actum, conclamatumque de nobis est, nisi ictum evitamus. *Est enim* (ita dicere pergit) *injurium Deo dicere, ultimo supplicio afficiendos eum relinquere illos, qui credunt id quod ille revelavit.* Argumentum mirum; infelix tamen; quia eo quod nimis probat, nihil probat. Et sane si est injurium Deo dicere, eum relinquere ultimo supplicio afficiendos illos, qui res, quas revelavit, credunt, erit æque injurium dicere, illum prodere homines afficiendos incommodis, laboribus, suppliciis eos, qui præcepta Fidei adimplent. Jam nihil in orbe antiquius miseriis bonorum fuit, prosperaque malorum impotentia. Si ergo Deus non debet dici auctor revelatæ Religionis, quia eam credentes occiduntur, neque auctor erit Religionis naturalis, quia ejus cultores sunt miseri: si id autem a Deo sustollimus, quid erit de ejus providentia? Si vero hæc de Deo negetur, quid erit de Deo? Adeo verum est, Libertinos ratiocinandi arte non excellere.

Permissio mali est oppositio, quæ fit ab Atheis, & Deistis Christianis, æque ac Naturalistis, cujusmodi se esse ostendit in suo libercolo Auctor, quem impugnamus. Hujusmodi argumentum alibi fuse solvitur. Hic extra chorum nobis objicitur, tamquam peculiare contra Religionem Revelatam, cum objici possit etiam Naturali; & contra hanc si pugnat, est nullius ponderis, ut est contra illam. Tractaturi tamen de hac re alibi, dicimus hic obiter, non injuriam, sed maxime Deo gloriosam Martyrum mortem fuisse. Tunc enim magnopere illuxit vis omnipotens gratiæ suæ, per quam infirmi homines Tyrannorum potentiam superarunt. Religio ab orbe toto male habita impugnataque totius orbis domina evasit. In interfectos gloria redundavit infinita, merces nempe ita pugnantibus præparata; in seramque posteritatem summa utilitas; habent enim omnes in pugnis suis, suisque victoriis argumentum revelatarum veritatum invictum, telumque validissimum, quo refellant, debellentque Incredulos, qui illas audent impugnare. Itaque libenti animo audiat hic lector, quomodo huic rationi, quam Ethnici in Christianos afferebant, in suo *Octavio* præclarus Minutius Felix respondeat, cujus verbis argumento Martyrum hactenus pertractato egregie finem imponemus. *Fortitudo enim in infirmitatibus roboratur, & calamitas sæpius disciplina virtutis est; viresque denique & mentis, & corporis sine laboris exercitatione torpescunt. Omnes adeo vestri viri fortes, quos in exemplum prædicatis, ærumnis suis inclyti floruerunt. Itaque & nobis Deus nec non potest subvenire, nec despicit: cum sit & omnium rector, & ama-*

(a) *Bien loin, que les Martyrs soient une preuve de la veritable Religion; au contraire ils sont autant des têmoins de la fausseté: car il est injurieux à Dieu de dire, qu' il livre au dernier supplice ceux, qui croyent à ce qu' il a revelé.* Ibid. n. 5.

& amator suorum. Sed in adversis unumquemque explorat, & examinat: ingenium singulorum periculis pensitat: usque ad extremam mortem voluntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. Itaque, ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur.... Quam pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore congreditur, cum adversus minas, & supplicia, & tormenta componitur? Cum strepitum mortis, & horrorem Carnificis irridet, insultat? Cum libertatem suam adversus reges, & principes erigit?... At enim Dei miles nec in dolore deseritur, nec morte finitur. Sic Christianus miser videri potest, non potest inveniri. Vos ipsi calamitosos viros fertis ad cælum. Mutium Scævolam, qui cum errasset in Regem, periisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset. Et quot ex nostris non tam dexteram solum, sed totum corpus uri, cremari sine ullis ejulatibus pertulerunt, cum dimitti præsertim haberent in sua potestate? Viros cum Mutio, vel cum Aquilio, aut Regulo comparo? Pueri, & mulierculæ nostræ cruces, & tormenta, feras, & omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, o miseri, neminem esse, qui aut sine ratione velit pœnam subire, aut tormenta sine Deo possit sustinere. Minut. in Octav. cap. 36. & 37. Edit. Lugd. Bat. 1652.



CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Quinta nota Doctrinæ Christianæ.

Miracula.

I. *Ex hactenus dictis deducitur, Miraculorum notam Doctrinæ Christianæ convenire: ejusque divinitatem evidenter demonstrare.*

II. *Argumentum solutum. Christi Resurrectio miraculum, quod est nostræ Religionis fundamentum.*

III. *VVoolstonis sophismata contra Christi Resurrectionem. Quædam animadvertuntur de hoc Impio.*

IV. *Apostolorum testimonium argumentum certum Resurrectionis Christi. Non potuerunt alios fallere emolumento moti.*

V. *Neque seipsos decipere per quemdam fanaticum errorem.*

VI. *Cur Christus post Resurrectionem non apparuerit Synagogæ principibus.*

VII. *Apostolorum, primorumque Fidelium miracula.*

VIII. *Argumentum Spinosæ contra miracula confutatum a D. Thoma.*

IX. *Systema Abbatis Outtevillis de miraculis examinatum.*

X. *Belii animadversio de mala Spinosistarum fide. VVoolstonis paradoxum, qui sensu allegorico explicat Historiam Evangelicam miraculorum. Ejusdem confutatio.*

XI. *Proponitur quæstio de potestate Dæmonum; solviturque; argumentum hinc deductum pro Christiana Religione ostenditur invictum.*

§. I. Licebit per benignum Lectorem mihi ad argumentum descendere methodo restricta, qua scholæ utuntur. Ita ergo dico.

Si Deus in confirmationem Christianæ Doctrinæ miracula patravit, hæc doctrina procul dubio vera est, ac divina: Atqui Deus pro hac doctrina miracula patravit; ergo Christiana doctrina procul dubio vera est, ac divina.

Propositio est ita evidens, ut evidens est, Deum mentiri non posse, neque proponere, aut confirmare mendacium. Assumptio, in qua adversarii cavillari possunt, duplici ex parte impeti potest; vel negando *factum*, hoc est miracula es-

se unquam facta in confirmationem Christianæ doctrinæ; vel examinando *jus*, hoc est dicendo, etiamsi miracula hæc sint gesta, veritatem tamen ea non demonstrare, cum perpetrari potuerint a Dæmone; sicut sane omnes aliæ religiones plurima miracula ostentant, quæ tamen nihil iis favent, cum Deus ea non fecerit, sed Dæmon. His insistunt viis recentes Libertini, ut argumentum non minus splendidum, quam validum a miraculis pro Religione desumptum labefactent. Cum igitur demonstravero 1. in confirmationem hujus Doctrinæ gesta prodigia fuisse; 2. hæc prodigia Deum edidisse, non Dæmonem, causa Religioni erit adjudicanda. Nonne ita est? Jam hoc dico, ex iis, quæ hactenus diximus, eas duas propositiones non quoquumque modo, sed perspicue, & evidenter, quantum materia patitur, nos probavisse. En modum. Citissima, & latissima Evangelii propagatio est *factum* certissimum, neque ab Impiis negatur; tamen ostendimus (*Cap. IV.*) *hanc propagationem fieri non potuisse, quamvis omnes modi humani, qui concipi etiam possunt, fuissent adhibiti*. Prædicatio Apostolorum, testimonium Martyrum *factum* est, quod adversarii ipsi fatentur; tamen *viribus omnibus humanis, causisque perpensis*, ostendimus (*Cap. XV.*), *factum cum omnibus adjunctis per vires causasque humanas fieri nullo pacto unquam potuisse*. Ergo ut hæc duo *facta* fierent, adhibiti fuerunt modi viribus omnibus naturæ superiores, ac proinde miracula sunt patrata. Ita, inquit Libertinus, tamen quæ miracula? similia iis Apollonii, & Æsculapii, proficiscentia quidem a vi majore viribus hominis, nempe a Dæmone, non a Deo. At interrogo, qualem isti imaginantur sibi esse Dæmonem? certe principium malum, infensum æque homini, ac Deo; ideoque errorem suadet, & iniquitatem, ut illi pariat infortunia, huic injurias. Atqui ostendimus supra, doctrinam Christianam in suis theoriis convenire cum veritatibus religionis naturalis purissimis, suis in legibus esse sanctissimam, prædicatam errorem profligasse, & peccatum; sanctificasse homines & a cultu idololatrico eos absterruisse, & convertisse ad Deum, ejusque amorem; ex quo emolumenta summa redundasse in homines, & in Deum gloriam maximam; ergo Dæmonis vi hæc doctrina disseminata non fuit; ergo miracula pro Christiana Religione Deus operatus est, non Dæmon. Ex illis ergo, quæ diximus, demonstratur, pro Christiana Religione facta fuisse miracula; & hæc non aliunde proficisci quam a Deo.

Induco animum, ut credam, fore ut Lector qui robur eorum sentit, quæ supra diximus dilucide, probavimusque perspicue, hujus demonstrationis vim, cui nonnisi ineptias, commentaque Libertini objicere possunt, non quidquam solidi opponere, possit cognoscere.

§. II. Quod si fortasse quispiam reponeret, probari quidem *propagatione Fidei, & Apostolorum, Martyrumque testimoniis* peculiarem Dei concursum ad hæc opera duo, at externa miracula non probari; primum quidem respondeo, divinum hunc concursum, quocumque modo fuerit, efficere, ut causam, quam ago, vincam, cum non possit non esse vera illa Religio, quam Deus concursu suo peculiari propagatam voluit; deinde respondeo, si externa miracula non fuerunt ostensa, & effectum tamen est, ut innumerabiles homines cujusque conditionis, regionisque amplecterentur, & sanguine ipso Religionem ita asperam non eloquentia permoti, non miraculis defenderent; hoc esse opus miraculorum omnium maximum; ex eo enim omnipotentem vim agnoscimus, non quæ dividat aquas, aut feras belluas mites reddat; sed quæ humanos intellectus flectit, ut occultis, quæque concipi nequeunt, veritatibus assentiantur; quæ humanas voluntates movet, ut leges durissimas amplectantur, quin modum ullum exteriorem adhibeat pro consueto rerum ordine, ut illos convincat, has permoveat. Sententia hæc verissima est D. Thomæ, cujus verba referimus: *Hæc autem tam admirabilis mundi conversio ad Fidem Christianam indicium certissimum est præteritorum signorum, ut ea ulterius iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant evidenter. Esset autem omnibus signis admirabilius, si ad credendum tam ardua, & ad operandum tam difficilia, & ad sperandum tam alta mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus, & ignobilibus hominibus*. Lib. I. cont. Gent. cap. 6. Tertio respondeo, in duobus factis prædictis,

ctis, hoc est in Apostolorum testimoniis, & in orbis conversione involvi, immo esse totius molis fundamentum, verum, & admirabile prodigium, nempe Jesu Christi Resurrectionem, sine qua (ut demonstravimus supra) hæc duo facta numquam evenissent; & qua credita, argumentum, quod inquirimus, elucet, hoc est, miracula a Deo in Christianæ Religionis confirmationem facta, atque hinc ejus certissima divinitas. Vim harum consequutionum Impii intelligunt, ac proinde hic magis infremunt, & in hoc miraculum præcipuum, & singulare nostræ Fidei, quod unum ad eos convincendos sufficit, sophismata omnia expediunt. Ad eorum tamen vota minus prospere; ex iis enim, quæ demonstravimus, eorum causa laborat. Si Christus non resurrexit, Apostolorum prædicatio, conversioque Orbis fieri non poterant. Hæc duo facta sunt vera, & certissima, & negari non possunt; ergo Christus resurrexit, Religioque triumphat. Contra stimulum hunc non recalcitratur: vis[illegible] eorum argumenta audiamus.

§. III. Thomas VVoolstonus Minister Anglus est ille, qui post Spinosam per summam impudentiam cum omnia miracula, tum Christi gloriosam Resurrectionem ausus est oppugnare. Hanc invadit suorum sermonum VI. arbitraturque (a) testimonium Apostolorum hujus eventus nihil valere; omnia fraudulenter conficta fuisse; Discipulos, signis sepulcri effractis, rapuisse Christi cadaver; tum in vulgus eos disseminasse, Christum resurrexisse. Et sane, requiro (inquit Impius celebre illud Spinosæ (b), aliorumque Libertinorum argumentum afferens) nisi res ita evenit, sed Christus vere resurrexit, cur Sacerdotibus, & senioribus populi non apparuit? Si hæc Resurrectio debebat esse argumentum præcipuum Salvatoris missionis, necesse erat, ut evidenter manifestaretur, ut revocari in dubium non posset. Cur ergo nonnisi quibusdam amicis, qui seipsos *testes a Deo præordinatos* appellant, innotuit? Ita VVoolston, qui deinde aliud argumentum afferens ita concludit: „ Quis scit (uno „ verbo) testes Resurrectionis Christi „ num decepti fuerint per fanaticum er„ rorem, num alios utilitate moti de„ ceperint? Quod sine dubio est conclu„ dendum, hoc est, eos alterutrum ho„ rum fecisse. „

Huc usque impudentia, cum semel Religionis repagula perfregit, progredi potest. Et sane Anglia tota, publici juris Libro hoc facto, infremuit. Quamquam non erat res tanta admiratione digna; in eo enim solo non est insolens, hos enasci fructus. Hic narratur, (liceat mihi paullisper ab itinere divertere) cum VVoolston quo tempore affictabatur VVisthonem, qui non minus suis deliramentis erat insignis, convenisset, vix hic eum vidit, cum e scalæ fastigio ira tumens illi indixit, ut illico inde abiret; ejus conspectu tantum se commoveri (c). Et VVoolston miratus, se ita excipi (familiaritas enim magna inter eos intercedebat) eum interrogavit, numquid eum offendisset, quo mereretur ita haberi? *Sermonibus tuis de miraculis*, inquit iratus VVisthon; *at*, ille respondit, *ratio hæc non convenit cum venia illa, quam semper scriptis tuis propugnas, qua tantopere indiges, ut tibi detur*; cui nihil aliud respondit VVisthon, *nisi eum multo longius, quam putasset, fuisse progressum*; atque ita illum dimisit. Credo, idem a VVoolstone Episcopo Londinensi, totique Anglicano clero, omnibusque Protestantibus responderi potuisse; neque illos pro syste-

(a) Primus horum sermonum editus fuit (ut legimus in Fabricio *Salut. Lux Evangelica cap. 9.*) an. 17 7. cum hoc titulo, *sermo de miraculis Salvatoris nost i relatus ad disputationem, qua nunc controvertitur inter Incre ulos, & Apostatas*. Constat, Magistratum Angliæ processisse contra auctorem, & a *magistratu Abaci Regii* an. 1729. illum declaratum fuisse reum impietatis, & blasphemiæ, multatumque cratum (alii dicunt viginti quinque) *libris Sterlingis* pro unoquoque sermone, & in carcerem per annum detrusum, & ut daret *duas mille libras Sterlingas* in cautionem. Cum tamen non posset ille solvere hanc multam, neque vadem reperire, mortuus est in vinculis an. natus 63. Vid. P. *Niceronem Memoir. des hommes illust. Tom. 40.* ubi habetur Catalogus operum in hunc impium scriptorum.

(b) *Jesus-Christ n'ayant apparu ni au Senat, ni au Pilate, ni à aucun des infideles, mais aux Saints seuls, il s'ensuit de-là, que sa Resurrection doit etre expliquèe dans un sens spirituel, & qui est à la portèe des fideles.* Spinos. Epit. 23.

(c) Vid. P. Niceronem loc. cit.

stemate suo nihil aliud potuisse reponere, nisi demissa voce, se numquam putasse, rem eo progressuram. Næ valde desipiunt. Ripis enim disjectis, stulte putatur, flumen posse cursum suum retinere, & non esse subjecta arva repleturum aquis. Inter *Catholicam Religionem*, *& impietatem*, pulchre ajebat Cameracensis Archiepiscopus Fenelonus, *ratio non interjacet*. Id ratio ipsa suadet, & quotidiana experientia confirmat. At de hoc argumento dicemus etiam alibi. Nunc e diverticulo redeamus in viam, & Angli Libertini insanam opinionem de Resurrectione refellamus.

§. IV. Eventum hoc nos scire, ait, a discipulis, & amicis Jesu Christi ita testantibus. Ita sane, ego respondeo, defendoque, cum jam superius id ostenderim, hoc testimonium cum circumstantiis, & consequutionibus omnibus superare vim omnium testimoniorum, quæ alicujus eventi in historiis humanis habemus; ita ut nullum exemplum aliud hujusmodi habeamus; ac proinde quicumque aut *Pyrrhonicus* non est, aut *demens*, quod est unum idemque, debet fateri, ex hoc testimonio eam deduci evidentiam, quæ de aliquo facto haberi potest. At illi ipsi, ait VVolston, sepulcri signa fregerunt, corpusque e sepulcro abstulerunt. Enimvero nonnisi Spiritus Fortis potest in eam opinionem ire, ut dicat, aliquot piscatores nullius nominis, abjectos, & pavidos ita, ut, cum viderunt Magistrum suum captivum factum, omnes aufugerint, postquam sciverunt, Sycophantam illum crucifixum, & mortuum fuisse, animos sumpsisse, ut per legionem Romanam irrepentes signa præsidis confringerent, lapidem, qui erat ad ostium monumenti, sustollerent, evolutisque linteaminibus, quibus erat involutum, cadaver sublatum, quin timerent, ne vigiliæ adverterent, & ideo punirentur, secum deferrent. Vix ac aliquod deliramentum hujusmodi Critici imaginantur, non solum fieri potest, sed etiam factum est; ita ut mirari subeat, si dicere non audent, auro fuisse a Discipulis corruptas custodias, ut facilius consilium exequerentur suum. At fortasse pudet de iis hoc dicere; cum enim non habuerint nisi tritos habitus, ut fatentur nostræ Religionis adversarii, cumque essent egentes abjectique, neque modum habebant, quo custodias tam attentas, & rogatu seniorum populi vigiles corrumperent, neque certi poterant esse, vel rejecta, vel accepta oblatione, ne consilium suum manifestaretur, & perirent. Sed cominus congrediamur, illustremusque argumentum. Cur (requiro a Libertinis) debebant Apostoli tam difficile, tamque perniciosum cadaver illud auferendi discrimen adire? Aut sperabant, resurrecturum Magistrum esse, aut non sperabant; si sperabant, erat periculum hoc subire supervacaneum; si non sperabant, erat inutile. Ut igitur aggrederentur opus vel inutile, vel supervacaneum, persecutionis acerrimæ iratæ, armatæque Synagogæ, ac proinde mortis ipsius erat Apostolis periculum adeundum? Dixi, conatum futurum supervacaneum; siquidem, si sperabant, Christum resurrecturum, non erat necesse, ut ejus corpus e sepulcro auferrent, quasi vero qui poterat e mortuis resurgere, non posset per se e sepulcro exire; dixi, conatum futurum fuisse inutilem; si enim non sperabant, Christum resurrecturum, quid attinebat ejus cadaver possidere? Putabant ne, se corpus hoc mortuum in Israelis solio collocaturos, a quo ad altissimos dignitatis gradus eveherentur? alterutram igitur propositi dilemmatis partem eligamus, videtur necessario hoc ineundum consilium, ut eventus expectaretur: si enim Christus resurgebat, eorum spe sine periculo perficiebantur; si non resurgebat, eorum error sine ullo periculo dissipatus fuisset. Pars una afferebat evidens periculum, periculumque summum; quin utilitas ulla perciperetur. Errat qui putat, hominem unum ita agere; desipit, qui putat homines undecim. Nisi per summam amentiam ergo dici potest, Apostolos Redemptoris corpus fuisse furatos.

Ad hæc Libertinus non obmutescit, at pergit dicere, ideo Apostolos hoc periculum subiisse, ut & Judæis, & Orbis totius incolis Christum resuscitatum annunciarent. Sed mendicatus hic prætextus fuit a nobis capite superiore fuse dilutus, & per se corruit. Si alea plenum cadaver furandi consilium erat, finis, qui consilio hoc intendebatur, erat lethifer. Dicendumne ergo est, hoc modo, & hunc propter finem homines agere?

Cum

Cum agnovissent Discipuli ex eo quód non resurrexerat, ut sæpius promiserat, putidum eum sycophantam esse, jam nullum ab illo sibi expectandum emolumentum fore videbant; ex altera autem parte sibi carceres, sibi cruciatus, mortem, infamiamque impendere certo videbant. Et revera quid aliud expectandum erat Discipulis, nisi ut ipsi quoque sycophantæ agnoscerentur; aut etiamsi ejusmodi non essent agniti, annon sciebant, Judæos prædicationem hanc morte ipsa cohibituros? Jam omnia hæc pericula simul sumpta num poterant pellicere homines, ut discrimen tale, tantumque subirent, tum labores immensos sudoresque, quod fecisse Apostolos jam ostendimus, susciperent? Hoc est agere contra humanitatis principia intima; ut enim alibi diximus, & est axioma, *nemo propter mali cupiditatem operatur*. Hoc est agere omnino stulte, quod de Apostolis nemo dixit unquam, quodque de iis scimus nos ita cogitare vetat. Addimus etiam; ratio hæc principiorum deformitatem, contrarietatemque ejusmodi demonstrat, quæ de homine concipi nequit; cogor enim ex Libertinorum hypothesi ab iis requirere, num Apostoli, qui corpus Christi abstulerunt, eum e mortuis resurrexisse prædicaturi, fuerint ultra quam credibile est, scelestissimi, necne? Nisi erant impii hujus generis, qui commentum hoc tam impium, & omnium iniquissimum, quæ in Deum patrari possint, disseminare potuerunt? Qui illud defendere testimoniis iteratis, & immanissimis se cruciatibus mortique ipsi subjicere, certo scientes eodem tempore se a crucibus, & a rogis statim in manus judicis severissimi incursuros, qui ob has ipsas pœnas ab iis latas, latasque (quod adverte) nullam propter corpoream utilitatem in æterna supplicia eos detrusisset? Si autem impii ultra quam est credibile erant, cur Resurrectionem Christi, ut eum docerent esse Dei filium, prædicabant? cur Religionem virtutem, innocentiam jubentem, impietatique adversam prædicabant? Et ut eam tuerentur, & defenderent, cur suppliciis crudelissimis, cur letho ipsi obviam ibant? Ut igitur dicamus cum VVoolstone, & Incredulis ejus amicis, Apostolos, disruptis signis, abstulisse cadaver, ut Christum resuscitatum prædicarent, dicere oportet, eos fuisse impios, & non impios, stultos, & sanos; homines, & non homines. Judicet quicumque quidquam sapit, num hæ illationes sint rectæ, num hypothesis, ex qua deducuntur, sit ingeniosa.

§. V. Finxisse Apostolos, non asseveranter dicit Libertinus Anglus; quapropter *illusos* fuisse eos (*a*) sentit, & ita ait; *si Jesuchristi Resurrectionis testes non deceperunt lucri gratia alios, decepti per fanaticum errorem ipsi fuerunt. Alterutrum certe horum contigit*. Ut horum hominum fœcunda sunt ingenia! Si pars una rejicitur, suppetit alia; si corruit responsum hoc, aliud continuo subditur. Hoc tamen infortunio urgentur, ut malæ opinioni pejorem semper substituant. Quantum utilitatis spes potuerit Apostolos ad prædicandum Christum resuscitatum, & ad fallendos homines impellere, & nos diximus modo, & per se quicumque recte judicat, potest discernere. Num dici possit, per fanaticum errorem, aut per illusionem eos fuisse deceptos, modo sumus visuri. Dico, quoties ambigi possit num testes Resurrectionis, aut per illusionem, aut per fanaticum errorem decepti fuerint, nos moralem evidentiam alicujus facti nunquam amplius habituros: corruere simul omnes historias cum Romanas, tum Græcas recentes, & antiquas, nobisque omnibus in Pyrrhonismum prolabendum. Id probare aggrediamur. Evidentia moralis alicujus facti testimonio sensuum nititur, & hoc testimonium cum sit concors, vividum, constansque est veritatis argumentum. Quod si alicui peculiari casui adsint, hæ, illæve con-

(a) Spinosa etiam ita stulte opinabatur; quare in Epist. XXV. ad Henricum Oldemburgium ita scribit: *Cæterum Christi passionem, mortem, & sepulturam tecum litteraliter accipio, ejus autem resurrectionem allegorice. Fateor quidem, hanc etiam ab Evangelistis iis narrari circumstantiis, ut negare non possimus, ipsos Evangelistas credidisse, Christi corpus resurrexisse, & ad Cælos ascendisse, ut ad Dei dexteram sederet; & quod a fidelibus etiam potuisset videri, si una in iis locis adfuissent, in quibus ipse Christus discipulis apparuit*. Fictionis ergo accusatio etiam ab hoc impio vana putatur! Tum sequitur; *In quo tamen potuerunt decipi, ut aliis etiam Prophetis contigit*. Lugendam insaniam. Vid. textum.

conditiones, aut magis, aut minus certiores sumus, ut major, minorve est testium numerus, ut major, minorve eorum attentio, & diligentia rem contemplandi fuit, ut crebriores, vel rariores fuerunt observationes, ut unus, pluresve sensus simul concurrunt ad judicium idem pronuntiandum. Ad rem propositam veniamus, videamusque an hæc in illam conveniant. Et primum quidem quoad numerum eorum, qui Resurrectionis Christi testes fuerunt, scribit D. Paulus (1. *Corint.* 15.), *illum semel apparuisse quingentis fratribus, quorum plerique adhuc restant, & aliqui dormiunt; postea apparuisse Jacobo, postea omnibus Apostolis simul, & mihi etiam tamquam novissimo.* An jure in testimonium alicujus facti major hominum numerus requiri potest? Transeamus ad attentionem, studiumque observandi? Agebatur hic de re gravissimi momenti, respectu discipulorum: ex illa enim divinitatis Christi, notæque illius missionis argumentum vim omnem desumebat; de veritate ejus doctrinæ, & promissorum, de fundamento suæ spei, de suis laboribus suscipiendis agebatur. Præterea de opere in primis admirabili novoque, quod per se ipsum attentissimum studium excitabat, agebatur; agebatur denique de facto, de quo jam erant solliciti, quod anxie expectabant, de quo dubii erant, & ancipites. Cum ergo post expectationem talem, tantamque occasio rei veritatis penitus perquirendæ advenisset, quis umquam dubitare posset, num discipuli eum attentissime inquisierint, & speculati, perscrutatique fuerint? Nam non semel Christum viderunt; pluries viderunt, & ad libitum, & diu viderunt. Per dies quadraginta factæ fuerunt observationes hæ pluribus in locis, pluribusque modis, pluribusque sub aspectibus modo ab his, modo ab illis, interdum a paucis, interdum a pluribus, ab omnibus interdum, composueruntque facta, dictaque, certissimique facti sunt, eum esse Christum. Dicamus etiam de sensibus, qui omnes testati sunt, eum esse Christum. Visus est, auditus, tactusque. Viderunt exeuntem, & introeuntem, viderunt stantem, sedentemque, viderunt manducantem, e terra se sublevantem, & in altum ascendentem demum viderunt. Audiverunt eum ipsorum in credendo tarditatem castigantem, audiverunt eum explicantem fuse testimonia Moysis, Prophetarum, & Scripturarum ad ipsum pertinentium; audiverunt mandantem quæ facienda erant ad Evangelii promulgationem, ad institutionem, regimenque Ecclesiæ. Visus, auditusque testimoniis accedit tactus. Discipulus quidam induxit animum, ne aliis discipulis Resurrectionem Magistri narrantibus crederet; intrat Christus, ubi erant illi simul. Thomas inspectantibus cunctis intulit digitum in latus apertum, in cicatrices manuum clavis perterebratarum, sibique ipsi tunc credens fatetur, testaturque, eum Dominum, Deumque suum esse. His, similibusque aliis colloquiis discipuli cum resuscitato Christo dies quadraginta conversati; denique simul cum ipso cum in montem Olivarum ascendissent, & collocuti cum illo fuissent, eum paullatim e terra sese attollentem, petentemque cœlum aspexerunt. Omnesque, & singuli homines hi, temporibus hisce, observationibus toties repetitis, animadversionibus tantopere intentis, perceptionibus ita claris, constantibusque omnes, inquam, semperque sunt decepti, omnes semperque somniarunt, omnes fanatici fuerunt, illusique omnes? Si ita se res habet, patet aditus ingens ad Pyrrhonismum & Historiarum, & factorum omnium, omnibus consiliis adimitur securitas, commercium, humanumque genus in perturbatione, chaosque jacet. Distinguit per se Lector nostrarum illationum ordinem rectissimum, VVoolstonisque sententiæ deformissimam perversitatem, quin latius vager ad eam ostendendam. Concludamus ergo, ut ex dictis consequitur, Apostolos de Resurrectione Christi *neque decepisse alios utilitatis gratia*, *neque se deceptos ex fanatico errore*. Apostolorum igitur prædicatio Christi Resurrectionem comprobat, demonstratque. Probat ergo miraculum, quod, cum a solo Deo fieri possit, Religionem Christianam firmissimam efficit. Quod si ad Apostolorum testimonium Orbis conversio, hoc est Fides a gentibus eorum verbis de hac Resurrectione habita, licet Fides hæc afferret maximam difficultatem, consequutionesque asperrimas, accedat, addaturque Martyrum Christianorum eventum explicatis circumstantiis circumseptum, & Resur-

surrectione Christi tamquam super fundamentum erectum, ad evidentiæ gradum ejusmodi miraculum hoc evectum videmus, ut æque evidens exemplum nullum aliud fas sit reperire.

§. VI. Bene habet. At num argumentum (inquiet quispiam) VVoolstonis, Libertinorumque ostentatum adeo, hoc est, cur Christus vix ac resurrexit, Sacerdotibus, senioribusque populi se non ostenderit & eorum impietatem coarguerit, notumque iis fecerit admirando hoc prodigio suæ personæ mysterium, relinquemus intactum? Respondeo, id eum non fecisse, quia noluit. Tamen cur noluit, interrogat Incredulus? Quia causas habuit *sufficientes, prævalentesque*, ne vellet. At quæ umquam hæ causæ fuerunt? Dicam ingenue, me illas ignorare. Ergo, concludit Libertinus, Christus non surrexit. Num magis distorta, magisque inepta potest esse illatio? Quæ ars critica est umquam hæc, quæ factum, confirmatum solidissimis argumentis invicte ea sola de causa negat, quia circumstantia una, quæ illud consequitur, nescitur? Si ostendere possent Impii, Deum sapientissimum, & infinitum, rerum omnium moderatorem summum in suorum consiliorum thesauris numquam hujus rei habere causam potuisse, esset aliqua ex parte ferendum; verum quis consiliator ejus fuit, ut potuerit omnia ejus consilia comprehendere, certosque nos facere, esse in eo hujusmodi causam, & causam illo dignam non potuisse? Ejus Resurrectio est certa; certum quoque est, neque Sacerdotibus, neque Pontificibus Christum se agnoscendum præbuisse; ergo in illo fuisse causas, dignasque illo, cur id faceret, non est dubitandum. Ut contendam, has causas fuisse, satis est, scire ita rem contigisse, Deumque ita egisse. Ego tamen eas ignoro, sicut infinita alia illius æterni Entis consilia me latent. Sed cum hujusmodi ignorantia numquam in causa est, cur de rebus, factisque, quæ certo cognoscimus, dubitemus, tum aut pervicax contumacia aut summa vesania efficere potest, ut ex eo quod cur Christus resurgens quibusdam apparuerit, quibusdam se non manifestarit, causam nescio, de ejus Resurrectione dubitem. Possem tamen, ut Libertinis aliquid indulgerem, dicere Christum Principibus Synagogæ se non ostendisse, quia injustissimo execrabilique Deicidio gratia hujusmodi se indignos reddiderant, & proinde fuisse hoc justissimum supplicium, quo omnium delictorum maximum punitum fuit. Dicere possem, etiamsi iis Christus apparuisset, eos tamen futuros fuisse adeo contumaces, obstinatosque, ut sicut alia dilucida argumenta, quibus divinitatem suam iis manifestarat, noluerunt respicere, ne illum agnoscerent; ita tunc post Resurrectionem eos simulaturos fuisse, & nisi negaturi omnino fuissent, saltem miraculum illud præstigium aliquod dicturos. Reor equidem hoc responsum eo modo, quo Christus ipse in Epulonis parabola utitur, me posse illustrare. Orabat sceleftus hic Abrahamum, ut Lazarum resuscitatum ad quinque fratres suos superstites mitteret, *ut eos moneret, ne in eum locum tormentorum venirent*. Abrahamus ei respondit: *habent Moysem, & Prophetas, eos audiant*; Tum ille: *nequaquam Pater Abraham; sed si aliquis ex mortuis ad eos mittetur, audient*: (hoc est illud quod Libertini etiam vellent; at quid ait Sacer textus?). Abrahamus autem illi: *Si non audiunt Moysem & Prophetas, neque si aliquis ex mortuis resurgat, credent*. (*Lucæ cap. XVI.*) Veritatem, roburque hujus responsi perpendet Lector, & quam apte rei, de qua agimus, conveniat, obstruatque tumentium Libertinorum ora, intelliget. Quamquam egebatne Christus gregis ingratæ, corporeæque gentis emendatione, & fide? Jam prævidebat tot hominum millia omnibus in Orbis regionibus Religionem suam amplectentium, seque adorantium. Hæc, & multo etiam plura dicere Libertinis possem, ut injustis eorum postulatis indulgerem. Satis tamen habebo, si dixero, etiamsi Christus a mortuis excitatus toti Hierosolymitanæ civitati apparuisset, etiamsi omnes Judæi conversi hujus eventus memoriam monumentis litterarum consignatam nobis tradidissent, qui ausus est, quod fecit VVoolston, ejusque gregarii, argumentis, quæ de Christi Resurrectione afferuntur, contradicere, eum tum etiam figmenta, deliriaque turpissima inventurum fuisse, ita ut hujus testimonii auctoritatis accessio Apostolorum testimoniis facta nihil aliud esset effectura, quam ut eorum sermonis insania, eorumque per-

pervicaciæ magnitudo magis magisque appareret.

§. II. Christi Resurrectione ita constituta, probataque, Christianam Religionem evidentissima nota, qualis est miraculorum, argumentorum Dei testimonii visibilium, fontisque veritatis essentialis nota, confirmatam videmus. Miracula dico: Christi enim Resurrectio est prodigium ejusmodi, quod & alia, quæ vivens admiranda per se cæteroquin satis perspicua patravit, & prodigia omnia, quæ subsequentibus sæculis in ejus nomine præcones sui fecerunt, nova evidentia illustrat. Si Christus qui se Dei Filium prædicabat, resurrexit, erat ergo is, quem se dicebat: omnipotens igitur, naturæque supremus Dominus. Quid mirum ergo, si ad libitum, nutuque consuetum ejus cursum remorabatur, & leges a se sancitas, & cujusvis agentis vim prætergrediens cæcis visum restituebat, ægrotos sanabat, imperabat aquis, ejiciebat dæmonia, mortuos ad vitam revocabat? Quid mirum, si superno spiritu duodecim ineptos piscatores perfundens suos Evangelii Apostolos fecit, omnibus linguis ornavit, facultatem miracula cujuscumque generis edendi iis est impertitus, Orbisque conversionis ad Fidem ministros constituit? Hæc porro prodigia non in tenebris, non in latebris, sed in urbibus frequentissimis, in meridiana luce patrata fuisse scimus. Patrata fuerunt; non enim gentes Religionem imperscrutabilia dogmata, & præcepta asperrima proponentem, cujus cultum horrenda consequebantur, aliquot imperitorum abjectorumque hominum verbis unis motæ fuissent amplexatæ, nisi miraculis, eam divinam esse, illi confirmassent. Patrata fuerunt. Gentes siquidem Apostolos, qui hanc facultatem a Præceptore suo se habere dicebant, irrisissent, nisi re ipsa demonstrassent. Patrata sunt; neque solum Gentes acceperunt ex miraculis ab Apostolis factis plurima beneficia, sed per Christi Fidem, impositione Apostolorum manuum facultatem ejusmodi prodigia agendi consequebantur; prædicabaturque ubique, Christum dixisse: *Signa* (*Marci* 16.) *autem eos, qui crediderint, hæc sequentur; in nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Qui negaret hæc promissa fuisse adimpleta, idem faceret, ac si conversionem gentium ad Christianam Religionem negaret; si enim hæc miracula illæ non vidissent, Apostolos ut sycophantas expulissent, qui sui Magistri nomine illa pollicebantur. Nam nimis stulte erraret, qui diceret Apostolos fuisse deceptos, & credidisse, exteris linguis loqui, & patrare miracula, cum neque eas linguas loquerentur, nec miracula peragerent. Incredibilius etiam multo est dicere, omnes gentes conversas simul cum Apostolis conspirasse, ut cæteras nationes, omnesque posteros fallerent, simulasse credere se hujusmodi fictionem, pro qua innumera incommoda, mortemque ipsam perferrent. Fuerunt ergo a Christi Discipulis, & a primis Fidelibus hæc miracula effecta. Hoc elata voce, quin timerent, ne refellerentur, hostibus Christianæ Fidei Apologistæ nostri objiciebant. Præclarum fragmentum Orationis pro Christiana Religione Imperatori Hadriano a Quadrato oblatæ, de qua locuti sumus alibi, Eusebius in sua Historia nobis conservavit, ita ille ajebat: (*a*) *Opera autem Servatoris nostri erant semper manifesta, utpote quæ erant vera respectu eorum, qui aut liberabantur a morbis, aut a morte revocabantur ad vitam. Qui non solum visi fuerunt ab omnibus tum, cum fuerant sanati, aut ad vitam revocati, sed etiam post. Neque solum donec Salvator noster in terris vixit, sed etiam post ejus discessum fuerunt superstites; ita ut ex iis quidam ad hæc usque tempora nostra pervenerint*. Tertullianus in celebri suo Apologetico (*cap.* 23.) *edatur*, inquit Ethnicos alloquens, *hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem Dæmone agi constet. Jussus a quolibet Christiano loqui Spiritus ille tam se Dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Æque producatur aliquis ex his qui aris inhalantes numen*

(a) Τοῦ δὲ σωτῆρος ἡμῶν τὰ ἔργα ἀεὶ παρῆν· ἀληθῆ γὰρ ἦν· οἱ θεραπευθέντες, οἱ ἀναστάντες ἐκ νεκρῶν, οἳ οὐκ ὤφθησαν μόνον θεραπευόμενοι, καὶ ἀνιστάμενοι ἀλλὰ καὶ ἀεὶ παρόντες· οὐδὲ ἐπιδημοῦντος μόνον τοῦ σωτῆρος, ἀλλὰ καὶ ἀπαλλαγέντος, ἦσαν ἐπὶ χρόνον ἱκανόν. ὥστε καὶ εἰς τοὺς ἡμετέρους χρόνους τινὲς αὐτῶν ἀφίκοντο. *Hist. Eccles. Lib. IV. cap.* 3.

eum de nidore concipiunt . . . qui anhelando profantur. Ista ipsa Virgo cœlestis (Juno Carthaginensis) *pluviarum pollicitatrix: iste ipse Æsculapius medicinarum demonstrator . . . nisi se Dæmones confessi fuerint, Cristiano mentiri non audentes* (a quo ad respondendum coguntur) *ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem effundite*. Quid aliud, nisi rei veritas, & evidentia potest tantum animi facere homini, qui prorsus amens non sit ut hæc dicat? Haud dissimilia & de potestate Dæmonibus imperandi, & de virtute expellendi morbos legimus in ejusdem Afri Apologistæ libro ad Scapulam (a). Haud dissimilia in Arnobio (*Lib. I. adverſ. Gent.*); in D. Cypriano (*ad Demetriadem*); & in S. Irenæo (*Lib. II. cap.* 31.), & aliis Scriptoribus primorum sæculorum, qui de potestate miraculorum in Christi Ecclesia ut de re solemni, & publica, quæ nequeat refelli a quoquam, loquuntur. Quid plura? Gentiles ipsi eam agnoscebant, & fatebantur; si loquamur de iis miraculis potissimum, quæ in pugnis Martyrum fiebant, ut alibi diximus; neque aliud quicquam, ut eorum luci tenebras offunderent, respondebant, nisi, quod de Christo perfidi Judæi dicebant, arte magica ea patrari. Quam calumniam & breviter supra retudimus, confutabiturque fusius, cum alias insanias, quas huc argumento a miraculis desumpto objiciunt Libertini, dissipaverimus.

§. VIII. Opinatur Spinosa impetu uno omnia miracula prosternere, si dicat, ea fieri non posse (*Tract. Theolog. Polit. c.* 5.) Ordo enim naturæ, inquit ille, perturbari non potest, quin in Deo mutatio fiat. Ejus sublimis demonstratio est hæc; Leges naturæ non sunt nisi Dei decreta necessaria; jam Dei decreta immutari non possunt; est enim ille immutabilis: ergo leges naturæ mutari non possunt; ergo miracula, quæ nimirum in hac mutatione naturæ consistunt, nullo pacto fieri possunt. Acervum hunc ambiguorum verborum, errorumque in multis suorum operum locis objici solitum proposuit sibi D. Thomas; nihil enim aliud nisi Stratonis, Anaxagoræque & delirantium Gentilium, qui ineluctabilium fatorum vinculis non solum Numina inferiora, sed ipsum Jovem constrictum dicebant, errata continet. S. Doctor eum doctrinis clarissimis dissipat, quas afferimus summopere materiam hanc illustraturas. Cum ergo ait Spinosa, naturæ ordinem interrumpi, aut mutari non posse, quin mutetur Deus; respondendum est, duas ordinum species in rebus esse distinguendas.

Primum: „ Si ordo rerum consideretur, prout dependet a prima causa, sic „ contra rerum ordinem Deus facere non „ potest. Si enim sic faceret, faceret „ contra suam præscientiam, aut voluntatem, aut bonitatem. Si vero consideretur rerum ordo, prout dependet a qualibet secundarum causarum; quia ordini causarum secundarum ipse non est subjectus, sed talis ordo ei subjicitur, quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturæ (*ut delirat Spinosa*) sed per arbitrium voluntatis; potuisset enim & alium ordinem rerum instituere. Unde & potest præter hunc ordinem institutum agere, cum voluerit: puta agendo effectus secundarum causarum sine ipsis: vel producendo aliquos effectus, ad quos causæ secundæ non se extendunt. Unde & Aug. dicit (Lib. XXVI. contra Faustum cap. 3.) quod Deus contra solitum cursum naturæ facit: sed contra summam legem nullo modo facit, quia contra seipsum non facit. „ 1. *part. qu.* 105. *art.* 6. *Vid. etiam idem S. Magister Lib. III. cont. Gent. cap.* 98. *ubi eamdem doctrinam fusius explicat*, & alibi idem S. Doctor *de Potent. qu.* 6. *art.* 1. *ad* 6. „ Deus non facit contra rationes „ naturales mutabili voluntate: nam „ Deus ab æterno providit, & voluit fa-

(a) *Hæc omnia tibi & de officio suggeri possunt: & ab eisdem advocatis, qui & ipsi beneficia habent Christianorum, licet adclament, quæ volunt. Nam & cujusdam Notarius cum a Dæmone præcipitaretur, liberatus est, & quorumdam propinquus, & puerulus. Et quanti honesti viri, de vulgaribus enim non dicimus, aut a Dæmoniis, aut a valetudinibus remediati sunt. Ipse etiam Severus, Pater Antonini, Christianorum memor fuit. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, & in palatio suo habuit usque ad mortem ejus, quem & Antoninus optime noverat lacte Christiano educatus*. Ad Scapul. cap. 3.

„ cere, quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinarentur in æterna sua voluntate, quod præter cursum istum quandoque facturus erat. „ Itaque opera, aut phænomena contraria, aut superiora hoc cursu sunt miracula. Possunt ergo hæc a Deo fieri; cum naturæ cursus ab illo omnino regatur; neque mutationem ullam ei afferunt; cum respondeant actui illi simplicissimo, & æterno voluntatis, qua cursum hunc rerum dirigens voluit etiam, ut interdum immutari deberet.

Quare argumentum, quod affert Spinosa, ajens, leges naturæ esse decreta necessaria Dei, atque cum decreta hæc sint immutabilia, etiam leges naturæ esse immutabiles, ac proinde miracula, quæ in harum legum mutatione consistunt, dari non posse, est purum, putumque sophisma, quod ambiguis verbis innititur. Duplici enim sensu intelligi potest, debetque vox *legis naturæ*, hoc est tam quam *causa*, & tamquam *effectus*. Primo sub intellectu accepta est eadem ratio æterna legislatrix, & moderatrix Dei; ac proinde nihil aliud significat, quam decreta ipsa ejus non jam necessaria, ut somniat Spinosa, sed liberrima (ut supra docuimus). Lex autem naturæ ut *effectus* non est nisi ordo, seu cursus, quem ex æterno Dei decreto in hoc systemate res omnes servant. Jam Lex naturæ sensu primo sumpta est immutabilis; secundo vero mutari potest; quandoquidem immutabili lege æterna mutatio hujus temporarii rerum cursus, hujusque legis naturæ propter singularia quædam eventa, ut sunt miracula, fuit decreta. (*a*)

Ita breviter Spinosianum Sophisma evertimus, specimenque aliud ratiocinandi illius Sophistæ, tantopere a Libertinis commendati, attulimus.

§. IX. Scriptor Gallus (*b*) magni faciendus in præclaro opere contra Religionis hostes cupidus hanc Dei immutabilitatem arctius cum miraculis conjungendi, repellendique strenue adversarios putat, *maxima prodigia colligata esse cum decretis a Deo ad regimen Universi statutis*, aut, ut alibi explicat (*c*), *ea contineri effectuum nomine inter leges universales*; dicit *inter leges universales*; secundum enim ejus principia de *simplicitate*, Deus (*d*) *non debet singularibus voluntatibus uti, quando voluntates generales sufficiunt effectui illi, quem vult, producendo*. Quare ait, *cum Deus det materia gradum certum motus, quem per omnia secula esset habitura, concipi etiam, eum potuisse hoc modo legem motus communicationum definire, ut eo tempore verbi causa homines deberent eam curationem, eas ecclipses, eam resurrectionem videre*. Ad summam, sicut omnia alia eventa (*e*), quæ naturalia dicuntur, hujus Auctoris sententia *consequutiones legum primitivarum, universaliumque Dei cum ejus æternis consiliis conjunctarum sunt*; *ita miracula* (*f*) *sunt effectus inseparabiles ab actione legum divinarum ad regimen universi statutarum*; earum tamen legum, *quæ nos latent, aut conjunctionis harum cum illis, quæ nobis apertæ sunt*; & hinc putat, vim patrantis miraculum consistere (*g*) in hoc, ut sciat (*ibid. p. 49.*) lumine superiori, eo momento temporis

(a) *Hanc autem distinctionem quidam non considerantes in diversos errores inciderunt. Quidam enim immobilitatem divini ordinis ad res ipsas, quæ ordini subduntur, extendere conati sunt dicentes, quod omnia necesse est esse, sicut sunt; in tantum quod quidam dixerunt, quod Deus non potest alia facere, quam quæ facit: contra quod est &c.* S. Thom. III. Cont. Gent. cap. 98.

(b) M. L'Abbè de Houtteville. *La Religion Chretienne prouvèe par les faits*. Liv. 1. chap. 6. pag. 38. *Je n'ai, pour l'y contraindre* (Spinosa) *qu'à supposer les plus grands prodiges liès avec les decrets etablis de Dieu pour le gouvernement de l'univers.*

(c) Pag. 46. *Les miracles sont enveloppès à titre d'effets dans le plan des Loix universelles.*

(d) Pag. 39. *Un etre infiniment sage doit agir toujours par les voies les plus simples; il ne doit pas faire par le plus ce qui peut egalement s'executer par le moins; il ne doit pas employer des volontès particulieres, & de detail quand les volontès generales suffisent à la production de ce qu'il veut faire.*

(e) Pag. 43. *En donnant à la matiere le degrè juste de mouvement, qu'elle devoit avoir dans tous les siecles, on conçoit que Dieu a pu determiner de telle sorte la Loy des communications, qu'en tel tems, par exemple le monde a dû voir telle guerison, telle ecclipse, telle resurrection.*

(f) Pag. 4'. *Toutes les revolutions, tous les changemens, tous les spectacles, qu'il montre* (Dieu) *dans la nature sont les suites de ses premieres Loix combinèes avec ses desseins eternels.*

(g) Pag. 47. *Les prodiges sont des effets inseparables de l'action des Loix divines etablies pour le gouvernement du Monde .... Mais ils naissent de celles, qui nous sont cachèes, ou bien de la combinaison de celles-ci avec celles, que nous connoissons.*

poris ex motu ab initio Mundi in materia impresso fuisse v. gr. visum cæco restituendum, aut aliud hujusmodi miraculum patrandum. Ita opinatur Auctor, urgeri suis principiis Spinosistam: quin enim mutetur, vel perturbetur ulla naturæ Lex (quocumque sensu accipiatur), colligitur, miracula fieri posse; cum nihil aliud sit miraculum, ut diximus, nisi effectus *natus ex legibus naturæ, quæ nos latent, aut ex conjunctione harum cum illis, quæ nobis innotescunt.*

Ingeniosum enimvero est inventum, sed, ut mea fert opinio, non valde firmum, ac stabile, multo vero minus utile causæ, quam strenuus Auctor contra Libertinos defendendam suscepit. Ac primum quidem responsum a nobis, & vulgo ab aliis sophismati Spinosæ datum, quod divinam immutabilitatem cum naturæ legum perturbatione conjungit, notionibus tam claris, certisque innititur, ut exceptionem omnem, dubiumque excludant. Estne ejusmodi via, quam sternit Auctor hic? Efformatne ideam claram harum naturæ legum, quæ legibus naturalibus continentur, sed cuivis homini sunt *occultæ*; harum legum conjunctarum naturali vinculo cum legibus *manifestis*, illis tamen contrariarum, quia illas perturbant, mutantque?

Concipitne, quomodo *actionis legum divinarum ad regimen Universi statutarum possit inseparabilis effectus* esse hujusmodi phœnomenum omnino adversum iis, quibus Universum regitur? Ille quidem ait (a): *hoc ipso temporis momento, quo Deus imprimit motum materiæ, video determinationem, gradumque, quem illi dat, & quomodo vicissitudines sibi succedentes omnium temporum, locorum, generationum disponat. Atomum primam motam ex una parte potius, quam ex alia, gradu hoc velocitatis potius, quam illo perficere æterna consilia, fierique principium cum magnarum, tum minorum mutationum video.* Nihil medius fidius elegantius dici potest; at nihil fortasse difficilius potest intelligi. Quis enim concipere potest, ex simplicissimis illis legibus effectus non solum iis, qui semper, constanterque eveniunt, contrarios, sed certe superiores legibus, omniumque naturæ virium maximos posse nasci? Quomodo concipi potest *vi determinationis, certique gradus motus a Deo primitus materiæ impressi*, per quem videmus semper, constanterque in gyrum solem ferri, debere post annos bis mille per plures horas cursum intermittere, quin eum perturbet? Quis dicere poterit, *atomum primam motam ex una parte potius, quam ex alia, gradu hoc velocitatis potius, quam illo fieri principium*, quo fœtens Lazari cadaver acquirat post quatuor dies pristinam formam, & anima ab eo separata rursus cum illo uniatur? ut hæc omnia *in motu primæ atomi* distinguantur, ut ait se vidisse Auctor noster, visus maxime perspicax requiritur, quo nos carere fatemur; cui etiam dicere posse videtur, cum allata miracula non solum consuetis naturæ legibus opponantur, sed harum legum omnium, viriumque ab Auctore expositarum sint maxima, *effectum inseparabilem earumdem actionis* esse non posse. Et sane P. Malebranchius propugnator, ut cuique est incompertis, systematis *viarum simplicium, voluntatumque generalium*, rejecerat sententiam modo relatam de miraculis, quæ ille ab hac generalium legum serie excludit: quapropter præter alia plurima loca, hoc habemus *in lib. de Natura, & Gratia* (b): *Nihil fit in rerum natura, quod sententiam hanc non confirmet* (hoc est Deum non operari voluntatibus peculiaribus) *si miracula tantum excipiantur, quæ tamen non differrent ab effectibus, qui dicuntur naturales, si verum foret, Deum ut plurimum singularibus voluntatibus agere: miracula enim non sunt talia, nisi quod secundum leges natura-*

(a) *Dans cet instant decisif, où il imprime le mouvement à la matiere, je vois, que la determination, & le dègrè prècis, qu'il lui donne, va prèparer toutes les rèvolutions successives des tous les tems, de tous les lieux, & de toutes les races. Je vois le premier atome mu d'un cotè, plûtot, que d'un autre, avec un dègrè de vitesse plûtot qu'avec un autre, commencer l'exècution des conseils etèrnels, & devenir le principe des plus considerables, comme des moindres changemens.* Pag. 40.

(b) Serm. 1. art. 59. *Rien ne se fait dans le Monde, qui ne preuve ce sentiment, si l'on except seulement les miracles: les quels nèanmoins ne seroient point des miracles differens des effets, qu'on appelle naturels, s'il etoit vrai que Dieu agit ordinairement par des volontès particulieres; puisque les miracles ne sont tels, que parce qu'ils n'arrivent point selon les loix generales: ainsi les miracles supposent ces loix, & prouvent le sentiment que j'ai ètabli.*

les non accidunt, *atque ita miracula has leges præsupponunt*. Nolo hic de propositionis veritatibus, neque de vi Malebranchii ratiocinii disputare, satis nobis est ostendere, eum a legibus generalibus miracula excipere. At quid mirum si alibi etiam corpora, quæ organa habent, excludit; censetque non posse effectus harum simplicium legum ea dici? Ita ait (a): *Corpora*, *quæ organa habent*, *non possunt produci solis motuum communicationis legibus*, *quæ ad duas redigi possunt* . . . . *Sed perspicue videmus*, *has duas leges*, *aliasque similes non posse corpus componere*, *cujus instrumenta sunt infinita*, *& quorum singula usum suum habent*. Ex his apparet, quantum Malebranchius ipse ab Auctore nostro dissentiat, qui in motu a Deo atomo primæ dato omnes omnium temporum, omnium locorum, progenierum omnium vices internoscebat, cernebatque omnium magnorum, parvorumque eventuum principia. Quod si corpora arborum, animaliumque effectus legum motus generalium esse non possunt, qui mortui resurrectio, aliaque naturæ legum tenori contraria eventa esse poterunt? Verum quidem est, scribere præclarum Auctorem, miracula *legum occultarum* effectus esse; at verum etiam est, sæpiusque repetit, *hæc involuta esse tamquam effectus in legibus naturalibus*; *esse effectus inseparabiles legum divinarum ad Universi regimen statutarum*. Aut ergo ea dicit, quæ non intelligit, & quæ non videt, licet se illa videre dicat; aut inter se pugnantia dicit; & miracula iis generalibus legibus produci vult, a quibus nequeunt proficisci.

Aliud quidpiam etiam magni momenti in hoc illustris Galli Auctoris systemate se nobis offert considerandum; cum postularit ille hanc viam muniendo effugium quodlibet se adversario intercludere, vereor, ne novum aditum illi aperuerit, quo se recipere possit, ut eludat, vel saltem tenebras offundat, perturbetque, quod hujus generis hominibus plus quam satis est, argumentum miraculorum per se fortissimum. Res per se loquitur. Si dicatur, miracula esse inseperabiles legum generalium, quibus Deus universum regit, consequutiones, hæc, Incredulus inquiet, etiamsi doctrina nulla prædicata fuisset, quam essent confirmatura, evenire debuissent. Si ex legum motus primitivarum vi, & eo tempore, & eo loco mare divisum, solem stantem, Lazarum revocatum ad vitam debebant mortales videre, hæc omnia prodigia, quin Moyses, Josue, & Christus in terris fuissent, erant eventura. Ex quo robur divini testimonii imminui quis non videt? Deista enim ab aliquo fortunato eventu, ab aliqua exigua naturalium causarum dispositione Thaumaturgorum vim omnem derivari dicet. Non sum nescius, dicturum Auctorem nostrum fore, ut in sua hypothesi ea miracula non fuissent futura; idque ex harmonia præstabilita inter ordinem moralem voluntatum liberarum, ordinemque motuum physicum. At Libertinus sumet, quod primum conceditur, nempe miracula esse posse, & reipsa esse *consequutiones voluntatum generalium inseparabiles*, *quibus Deus Universum gubernat*, *& tamquam effectus in generalibus motus legibus contineri*, habebitque joco, & risui partem alteram systematis, illudque commentum inventum dicet, ut naturæ effectus velut divinum miraculum habeatur, respondeaturque, ut loquuntur scholæ, per thesim. Sufficiat hoc, ut noverimus, hanc auctoris sententiam novam causæ, quam contra Spinosistas propugnat, non magnopere prodesse. Addo hoc unum, videri mihi illud ne convenire quidem cum notione, quam de Thaumaturgis habemus, qui non tantum cognoscunt (ut in hoc systemate dicitur) res occultas, quæ *prophetiæ gratia* est potius dicenda, sed *aliquo modo* admiranda opera illa, quæ *virtutis curationumque gratia* vocatur, eos facere existimamus. (b) Ex iis, quæ tunc dicebant, facile argui potest, non aliquam solum cognitionem effectus eos hubuisse; qui jam naturalibus cau-

(a) Medit. VII. num. 5. *Les corps organisès ne peuvent etre produits par les seules loix de la communication des mouvemens*, *qui peuvent se reduire à deux* . . . . *mais on voit bien*, *que ces deux loix*, *& autres semblables ne peuvent pas former une machine*, *dont les ressorts sont infinis*, *& dont chacun a son usage*.

(b) Quam partem haberent Thaumaturgi in miraculis faciendis, quorum procul dubio auctor primus est Deus, & qua de causa non esset in eis simplex cognitio, acute, doctissimeque explicat D. Th. *De Potent. quæst. 6. art. 4.*

causis involutus explicandus erat, sed in nomine Dei omnipotentis etiam legibus naturæ jussisse, ut cursum consuetum intermittentes verba sua testarentur.

§. X. Auctoris igitur cæteroquin doctissimi novo systemate prætermisso, quippe quod meo judicio infirmum est, causæque, de qua agitur, potius nocet, quam prosit, doctrina a nobis allata teneatur, quæ evidenter demonstrat, Dei immutabilitati legum naturæ mutationem nihil omnino adversari, & proinde miracula fieri posse contra Spinosistas defendit. Quamquam ut quod sentio, sincere dicam, non minus recte, quam naturæ convenienter observat Petrus Bælius, *totam Spinosistarum de miraculis disputationem esse verborum jocum (Artic. Spinos. Remarq. R.):* in eorum enim systemate locum habere non potest. *Ut cognoscatur*, inquit ille, *Spinosistarum fraus, illusioque in hac re, satis sit dicere, eum miracula fieri posse negant, hanc eos afferre rationem, Deum, & naturam esse unum, & idem, ita ut si Deus aliquid contra naturæ leges faceret, contra seipsum faceret, quod fieri nequit. Aperte loquimini* (pergit dicere) *& sine verborum ambiguitate; dicite, leges naturæ cum facta non fuerint a Legislatore libero, qui nosset, quod agebat, sed cum sit causa cæca, & necessaria actio, nihil posse accidere, quod huic legi adversetur. Contra miracula ipsam propositionem vestram affertis* (quam cum egimus de perfectissimi Entis existentia ab hoc Mundo diversi, falsam esse ostendimus); *hac erit petitio principii*; *at saltem aperte loquemini.* Pudet interea loci miseros, larva detracta, nativoque sub aspectu omnium, quæ ad hæc usque tempora ad aures nostras pervenerint, maxime infandam impietatem proferre; simulantesque, se Deum respicere, & miraculorum quæstionem (quæ juxta eorum principia fieri non possunt) se pertractare velle, incautos decipiunt; sed simul se non minus ridendos præbent, quam impios emunctæ naris viris se ostendunt.

Haud dissimilis in hac re dici debet amentia, malaque VVoolstonis fides, qui Spinosæ insistens vestigiis de Christi miraculis loquitur, postulatque, ea fuisse *allegorica*; ideoque narrationem, quam Evangelistæ contexunt, non in *sensu litterali*, sed *mystice* esse accipiendam. Res miranda quidem est, eum ad hanc rem quantum blateret, quanta crepet in suis sermonibus audire. Num est credibile, nisi sensum omnem communem abjurasset, eum hæc loquuturum ex animo fuisse? Num æquo animo Libertini hæc ostentantes deliramenta audiri possunt? Quis tam perversus, quis tam malus fingi potest, quam qui arbitratur, scribitque, nihil historici, litteralis nihil, proinque mirabilis nihil contineri in narratione omnibus cum loci, temporis circumstantiis, seduloque facta ab Evangelio infelicis mulieris (ut hoc exemplum afferam), quæ ab annis duodecim sanguinis fluxu laborans, cumque omnia illius bona medicinæ, medicique devorassent, in pejusque illa rueret, viva tamen fide impulsa Servatorem domum Archisynagogi petentem adiit, tangensque tantum ejus vestem fuit continuo sanata? Quænam (malum) fatuitas non est isthæc, credere Evangelistas factum hoc litteris mandasse, „ ut simplex symbolum, aut „ allegoriam Ecclesiæ (ut vult VVoolston „ *Sermon. II.*) cujus bona cum Cleri Mi„ nistri omnia devorassent, quin sanare„ tur ptopter eorum dissensiones, rixas„ que, tandem ad vestes, hoc est ad Re„ demptoris sermones, doctrinamque se „ convertit, sanitatique restituitur, qua „ in æterna pace perfruatur?

Si cui libido esset mystice intelligendi Livium, & Thucydidem, næ posset id eadem felicitate, eodemque jure, quo VVoolston facit de Evangelica Historia, facere; verum hujusmodi ingenium, quod quidem ego sciam, in tota Litterarum Republ. nondum vidimus. Decus hoc præripiendum erat ab uno ex celeberrimis Libertinorum ducibus, hoc est eorum virorum acumine, & ingenio tantopere excellenti pollentium, ut Christianos nimium credulos, imperitosque despicatui habentes, & risui, se unos veram artem criticam callere, jactitent. Scio, VVoolstonem dicere, se Patres, Origenemque præsertim sequi, qui in interpretandis scripturis in allegorico sensu expiscando occupantur; Hoc tamen aut pessimæ hujus Impii fidei, aut crassi putidique erroris aliud est argumentum. Inquirebant scriptores illi allegorias ita tamen ut τὸ ῥητὸν, id est sensum litteralem, primumque non negarent; quem singuli aut evidenter admittunt, aut aperte

te indicant. Philo, unus ex præcipuis *Allegoristis* Judæis, qui ad imitandum signum erexit, quemque fortasse plus æquo quidam Christiani Doctores sequuti sunt, *Summæ levitatis* (*De migration. Abraham. pag.* 402. *Edit. Parif.*) eos damnat, qui symbola rerum scripturarum unice sectantes manifestum litteralem sensum negligebant. Quid de Origene dicemus, nimium, ut quisque novit, allegorico sensui addicto? ab insana VVoolstonis opinione toto cœlo distat. Non enim apertis verbis solum, ut Philo, negligentiam *Litteræ*, tantumque *mystici sensus* studium damnat, (vid. Eruditis. Huetius *Originian. Lib. II. quæst.* 13. *n.* 4.) sed in Celsum pugnans in Christi Divinitatis, Religionisque nostræ veritatis confirmationem *spiritus*, *& potentiæ demonstrationem*, hoc est prophetiam, & miracula Redemptoris, ejusque afseclarum affert, quod quidem falsam illius impii sententiam omnino evertit. Pluribus in locis de his miraculis Origenes loquitur (*Cont. Cels. Lib. I. n.* 6. 38. 68. *Lib. II. n.* 9. 16. *& alibi.*), eaque contra Adversarii opinionem strenue propugnat, qui Hebræorum dicteria sequutus illa arte magica patrata effutiebat. Jam incredibilis impudentiæ est asserere, & Origenem divinam Christi potentiam miraculis tantum allegoricis confirmare voluisse, Celsoque, ut argumentum adeo ineptum, ridiculumque refelleret, ad vim Magicam fuisse confugiendum. Atque hæc eadem animadversio ad controversiæ fontem, hoc est ad Evangelium nos manu veluti ducit, ubi Salvator ipse hoc eodem argumento suorum admirandorum operum utitur, ut obstinatam eorum *incredulitatem* Hebræis exprobraret, inquiens, *excusationem nullam eos habere, cum inter ipsos tot opera fecerit, quæ nemo alius fecerat*; jubens Joannis discipulis, ut se Messiam a Profetis prænunciatum esse ostenderet, ut illi referrent quod *viderant*, *& audierant*, hoc est *quia cæci vident, claudi ambulant, Leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*. Si hoc mysticum erat, & allegoricum solummodo, quomodo Christus eorumdem sensus judices appellabat, & id ipsum, se *esse illum, qui venturus erat, neminemque alium esse expectandum*, tamquam visibile argumentum asserebat? Quamquam nonne Evangelium ipsum testatur, hæc admiranda opera conspicientes Hebræos *obstupuisse maximopere*, *laudem dedisse Deo, quod potestatem tantam dedisset hominibus*, & dixisse, *neminem ea signa, quæ Christus faciebat, facere posse, nisi Deus cum illo fuisset*, ideoque plures conversos fuisse, & in eum credidisse? Nonne testatur, quosdam alios magis magisque obcæcatos dicere solitos, in *Beelzebub principe Dæmoniorum eum illa signa facere?* At qui umquam miracula mystica (hoc est quædam rerum etiam remotarum symbola) vim tantam habere poterant, ut alios in admirationem pertraherent, persuaderentque iis divinitatem ea patrantis, alios autem permoverent ita, ut ad eorum evidentiam infirmandam vi Beelzebub illa fieri dicere cogerentur? Verum immorari in hujusmodi deliriis refellendis graviter stomachor, angorque supra modum, in hæc tempora, quibus vivimus, illa erupisse. Si quis prædicti Scriptoris insanias, quas contra litteralem, historicumque Evangelicorum miraculorum sensum ille impudenter scribit, fuse labefactatas legere avet, primam ex tribus pastoralibus Epistolis (*Traduites de l' Anglois par Abraham le Moine. A' la Haye* 1732.), Edmundi Gibsonis Londinensis Episcopi, collectionemque Stackousii, *Le sens litteral de l' Ecriture sainte Tom. I. Chap.* 8.) hoc præcipue consilio, ut sensus scripturarum litteralis defendatur, elaboratam adeat.

§. XI. Non possumus tamen nos demum subducere, quin quæstionem summo animorum motu agitatam pertractemus, quamquam ab initio hujus disputationis usque nos eam valde infirmasse non ignoramus. Quæstio est de Geniorum, seu substantiarum Deo inferiorum, superiorumque hominibus potestate, quibus tot opera magna, admirandaque adscribuntur, factaque jam tum, cum Idololatria grassabatur, commemorantur. Si enim hi Genii (& etiam improbi) qui vulgo Dæmones audiunt, operari miracula possunt, quomodo hæc testimonia veritatis invicta, voxque ipsius Dei erunt posthac existimanda, quibus debeant se submittere mortales, eaque venerari? Eccum argumentum illud, quod plus æquo multos perterruit scriptores, qui ut ejus vim declinarent, opiniones sibi invicem adversas sequuti sunt, materiamque hanc tenebris involverunt. Sperare me juvat pede-

pedetentim iis principiis, quæ Deistæ ipsi fateri vel inviti, vera esse, cogentur, me insistentem effecturum esse, ut larvam illam detraham, cui tantum confidunt, ostensurumque, argumentum, quod pro Christiana Religione ab Jesu Christi, ejusque discipulorum miraculis deduximus, esse omnino epidicticum.

Ita ergo ajo I. Deus rerum omnium Creator supremus sapienter eas leges sanxit, quibus universum hoc regitur, gubernaturque.

II. His firmissimis legibus, quæ etiam naturæ cursus dicitur, superstructa est, innixaque humanarum actionum evidentia; quare quatenus cum iis relationem habet, tenor hic, sive cursus ita nobis patet, ut de illo ambigere non possimus. Scimus, exempli causa, corpus nostrum in flammas conjectum aduri, ambulantem super aquis immergi, semel mortuos ex se non posse ad vitam redire, hominem non posse suis viribus commotas maris undas, ventos perflantes comprimere, remorari solem, ne orbes suos peragat. Hæ leges nobis sunt palam; si dubitatio ulla in nos caderet, in Pyrrhonismum prolaberemur; nulli consequerentur actus, prævisio nulla prudens esset, nulla cauta consilia, non societas, non vitæ securitas.

III. Hunc legum tenorem perpetuum potest Deus, quin immutabilitati suæ, aliive attributo quicquam deroget, interrumpere, cum ei libuerit, vel perturbare: omnipotentia illa, quæ eum semel constituit, nutibus suis semper subjicit; & in alicujus harum legum perturbatione, aut intermissione nimirum miraculum est repositum.

IV. Qualem, quantamve agendi vim substantiis his separatis quoad has leges, quibus hæc universi moles regitur, Deus dederit, vel impertiri possit, rationis nostræ luminibus definire certo non possumus. Quod certissimum judicamus, hoc est, in cursum hunc nullam habere potestatem hujusmodi Genios; ita ut ad libitum suum pervertere eum possint, & mutare (*a*). Hoc neque cum Dei sapientia, neque cum ejusdem dominio, neque cum providentia amoris plena, quam in nos habet, a quibus tunc securitas, paxque adimeretur, convenit.

V. Quapropter dicimus, potestatis, quæcumque demum ea sit, spirituum, præsertim malorum in hunc naturæ cursum usum pendere ab *una* ejusdem Dei *voluntate, aut permissione peculiari*.

VII. Hæc prodigia tamen, quæ divina permissione conceditur Dæmones facere, numquam possunt esse ejusmodi, ut discerni nequeant ab iis, quæ Deus patrat, hoc est, ut nesciri possit, num a Deo, an ex Dei permissu ab aliquo Dæmone sint facta. Ratio, nostro quidem judicio, clarissima est; si enim hæc e miraculis Dei distingui non possent, requiro, vel homo deberet iis fidem habere, vel non: si deberet, tunc necessario induceretur in errorem, Deusque illius erroris causa fieret, cum permiserit, ut signo, quod a divina voce non distinguitur, impelleretur. Sin autem homo non cogeretur eis fidem præstare, assensumque habere in suspenso deberet, tunc inutilia essent Miracula, Deusque modum auferret exteriorem significandi verum præ falso, hoc est miraculis veritatem testandi. Quod notioni, quam de divina sapientia, & majestate habemus, aperte repugnat.

VIII. Quoties de prodigiis actis pro doctrina aut evidenter falsa, aut mala, aut evidenter vera, integraque agitur, nihil opus est alia signa inquirere, ut fons, a quo derivantur, detegatur. Deus est veritatis, honestatisque regula suprema; non potest ergo crimen, mendaciumque confirmare; Dæmon est spiritus nequam mendacii, scelerumque amans, non potest ergo veritatem, integritatemque persuadere. Ergo miracula pro falsa doctrina, utcumque admirabilia videri possint, semper Dæmon patrabit; neque ab errore, quicumque eis credet, excusari poterit. Prodigia autem pro veritate edita semper a Deo proficiscentur, neque ambigi poterit, num illa Dæmon fecerit: *omne enim regnum in se divisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & Sata-*

(a) *Nec ideo putandum est, istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam; sed D o potius, a quo hæc potestas datur, quantum in sublimi, & spirituali sede incommutabi.is judicat.* S. Aug. Lib. III. de Trinit. n. 13.

Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. Luc. II.

IX. Tunc igitur circumstantias, quæ cum miraculo conjunctæ sunt, examinari oportet, cum doctrina, pro qua illa fiunt, evidentiæ notis caret; tunc, inquam. Nam si doctrina sit vere in se falsa, aut mala, vel per se refelletur, detegeturque illusio, quæ non præstat quod intendebatur omnino, & perfecte; vel aliis prodigiis & majoribus magnitudine, & pluribus numero, & omnibus in adjunctis clarioribus pro contraria doctrina factis vincetur. Quare hæc evidenter divinum fontem, a quo procedunt, veritatemque doctrinæ, quam confirmant indicantia, prodent alia tamquam signa mendacia a Deo Dæmoni permissa, ut probentur electi, ut mali puniantur, qui hujusmodi præstigiis scientes, prudentesque se decipi patientur. Has autem, similesque notas efficere, ut cognoscamus, num vera, an falsa prodigia sint, ex iis, quæ n. VII. diximus, Lector colliget. Ita autem reipsa evenire, Historia Magorum Pharaonis aperte probat, qui cum de miraculis cum Moyse certassent, opera quidem admirabilia, & humanam quamlibet vim superantia virgas in serpentes mutantes fecerunt; at Moyses in Dei nomine admirabiliora, & perfectiora effecit, quæ illi edere non potuerunt; ita ut Magorum potestas, quæ a dæmone erat, victa fuerit, irrisaque; solaque regis obstinata durities in causa fuit, cur ille in hoc certamine veri Dei potentiam, cujus se Legatum Moyses dicebat, non agnosceret.

X. Hæc, quæ diximus, ad rem nostram trahentes, prodigiorum pro Christiana Religione editorum divinitatem perspicue cognoscimus. Si veritatem integritatemque nostrorum dogmatum cum theoreticorum, tum moralium, de quibus in præcedentibus capitibus verba fecimus, vel obiter inspiciamus: tum si oculos convertamus ad Orbis conversionem, ad eversionem idololatriæ, ad eam Christianorum vitæ rationem, e qua honor tantus in Deum, utilitasque tanta in homines redundavit; quæ omnia ex Evangelii prædicatione sunt profecta, ut superius diximus, facile colligemus, Dæmonem hujus Religionis ingenio, rationibusque ejus tantopere adversæ neque auctorem, neque præconem esse potuisse. Ex his nullo negotio evincitur, miracula pro illa facta ab illo malo spiritu, cujus dominatio, & potestas per illam debellata fuit, non esse petenda. Hoc est argumentum illud, quod in re proposita contra Celsum affert Origenes, cujus hæc sunt verba: *Itaque si posita omni de miraculis præjudicata opinione, quæritur, bonone, an malo consilio quis illa fecerit, ut ne aut omnia vituperemus, aut omnia tamquam divina admiremur, & admittamus; annon perspicuum est, ex Moyfi, & Jesu miraculis, quibus integræ Gentes constitutæ sunt, eos divina potestate fecisse, quæ ab illis facta Scriptura narrant? Neque enim malis artibus, magicisque præstigiis constituta fuissent gens tota, quæ despectis non solum simulacris, falsisque Numinibus, quæ reliqui homines colebant, sed etiam rebus omnibus creatis, ad Deum rerum omnium principium principio carentem ipsum assurgit.* Cant. Cels. Lib. I. n. 51. Hactenus Origenes, qui paullo ante dixerat: *Miraculorum autem Christi, & discipulorū fructus est non deceptio, sed animarum salus. Quis enim dixerit, deceptione effici, ut emendetur vita, & malitia quotidie magis, ac magis minuatur?* ibid. n. 50.

XI. Quod si Libertini prædictas notas doctrinæ nostræ, ut hinc divinitas cognoscatur miraculorum, quæ illam confirmant; negligunt, quasi vero esset vitiosus circulus, quod tamen falsum est; cum hæc sint argumenta duo, quæ se invicem illustrant (a) (ut alibi docuimus): vel ad eam mysteriorum partem, quæ doctrinas nostras complectitur, ut sunt divina missio, aliaque Christi Jesu signa, nos provocarent; respondemus, secundum statuta principia, miracula ab illo, illiusque discipulis edita per se sufficere ad fontem illum, a quo derivantur, detegendum. Hæc prodigia omnium, quæ inspecta fuerint, maxima fuerunt, ut visum cæcis natis dare, voce una tempesta-

(a) *Il faut juger de la doctrine par les miracles; il faut juger des miracles par la doctrine. La doctrine discerne les miracles; & les miracles discernent la doctrine. Tous cela est vrai.* M. Paschal. Pensee n. 35.

ſtates compeſcere, multiplicare cibos, e mortuis excitare, & præcipue ſibi ipſi poſtquam per tres dies in ſepulcro delituit, vitam novam dare. Hujuſmodi prodigia firma, ac ſtabilia, ut e teſtimoniis quavis exceptione majoribus ſcimus, nec ſuperata ab aliis aut majoribus, aut æqualibus fuerunt. Si Deus ergo permiſiſſet, in nomine ſuo, & veluti opera manuum ſuarum a malo ſpiritu, ut homines deciperentur, fieri portenta ejuſmodi, aut ipſe noſtri erroris, ſi fidem habuiſſemus, cauſa fuiſſet, aut modum per exteriora ſigna veritatem confirmandi ſibi ademiſſet, ſi prudenter illis aſſentiri non potuiſſemus: utraque conſequutio veritati, bonitatique Dei, ut advertimus *num.* VII. repugnat; miracula ergo a Chriſto, ut divinam ſuam miſſionem teſtaretur, & a ſuis diſcipulis, ut eam & alia Religionis noſtræ myſteria confirmarent, edita, dexteræ Dei fuerunt opera; & proinde veritatis, divinitatiſque doctrinæ noſtræ per ſe ſatis ampla ſunt argumenta.

XII. Ex hactenus dictis videt Lector, num reſponſum, an vero contemptum Libertini mereantur, qui ut Chriſti miracula deprimant, prodigia Apollonii Thianæi relata a Philoſtrato in medium proferunt; illa, quæ de Veſpaſiano Svetonius, & Tacitus narrant, aliaque hujus generis eventa. Ac primum quidem nonne riſu excipiendi ſunt hi Critici, qui adeo veritatem Evangelicarum narrationum, quæ negari nequeunt, quin in univerſum Pyrrhoniſmum incidatur, naſo ſuſpendentes adunco, fidenter hujuſmodi narratiunculas in ſcenam producunt, quas fabulas Romanenſes quicumque quicquam ſapit jure ac merito dixerit? Inſanam hanc, injuſtamque agendi rationem impio Celſo, qui fidem habebat prodigiis, quæ de Ariſtæa Proconneſio Herodotus, Pindaruſque referebant, eam autem miraculis Jeſu Chriſti deſcriptis ab hominibus, qui vitam, & ſanguinem profuderant in veritatis confirmationem, abrogabat, Origenes exprobavit (*a*). Annon miſerum eſt hac ætate tot litterarum luminibus illuſtrata proferri vetera illa Apollonii præſtigia, vade dato eo fabuloſo Scriptore Philoſtrato, μυθογράφῳ Φιλοστράτῳ, quo nomine jure eum Photius appellat (*Cod.* 241.), *cujus ineptiſſimus labor octo libris comprehenſus* (ut idem doctiſſimus Criticus, & quicumque eum legit, animadvertit) *nonniſi craſſas inſanias, & monſtroſa deliramenta narrat?* Ideo aliquo modo tolerandus videtur, quia ille ipſe aperte demonſtrat, quam minimum ſuis narrationibus ſit credendum; ut cauſa exempli, cum de cujuſdam puellulæ reſurrectione, quod omnium Apollonii prodigiorum caput dicitur, loquens ridiculas circumſtantias deſcribit, & ſe dubitare oſtendit, neque reticet ex iis qui aderant, paucos eventum credidiſſe (*Lib. IV. cap.* 16. Vid. Huetius *Demonſtr. Evangel. Prop.* 9. *cap.* 147.) Quod vero ad Veſpaſiani prodigia attinet, quis ſatis admirari poteſt quemdam recentem Baccalaureum, qui hæc ſcribere audet? (*b*) *De quo non dubitabitis quoad Hiſtoriam non revelatam, ſi duo Veſpaſiani miracula non creditis?* Nos ei reſpondemus, prorſus hoſpitem, & peregrinum in eorum temporum hiſtoria eſſe eum oportere, qui ignorat, quam facile tunc vulgo narrarentur miracula, & caſus putarentur prodigia, cum per adulationem; aut per probroſam politicam artem merito victorum, aut fortunæ principum erant conſecranda. Livius, Appianus, Aurelius Victor, præcipueque memorati Hi-

(a) *Tu qui omnino figmenta eſſe putas, quæ de Jeſu miraculis diſcipuli litteris conſignarunt, & incuſas eos qui illis adjungunt fidem; quomodo res hujuſmodi* (quæ de Ariſtæa feruntur) *prodigioſe confictas, fabulaſque eſſe non judicas? Quomodo tu, qui aïis viſio das, quod Jeſu miracula nulla ratione admittant, talia videris admittere, nulla allata probatione, nulloque argumento, res illas contigiſſe? An Herodotum, & Pindarum putas mendaciis non fallere; qui vero mori optant pro Jeſu documentis, & ſcripta, de rebus, quas perſpectas habebans, ad poſteros transmittenda reliquerunt, eos pro figmentis, pro fabulis fictiſque prodigiis uſque adeo decertaſſe, ut miſere vivere, & vi e medio tolli vellent? Te ipſe potius arbitrum conſtituens inter ea, quæ de Ariſtæa ſcripta ſunt, & ea, quæ de Jeſu narrantur, vide en eventu, & ex iis, quæ ad morum emendationem, pietatemque erga ſummum Deum inducendam uterque fecit, an non hoc judicium ferri debeat, credendum eſſe, non ſine Deo facta fuiſſe quæ de Jeſu hiſtoria prodidit; non autem quæ de Ariſtæa Proconneſio.* Lib. III. Cont. Celſ. num. 23.

(b) M. L'Abbè de Prades Apolog. de la Theſe pag. 264. *De quoi ne douterez vous pas en fait d'hiſtoire, ſi vous niez par exemple les deux miracles de Veſpaſien? Ce ſont des miracles operès par un Empereur en preſence de ſa Cour, & d'une multitude fort attentive.*

Historici Tacitus, & Svetonius non pauca nobis exempla suppeditant. Hujus caput III. legatur, in quo narrantur prodigia, & oracula, quæ ejusdem Vespasiani Imperium præcesserunt. Num graviter in criticam fidem delinqueret, si cui libido esset contemnendi, irridendique ea, & alia plurima iis similia, quibus in Vitis Cæsarum Scriptor ille scatet? Neque enim nos quicquam movet, quod addit recens Scriptor, hoc est duo prædicta *esse miracula, edita ab Imperatore coram aulicis suis, frequentiaque valde intenta*; illi enim reponemus quod sapienter quidam e suis censoribus nuper respondit, *male* (a) *aulam cognosci, cum ignoratur quantum indulgentia, & adulatio veritatem eliminent: siquidem si Romani summam impudentiam Imperatores suos adhuc vivos inter Deos referendi habebant, multo magis fingere poterant, eos miracula patrare.* Et sane memini, me hæc legisse apud Spartianum. *Ea tempestate supervenit quædam mulier, quæ diceret somnio se monitam, ut insinuaret Adriano, ne se occideret, quod esset bene valiturus: quod cum non fecisset, esse cæcatam. Jussam tamen iterum, Adriano eadem dicere, atque genua ejus osculaturetur, recepturam visum, si id fecisset. Quod cum insomnium implesset, oculos recepit, cum aqua, quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluisset. Venit & de Pannonia quidam natus cæcus ad febrientem Adrianum, eumque contigit: quo facto, & ipse oculos recepit, & Adrianum febris reliquit: quamvis Marius Maximus hæc per simulationem facta commemorat.* In Adrian. cap. 25. Cur ergo, quin rei *impietatis quoad historiam non revelatam* simus, etiam de miraculis Vespasiani simulationem hujusmodi fas non erit nobis suspicari?

Quamquam, etiamsi per summam liberalitatem hæc omnia miracula vera esse, Libertinis concederemus, quodnam ipsi emolumentum, quodnam miracula Christi detrimentum caperent? Prodigia Apollonio, & Vespasiano adscripta auctoritatem Idololatriæ, & impietati conciliabant. Ille se jactabat superstitionibus supra modum addictum; volebat Religionem tunc vigentem coli: cum Romam pervenisset voluit omnia templa invisere; & ea incolere diu, noctuque, transmigrationem Pythagoricam docebat; divinos honores non aspernabatur, quamvis nihil aliud fortasse, quo augustior homine videretur, haberet, quam quod, ut garriebat ille, avium cantum intelligebat (b). Eratne magni negotii internoscere, num a Deo veritatis, an a mendacii spiritu isthæc prodigia proficiscerentur? Quod si de Vespatiani miraculis loquimur, ut qualia fuerint sciamus, satis est ita scribentem Svetonium legere (in Vespasian. n. 7.): *Hic cum de firmitate Imperii capturus auspicium, ædem Serapidis, submotis omnibus, solus intrasset; ac propitiato multum Deo, tandem se convertisset, verbenas, coronasque, & panificia, ut illic assolet, Basilides libertus obtulisse ei visus est: quem neque admissum a quoquam, & jampridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longeque abesse constabat: ac statim advenere literæ, fusas apud Cremonam Vitellii copias, ipsum in urbe interemptum nunciantes. Auctoritas, & quasi majestas quædam, ut scilicet inopinato, & adhuc novo principi, deerat; hæc quoque accessit.* Finis hic politicus nonne satis ostendit, quo ex fonte illa prodigia originem ducerent? Quamquam Historicus certos nos facit, Serapidem huic consilio inservisse. Ita enim scribere pergit: *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis demonstratam a Serapide per quietem: restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cum vix fides esset, rem ullo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet: extremo hortantibus amicis palam pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit.* Conferatur narratio hæc cum relata a Spartiano, detegeturque similitudo; suspicionique locus erit, hæc omnia, ut palparetur novo principi, fuisse facta; quod

(a) Court. Examen de la These de l'Abbè de Prades §. 5. pag. *On connois bien mal les Cours, quand on ignore à quel point la complaisance, & la flatterie en bannissent la verité. Puisque les Romains avoient bien la lache effronterie de diviniser leurs Empereurs, même de leur vivant, il ne leur en coutoit pas plus de leur faire operer des guerisons miraculeuses.*

(b) De vero Apollonii ingenio, & præstigiis legi ex antiquis, & recentibus Scriptoribus multis. Claris. Cardinalis Ursius in sua præstanti Historia Ecclesiastica Lib. 1. num. 69. & II. num. ... meretur.

quod meo judicio non obscure confirmat Svetonius ipse (ibid.) ita scribens: *per idem tempus Tegea in Arcadia instinctu vaticinantium effossa sunt sacrato loco vasa operis antiqui, atque in his assimilis Vespasiano imago*. Sed ut ad propositum redeamus, quamvis non conficta aulicorum adulatione hæc prodigia esse dicamus, nos in Genio malo ab hoc principe ad superstitionem exculto originem comperimus; eaque aut sola ignorantia, aut impietas potest in scenam proferre, ut miracula Jesu Christi labefactet, ut argumenti, quod ab his velut ab evidentidus pro nostra Religione divini testimonii indiciis colligimus, vim, roburque infirmet.

Ex his autem, cunctisque in hoc capite de miraculis dictis imprudentia, immo error nuperrimi Scriptoris detegitur, (Mart. de Prades), qui in Thesi (quam postea Sacra facultas Parisiensis censuris affecit) n. 7. hæc habet: *Ergo omnes morborum curationes a Christo factæ, si seorsim summantur a Prophetiis, quæ in eas aliquid divini refundunt, æquivoca sunt miracula, utpote quæ illarum habeant vultum, & habitum in aliquibus curationes ab Æsculapio factæ. Ex se nullam habent miracula germanitatem cum doctrina*. Doctrinæ a nobis allatæ contrarium probant, sed clarius verba Christi id confirmant, qui toties; ut supra diximus, hæc miracula, ut divinam missionem suam ostenderet, appellavit, præcipueque cum Discipulis Joannis requirentibus, num ille esset is, qui erat venturus, an alius expectandus sibi esset, hæc respondit: *Renuntiate Joanni, quæ audistis, & vidistis, quia cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt*. (*Luc. 7. 22.*) Quare animadvertit Paschalis (*a*), *Jesum Christum probasse, se esse Messiam, veram doctrinam, Missionemque suam potius miraculis quam Scriptura, & Prophetiis confirmando; & Nicodemum ex miraculis nimirum cognovisse, ejus doctrinam esse Dei: ita enim inquit*: Scimus, quia a Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. *Non judicavit Nicodemus* (Paschalis inquit) *de miraculis ex doctrina, sed ex doctrina de miraculis*. Hæc ergo per se una, etiam Prophetiis, quæ illa illustrabant, remotis, veritatem dogmatum, Missionisque Redemptoris divinitatem probare potuerunt: quod potissimum hoc capite demonstrare intendimus.

(a) *Jesus Christ a prouvé, qu'il étoit le Messie, en verifiant plûtot sa doctrine, & sa Mission par ses miracles, que par l'Ecriture, & par les Propheties. C'est par les miracles, que Nicodeme reconnoit, que sa doctrine est de Dieu*; Scimus, quia a Deo venisti Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. *Il ne juge pas des miracles par la doctrine; mais de la doctrine par les miracles*. Pensees. n. 27.

APPENDIX

Ad Caput præcedens.

PRodierunt anno proxime elapso ex Hollandiæ typis, & ad nos, postquam publici juris primum factus fuerat Liber hic, quædam *Letres de Jean Jacques Rousseau ècrites de la Montagne* pervenerunt; in quarum secunda, & tertia præcipue nullum non lapidem movet Philosophus hic, ut evertat, eliminetque a Religione, & ex terris ipsis miracula, testans tamen, se Christianum esse, divinamque Revelationem admittere. Resilli est præsertim cum Theologis Protestantibus; neque inficias iverim, ab illo interdum satis valide suis principiis eos urgeri, premique. Verum quod spectat ad controversiam de miraculis generatim, quamvis in multa abeat invia diverticula, quamvis in varios mutet vultus, ut decipiat, fallatque lectorem; iis tamen rebus a nobis hoc in capite statutis ejus sophismata (quæ omnino sunt quovis tempore a Libertinis repetita) labefactantur; miraculorumque veritas, argumentique, quod pro Religione ex iis colligitur, robur manet immotum. Haud in animo mihi est, quæcumque dicit, exami-

minare singillatim, quædam tantum ejus peculiaria effata afferam, & confutabo.

Notas, sive probationes divinæ Revelationis ille recenset; quæ quidem ejus sententia tres sunt. „ Prima est doctrinæ natura, hoc est, sua utilitas, pulchritudo, sanctitas, veritas, altitudo, „ aliæque dotes, quæ hominibus institutiones supremæ sapientiæ, & supremæ „ bonitatis præcepta annunciare possunt. „ *Nota hæc* (pergit ille dicere) *est tutissima, & fallere nescia, & in se habet argumentum, quod nulla alia argumenta requirit*. (*a*) Divinæ Revelationis nota secunda nostri auctoris judicio est „ hominum „ selectorum a Deo ad divinum verbum „ prædicandum sanctitas; eorum veritas; „ justitia, integri mores, purique una „ cum mentis qualitate, hoc est ratione, „ spiritu, scientia, prudentia, quæ do„ tes simul conjunctæ „ *efficiunt* (inquit ille) *pro iis perfectam probationem, quæ eos hominibus majores ostendit*. Hæc tamen nota, *licet certa sit*, tamen, ut ille arbitratur, non est omnino fallere nescia. (*b*)

Tertia *missorum a Deo* nota *est emanatio divinæ potentiæ, quæ potest interrumpere & mutare cursum naturæ pro eorum, qui hujusmodi emanationem accipiunt, voluntate*. (*c*) *Nota hæc* (ait Roussojus) *est aliarum splendidissima*; ille eam *populo accommodam* putat; verum quod ad se attinet, eam non prorsus certam existimat, & ut infra videbimus, nullam omnino illi fidem habet. Tamen inquit ille, (*d*) licet „ hæ „ tres notæ sint argumenta auctoritatis „ eorum, in quibus insunt sintque ratio„ nes, quibus cogitur quisque iis crede„ re: immo si unum tantum, ille ait, „ horum argumentorum me permovet, „ operam perdit quicumque vult, ut alia „ admittam: argumenta sunt modi, fi„ des doctrinæ debita est finis. „ His theoriis ita constitutis, quibus examinandis nunc supersedeo, ita de se loquitur: *Me Christianum profiteor; insectatores mei negant me esse Christianum. Probant, me Christianum non esse, quia Revelationem rejicio, probantque, me eam rejicere, quia miraculis non credo*. (*e*) Ego quoque, Roussoji, in hanc sententiam eo, ut timeam, ne insectatores tui vere sentiant. At minime vero gentium, inquit Genevensis Philosophus, *ut enim vera esset hæc eorum illatio, opus esset, ut aut miracula essent solum Revelationis argumentum, aut ut reliqua argumenta, quæ illam probant, repudiarem. Jam nullo modo verum est, miracula esse Revelationis argumentum solum, nec verum est, me alia argumenta rejicere, quandoquidem contra in eodem opere* (*f*), *ex quo me ut Revelationis eversorem insimulant, approbantur*. Quid ergo, inquio ego, hinc infers? An te esse Christianum? Jure valde vereor: audi quæso, quo modo ratiociner. Si revera aliquot eorum argumentorum, quæ superius recensuisti, Revelationem admittis; constat, hanc tibi miracula necessario credenda proponere. Jesu Christi vita (quis inficiabitur?) est pars de *essentia* Revelationis Evangelicæ, & hæc vita a Verbi Incarnatione usque ad ejus in Cœlum adscensum est miraculorum congeries. Si igitur miracula non sunt argumentum unum Revelationis, sunt tamen ejus *objectum*, seu pars *essentialis*. Jam tu, o Roussoji, sicut ex hac Epistola colligitur, nullo modo miracula vis agnoscere, immo eo progrederis audaciæ, ut dicas, *tolle ex Evangelio miracula, totus terrarum Orbis Christum Jesum adorabit* (*g*); id est; ex Evangelio Christum Jesum tolle, omnes-

(*a*) *Ce caractere est le plus sur, le plus infaillible, il porte en lui-même une preuve, qui dispense de toutes autres*. Lettr. III. pag. 78.

(*b*) *Ce caractere a sa certitude, mais il n'est pas impossible, qu'il trompe*. pag. 79.

(*c*) *Ce caractere est sans contredit le plus brillant des trois ... est aussi celui qui saisit specialment le peuple, incapable de raisonnemens suivis*. ibid.

(*d*) *Les caracteres sont des preuves de l'autorité des eux, ex qui ils resident; ce sont les raisons sur les quelles on est obligé de les croire. Quand tout cela est fait, la verité de leur Mission est etablie; ils peuvent alors agir avec drois, & puissance en qualité d'envoyés de Dieu. Les preuves sont les moyens, la Foi due à la doctrine est la fin. Pourvu qu'on admettent la doctrine, c'est la chose la plus vains de disputer sur le nombre, & le choix des preuves, & si une seule me persuade, vouloir m'en faire adopter d'autres est un soin perdu*. ib. pag. 80.

(*e*) *Je me declare Chrêtien; mes persecuteurs disent, que je ne le suis pas. Ils preuvent, que je ne suis pas Chrêtien, parce que je rejette la Revelation, & ils preuvent, que je rejette la Revelation, parce que je ne crois pas aux miracles*. pag. 81.

(*f*) Ibidem. Opus, quod hic innuit Roussojus, est *Æmilius*, de quo fuse Lib. III. loquuti sumus.

(*g*) *Otez les miracles de l'Evangile, & toute la terre est aux pieds de Jesus-Christ*. pag. 91.

nosque homines Jesum Christum fatebuntur. Tu igitur divinam Revelationem respuis; non es ergo Christianus. Dicam, quod sentio, magno me dolore hæc consequutio afficit, multoque majori etiam, quam te. Si enim tibi eum dolorem incuteret, quem deberet, flammis libros tuos traderes, & fatereris, turpiter eum mentiri, qui vult haberi Christianus, & dicit se quacumque ex ratione, aut causa divinæ Revelationi credere, at miraculis, quibus Revelatio, tamquam basi innititur, se nolle credere.

Sed pergamus porro, aliamque nostri Philosophi distortam sententiam perpendamus. Qua de causa *insectatores mei*, inquit ille, *crimini reum me traducent, si argumentum repudio, quod Christus non solum non dedit, sed etiam dare aperte recusavit?* (a) paucisque interjectis: *res ejusdem Christi testimonio probatur, si dum vitam agebat miracula patravit, eum numquam, ut missionem suam confirmaret, miracula fecisse*. (b) Hic enim vero valde vereor, Roussoji mi, ne insectatores tui, immo iidem tui amici dicturi sint, te non solum Christianum non esse, sed honestum quidem hominem: siquidem quicumque honestus est tam aperte, putideque mentiri nescit. *Christus Jesus nullum edidit miraculum, ut missionem suam comprobaret?* Revolve Evangelium, Librum scilicet illum, ad quem provocas tute idem, & de quo est inter nos disputatio. Capite VII. curationem pueri Centurionis, & vitam restitutam mortuo filio Viduæ in urbe Naim solo vocis imperio Lucas describit, & hæc ait: *& exiit hic sermo in universam Judæam de eo*, & *in omnem circa regionem. Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his*. Tum ita dicere pergit; *& convocavit duos de discipulis suis Joannes, & misit ad Jesum dicens, tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Nonne hoc est ab illo exposcere, num esset Messias, an non? Audi nunc quid Evangelista narret. *In ipsa autem hora* (Jesus) *multos curavit a languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum. Et respondens* (discipulis Joannis) *dixit illis, euntes renuntiate Joanni quæ audistis, & vidistis: quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*. Vide, quomodo responderit interrogationi, ostenderitque Christus Joannis discipulis, se esse Messiam. At Roussojus Evangelium præ manibus, & ante oculos habens scribere audet, si Christus dum vivebat miracula fecit, eum numquam, ut Missionem suam comprobaret, illa fuisse operatum. Plurima alia prætermitto loca (*Joan.* V. 36. X. 37. III. 2. II. 23. VII. 41. *Matth.* XI. 20. *& alibi sæpe*), in quibus Christus miracula sua appellat argumentum certissimum, esse se Dei Filium missum a Patre, sicut Prophetæ fuerant vaticinati; in quibus locis exigit fidem hanc ut suorum prodigiorum fructum, objicitque Judæis eorum inexcusabilem duritiem, per quam licet tot mirabilia a nemine prius patrata viderent, tamen eum, qui erat, agnoscere nollent. Hæc, inquam, prætereo: quoniam Evangelium exscribere oporteret; eritque potius operæ pretium audire, quomodo Philosophus noster Evangelio ipso putet παράδοξον suum se confirmare.

Legimus (ait ille *pag.* 83. *&* 15.) Hebræos decrevisse aliquod miraculum a Christo petere: *Magister volumus a te signum videre*: (*Matth.* XII. 38.) & alibi (*Joan.* VI. 30.) *Quod ergo tu facis signum, ut videamus, & credamus tibi? quid operaris?* Si Christus (inquit Roussojus) prius miracula edidisset, sicut hujusmodi Hebræorum postulatio *inaudita impudentia fuisset*, ita Christus miracula a se ante patrata iis exprobrando, aut alia faciendo eam coarguisset: Christus tamen aut alio sensu eorum verba accipiens, aut eorum mirabilia videndi cupiditatem damnans, nolle se alia patrare testatur gravibus illis verbis: *generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ*. Aut igitur Christus miracula nulla operatus est, aut si fecit, ut suam missionem confirmaret, non edidit. Hoc est Roussoji sophisma longo verborum circuitu, figura-

(a) *Ils me font un crime de ne pas admettre une preuve, que non seulement Jesus n'a pas donnée, mais qu'il a refusée expressement*. pag. 82.

(b) *Il reste toujours prouvé par le temoignage de Jesus même, que s'il a fait des miracles durant sa vie, il n'en a point fait en signe de sa mission*. pag. 86.

rumque involutum. Et primum quidem quoad Hebræorum impudentiam attinet, quam ais, si Christus, miracula patrasset, quæ nos dicimus, futuram fuisse inauditam, repono, nemini illam futuram fuisse minus, quam tibi. An non tu is es, qui profitens, te Christianum esse, qui ajens, te Revelationem admittere, qui Evangelium præ manibus habens, in quo narratur Christus visum restituisse cæcis, oppressos a Dæmone liberasse, imperasse ventis, mortuos ad vitam excitasse, hominibusque hæc miracula tamquam publica, splendida, & firmissima suæ divinitatis argumenta dedisse, an non tu is es, inquam, qui audes in dubium revocare, num Christus miracula umquam ediderit, & perfricta fronte negare eum numquam mirabilia in suæ missionis confirmationem fecisse? Jam cum ipse de te hoc habeas experimentum, qui umquam Hebræorum *impudentia inaudita* tibi videri potest, si in tanta luce nulla se vidisse miracula simulabant? Intellectus cæcitas, voluntatisque durities hoc pariunt. Rationis tuæ, & rationis illorum discrimen versatur in quantitate majori, minorive; at hoc genus non mutat. Atque hoc volo esse responsum primum. Alterum est, Hebræos in duobus allatis locis non postulavisse prodigium, sed prodigium ejusmodi, quale eorum voluntas, libidoque volebat. Primi, ut legimus apud S. Matthæum (XII. 38.) & apud S. Lucam (XI. 16.) haud contenti expulsione Dæmonis ex homine facta paulo ante, ipsis inspectantibus, a Christo, imperitantes ab eo *signum aliquod e cælo* petebant: hoc est, ut e cœlo evocaret, velut Elias, ignem, aut, ut Samuel, præter morem, efficeret, ut tonaret. (*Vide Hieron. in Comment. in Matth.*) Secundi vero cum pridie panes a Christo prodigialiter multiplicatos comedissent, fuissentque confessi, esse illum Prophetam ab hominibus expectatum, panis cœlestis, seu mannæ datæ patribus suis in deserto per Moysem veluti miraculi majoris ponderis mentionem injicere non sunt veriti, tentantes, signum ejusdem notæ a Christo videre (a). Quid Christus agit? Renuit iis satisfacere. Negat, se primis velle aliud signum dare nisi signum Jonæ Prophetæ (b). Aliorum audaciam diviuitus repellit ajens, non Moysem, sed Patrem suum cœlestem eorum majoribus mannam in deserto dedisse; neque eorum petulantibus cupiditatibus vult assentiri. Nil certius hoc est. Quid ergo hinc colligis? Christum, dum vivebat, miracula non fecisse, aut *in suæ missionis argumentum ea non patrasse*? At quæ logica est umquam hæc? Quænam magis perversa ratiocinandi ratio esse potest, quam ex his singularibus factis generatim concludere velle contra apertissima illa testimonia, quæ in eodem Libro, ex quo illa desumis, meridiana in luce Christi miracula ponunt, & ea interdum ab illo facta, interdum allata in suæ divinæ missionis confirmationem nobis demonstrant?

Et sane claritatem tam splendidæ comparationis dissimulare nequit Genevensis Philosophus, conaturque sese expedire periodum quamdam vafre inferendo, quæ cum incautis lectoribus (quæ est ejus admiranda ars) fucum facere potest, tum causam illam, quam defendendam suscepit, magis desperatam prodat. *Concedamus*, inquit, *alia loca intellectum ab his diversum habere* (hoc est ab illis, quibus ad probandam distortam propositionem suam est abusus:) *hac sententiam aliis adversantem præseferunt*; *seligo tunc jure meo ex his sensibus illum, qui mihi magis cum ratione congruere, clariorque* videtur (c). Nego, & pernego, hæc loca, scilicet & allata a te, & allata a nobis sensus sibi invicem contrarios, oppositosque habere; utrique sensus veri sunt, utrique sensus mire sibi congruunt. Verum quidem est,

(a) Legantur interpretes, & præcipue Joannes Maldonatus ad hunc S. Joannis Locum.

(b) Signum hic a Christo indicatum erat futura sua resurrectio cum fuisset per tres dies in terræ sinu, quod miraculum quæcumque alia a se gesta completurum erat, & signaturum. Legantur Commentatores. Roussojus multa contra hunc verborum Christi sensum blaterat, vultque, ea non posse accipi de Christi Resurrectione. At quam facile eum refutare possemus, tum inutile consilio nostro judicamus. Argumenta enim nostra in textu allata ejus præcipuum caput, & de quo nunc agitur, omnino evertunt.

(c) *Accordons que d'autres passages présentent un sens contraire à ceux ci, ceux-ci, réciproquement, présentent un sens contraire aux autres, & alors je choisis, usant de mon droit, celui de ces sens qui me paroit le plus raisonnable, & le plus clair*. p. 9.

est, Christum miracula fecisse, Christum ea fecisse in argumentum suæ missionis, ad eorum magnitudinem, auctoritatemque, ut fidem suam confirmaret, provocasse; ut aperte loca a nobis recensita significant; verum etiam est, Christum edere quibusdam temporibus miracula noluisse, neque; ut suorum adversariorum retunderet perfidiam, horum mentionem fecisse. Verissimum, inquam, hoc est. At hic nulla est sensuum oppositio: quandoquidem non iidem sunt homines, non eadem tempora, circumstantiæ non eædem. Erras ergo, si putas, electioni hic locum esse, ut ais, aut posse te jure tuo sensum aliquem perverso, distortoque tuo systemati faventem elicere. Etenim (aures arrige, mentemque) sicut loca a nobis exposita propositionem tuam, qua dicis, Christum miracula non peregisse, aut ea non peregisse in suæ missionis confirmationem, omnino labefactant, nostramque tuæ oppositam perspicue confirmant; ita alia loca, quæ dicunt Christum quibusdam temporibus noluisse miracula edere, neque ullo modo quod probare intendis, probant, neque propositioni nostræ quicquam adversantur. Hæ sunt ratiocinationes ita dilucidæ, claræque, ut si de aliqua alia materia, præter Religionem, ageretur, fortasse nullum haberent adversarium, nisi aliquem aut indoctum, aut stultum; sed quia impietatem, Roussojum, ejusque amicos, nempe homines arte critica exquisita ornatos impugnant, prosternuntque, minus intelliguntur. Det illis Deus *mentem sanam*.

Nos enim ad tertiam Genevensis Philosophi propositionem discutiendam accedemus, quæ talis est, *miracula non sunt argumentum certum, & de quo homines judicare possint*. (*a*) Hæc propositio, quæ jactatur ab omnibus Incredulis, quæque esset formidanda, si quam falsa est, tam vera esset, iisdem sophismatibus a Roussojo defenditur, quibus ab Atheis, & Naturalistis omnibus quovis tempore infeliciter defensa fuit.

Definit itaque miraculum *actum divinæ potentiæ proximum, mutationem in ordine naturæ gravem, exceptionem veram, visibilemque suarum legum* (pag. 94.). Sit ita, quid inde infers? Duæ quæstiones, inquit ille, hinc nascuntur; una, *num Deus miracula facere possit?* Faceturque, impium futurum, qui de hoc ambigeret; altera, *num Deus velit patrare miracula?* dicitque, hanc quæstionem supervacaneam, & inutilem, quæ ut solveretur, divina decreta essent legenda. Ergo, repono, utilis, & necessaria, quam proponere debebas, & quæ solvi potest, hæc est, *num Deus, qui certe miracula facere potest, in suæ Religionis confirmationem, aliqua ediderit*. Jam hanc gravem quæstionem, e qua omnia derivantur, ex iis, quæ in hoc capite demonstravimus, sapiens, honestusque quilibet vir dijudicatam videt. At nimium versipellis est Roussojus, e recto tramite, qui illum, lectoremque suum ad dignoscendam veritatem duceret, digreditur; diverticula quærit in via, ut in errorem alios trahat.

Probare igitur studet, miraculum non posse umquam hominem cognoscere, aut de illo judicare, *quia, cum miraculum sit legum naturæ exceptio, ut de illo judicaretur, omnes cognoscendæ essent* (*b*). Jam, inquit, quis Mortalium erit, qui tantum sibi arroget? Nevvtonus ipse naturæ scrutator acutissimus omnes ejus leges penitus se intelligere non prædicabat. Quod ergo dici potest de illo, qui se miracula facere deprædicat, est hoc, eum res extra ordinem facere (*c*). Ut agantur porro mirabilia hæc, satis est Physicam experimentalem, Chymicamque aliquantulum callere (*pag. 98. & 11.*). Hic enimvero Philosophus noster summæ suæ eruditioni latissimum aperit campum. Loquitur de *præcipitationibus, de detonationibus; de phosphoris, de pyrophoris*. Producit *conclave Abbatis Noletti*, quod vocat *Laboratorium Magiæ, oblectamenta Mathematica, quæ sunt miraculorum collectio*. Hic cernas machinas ambulantes, lignea capita loquentia, tubos, opticam, barometra, ma-

S 2 gne-

(*a*) *Les miracles ne sont pas un signe infaillible & dont les hommes puissent juger*. p. 94.

(*b*) *Puisqu'un miracle est une exception aux loix de la nature, pour en juger, il faut connoitre ces loix, & pour en juger surement, il faut les connoitre toutes*. p. 96.

(*c*) *Tout ce qu'on peut dire de celui qui se vante de faire des miracles, est qu'il fait des choses fort extraordinaires*. p. 97.

gnetem, per quæ omnia apud imperitos prodigia fiunt. Hinc transit ad curas admirandas, ad artem oculos laborantes visu curandi, vitam restituendi submersis aqua, appensis, tum his similibus effutitis nugis multis concluditur, *Christum a spiritu Dei illustratum lumina ita majora luminibus suorum discipulorum habuisse, ut mirum non sit, si tam multa extra ordinem gessit, in quibus spectaterum imperitia prodigium, quod non erat, vidit*. (a).

At quousque tandem, Roussoji, Dei, hominumque patientia abutere? Tune es Christianus, & Philosophus, & sanæ mentis, honestusque? quid tibi vis vafris, profanisque hujusmodi cavillationibus? Tenebris Jesu Christi miracula involvere, stolidos, cæcosque una cum Apostolis eruditissimos omnium sæculorum viros traducere, qui illa examinarunt, crediderunt, scriptis, & sanguine propugnarunt? Equidem dijudicare non ausim, utrum in his scribendis (cogor enim verba rebus convenientia usurpare) plus insit impietatis, an dementiæ. Et sane audito. Sicut vim hominum miracula superant, ita profecto a Deo fieri possunt; ipse fecit, constituitque hunc naturæ ordinem, ipse eum regit, conservatque, ille æque facile, & quin ulla vel minima mutatio in eo fiat, potest quibusdam temporibus eum mutare, & vertere, in quo scilicet miraculum consistit. Res ergo eo redigitur, ut sciatur, num ille id fecerit. Nos affirmamus, hujusque nostræ affirmationis argumenta ejusmodi afferimus; quibus in quæstionibus de facto validiora produci non possunt. Christi Resurrectio, verbi causa, quod ejus miraculorum est præcipuum, aliorumque omnium confirmatio, signumque, illo demonstrationis genere a nobis probata fuit, qua nullum historiæ factum neque firmiorem, neque clariorem habere potest. Tu vero, cui *hoc miraculorum factum* minus arridet, qui multitudinem illam auctoritatum, argumentorumque refutas, quibus a nobis, & ante nos per decem & octo sæcula probatum fuit, & firmum, certissimumque cognitum? nullis aliis rationibus, quam obstinata duritie illud respuendi. Hinc fit, ut de Resurrectione Christi scribere quidem audeas (b), *non esse miraculum, corpus hominis postquam per tres dies sepultum fuerit, e sinu terræ exsurgere*, quæ est VVoolstonis, aliorumque impiorum blasphemia; at ne verbum quidem, ne unum quidem cujuscumque generis, quod aut rationes nostras oppugnet, aut propositionem tuam confirmet, in aciem argumentum producis. Neque Christus ergo resurrexit, neque Christus est operatus miracula, quia non vult, quia negat Roussojus. Num hic sit major impietas an falsum judicium, an perversa ratiocinandi ratio, quilibet sanæ mentis homo, vel me tacente, videt. Quæstiones *de facto*, qualis est hæc, de qua nunc agimus, habent argumenta propria, quibus tractentur; talia sunt testimonia, monumenta, traditio, consensus, effectus: Hic (ut supra ostendimus) ita omnia nobis favent, ut moralem quidem, sed evidentissimam demonstrationem Christi Resurrectionis, miraculorum ab eo patratorum efficiant; jam cum vis illam refellere ad ravim usque, & perfricta fronte contrarium repetendo tantum, scribendoque, ut facis, *tollantur ex Evangelio miracula; totumque humanum genus Christus adorabit*, affers quidem tuæ audaciæ argumentum, quæ Deo miraculorum, Evangelii, Religionis auctori legem præscribere petulanter postulat; at argumentum hoc nullo modo rationes nostras infirmat, neque efficit, ut id infectum sit, quod jam factum est.

Non ignoro tamen, te credere, saltem apud Proselytos tuos omnia superius exposita, & hic recensita de miraculorum veritate nostra argumenta te uno ictu posse evertere, sequutum Libertinorum scholam ajendo, homines de miraculis judicare non posse; cum enim hæc naturæ legibus non comprehendantur, opus esset eas agnoscere, atque ut tuto judi-

(a) *Jesus éclairé de l'esprit de Dieu, avoit des lumières si supérieures a celles de ses disciples, qu'il n'est pas étonnant qu'il aït operé des multitudes des choses extraordinaires, où l'ignorance des spectateurs a vù le prodige, qui n'y étoit pas*. p. 104.

(b) *La mort d'un homme n'est pas un miracle; ce n'en est pas même un, qu'après avoir resté trois jours dans la terre un corps, en soit retiré*. pag. 85. loquitur de loco S. Matthæi *sicut Jonas fuit in ventre ceti ... Sic erit filius hominis &c.*

judicari posset, eas omnes scire oporteret. Quam scientiam cum nemo omnium possit habere, nemo omnium est, qui cognoscere, & testimonium de miraculo perhibere possit. Hoc est argumentum tuum instar Achillis fortissimum, quod tamen ego duabus animadversionibus polliceor, me omnino labefacturum.

Jesus Christus (in quem gloriaris (a) nullam umquam te evomuisse blasphemiam) in Evangelio, ut paulo ante probavimus, ut argumenta divinæ suæ missionis certissima affert miracula. *Ite, & renunciate Joanni* (qui exquisierat per discipulos suos, num ille esset Messias) *quæ audistis, & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, mortui resurgunt*. Igitur de miraculis judicare possunt homines; hoc est de operibus longe naturæ, artisque vires superantibus, & ab his eas tuto distinguere: quoniam opera naturæ artisque vires non superantia argumenta certa hominis a Deo missi esse non possunt. Hoc est argumentum, cui nemo, nisi qui aperte se impium, hostemque Christiani nominis profiteatur, respondere potest.

Verum ad secundam animadversionem (quæ præmissa a nobis superius fuerat, scilicet n. XI. hujus Capitis) quæ elinguem efficiet etiam Roussojum, modo sit ejusmodi, qualem & ejus insectatores, & amici eum credunt, descendamus. Naturæ cursus, seu legum tenor ille, quas Deus ad hujus rerum universitatis regimen constituit, quatenus relationem ad nos, ad vitam nostram, ad humana opera habet, adeo nobis est notus, adeo certus, ut dubitare non possimus. Experientia universa, perpetua, constansque id nobis ostendit; Deique sapientia, qui nobis hujusmodi ordinem ut normam, regulamque nostrorum actuum dedit, nos scientes facit. Certo scimus, diem excipi nocte, æstatem autumno, morte vitam; scimus, hominem inter flammas comburi; in aquis positum deorsum ferri, vere mortuum ad vitam non revocari, ex nihilo nihil fieri. Has, aliasque his similes leges, quæ simul unitæ systema, naturæque cursum efficiunt, quin Nevvtonum consulamus, quin Physices, Chymicæque penetralia adeamus, ex universa, inquam, perpetua, constantique experientia, tam certo scimus, ut de iis, nisi in pyrrhonismum turpissimum incidere velimus, non possimus ambigere. Æque igitur certi de miraculo & judicare, & pronunciare possumus, cum leges has, quarum supremus auctor, moderatorque Deus unus est, immutatas videmus. Ergo novam lucem in cœlo apparentem; alicujus remedii morbi antea prorsus insanabilis crediti inventum, rem quidem insolitam dicemus, at miraculum non appellabimus, quia quamvis nos horum phænomenorum causa lateat, non tamen leges statutas, perpetuasque aut cœlestium motuum, aut terrestrium corporum immutatas videmus. At hominem voce sua motum solis sistere, voce sua ventos, tempestatesque sedare, visum cœco nato restituere; excitare ad vitam cadaver jam fœtens, & eum ipsum, ut prædixerat, mortuum, & per tres dies sepultum resurgere, nos hæc sine errore miracula vocamus; nos hæc majora naturæ, artisque viribus opera dicimus; & Roussojus crepet, ut libet, producatque Phosphoros, *pyrophoros*, totumque *Abbatis Noletti conclave, & mathematica oblectamenta*, numquam efficiet, ut dubitemus. Novimus satis naturam ut certo pronunciemus, his temporibus constantem cursum ejus mutari, longe, multumque hæc phænomena superare naturalium causarum vires, ac proinde a Deo proficisci. Possumus igitur de miraculis judicare; sunt igitur divinæ virtutis argumenta certissima. Satis, superque hoc est Roussoij sophismati exsufflando, miraculorumque Christi evidentiæ statuendæ. Eas tamen circumstantias præterire nolumus, quæ propositionem nostram clarius demonstrant, quæ inanes illas suspiciones, eas fictas non repugnantias causarum naturalium ignotarum removent, quas ceu fumeos globos Genevensis Philosophus, ne veritatem cernamus, diffundit. Hæc adjuncta sunt varietas, multitudo, modus, publica lux, duratio, effectus Christi miraculorum. Haud hic agitur de aliquo opere mirando quidem, at vel occulto, vel fortuito, vel ex composito facto, vel in uno tan-

(a) Pag. 105. Nota (0) Quam vera sit hæc ejus gloria, locus ipse, in quo hoc dicit, ostendit.

tum genere, aut ad tempus, fugacique. Christus meridiana in luce, innumeris hominibus inspectantibus, in foro urbis principis, publicis in viis, in urbibus, in vicis, pene dixerim in cunctis Palæstinæ angulis miracula patravit. Miracula patravit in elementa, in Dæmones, in infirmos, in mortuos. Miracula patravit solo contactu, nutu, voce. Dicit turbato mari acquiesce, & fit tranquillitas; dicit viduæ filio, adolescens, tibi dico surge, & resurgit qui erat mortuus; dicit Lazaro; veni foras e tumulo, & vivus exit. Quæ ferrea frons erit, quæ & chymicam, & phosphoros, & electricitatem, & alias ineptias nostri Philosophi producat in medium, ut lucem tantam subtrahat ex oculis? Quod ad Christi miraculorum durationem attinet, satis est Quadrati locum superius recitatum n. VII. legere, & quod de Resurrectione ejus Reparatoris nostri scripsimus relegere. Denique quoad eorumdem effectum, fuit hic, ut diximus, totius terrarum Orbis a superstitioso cultu ad veri Dei integram, puramque Religionem conversio; hic fuit fides innumerabilium virorum, qui in illorum miraculorum testimonium sanguinem fuderunt; hic excellentissima ingenia permovit, quæ agnoverunt, & doctis, validisque modis veritatem propugnarunt. Nunc, octo & decem sæculis jam elapsis, in Christianis regionibus, in regionibus, in quibus cogitandi ratio excolitur, doceturque, an poterit sine stomacho, & indignatione audiri scriptor, qui spiritus vertigine transversum actus prædictorum miraculorum auctorem sycophantam, qui velut miracula suarum acutarum artium opera obtrudebat, Apostolos, omnes demum homines, qui in Christi operibus miracula, quæ in iis non erant, videbant, stupidos, dementesque audet appellare? Et ferendi sunt (fortasse etiam in aliqua Catholica urbe) semidocti, hoc est etiam plus quam omnino indocti, adolescentes quidam, qui ad sidera usque scriptorem hujusmodi extollant, sibique plaudentes eum commendent *immortalem Roussæum*? Erit immortalis (detur mihi paulisper digredienti venia) ejus somniorum, deliramentorumque memoria, sicut immortalis erit Spinosæ, Tolandi, VVoolstonis, totque aliarum Reip. pestium memoria, nisi oblivio eam delet. Agnoscimus in hoc Philosopho intellectum, seu ratiocinandi acumen; nosque ipsi in hoc opere sæpe (& fortasse supra quam par erat) ejus ingenium laudavimus; at vecors esset, qui non videret, eum non solum contra recte ratiocinandi leges, sed etiam contra omnia honestatis, bonæque fidei jura ingenio suo abuti turpiter. Impius quilibet male ratiocinatur; at impius simulans se non esse impium pessime ratiocinatur, impietatique simulationem addit. An dicemus, esse hanc Roussoji notam? Ille ipse variis argumentis suis in libris disseminatis, & a nobis hic, illic recensitis, examinatis talem se nobis prodit; at præcipue in materia hac, quam præ manibus habemus, certissima nobis argumenta suppeditat. Ait Philosophus hic, se Revelationem accipere, se Christianum esse gloriatur, Evangelium ut humanis superiorem scripturam alibi laudat, demum inter alias sanas sententias in loco quodam jam noto *Æmilii* ait, vitam, mortemque Christi Jesu esse mortem, vitamque Dei. Nunc ego requiro: si intus, & in se infeliciter secus sentit, quare coram insectatoribus suis tam palam scribit, repetitque, hæc a se credita mendacia, ille, qui se magnifice effert *sui sæculi candidissimum scriptorem*, ille qui in insigni habet *vitam impendere vero*? (*in fronte epistolarum ex monte scriptarum*) Annon hoc est apertum mendacium? At si ille serio dicit, sentitque, creditque revera quidquid dicit, quomodo postea negat, Christum miraculis missionem suam probasse? quomodo ut veram ejus Resurrectionem non agnoscit? quomodo post longum illum Chymicorum, & circulatorum artium apparatum Christum ut hominem effingere audet, qui *quorumdam luminum luminibus Discipulorum longe superiorum ope res extra ordinem operabatur, in quibus spectatorum ignorantia miracula, quæ inibi non erant, videbat*? Priora illa effata nonne destruunt secunda? nonne falsitate, impietate, blasphemia hæc coarguunt? Si ergo & illa dicit, & hæc propugnat, judicet per se Lector, utrum superius exposita vera sit necne hujus *immortalis Philosophi nota*.

Verum redeamus in viam, & summatim colligentes quidquid gravius hucusque dictum in Genevensem Philosophum a nobis

nobis fuit, tandem aliquando sermoni nostro finem imponamus. Nos de Christi Jesu miraculis adeo certi sumus ut nihil supra: ac proinde sunt nobis ejus divinæ missionis firmissima argumenta. Si enim de veritate eventuum loquimur, præter evidentiam, quam ex Revelatione habemus, nos eos demonstramus illo rationum genere, quas ratiocinandi ars nos docet esse adhibendas in examinandis *factis*, & quarum vi eorum veritatem possumus detegere. Hoc modo Christi Resurrectio, quæ omnium ejus miraculorum finis est, & corona (quam unam brevitatis causa hic innuimus) ita a nobis probata fuit, ut aut quodvis veritatis quoad facta *criterium* tollendum sit, aut fatendum, hoc esse ejusmodi, ut de illo dubitari non possit. Quid inquit Roussojus? Ille alios Libertinos sequutus negat eventum hunc, neque ullo modo vult eum credere. At ejus negatio, ejus impietas, tanti ponderis apud sapientem quemquam, opinor, non erit, ut argumenta nostra evertere valeat. Ut omnia negentur, non opus est nisi audacia; ut nihil credatur, satis est obstinatio. Quod si examinemus, quantum Christi miracula naturæ vires exsuperent; hoc primum a nobis probatur argumento, quod jam Philosophus noster prævidit, curavitque, quantum vires passæ sunt suæ, evitare: sed frustra. Aggressus est ex Evangelio demonstrare, *si Christus dum vivebat operatus miracula fuerat, numquam tamen illum in suæ missionis argumentum ea fecisse*. At Philosophi nostri propositionem hanc falsam, Evangelioque contrariam esse, ipsius Christi testimoniis adeo perspicuis, iteratisque ostendimus, ut opus sit tantum oculis ad ea legenda, & honestate ad judicandum. Ex hoc tam claro, tam certo facto consequutiones duas derivamus, quas jam perhorrescebat Roussojus, utpote quæ eum ita irretiunt, ut nullus effugiendi aditus sit illi reliquus. En illas: Christus in suæ missionis argumentum miracula edidit; ergo ejus miracula naturæ vires supergrediebantur, quandoquidem hæc una eum a Deo missum demonstrare poterant. Christus indicia suæ divinæ missionis opera sua admirabilia Hebræis ostendit: poterant ergo homines dignoscere, num a vi naturæ ea proficiscerentur, an ut vim naturæ superantia essent a Deo. Nullus hic est responso locus.

Altera animadversio, unde Christi opera admirabilia vera miracula agnoscimus, ex iis notionibus deducitur, quas cursus, seu naturæ ordinis ex perenni, universa, constantique experientia genus humanum habet, quæ Physicam evidentiam facit, cui quælibet hominum consilia, & facinora incumbunt. Jam hunc naturæ ordinem in admirandis Christi Jesu operibus immutatum certe videmus; illa igitur ut vera miracula agnoscimus. Neque vero ex eo quod aliqua ignota naturalis causa (quod Philosophus noster nobis opponit) non repugnet, cujus interventu phænomena, de quibus loquimur, potuerint evenire; quicquam contra nos efficitur. Aut enim consideretur natura, aut circumstantiæ perpendantur, quæ Christi prodigia sunt comitatæ, interventum quemcumque, & cujuslibet naturalis occultæ fictæ causæ præsentiam omnino excludunt, illæque nobis acta hæc demonstrant suprema omnipotenti Dei vi, in cujus nomine, & pro cujus Religione gloriaque adhibita fuerunt. Christi ergo miracula & certissima sunt ejus cœlestis missionis, & ejus divinitatis argumenta, & sunt argumenta ejusmodi, de quorum vi homines judicare possunt; quæ est propositio, quam contra Roussojum defendendam suscepimus. Multa alia in hac re millies jam recocta a Libertinis, & a Christianis Doctoribus millies confutata ille scribit. Supervacaneum ducimus in iis refellendis immorari, eo magis quod ex illis, quæ hoc in libro statuimus, omnino corruunt. Hujusmodi est illud de prodigiis a Pharaonis Magis patratis, quæ adeo extollit Philosophus hic, ut omnia deprimat miracula. Satis me puto fuisse de his loquutum, ne molesto, veterique argumento diutius Lectorem defatigem. Opportunum fortasse videretur artem considerare, qua, effutitis jam ineptiis, & sophismatibus omnibus a nobis superius recensitis, se cautum, modestum, dubiumque fingit. *Cavete*, inquit, *ne ex eo quod ego miracula esse de Christianæ Religionis essentia credam, hinc inferatis, me miracula rejicere: nequaquam, neque illa rejeci, neque rejicio, si rationes dubitandi protuli, rationes ea credendi non reticui, multum inter se differunt aliquid repudiare, & aliquid non admittere* (a). Ars tamen hæc est jam

adeo trita, & obsoleta in hujus Libertini libris, ut nisi aliquem imperitum adolescentem, aut aliquam nugacem mulierem decipere possit. Hæc, quæ videtur modesta reticentia, est dictorum errorum repetitio, confirmatioque. *Miracula ut de essentia Christiana Fidei non habere* perinde est, ac Jesum Christum de essentia ejusdem Fidei non ducere, cujus notio vera, & nota miraculorum congeriem de essentia significat. Hæc una verissima animadversio nonne sufficit, ut Scriptoris nostri Religionem, & meritum, integritatemque ejus modesti, demissique testimonii dignoscamus? Itaque cum id aggressus, esset (sed frustra profecto) quo a Christiana Religione Auctorem suum aufert, quid opus erat, ut in miraculorum quæstionem penitius irreperet? Cum dicit se illa non rejecisse, se rationes ea credendi non reticuisse, revera arbitratur, hujus suæ Epistolæ Lectores omnes bardos fuisse, aut dementes. Distinctio autem, quam interesse ait inter non *admittere*, & *rejicere* miracula non alio tendit, nisi ut in hac materia Pyrrhonicum efficiat, & fortasse, ut nativis coloribus se nobis depingat. Si miracula ille non *admittit*; en ejus in hoc impietatem; si ea non *rejicit*, en ejus infirmitatem, qua fit, ut illa refutare non possit. Hæc, nisi erro, est increduli κατ' ἐξοχὴν imago.

(a) *Ne prenez pas ici le change, je vous supplie, & de ce, que je n'ai pas regardè les miracles comme essentiels au Christianisme, n'allez pas à conclure que j'ai rejettè les miracles. Non Monsieur, je ne les ai rejettè, ni ne les rejette; si j'ai dit des raisons pour en douter, je n'ai point dissimulè les raisons d'y croire: il y a une grande difference entre nier une chose & ne la pas affirmer, entre la rejetter, & ne pas l'admetire.* pag. 114.



C A-

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Sexta Nota Doctrinæ Christianæ,

Prophetia.

§. I. Argumenta, quæ hactenus attulimus in hoc Libro, causam, quam propugnamus, ita confirmant, ut in contentionem revocari non posse videatur. Integritas, veritasque Christianæ doctrinæ, ejus vis in pravis hominum moribus corrigendis, admiranda, citaque ejus per Orbem propagatio, tot Marty-

rum, qui sustinuerunt illam, sanguis; tot miraculorum fulgor, quibus fuit confirmata, sunt ejus originis notæ ita evidentes, ut iis, severissimo examine perpensis, jure postulare nobis videamur, ut Christianam Religionem, quæ doctrinam hanc tenet, profiteturque, divinitus revelatam, ideoque veram esse, unusquisque fateatur. Susceptæ tamen demonstrationis evidentiam ostendamus ulterius. Si Deus ipse haud dedignatus esset etiam voce sua theorema hoc, & omnium notarum notarum, ut illud probaremus, huc usque a nobis allatarum vim confirmare, quid amplius optandum esset, ut animus etiam maxime contumax sese subjiceret? Tamen hoc testimonium habemus, estque illud nimirum, quod in capite hoc in aperto ponere intendimus, de Prophetiis, quibus hæc Fides divinitus fuit prænuntiata, acturi.

Itaque disputationem hoc syllogismo aggrediamur, in quo illustrando, probandoque singillatim quaslibet ejus partes consilium nostrum, visque tota notæ hujus elucescet.

§. II. Ea Religio vera est, cujus historia cum eventus liberos, & contingentes complectatur, & cujus dogmata cum quemlibet creatæ rationis captum superent, tamen longe prius fuit hominibus prædicta, utpote illa, quæ Deo grata foret, suisque cultoribus æternam beatitatem esset paritura, quam per Orbem prædicaretur:

Atqui Religio illa, quam Christus Jesus docuit, quæque per Orbem totum diffusa eum ut Messiam, eum ut verum Dei Filium agnoscit, Historia sua eventa libera, & contingentia complectitur; proponitque dogmata quamvis creatæ rationis investigationem superantia, fuitque nihilominus hominibus prædicta, utpote illa, quæ Deo grata foret, suisque cultoribus æternam beatitatem esset paritura:

Ergo Religio hæc est vera.

Harum propositionum prima, seu *major*, quædam sibi *dari* requirit; hoc est *præscientiam*, & *veritatem* Dei; attributa quæ necessario ex idea *Entis infinite perfecti* consequuntur. Hinc Sociniani (Vid. *Joan. Crelii de Deo, & attrib. Divin. cap.* 24.) primum horum de Deo negantes aut irridendi sunt, ut pessimi ratiocinatores, ut Xenophanes Colophonius ille, qui unus, ut ait Tullius (a), ex antiquis Philosophis cum Deos esse diceret, *divinationem* funditus sustulit; aut inter Epicuri discipulos recensendi, qui de divinitate pessime sentiens de medio eam tollebat. De alio attributo, videlicet *veracitate* vesani tantum dubitare possunt. Aliud *datum* prima propositio requirit, hoc est unum Deum, neminemque omnium alium *præscientiam* eventuum liberorum, & contingentium habere, præcipue si peculiari ratione a supremis Dei dispositionibus naturali rerum ordine superioribus dependeant, quod nimirum in hac re nobis pertractanda accidit. Hoc etiam *datum* non probamus, quia per se jam patet. Ineptiæ, somniaque Spinosæ, ejusque discipulorum in hujus disputationis fine confutabuntur. Difficultas igitur omnis in *assumptione*, seu *minori* allati argumenti versatur; hoc est, num Religio a Christo edocta, quæ Historia sua eventus liberos, contingentesque, & dogmatum humano intellectu superiorum veritatem continet (ut ex hactenus dictis cognosci potuit) longe ante quam doceretur, prædicareturque, vera prænunciata fuerit. Probabimus id in medium afferendo oracula, quæ præsertim desumentur ex libris Veteris Testamenti Christiana Religione certe antiquioris, sicuti facile probatur eo demonstrationis *moralis* genere, quo utimur in factis probandis, & sicut ipsi adversarii nostri Hebrei horum librorum custodes fidem faciunt. Ad opus ergo accedamus.

§. III. Unum ex oraculis a Prophetis omnibus editum, & sæpissime repetitum, verbisque apertissimis prolatum, est, futurum aliquando tempus illud, quo Gentes omnes Orbem totum pertinentes, cultui falsorum Numinum addictæ idem sensuræ, adoraturæque Deum verum

(a) De Divinat. Lib. I. cap. 3. *ex quibus Philosophis, ut de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes unus, qui Deos esse diceret, divinationem funditus sustulit. Reliqui vero omnes præter Epicurum balbutientem de natura Deorum, divinationem probaverunt.* Egregie explicat Petrus Marsus commentans ad hunc locum illud *Epicurum balbutientem* ita: *perplexe, atque confuse loquentem, verbis quippe videbatur fateri, Deos esse; re autem de medio eos tollebat, cum negaret ea bis inesse, quæ divina natura propria sunt.* Num hoc elogium in Socinianos conveniat, secum reputet Lector.

rum erunt. David Propheta ita inquit (Pfalm. 85.) *omnes gentes quascumque fecisti venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia : tu es Deus solus*. Et Pfalm. 21. *Reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium. Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur Gentium*. Innumerabilia loca alia hujus Prophetæ, in quibus apertissime de Gentium vocatione loquitur, tacitus prætereo. Ad Isaiam transeo, qui exclamat (cap. 2): *Et erit in novissimis diebus præparatus Mons domus Domini in vertice Montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes; & ibunt populi multi, & dicent; venite, & ascendamus ad Montem Domini, & ad Domum Dei Jacob: & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jerusalem; & judicabit gentes, & arguet populos multos*. Modum, quo opus hoc ingens sit perficiendum, nempe prædicatione selectorum ministrorum, nomen etiam regionum, ad quas sint mittendi, nobis prædicit Propheta verbis his, quibus Deus loquitur (*cap. 66.*): *Venio, ut congregem cum omnibus gentibus, & linguis, & venient, & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad Gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam: in Italiam, & Græciam, ad insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam Gentibus. Et adducent omnes fratres vestros de cunctis Gentibus donum Domino in equis, & quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad Montem sanctum meum in Jerusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant Filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. Et assumam ex eis in Sacerdotes, & Levitas, dicit Dominus*. Nonnisi hujusmodi oracula in hoc Propheta reperies, quæ universam mutationem hanc in Orbe faciendam significant, qui *repletus erat*, ut ille ait (*Isa. cap. 11.*) *scientia Domini*, & ad eum sincero, veroque cultu convertendus, Idolis per tot sæcula excultis procul amandatis; quare hęc dicere pergit (*cap. 2.*): *in die illa projiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas, & vespertiliones*: & (*cap. 17.*) *in die inclinabitur homo ad Factorem suum; & oculi ejus ad Sanctum Israel respicient. Et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus: & quæ operati sunt digiti ejus, non respiciet lucos, nec delubra*. Conveniunt mirum in modum cum his Isaiæ verbis Sophoniæ Prophetæ verba, ut nihil magis (*cap. 3.*): *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini; & serviant ei humero uno ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei filii dispersorum meorum deferent munus mihi*. Eodem modo loquitur Jeremias (*cap. 3.*): *in tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini Jerusalem, & non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi*. Innumera, clarissimaque oracula sunt, quæ hoc idem significantia in Prophetis reperies: plura in unum collecta ab Huetio legi possunt (*in Demonst. Evang. Prop. 9. capp. 158.159.160.*), nosque etiam alia afferemus inferius.

Revocet nunc in mentem Lector, quod diximus superius de Evangelii propagatione, & sanctificatione gentium per illud facta; reputetque secum, num omnino magnum hoc eventum, ut fuerat a Prophetarum oraculis prædictum, completum fuerit, necne. Cognitio veri Dei, quæ ad illa usque tempora ab uno tantum populo in Asiæ angulo latitante habebatur, per electos præcones Hierosolymis egressos flumina Ægypti transit, per Africam spatiatur, maria trajicit, ad Insulas appulit; Occasum pertingit, Aquilonem versus serpit, Æthiopiam, & Indias ingreditur, brevique tempore per totum terrarum Orbem diffunditur. Idola antea exculta perfringuntur, sacrificia impura interdicuntur, Sacerdotes profani eliminantur; templa superstitionum receptacula aut solo æquantur, aut veri Dei cultui dedicantur, populique cujusvis generis impietate, & immanitate, & moribus ferinis, erroribusque abjuratis, eum unum in Spiritu, & veritate adorant. Factum hoc & fuit iis temporibus, & nostris est adeo in propatulo, & oculis ipsis ita subjectum, ut de illo nefas sit dubitare. Ergo Christiana Religio, quæ hujusmodi mutationem effecit, est illa nimirum, quæ oraculis Prophetarum tanto tempore ante hominibus prænuntiata fuit, ac promissa.

§. V.

§. V. Sed pergamus argumento majus pondus addere. Conversionem Gentium a Prophetis prædictam esse illam eamdem, quæ per Evangelii prædicationem evenit, præter facti ita oraculis modo relatis consoni evidentiam, ab alio certissimo a Prophetis iisdem prænuntiato indicio colligimus. Oraculo hoc prædicitur post conversionem Gentium reprobatio Judaismi futura, sive novum Fœdus, quod Deus cum hominibus sancire volebat cum veteris cum Hebræis statuti abrogatione Fœderis una iturum. Recitemus primum prophetica oracula, ostensuri postea, quomodo hoc vaticinium ætate Christi fuerit adimpletum. Malachias qui fuit Prophetarum omnium postremus hæc ait (*cap.* 1.); *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab Ortu enim solis usque ad Occasum magnum est Nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur Nomini meo oblatio munda, quia magnum est Nomen meum in gentibus, ait Dominus exercituum.* Addamus & celebrem Jeremiæ locum alibi a nobis recitatum, quo etiam D. Paulus utitur (*Jerem. cap.* 31.): *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda Fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: pactum, quod irritum fecerunt; & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus; dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit ultra vir proximum suum, dicens, cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.*

VI. Duo habemus hic & aperte prænuntiata, & simul conjuncta. Primum est repudium, quod Deus facturus erat populi sui, & earum oblationum, & sacrificiorum, quibus Hebræi Religionem suam illi testabantur, cum universa & rituum, & legum Fœderis cum illis post exitum ab Ægypto initi abolitione. Secundum est cultus, quo universæ gentes a Solis Ortu usque ad Occasum Deum erant exculturæ; oblatio munda, quæ sacrificanda erat illius Nomini ubique locorum: demum Lex a Fœdere antiquo diversa in hominum cordibus scripta; per quam omnes a minimo eorum usque ad maximum verum Deum erant cognituri: hique, suorum criminum venia impetrata, populus ejus erant evasuri. Oculis, dico, opus est tantum, ut singillatim omnia hæc oracula adimpleta fuisse videamus, postque Christi Evangelii prædicationem adimpleta. Tunc in gentibus, quæ Idola colebant, ingens Nomen veri Dei effectum, adoratum ab Ortu ad Occasum solis fuisse, fuse jam ostendimus. Non solum in Jerusalem, sed ubique sacratam ei fuisse oblationem mundam, qui vel specie tenus Religionem nostram norunt, optime sciunt; per Evangelium promulgatam fuisse legem amoris in cordibus humanis scriptam cum unctione gratiæ auxiliis suis omnipotentibus hominum fragilitati opitulanti, ut ejus præcepta observarent, adversariorumque aggressiones repellerent, Mundi sanctificatio, immo sola Martyrum historia plus satis ostendit. Illas igitur notas, ex quibus eam novum esse Fœdus a Deo per suos Prophetas promissum, Christiana Religio præsefert. An dissimulat fortasse Libertinus, & Judæus hujus illationis evidentiam sentire? Verum cum hujusmodi oraculorum pars prima adimpleta fuit, etiam quoad secundam partem evidentissima Vaticinia simul adimplebantur. Cum hæc prædicata Lex fuit, effecit Deus, ut populus quidem suus ad eas reduceretur incitas, ut perpetuo, & necessario Religionem Mosaicam exercendi facultate prorsus careret; ac proinde tunc vetus Fœdus abrogavit. Attendite. Actio illius Religionis essentialis, primaque (*Levit.* 17.) erat *Holocausti, victimarum, decimarum, primitiarum, votorum, & munerum, primogenitorum bovum, & ovium* oblatio, quæ iis peragi debebat ritibus, quos in Fœdere V. habemus. Jam capitale erat, si alibi, quam in loco a Deo jusso, hæc oblatio fieret; locus autem hic, ut Davidi ostensum fuit (*a*), perpetuo Jeru-

(*a*) *Elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.*

Jerusalem esse debebat; nominatimque in area Ornani Jebusæi voluit Deus sibi Templum, & Altare a Salomone erigi (a), quod solus totius Orbis terrarum locus esset, in quo palam ea Religio posset exerceri. Jam Evangelii prædicationis tempore & Jerusalem, & Templum Hebræi amiserant; immo illam, & hoc Titus solo æquavit, quin per decem & octo sæcula reædificari alterutrum potuerit. Tunc ergo Hebræo populo Religionem Mosaicam in eo tantum Templo exercendam potestas omnis colendi fuit ablata (b). Tunc ergo Malachiæ oraculum fuit adimpletum, *Deo non esse voluntatem in populo suo, oblationem nullam ab ejus manibus se suscepturum posthac*. Tunc adimpletum fuit Jeremiæ vaticinium, Fœdus post exitum ab Ægypto cum Israele initum desiturum. Itaque cum Evangelium promulgatum fuit, novum Fœdus longe diversum a primo Deus cum hominibus sanxit; Religionisque Christianæ sacrificium fuit oblatio munda, juxta Malachiæ vaticinium ab Eoo sole usque ad occiduum Nomini summi Dei in locum victimarum, holocaustorumque amandatorum substituta offerenda. Conversio ergo gentium per Evangelii prædicationem obtenta, est illa ipsa, quam Prophetæ fuerant vaticinati. Christiana igitur Religio multo tempore antequam a sacris præconibus disseminaretur per Orbem, prædicta a Prophetis fuit, utpote illa, quæ & Deo grata foret, & in qua homines erant salvandi; a Deo enim ipso in rejecti antiqui Fœderis locum, ut Nomen suum in gentibus cognosceretur, & adoraretur, fuit suffecta.

§. VII. Sed idem magis magisque evolvamus. Factum hoc splendidissimum, quod nemo unquam negaverit, conversionis Gentium, non solum Prophetias pro Christiana Religione adimpletas quoad historiam ejus originis, & propagationis, sed etiam quoad præcipuum ejus dogma, quod in eo situm est, ut ejus auctor, hoc est Christus Jesus cognoscatur Messias, satis aperte demonstrat. Ita ergo ratiocinemur. Vel ab ipso rerum primordio, Liberatorem, Ducem, virum Divinum, in quo omnes gentes erant benedicendæ, fuisse promissum, tot antiquarum Scripturarum loca veritatem hanc testantur, ut nullo modo in dubium illa revocari possit; Hebræique ipsi acerrime nobis infensi vades fuerunt, hunc Messiam, quamvis noluerint eum natum agnoscere, sollicite opperientes. Hujus expectationis, & præcipue ætate Christi, clarissima in Evangelio habemus signa. Testes tamen exteri asciscantur, qui maximum robur argumento addent. Primus est Joseph, qui de ultimo Judaico bello loquens ait (c): *sed quod in primis in bellum accendebat Hebræos erat oraculum in sacris Codicibus ambigue dictum; hoc est, fore ut aliquis e gente sua imperium totius Orbis habiturus esset. Et sane quidam hoc ita intelligebant quasi de se dictum; sapientesque multi de ejus intellectu errarunt. Oraculum autem Vespasiani Imperatoris in Judea nominati imperium significabat*. Non semel, sed millies in sacris Libris Oraculum hoc ab Josepho memoratum, modo obscurius, modo clarius reperiri ex dicendis intelliget Lector. Sed cum Josephus ait, Imperium Vespasiani illa Prophetia denotari, Sacerdos hic aulicus turpiter adulabatur; pauloque post planum faciemus. Interea loci nobis satis est ex hoc loco addi-

(a) *Cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in Monte Moria, qui demonstratus fuerat David Patri ejus, in loco quem paraverat David in area Ornani Jebusæi*. Paral. II. cap. 3.

(b) Stultum esset nobis objici, etiam in Babylonica captivitate Hebræos spoliatos fuisse & urbe, & templo, tamen non ideo sublatum fuit fœdus. Discrimen patet. I. Actum est tunc de spatio brevi annorum LXX. hic de sæculis XVIII. II. Tunc ejus captivitatis finem Deus per Prophetas promiserat. Jeremias spatium ann. LXX. prædixit; Isaias etiam Cyrum illum, a quo liberandi erant, nominavit; & in spem sæpius erecti Hebræi fuerant fore ut restituendi essent in Patriam, & exculturi Religionem suam, ut legimus in Ezechiele, cum de urbe, & de templo loquitur. III. Cum fine antiqui fœderis conjungunt Prophetæ principium novi Fœderis ejusmodi, quale descripsimus; jam hujus Fœderis, cujus nota nulla captivitatis tempore elucet, manifesta prædicatio cernitur, in ultimo templi excidio: hoc ergo tempore, non illo, abolitum vetus fœdus fuit.

(c) *Τὸ δὲ ἐπᾶραν Ἰουδαίους μάλιστα πρὸς τὸν πόλεμον, ἦν χρησμὸς ἀμφίβολος, ὁμοίως ἐν τοῖς ἱεροῖς εὑρημένος γράμμασιν, ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς χώρας τις αὐτῶν ἄρξει τῆς οἰκουμένης. τοῦτο οἱ μὲν ὡς οἰκεῖον ἐξέλαβον, καὶ πολλοὶ τῶν σοφῶν ἐπλανήθησαν περὶ τὴν κρίσιν. ἐδήλου δ' ἄρα τὴν περὶ Οὐεσπασιανοῦ τὸ λόγιον ἡγεμονίαν, ἀποδειχθέντος Ἰουδαίας αὐτοκράτορος. De Bello Jud. Lib. VI. c. 5.* n. Attente hunc Josephi locum Lector perpendens arguet, non perperam Huetium, aliosque doctos viros sentire, eum esse descriptum arte, & fraude, ut palparetur & Mæcenatem suum, neque gentem suam læderet.

addiscere, Judæos eo tempore ex oraculis Scripturarum expectasse, ut e sua Gente nasceretur ille, qui totius terrarum Orbis futurus erat Dominus; quandoquidem prænunciatus erat ut expectatus, desiderátusque cunctis gentibus. Neque vero per Judææ terminos tantum, sed Orientalem plagam totam fama pervaserat, Hebræos tunc præstantissimi viri ortum e natione sua expectare. Habemus in Svetonio locum, ubi hæc ait (in Vespas. *cap.* 4.): *Percrebuerat Oriente toto vetus constansque opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu postea patuit, prædictum Judæi ad se trahentes rebellarunt.* Quid simile in Tacito (*Lib. V. Histor. c.* 13.) habemus: *pluribus* (sunt ejus verba) *persuasio inerant, antiquis Sacerdotum litteris contineri eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur. Quæ ambages Vespasianum, ac Titum prædixerant. Sed vulgus more humanæ cupidinis sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur.* Quantum hi errarent ita Oraculum hoc interpretantes, videbimus postea; immo res ipsa per se loquitur, ut advertit Eusebius (*Lib. III. Hist. cap.* 8.) Josephi loco relato. *Quod* (Oraculum) *ille quidem scriptor* (Josephus) *in Vespasiano expletum esse existimavit. Verum Vespasianus non totius Orbis terrarum* (quod oracula prædicebant, opperiebanturque Judæi), *sed Romanum dumtaxat Imperium obtinuit. Rectius ergo* (sequitur Eusebius) *id referatur ad Christum, cui dictum est a Patre:* postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. *Et per cujus Apostolos circa idem tempus in omnem terram exierat sonus, & ad fines Orbis terrarum verba pervenerant.* At de hoc loquemur postea. Hoc ergo maneat ex his exterorum scriptorum testimoniis, Christi ætate, Hebræis persuasum fuisse, eo tempore oriturum esse Messiam motis Scripturarum oraculis. Non injuria autem, sed jure Hebræos eum expectasse, liceat nobis id ut certissimum credere; quod tamen probatum demonstratumque ubertim ab eruditissimo Huetio si quis legere avet, adeat illius *proposition. VII. Demonstrat. Evangelicæ*, & ex iis, quæ nos dicturi sumus cuique patebit. Ratiocinari ergo pergamus. Decus peculiare a Prophetis huic Messiæ attributum est, ejus opera tenebras, quibus ejus ortus tempore terrarum Orbis fuisset involutus, esse dissipandas, ad cognitionem veri Dei ab ultimis usque terræ partibus vocandas nationes; Ducem, Magistrum, Pastorem, benedictionem, fœdus, lucem omnibus eum gentibus futurum. Ex innumeris Oraculis aliquot clariora seligamus. *Ecce servus meus* (inquit Deus per Isaiam *cap.* 42.), *suscipiam eum; electus meus; complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum; judicium gentibus proferet . . . Et legem ejus insulæ expectabunt . . . Ego Dominus vocavi te in justitia, & apprehendi manum tuam; & servavi te: & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium; ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentem in tenebris.* Illustriorem etiam locum habemus in eodem Propheta, ubi Deus inducitur ita Messiam alloquens (*cap.* 49.): *Et dixit: parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & ad fæces Israel convertendas* (ita legit textus Hebræus): *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ . . . Reges videbunt & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est: & sanctum Israel, qui elegit te.* Simile est etiam illud, quod sequitur, in eodem Propheta (*c.* 55.): *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, & gentes, quia te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israel, quia glorificavit te.* Integra capita, ex quibus desumpsimus, legantur; immo tota quanta est Isaiæ Prophetia, in qua millies vocatio Gentium prædicitur, & viro extraordinario, & magno, qui nemo omnium alius fuit, aut esse potuit præter Messiam, tribuitur. Idem Oraculum offenditur apud Regem Prophetam *in Psal.* 71. qui inscribitur quidem *Salomon*, in eo tamen ea dicuntur quæ nullo pacto ad Salomonem referri possunt, sed in solum Messiam cadunt. *Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad cardines Orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis, & insulæ munera offerent; Reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ,

ræ, omnes gentes servient ei. Quia liberabit pauperem a potente, cui non erat adjutor . . . & vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei . . . Sit nomen ejus benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen ejus. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum (a). Hæc postrema verba nobis in mentem revocant magnificum illud promissum Abrahamo factum (b), deinde Isaaco, tum Jacobo, id est in eorum *semine*, sive in *eorum progenie* omnes gentes terræ fore benedicendas. Quod certe neque in Moyse, neque in Davide, neque in Salomone, neque in Ezechia, neque in ullo quoquam ex Patriarchis antiquis, sed in solo Messia omnium gentium Magistro, Salvatore, & Duce locum habere potuit. His ergo Prophetarum vaticiniis (quibus & alia addi possent bene multa) lucem præferentibus, ad Jesum Christum transeamus, atque ita argumentemur. Peculiare ergo opus a Messia perficiendum secundum Prophetarum oracula esse debebat conversio, Gentiumque omnium benedictio: Atqui hoc perfectissime, evidentissimeque per Jesu Christi adventum, prædicationemque factum est. Ergo Jesus Christus est verus Messias; Tantaque claritate esse illum, quem Prophetæ prædixerunt, qui promissus Orbi fuit, novimus, quanta conversionem gentium (faciendam a Messia) ejus opera fuisse omnino, nobis est manifestum.

§. VIII. Sed magis, magisque argumentum hoc illustremus, ostendamusque præclaram hanc notam Messiæ Christo attributam aliis Oraculis cum allato connexis. Legimus in Zacharia (*cap. 9. 10.*) prædictum Regem, qui *loquetur pacem gentibus, & potestas ejus a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad finem terræ*. Ex iis, quæ modo diximus, cernit Lector hoc loco, qui simillimus est allato Psalmistæ vaticinio, Messiam prædici, qui fuit Christus Jesus; Propheta tamen idem quicquam aliud de eodem Rege Messia dicit, quod per se solum sufficit, ut Oraculum ad Servatorem nostrum esse perspicue referendum, debeamus sentire. In versiculo ergo præcedenti (*9. 9.*) ita ait: *Exulta satis, filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator: ipse pauper, & ascendens super Asinam, & super pullum filium Asinæ.* At quem umquam e regibus suis, qui *justus, salvator, pauper, & ascendens super pullum Asinæ*, in urbem ingrederetur, Jerusalem vidit? Hoc completum prorsus ex qualibet parte in Jesu Christo fuit, ut legimus in Evangelio (*Matth. c. 21.*). Jesus Christus ergo est solus Rex a Zacharia prædictus. Ille est solus Messias, qui ut Salvator, rexque pacis Hebræis simul, Ethnicisque, & ut supremus Dominator omnibus terrarum plagis promittitur. Hic autem opportune animadvertendum est, quam injuria præclarus Hugo Grotius, vir cæteroquin eruditissimus, doctissimusque, sed Sociniana fuligine extremis vitæ suæ temporibus quorumdam sententia infeliciter offusus, postulet, pene omnes Prophetias, quas ad Christum spectare dicimus, proprio, proximoque sensu suo ad historiam eorum temporum, quibus fuerint editæ, esse referendas; Christo autem in solo secundo, mystico, allegorico, remotoque intellectu tribui posse. An non plus satis est Oraculum modo commemoratum ad ostendendam hujus sententiæ falsitatem? „ Ostendat „ Grotius (inquit Doctissimus Huetius „ pestiferam hanc opinionem refellens) „ aliquem Regem Judæ *justum, Salvatorem, pauperem, ascendentem super asinam,* „ *& super pullum asinæ*, manusque dabo. " Eum nobis ostendat, addam ego, Regem hunc

(a) Attemperate advertit D. Hieronymus ita; *hic est mos scripturarum ut futurorum veritatem præmittat in typis juxta illud, quod de Domino Salvatore in LXXI. Psal. dicitur, qui prænotatur Salomonis, & omnia, quæ in eo dicuntur, Salomoni non valent convenire. Non enim permansit ille cum sole, & ante lunam generationes generationum; neque dominatus est a mari usque ad mare; & a flumine usque ad terminos Orbis terrarum; neque omnes gentes servierunt ei; neque ante solem permansit nomen ejus: nec benedictæ sunt in ipso omnes tribus terræ: neque omnes gentes magnificaverunt eum. Ex parte autem, & quasi in umbra, & imagine veritatis in Salomone præmissa sunt ut in Domino Salvatore perfectius implerentur*. In Daniel. 11.

(b) *Dixit Dominus ad Abraham . . . . in te benedicentur omnes cognationes terræ*. Genes. 12. & 18. & 22. *Apparuitque ei (Isaaco) Dominus ait, & . . . benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Gen. 26. *Viditque (Jacob) Dominum innixum scalæ dicentem sibi; benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ*. Gen. 28.

hunc Zachariæ ætate *loqui de pace gentibus, imperium suum pretendere a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terræ*. Eamdem veritatem alia Prophetarum vaticinia nobis confirmant, quæ paulo infra referemus, quæ *directe*, & *proxime* ad solum Messiam Jesum Christum referuntur, neque pacto ullo, nisi unco veluti impacto trahantur, in alios eorum temporum viros convenire possunt; quamquam non imus inficias, quædam esse Oracula, quæ proxime virum aliquem præteritorum temporum respiciunt, qui fuerit *typus* futuri Messiæ, de quo postremo illa sint intelligenda. Ex quibus colligitur, quam false & periculose idem Grotius etiam opinatus fuerit, cum *ad cap. VII. Matth. v. 22.* allatis pluribus Prophetiis. explicatisque de Christo sensu allegorico, scripsit: *Hæc igitur omnia, & quæ alia sunt ejus generis . . . non in vim argumenti proprie adhibentur, sed ad illustrandam, atque confirmandam rem jam creditam*. Incredibile videtur, virum in sacris Litteris, & in eruditione cum profana, tum sacra, a quo argumentum ex Prophetiis deductum vi tanta, tantoque animo ad Fidei nostræ veritatem probandam adhibitum videmus, tantopere versatum ita fœde decipi potuisse. Loca Patrum, Novique Testamenti, quæ falsitatem hujus sententiæ in aperto ponunt, confutantque, collecta ab eodem Huetio legi possunt; Legendusque etiam est Benignus Bossuettus Galliæ lumen ingens, & P. Baltus Jesuita, qui strenue contra Grotium, omnesque Socinianos Prophetias propugnarunt. Hoc unum contenti simus dicere, si multa Prophetarum Oracula ad solum Christum Jesum directe, & proxime sunt referenda, & in illo uno sunt adimpleta, ut contra Grotium modo probavimus, vim, quæ pro Christiana Fide hinc deducitur, talem, tantamque esse, quanta est evidentia, quæ de Dei præscientia, & *veracitate* est habenda. Atque ita recentis Libertini, cum Grotio ne per somnium quidem doctrina conferendi, petulantis tamen supra quam cuique credibile est, os obstruimus, qui garrit (*examen de la Relig. chap. 7. n. 4.*) id, *quod nobis his temporibus dicitur, Prophetiam esse, fuisse factum, quod naturaliter evenit, quod notam nullam prophetiæ præsefert; omnes significationes Prophetiarum esse allegoricas, ac proinde nihil eas probare, cum allegoria a demonstratione, & a quovis argumento, quod debet intellectui persuadere, sit removenda*. His, aliisque hujus generis nugis (quarum inferius fortasse alia specimina afferemus) ille omnes Prophetas, omnesque prophetias despicatui habet, & joco; argumentumque hinc deductum tamquam ægri somnium irridet. Quæ superius tractavimus perfrictæ frontis Scriptorem hunc abunde refellunt, qui nullo habito discrimine *Prophetias*, sive *vaticinia* cum *Typis*, seu Figuris confundens suam ignorantiam satis prodit. Hæ, nempe figuræ vel homines, vel facta antiqua iis notis, circumstantiisque insignita respiciunt, ex quibus clare cognoscimus, eventum eorum ideo fuisse dispositum, ut futura prænuncient, illæ autem, hoc est Prophetiæ, seu vaticinia, quæ & *Oracula* dicuntur, sunt, quæ prædicunt quod est eventurum; deque his præcipuus nobis est sermo. Jam cum hujusmodi Oracula non ex ingeniosa applicatione, non ex allegoricis explicationibus, sed secundum eorum sensum primum, obvium, proximum in aliquo viro completa esse scimus, ut superius variis exemplis de conversione Gentium, & de Jesu Christi notis loquentes planum fecimus; cur illa Oracula tamquam divina non erunt agnoscenda? & proinde argumentum invictum pro ea Religione, quam illa nobis indigitat, non erit deducendum?

§. IX. Sed redeamus ad id, quod demonstrare principe studio intendimus. Celeberrimum aliud Oraculum ab Jacobo morti proximo benedicente filiis suis editum habemus; qui Judæ benedictionem impartiens hæc inquit (*Genes. 49.*) *Non auferetur sceptrum de Tribu Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium*. Negant Hebræi, negant Libertini, Oraculum hoc spectare ad Messiam, & esse in Christo adimpletum; ajunt Christiani omnes, neque magni erit laboris id probare. Itaque sic exordiri placet; prætermittitur hic vir magnus, qui, ut dicitur, *erit expectatio gentium*, vel, ut Hebræus habet textus, *& in eum erit obedientia populorum*, vel, ut legit Syriacus, *& eum expectabunt Gentes*, vel ut Samaritanus, & Arabicus *ad eum congregabuntur omnes populi*, quæ versiones omnes idem significant. Ex ha-

ctenus dictis poterit conjicere Lector, quis hujusmodi vir sit. Ille certe, neque alius quisquam, in quo, secundum promissiones Jacobo ipsi, ejusque Patri Isaaco, ejusque Avo Abrahamo factas *omnes gentes terræ erant benedicendæ*, ille, qui, juxta Zachariæ Oraculum, *loquuturus erat pacem gentibus, & dominaturus a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terræ;* ille, qui, ut vaticinatur Isaias; *datus erat fœdus populi, & lux gentium*; ille, in quo, ut prædixit David, *omnes tribus terræ erant benedicendæ*, & quem *gentes erant magnificaturæ*. Jam hujusmodi promissa, ut supra demonstravimus, & ad solum Messiam referebantur; & in Jesu Christo sunt omnino adimpleta. Jacobi ergo Oraculum respicit Christum, eumque nobis indigitat Messiam. Id confirmant præcedentes ipsius Vaticinii voces, *donec veniat, qui mittendus est*; quis autem erit hic, nisi Messias? Et sane non solum Christiani, sed antiqui Hebræi hoc Oraculum ita intellexerunt: In Thargum celebri Onkelos ita affertur locus, *donec veniat Messias*; idem legitur in Thargum Jonatani, idem in aliis Rabbinicis monumentis; versionesque LXX. Syriaca, Samaritana, Arabica idem aliis verbis dicunt. Quapropter cum recentes Hebræi per vocem *Siloh*, quæ habetur in primo textu, aut intelligunt urbem *Siloh*, aut eam referunt ad Jeroboamum (in illa urbe, ut dicunt, regem electum) aut ad Ahiam Silohnitem, aut ad Saulem, aut ad Nabucum, nobis delirantis somnia nullo textu fulta, immo aperte coarguta vel ab illis extremis verbis, *& erit expectatio gentium*, quæ ad nullum virorum ab ipsis confictorum pertinere possunt, nobis volunt obtrudere. Sed examinemus hujus Oraculi verba prima: *Non auferetur sceptrum de Tribu Juda, & Dux de femore ejus*. Licet diversi sint loquendi modi, quibus variæ versiones partem hanc vaticinii efferunt, omnes tamen in hoc conveniunt, ut dicant, imperium, auctoritatem, principatum non defuturum in Judæis donec Messias veniat (a). Eventum hoc itaque clarissime apparuit cum Christus est ortus. Annon satis est Hebræos ipsos audire elata voce coram Pilato clamitantes *non habemus alium Regem nisi Cæsarem*, ut ex ipsorum verbis agnoscamus, tunc temporis *sceptrum fuisse ablatum ab Juda, & defecisse ducem e sua gente genitum*? Nonne scimus, Herodem, qui Christi ætate ibidem dominabatur, fuisse advenam, hoc est Idumæum (Vid. Euseb. *Lib. I. Histor. Eccl. cap. 6.*) qui a Romanis regnum precarium habebat? Quod si penes Pontifices, & Sacerdotes nonnihil auctoritatis dominiique reliquum erat, paullo post quam turpiter eo fuerant abusi Christum morte multantes, gladio Dei ultore a Tito expedito non modo fuit suspensum, sed omnino extinctum. Jam urbis, Templique ruinis ab hinc octo & decem sæculis sit tumulatum; nec exinde Reipub. species, auctoritatis vestigium, principatusque nota in Judæis splenduit: immo omnium Orbis nationum infelices captivi vinculis suis illustre Oraculi Jacobi complementum, argumentumque veritatis, quam defendimus, invictum præferunt. Sive ergo Patriarchæ allatum oraculum solam Judæ Tribum respiceret, sive ut auctoribus SS. Patribus (b), aliqui putant, totam Hebraicam nationem spectaret, jactura sceptri, Ducis, imperii, regiminis, Templi, Urbis, agrique in Judæ

(a) Scio recentes Hebræos, ut vim hujus Vaticinii enervent, dicere, vocem שבט *scebet*, quæ est in textu, non significare sceptrum, sed virgam gravem, imperiumque tyrannicum, a quo populus ille liberari debebat a Moyse, hoc vaticinio prædicto, ut putant. At a peritissimis Christianis viris ostensa fuit hujus opinionis falsitas, qui observarunt, eam vocem per se sumptam significare generatim *dominium*, & ut significet *crudele, tyrannicum* addendum esse adjectivum, ut in Psal. ubi ut significetur imperium grave, durumque dicitur בשבט ברזל *in virga ferrea*. In Oraculo nostro hoc adjunctum non est, immo cum adjungatur *sceptro Dux*, seu *legislator*, & *ex ejus progenie*, colligitur, non alienum sceptrum tyrannicum, aut grave imperium externum, sed proprium dominium, & αὐτονομία seu facultatem vivendi suis legibus innui; quæ in Judæis defectura non erat, nisi Messia nato, cui imperium omnium gentium erat promissum. Qui vult Oraculum hoc fuse examinatum, defensumque contra Judæos legere, quod nos breviter attingimus e pluribus nostris commentatoribus legere poterit *Huetium Demonstr. Evangel. propos. 9. c. 4.* & exteris *Matth. Polium Synops. Critic.* ad hunc Genes. locum; *Gottofridum Valandum* in docta *Dissert.* de Oraculo, quæ est in *pat. I. Thesauri Theologico-Philolog.*

(b) Justinus M. *in Dialogo cum Tryphon.* Athanasius *de Incarn. Verbi Dei*, sed præcipue Eusebius

Tribu, & in tota Judaica Gente, Christo in terris orto, facta fuit. Si ergo amissio cujusque auctoritatis ab Hebræis facta, ut omnibus patet, ex una parte consideretur; ex alia si omnium gentium unanimis, constansque consensio de Duce supremo, de sua per eum benedictione, de salute per Christum acquirenda, qui erat ex semine Jacob, & Judæ, perpendatur, quis dubitabit, an ad eum referendum sit Jacobi Oraculum; *non auferetur Sceptrum de Tribu Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium?*

§. X. Ex hoc eodem signo adeo Messiæ essentiali multis sæculis post Jacobum indigitatus nobis fuit, & veluti proximus qui oriretur, ab alio Propheta, ab Aggæo videlicet, cujus Vaticinium clarius esse non potest. Regressi ex Babylonica captivitate Hebræi ad patrium solum, impetrataque a Cyro Templum Sanctum ab hostili furore eversum reædificandi facultate, multi senes, qui Templum a Salomone primum tam magnifice extructum viderant, secundum tam angustum præ primo cernentes, non poterant quin graviter ingemiscerent; tunc Aggæus Deo afflatus ita pro concione dixit (*cap. 2.*): *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: & confortare Jesu Fili Josedech Sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ . . . quia hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam: & movebo omnes gentes: & veniet Desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum . . . Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum; & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Hoc est Oraculum; nos vero requirimus, cur umquam futura erat hujus secundi Templi gloria primo major? Non propter ædificium, neque propter supellectilem; sed quia in hoc cernendus erat *Desideratus gentibus*, fœdus, & *pax* essentialis Dei. Quis hic erit? Ex tot vaticiniis ita constantibus, toties iteratis jam cognovimus; hic est *Messias:* hic venturus erat *adhuc modicum unum*; & appariturus in hoc Templo, qui illi gloriam ejusmodi afferret, quæ longe, multumque decus primi superaret. Hoc secundum Templum ab hinc decem & septem sæculis eversum, dirutumque a Romanis, numquam Hebræi potuerunt illud iterum construere; Messias ergo, qui Templi secundi tempore nasci debebat, natus est; frustraque expectatur. Verum quis umquam in hoc secundo Templo apparuit, qui dici possit *Desideratus gentibus*, ad cujus adventum commotæ sint gentes, & *fœdera mutata* (Vid. S. Pauli *Epist. ad Hebr. cap. 12. ubi explicat Aggæi locum*), nisi Christus, qui sæpius locum illum conspectu suo honestavit? Ergo Christus est Messias, qui Aggæi Oraculo propter alia remota vaticinia, prædictus vicinus fuit, & ex Templi secundi adjuncto clare, perspicueque indigitatus.

§. XI. Sed ne discedamus Jerosolyma, & a Templo. Aliud enim Oraculum ad illam, & hoc pertinens, & de Messia clarissime loquens illustrabit, confirmabitque hactenus allata vaticinia, nostrumque argumentum luce maxima perfundet. Hoc Oraculum Danielis est, Danielis illius, cujus Prophetia Christianæ Religionis hosti infensissimo ita clara, & cum eventibus ita concors visa est, ut quo modo se expediret ignorans, scripserit, ut D. Hieronymus refert, post illa eventa eam fuisse scriptam; proinde historiam potius esse, quam Prophetiam; quæ quidem opinio quam est falsa, tam Religioni nostræ est gloriosa. Captivo ergo Babylone Danieli, Deumque suorum Patrum oranti, ut finem tandem faceret duro servitio per annos septuaginta lato, ut Jeremias prænunciarat, felicior non solum Hebrææ gentis, sed omnium nationum in libertatem assertio fuit revelata. *Adhuc me loquente* (inquit ille *cap. 9. & seq.*) *in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a princi-*

pio

loco memorato, multoque fusius *demonstr. Evangel. Lib. VIII.* Ex sententia horum PP. dicitur eventum ita ingens, licet omni genti commune, in benedictione tamen Judæ fuisse nominatum; hæc enim Tribus debebat aliis præstare, utpote quæ debebat per plura sæcula regnare, singularibusque frui privilegiis, dare nomen suum genti toti, & tandem ex ea debebat Messias nasci.

pio volans . . . dixit . . . tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt; & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomadas septuaginta duas occidetur Christus: Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium: Et erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.

Oraculum attulimus juxta Vulgatæ textum; in Hebræo fonte quædam sunt varietates, leves tamen, quæque idem significant. Quæ ad hoc vaticinium advertam, sic habe. I. Eventum præcipuum, quod hoc vaticinio prædicitur, duobus terminis concluditur, hinc edicto reficiendi Jerusalem tunc eversam, illinc ejusdem Urbis nova eversione. Eventus hos duos vidimus; unum quidem cum Artaxerses Persarum Rex anno regni sui vigesimo facultatem Nehemiæ dedit in Patriam se recipiendi, extruendique rursus Sanctam Civitatem, quod ille per multa incommoda effecit, ut in secundo Esdræ libro legimus; alterum autem Titi ætate, qui Romanis legionibus ultimam infelici urbi perniciem intulit. II. Antequam eversio hæc fieret, in Judæa nasciturus erat, letoque tradendus vir, cujus notas ejusmodi recenset Propheta, quæ eum indicant *Messiam*. Et sane quis alius *implere visionem, & Prophetiam, delere iniquitatem, finem ponere peccato, adducere justitiam sempiternam, ungi Sanctus Sanctorum, dici Christus dux poterat*, nisi Messias? In neminem omnium sive Sacerdotem, sive Prophetam hæc poterant convenire. III. Septuaginta hebdomades *abbreviatæ super populum, & super Urbem Sanctam; ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & adducatur justitia sempiterna, & ungatur Sanctus Sanctorum*, sunt hebdomades non dierum, sed annorum. At hic Libertinus acutissime ait (*Examen de la Relig. chap. 7. n. 9.*), hoc esse commentum purum putumque *esse hebdomadas sæculorum, aut mensium*. Quid vetat, ego inquio, eum hunc quoque errorem dicere, cum innumeros alios crassissimos effutiverit? Verum qui vel mediocriter Hebraicos mores callet, novit, nonnisi hebdomadas *dierum*, & hebdomadas *annorum* eum populum numerasse: illasque ut plurimum non *hebdomadas* præcise, sed *hebdomadas dierum* in multis Scripturarum locis appellari. Septuaginta hebdomadum ergo Danielis periodus est annorum quatuorcentum, & nonaginta. IV. Unde hujusce periodi sit desumendum initium varia sentiunt etiam Auctores Christiani pro diversitate Chronologicarum rationum, quas sequuntur; qui illud capiunt ab edicto, quod Artaxerses nuncupatus Longimanus edidit regni sui vigesimo anno, qui congruit in annum quatercentesimum, quinquagesimum ante Æram Vulgarem, propius ad veritatem accedere, minoribusque difficultatibus urgeri videntur. V. Caput tamen præcipuum Prophetiæ hic singularibus calculis superius est. Hoc annorum spatio evoluto diruta erat a Duce impia Civitas, & Sanctuarium, postquam jam populus ille Christum morti dedisset. VI. Et nimirum intra hujusmodi annorum cursum natus est, vixitque in Judæa, conversatusque est Jerusalem Jesus Dominus, qui dicebatur *Christus*; ille, qui cum esset, juxta memorata, & in illo completa Oracula, *expectatio gentium*, datusque Orbi, *ut esset* (sicuti & fuit) *benedictio omnium gentium*, unus dici poterat, debebatque, qui *impleverit Prophetias & visiones, deleverit iniquitatem, adduxerit sempiternam justitiam, Sanctus Sanctorum*: ille secundum memoratam numerandi annos rationem annos quatuor centum, & quinquaginta post Artaxersi edictum promulgatum natus est, hoc est anno MMMM ab Orbis creatione ille a populo suo negatus fuit, proditus, morti traditus; cumque ejus mors, ut a doctissimis viris ostensum fuit, in annum trigesimum sextum, aut septimum ætatis illius inciderit, semis Danielis hebdomadis ultimæ habetur, qua

Christus victima impolluta, & divina interfectus antiqui Fœderis hostiis, & sacrificio finem imposuit. Quod autem magis sententiam nostram confirmat, hoc est, ejus mortem reprobationem, & dispersionem ejus gentis, Urbis, Sanctuariique eversionem, & desolationem numquam posthac reparatam esse consecutam. Est ergo Jesus Christus vir ille, quem respicit Danielis Oraculum; in illum enim omnes notæ descripti viri conveniunt; & circumstantiæ, quæ & comitari, & consequi eventum debebant, fuerunt ætate illa omnino adimpletæ. Objectis Libertinorum, Hebræorumque (a) doctorum fabulis afferendis supersedeo: nimis siquidem futiles mihi videntur, quæ tantam in lucem proferantur. Aut omnia facta neganda sunt, aut aliquis alius vir præter Christum ostendendus est, in quo prædicta Oracula cuncta fuerint consummata; hoc fieri nullo modo potest, illud evidentiæ, ipsi opponitur. Non sum nescius, Marshamum (*in Canon. Chronic. Ægypt. sæcul. 18. pag. 568, & seq.*) virum cæteroquin in antiquis monumentis versatissimum opinatum fuisse, Danielem Oraculo suo profanationem Templi, dispersionemque Sacerdotum, mortemque Oniæ ab Antiocho Epiphane factam, quæ accidit circa annum CLXXI. ante Æram Vulgarem prædixisse; neque negare ausim, valde erudite rationes Chronologicas eum inire, ut sententiam suam confirmet. At oleum, operamque perdit; Oniam, qui tunc interemptus fuit, dici potuisse *Christum*, & *unctum;* hoc vocabulo significari posse successionem, unctionemque Sacerdotum, non est inficiandum. Ast ubi fuit *Sanctus Sanctorum, ubi adimpletio visionis, & Prophetiæ, qui finem peccato posuit, qui delevit iniquitatem, qui adduxit justitiam sempiternam?* Num tunc eversa fuit Urbs, profanatumque *abominandis Aquilis* (ut loquitur Hebræus textus) Sanctuarium? Num reprobati Hebræi, dispersique, & omnia vastitati, solitudinique] data? Nihil sane minus. At in Christo Jesu fuerunt hæ notæ, eoque interfecto, hæc omnia consequuta sunt funestissima, nostrisque etiam temporibus permanent. Christus Jesus ergo, in quo, & per quem *omnia*, inquam, memorata signa sunt completa, non Onias, Danielis Prophetia prænunciatus fuit. Neque vero abs re fuerit animadvertere, Josephum Hebræum perspexisse in excidio Hierosolymarum a Romanis militibus facto hujus Prophetæ Oraculum, de quo jamdiu loquimur, fuisse adimpletum. Locus est in capite Antiquitatum Judaicarum, ubi de Daniele sermonem habet, & videtur eum præ aliis extollere; „ quod non solum „ generatim, ut alii Prophetæ, futura „ annunciaverit, sed etiam tempus, quo „ eventura erant, prædixerit. " (Ex quo addiscant quidam Increduli, quanti a gente Hebræa, cujus erat Sacerdos Josephus, Daniel Propheta duceretur, & quam injurie credant, aut nullam, aut tenuem illi populo hujus Prophetiæ auctoritatem fuisse). Ita ergo ait (*Lib. X. cap. II. Antiquit. Judaic.*): *Similiter etiam Daniel de Romanorum Imperio scripsit, illosque magnam vastitatem genti nostræ illaturos esse. Ista omnia a Deo sibi monstrata scriptis consignata reliquit, ut qui ea legerint, & eventus perspexerint, Danielem mirentur... Et Epicureos magno in errore versari deprehendant, qui providentiam e vita ejiciunt, & a Deo res humanas curari non existimant.*

§. XII. Quod si in desolatione a Romanis Jerosolymis illata Danielis vaticinium completum perspeximus; & proinde in Christo a Judæis Cruci affixo, mortuoque Messiam agnovimus; invicte illationem nostram confirmet Oraculum ab ipso Redemptore de hac ipsa eversione factum, qui impiam Civitatem dispergendam, Urbemque funditus evertendam prænunciavit, idque in pœnam quod noluit eum, qui reipsa erat, fateri. Ait ergo D. Lucas (*cap. 19. 41. & seq.*): *Et ut appropinquavit* (Christus) *videns Civitatem, flevit super illam, dicens: quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te; & coangustabunt te undique: &* ad

(a) Legi possunt Rabbinorum fabulæ in hac materia expensæ, & confutatæ a Jaquelotio. *Premier. dissert. sur le Messie, chap. 9. & 10.*

ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Vaticinium Titi tempore re perfectum ostendit, Deum fuisse loquutum; proinque ejus Urbis excidium mortis inflictæ ei, qui ita loquebatur, pœna fuit; patuit enim fuisse mortem homini Deo datam. Itaque jure, meritoque Prudentius Sæculo V. his perpensis factis, orationem convertens ad eam miserrimam gentem, indigitansque illi Jerosolymæ ruinam, quæ reædificari non potuit amplius, ita cecinit (in Apotheos. advers. Judæos v. 536.):

At tua congesta tumulant holocausta ruina:
Quod mereare, Titus docuit; docuere rapinis
Pompejana acies, quibus extirpata per omnes
Terrarum, pelagique plagas tua membra feruntur.
Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judeus, postquam patria de Sede revulsus
Supplicium pro cæde luit, Christique negati
Sanguine respersus, commissa piacula solvit.

Hic tamen, ut complementum hoc Prophetarum Vaticiniorum, Christique ipsius de irreparabili Templi Jerosolymitani excidio magis, magisque illustremus, factum cognitum, sed dignum, quod referatur, tacitus nullo modo præterire possum. Impius Julianus Apostata anno CCCLXIII. bellum Persis illaturus, ut posteris aliquod sui regni memorandum relinqueret monumentum, multoque magis ut Christum, quem sciebat prædixisse illius Templi eversionem, refelleret, statuit & auctoritate sua, & auro ibi nimirum, ubi a Tito fuerat dirutum, soloque æquatum Templum reparare. Datur Comiti Alypio negotium, undique illuc artifices cujusque generis confluunt, Thesaurarii quid opus sit, ut moles illa ingens construatur, in quam summa auri vis erat insumenda, suppeditare jubentur. Hebræi potissimum læti præter modum, hoc Imperatorem meditatum imperasse perfici, ex omnibus Provinciis ad antiquam regni sui Principem Urbem catervatim advolant, res vitamque in renascentis Religionis decus, cujus reædificandum Templum centrum sedesque futurum erat, profusuri. Jam certatim summo studio opus urgent, mulieres ipsæ, non solum quidquid pretiosi ex muliebri cultu habent conferentes, sed manum operi admoventes, terram; instrumentaque portantes volunt insigniri: *& ut clarius significent*, inquit Historicus quidam (*Cardinal. Ursius Hist. Eccles. VI. pag. 29. & seq.*) *quam se honestatas crederent non refugientes abjectiora servilia que officia, ad opus accedebant splendidioribus, magisque affabre elaboratis vestibus induta, & ad effodiendam, asportandamque terram omnia instrumenta, quædam etiam argentea comparaverant.*

At quid humana consilia, omnium regum potentia contra Dei voluntatem possunt? Deletis antiqui Templi vestigiis, completoque hoc modo, quin artifices illi adverterent, *ita ut jota unum, aut unus apex non præterierit* a Christi Oraculo, hoc est ex ea mole lapidem super lapidem non esse relinquendum, terra effoditur, ut nova jaciantur fundamenta. Multi, admirandique casus opus impediunt. Obstinatio, obfirmatoque animo Judæi dum fundamenta erigunt, repente igniti globi ex illo loco erumpentes opifices adurunt; cum naturæ effectus crederentur, rursus fervet opus: rursusque flammæ exsilientes contumaces operas comburunt. Itaque cum iterum tentandum opus non videretur ob inaccessum locum, & Romana potentia, & perfidia Judaica metuendo elemento Omnipotentis cedere coacta imperfectum opus reliquit.

Factum hoc a multis Christianis auctoribus scimus, qui fuse illud narrant; testimonium tamen omnium maximum est illud Ammiani Marcellini (a), gravis Historici Ethnici, qui tunc in exercitu Juliani militabat, qui hoc brevius describit. Dicat jam prudens Lector, num opus non sit perfida cæcitate, vereque Judaica, ne in hoc evento Danielis,

(a) *Ambitiosum quondam apud Hierosolyma Templum, quod post multa, & internecina certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito est ægre oppugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis Julianus, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Cum itaque rei idem instaret Alypius, juvaretque Provinciæ rector, metuendi globi flammarum crebris assultibus erumpentes fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; hocque modo elemente destinatius repellente, cessavit inceptum.* Lib. XXIII. cap. I.

Christique Vaticinia completa cognoscantur ? (a)

Termini, quos huic operi constituimus, vetant alia nos proferre Vaticinia; quæ cum prædicant id, quod in Christo perfectum fuit, eum verum fuisse Messiam, ejusque Religionem divinam esse apertissime demonstrant. Aliqua tantum & quidem præcipua recensere satis erit, atque ita susceptæ demonstrationi finem imponemus.

Habemus in Evangelio (*Matt. cap.* 2.), Christum natum esse Bethlehemi: & Propheta Michæas scilicet (*cap.* 5. 2.) prænuntiarat, eum oriturum Bethlhemi: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.*

Scimus ex Evangelio (*Matt.* 1. 18.), Christum natum esse ex Virgine: nasciturum autem eum fore a Virgine vaticinatus fuerat Isaias (*cap.* 7. 14.): *Propter hoc* (b) *dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

Nota augusta Christi Jesu manifesta facta fuit ab Angelo, qui Mariæ Incarnationem Verbi annuntiavit, ut legimus in Evangelio (*Luc.* 1.), his verbis: *Et erit Magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris sui . . . . Et regni ejus non erit finis.* Notam hanc solius Messiæ propriam prænuntiat Isaias, (*cap.* 9. de mirabili ejus conceptu loquutus capite præcedenti:) *Parvulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis, cujus Imperium super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis . . . Super solium David, & super regnum ejus sedebit: ut confirmet*

(a) Illustrat hoc factum erudite VVarburton *in Differt. de terræmotibus, ignisque eruptionibus, quæ impedierunt constructionem Templi sub Juliano*, edita primum Anglice, tum versa in Gallicam linguam an. 1754. Argumenta Basnagii, deliriaque Meddletonis refelluntur, qui miraculum hoc suis systematibus contrarium volebant de medio tollere, nihili habitis iis rationibus, quibus in facto hoc Historico nullæ graviores, evidentioresque esse possunt.

(b) Summopere conantur adversarii Fidei, ut Oraculum hoc Isaiæ tam clarum nobis adimant. At frustra. Hæc fuit hujus Oraculi occasio. Facæas Samariæ Rex, & Rasin Rex Assyriæ contra Jerusalem ibant eam oppugnaturi, collocaturique super Judæ solium usque eo occupatum a Regia Davidis stirpe advenam. Achaz Rex cum populo timebat. Isaias cum Filio suo eum convenit, & Dei nomine illi animos addit, eumque certum facit, impetus hostium futuros inutiles; & ut id confirmet, ei Fidem dat, se quidquid Rex voluerit admirandi patraturum, sive in inferno deorsum, sive in excelsis sursum. Princeps aut non credulus, aut diffidens noluit quicquam exposcere. Tunc Propheta non ad Achaz, sed ad totam Davidis familiam conversus ait: *Audite ergo Domus David, propter hoc Deus ipse dabit vobis signum: Ecce Virgo concipiet &c.* Oraculum hoc referendum esse ad Messiam clare evincitur; I. Nomen *Emmanuel*, quod significat, *Deus nobiscum*, nisi illi convenire poterat: hic idem *Emmanuel* legitur in cap. seq. ejusdem Prophetæ Dominus terrarum Juda: quare cum sermo haberetur de excursionibus Regis Assyriæ dicitur, *ala ipsius expandentur super universam terram tuam, o Emmanuel.* II. Ortus promissi Infantis est miraculum editum a Deo, ut omnipotentiam suam significaret; contraponitur enim illi, quod Isaias Achaz exhibuerat, *pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra*; quo loco sane, se verum miraculum facturum pollicebatur. Cum ergo Isaias nullam circumstantiam, quæ miraculum significet, innuat, hoc prodigium aliud esse non potest, nisi oriturum Filium ex *Virgine*, hoc est ex Virgine κατ' ἐξοχὴν, ut ex addito articulo in textu constat. Pactum hoc cui convenit magis quam Messiæ? Dicere enim, intelligi puellam prius Virginem, tum corruptam, futuram Matrem, hoc non esset prodigium; quod repugnat textui; dici, intelligi de infante Ezechia, non potest: tunc enim Ezechias natus erat. Dicere, intelligi Filium Propetæ, ne hoc quidem admitti potest; ipsi enim nomen *Emmanuel* non conveniebat, neque ejus Mater erat *Virgo vera*. Ergo prodigiosa qualitas conceptus, partusque Matris Virginis, notaque Emmanuelis in promisso infante efficiunt, ut Oraculum sit referendum ad Messiam. Objicitur, rem adeo longinquam, ut erat Messiæ partus, non videri signum idoneum, quod promissum vindictæ a duobus regibus confirmare possit. Immo aptissimum, inquio; tunc enim cum renovaretur *domui David* Messiæ promissio ab ea orituri, magna spes injiciebatur illi, certaque fiebat, hostes eam non extincturos esse, ut minabantur; Deumque illam servaturum, donec nasceretur *Emmanuel*. Sed post hoc promissum omnium bonorum maximi factum *Domui David*, dat Regi Prophetæ exemplo Filii sui quem secum duxerat, signum temporalis libertatis, ajens vers. 16. *antequam puer hic* (ita in textu, & significabat Sear-Jasub filium suum) *sciat reprobare malum, & eligere bonum*, hoc est prius quam ad pubertatem perveniat, *terra, quam detestaris*; idest Assyriæ, & Israelis, *relinquetur a conspectu suorum regum*. Tunc enim morientur. De duobus ergo pueris loquitur Propheta. In ver. 14. de Messia, qui promittitur *Domui David* ejusque nota erit, ut nascatur ex *Virgine*, & sit *Emmanuel*, & ver. 16. de filio suo valde tenello, in cujus pubertate Achaz promittitur libertas. Hi volatus, transitusque sæpissime reperiuntur in Prophetis, quamquam si consideretur locus hic, mira detegetur conjunctio. Legi meretur ad hunc locum D. Thomas in suo Commentario, & admonitio præviæ doctissimi P. de Rubeis Auctoris Præceptoris, Tom. II. operum ejusdem Sancti.

firmet illud, & corroboret in judicio, & justi ia amodo, & usque in sempiternum. (*a*).

Narrat Evangelium (*Mat. cap.* 3.), fuisse Christo Præcursorem, qui fuit Joannes, qui suis prædicationibus præparavit plebem Hebræam ad eum recipiendum; & post hujusmodi præparationem Christum venisse, & Jerosolymis & in templo præclarum & solemne munus suum exercuisse. Jam ita rem futuram, jam Malachias prædixerat (*cap.* 3. 1. (*Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Et venit, dicit Dominus exercituum* (vid. etiam *Isa. cap.* 40.). Quid apertius? At pergamus porro.

§. XIV. Ex præcipuis Christi operibus fuit per annos tres prædicatio Evangelii salutis, & annuntiatio novæ Legis Gratiæ, amoris, pacisque; quæ ab Ierusalem, tamquam a centro sese diffudit, convertitque, & sanctificavit gentes omnes. Jam signum hoc Messiæ comperimus in multis Prophetarum Oraculis superius allatis. Hic ergo sufficiet recitare illud unum Isaiæ (*cap.* 41.), qui Messiam ipsum ita loquentem inducit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis pœnitentiam, & clausis apertionem. Ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro; ut consolarer omnes lugentes.* Cum legeret locum hunc Isaiæ in Synagoga Nazareth Christus ipse inquit, (*Luc. cap.* 4. (: *Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant* (inquit S. Lucas) *& mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.* Loquamur nunc de ejus miraculis. Quot, & quam admirabilia ille patrarit quævis morborum genera curans, superius diximus. Judæaque tota, ejusque hostes iidem testes fuerunt. Vis autem hæc prodigia edendi Messiæ fuit a Prophetis prædicta: locum unum Isaiæ afferemus (*cap.* 35.): *Dicite pusillanimis: confortamini, & nolite timere: ecce Deus vester .... Deus ipse veniet, & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus: Et aperta erit lingua mutorum.*

At silentio prætereamus quædam parva vitæ, gestorumque Christi opera, a propheticis Oraculis prænunciata; & ad opus præcipuum, quod fuit ejus Pasio, & Mors, descendamus. Nos igitur Christiani dicimus cum Evangelo, Christum fuisse sanctissimum, & integerrimum: erat quippe Homo Deus, in eo nullum fuisse crimen, quo malum aliquod mereretur: sed cum esset humanum genus pluribus peccatis, Mediatorem hunc Divinum suscepisse nostra crimina, & pro nobis morte, & passione sua divinæ justitiæ satisfecisse: illam, & hanc fuisse ignominiosam, acerbamque supra quam credibile est. Dicimus, Deum visum fuisse illum dereliquisse, illiusque hostibus eum omnino tradidisse, nullum fuisse ejus cruciatibus modum, inauditos ejus dolores; ita ut homo non videretur; numquam tamen eum questum fuisse inter tot supplicia; immo orasse pro inimicis suis; mortuum demum esse inter duos latrones; ejus mortem a Patre pro nobis acceptam cur mundus sanctificaretur, fuisse; gentesque omnes, quæ illum ut Redemptorem adorarunt postea, ejusque Ecclesiam constituunt, esse spolia, quæ tam aspero certamine sibi comparavit. Hoc est, quod de morte Christi, Jerosolymis illi inflicta a Judæis, nos Evangelium docet. Audiamus nunc, quid jam dixerat Isaias (*b*). Postquam a versiculo VII. & LII. læte prædixerat adventum ejus, qui annunciaturus, & prædicaturus erat pacem in Israel, prænuntiaveratque & gloriam, & abjectionem magni Viri, qui aspersurus erat gentes multas, & super quem Reges os suum essent contenturi, caput LIII. hoc modo incipit: *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est?* Egregium fidei gentium, quæ cre-

(a) Rabbinorum ineptiæ, ut hunc locum infirment, confutantur a Clar. Huetio *Demon. Evang. propos.* 9. *cap.* 25.

(b) *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis, Sion, regnabit Deus tuus ... Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi; sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt Reges os suum.*

Christique Vaticinia completa cognoscantur? (a)

Termini, quos huic operi constituimus, vetant alia nos proferre Vaticinia; quæ cum prædicant id, quod in Christo perfectum fuit, eum verum fuisse Messiam, ejusque Religionem divinam esse apertissime demonstrant. Aliqua tantum & quidem præcipua recensere satis erit, atque ita susceptæ demonstrationi finem imponemus.

Habemus in Evangelio (*Matt. cap.* 2.), Christum natum esse Bethlehemi: & Propheta Michæas scilicet (*cap.* 5. 2.) prænuntiarat, eum oriturum Bethlhemi: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.*

Scimus ex Evangelio (*Matt.* 1. 18.), Christum natum esse ex Virgine: nasciturum autem eum fore a Virgine vaticinatus fuerat Isaias (*cap.* 7. 14.): *Propter hoc* (*b*) *dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

Nota augusta Christi Jesu manifesta facta fuit ab Angelo, qui Mariæ Incarnationem Verbi annuntiavit, ut legimus in Evangelio (*Luc.* 1.), his verbis: *Et erit Magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris sui . . . . Et regni ejus non erit finis.* Notam hanc solius Messiæ propriam prænuntiat Isaias, (*cap.* 9. de mirabili ejus conceptu loquutus capite præcedenti:) *Parvulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis, cujus Imperium super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis . . . Super solium David, & super regnum ejus sedebit: ut confirmet*

(a) Illustrat hoc factum erudite VVarburton *in Differt. de terræmotibus, ignisque eruptionibus, quæ impedierunt constructionem Templi sub Juliano*, edita primum Anglice, tum versa in Gallicam linguam an. 1754. Argumenta Basnagii, deliriaque Meddletonis refelluntur, qui miraculum hoc suis systematibus contrarium volebant de medio tollere, nihili habitis iis rationibus, quibus in facto hoc Historico nullæ graviores, evidentioresque esse possunt.

(b) Summopere conantur adversarii Fidei, ut Oraculum hoc Isaiæ tam clarum nobis adimant. At frustra. Hæc fuit hujus Oraculi occasio. Phacæs Samariæ Rex, & Rasin Rex Assyriæ contra Jerusalem ibant eam oppugnaturi, collocaturique super Judæ solium usque eo occupatum a Regia Davidis stirpe advenam. Achaz Rex cum populo timebat. Isaias cum Filio suo eum convenit, & Dei nomine illi animos addit, eumque certum facit, impetus hostium futuros inutiles; & ut id confirmet, ei Fidem dat, se quidquid Rex voluerit admirandi patraturum, sive in inferno deorsum, sive in excelsis sursum. Princeps aut non credulus, aut diffidens noluit quicquam exposcere. Tunc Propheta non ad Achaz, sed ad totam Davidis familiam conversus ait: *Audite ergo Domus David, propter hoc Deus ipse dabit vobis signum: Ecce Virgo concipiet &c.* Oraculum hoc referendum esse ad Messiam clare evincitur; I. Nomen *Emmanuel*, quod significat, *Deus nobiscum*, nisi illi convenire poterat: hic idem *Emmanuel* legitur in cap. seq. ejusdem Prophetæ Dominus terrarum Judæ: quare cum sermo haberetur de excursionibus Regis Assyriæ dicitur, *ala ipsius expandentur super universam terram tuam, o Emmanuel*. II. Ortus promissi Infantis est miraculum editum a Deo, ut omnipotentiam suam significaret; contraponitur enim illi, quod Isaias Achaz exhibuerat, *pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra*; quo loco sane, se verum miraculum facturum pollicebatur. Cum ergo Isaias nullam circumstantiam, quæ miraculum significet, innuat, hoc prodigium aliud esse non potest, nisi oriturum Filium ex *Virgine*, hoc est ex Virgine κατ' ἐξοχὴν, ut ex addito articulo in textu constat. Factum hoc cui convenit magis quam Messiæ? Dicere enim, intelligi puellam prius Virginem, tum corruptam, futuram Matrem, hoc non esset prodigium; quod repugnat textui; dici, intelligi de infante Ezechia, non potest: tunc enim Ezechias natus erat. Dicere, intelligi Filium Propetæ, ne hoc quidem admitti potest; ipsi enim nomen *Emmanuel* non conveniebat, neque ejus Mater erat *Virgo vera*. Ergo prodigiosa qualitas conceptus, partusque Matris Virginis, notaque Emmanuelis in promisso infante efficiunt, ut Oraculum sit referendum ad Messiam. Objicietur, rem adeo longinquam, ut erat Messiæ partus, non videri signum idoneum, quod promissum vindictæ a duobus regibus confirmare possit. Immo aptissimum, inquio; tunc enim eum renovaretur *domus David* Messiæ promissio ab ea orituri, magna spes injiciebatur illi, certaque fiebat, hostes eam non extincturos esse, ut minabantur; Deumque illam servaturum, donec nasceretur *Emmanuel*. Sed post hoc promissum omnium bonorum maximi factum *Domui David*, dat Regi Propheta exemplo Filii sui quem secum duxerat, signum temporalis libertatis, ajens vers.16. *antequam puer hic* (ita in textu; & significabat Sear-Jasub filium suum) *sciat reprobare malum, & eligere bonum*, hoc est prius quam ad pubertatem perveniat, *terra, quam detestaris*, idest Assyriæ, & Israelis, *relinquetur a conspectu suorum regum*. Tunc enim morientur. De duobus ergo pueris loquitur Propheta. In ver. 14. de Messia, qui promittitur *Domui David* ejusque nota erit, ut nascatur ex *Virgine*, & sit *Emmanuel*, & ver. 16. de filio suo valde tenello, in cujus pubertate Achaz promittitur libertas. Hi volatus, transitusque sæpissime reperiuntur in Prophetis, quamquam si consideretur locus hic, mira detegetur conjunctio. Legi meretur ad hunc locum D. Thomas in suo Commentario, & admonitio præviæ doctissimi P. de Rubeis Auctoris Præceptoris, Tom. II. operum ejusdem Sancti.

firmet illud, & corroboret in judicio, & justi in amodo, & usque in sempiternum. (*a*).

Narrat Evangelium (*Mat. cap.* 3.), fuisse Christo Præcursorem, qui fuit Joannes, qui suis prædicationibus præparavit plebem Hebræam ad eum recipiendum; & post hujusmodi præparationem Christum venisse, & Jerosolymis & in templo præclarum & solemne munus suum exercuisse. Jam ita rem futuram, jam Malachias prædixerat (*cap.* 3. 1. (*Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Et venit, dicit Dominus exercituum* (vid. etiam *Isa. cap.* 40.). Quid apertius? At pergamus porro.

§. XIV. Ex præcipuis Christi operibus fuit per annos tres prædicatio Evangelii salutis, & annuntiatio novæ Legis Gratiæ, amoris, pacisque; quæ ab Ierusalem, tamquam a centro sese diffudit, convertitque, & sanctificavit gentes omnes. Jam signum hoc Messiæ comperimus in multis Prophetarum Oraculis superius allatis. Hic ergo sufficiet recitare illud unum Isaiæ (*cap.* 41.), qui Messiam ipsum ita loquentem inducit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis pœnitentiam, & clausis apertionem. Ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro; ut consolarer omnes lugentes.* Cum legeret locum hunc Isaiæ in Synagoga Nazareth Christus ipse inquit, (*Luc. cap.* 4. (: *Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant* (inquit S. Lucas) *& mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.* Loquamur nunc de ejus miraculis. Quot, & quam admirabilia ille patrarit quævis morborum genera curans, superius diximus. Judæaque tota, ejusque hostes iidem testes fuerunt. Vis autem hæc prodigia edendi Messiæ fuit a Prophetis prædicta: locum unum Isaiæ afferemus (*cap.* 35.): *Dicite pusillanimis: confortamini, & nolite timere: ecce Deus vester . . . . Deus ipse veniet, & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus: Et aperta erit lingua mutorum.*

At silentio prætereamus quædam parva vitæ, gestorumque Christi opera, a propheticis Oraculis prænunciata; & ad opus præcipuum, quod fuit ejus Pasio, & Mors, descendamus. Nos igitur Christiani dicimus cum Evangelio, Christum fuisse sanctissimum, & integerrimum: erat quippe Homo Deus, in eo nullum fuisse crimen, quo malum aliquod meretur: sed cum esset humanum genus pluribus peccatis, Mediatorem hunc Divinum suscepisse nostra crimina, & pro nobis morte, & pasione sua divinæ justitiæ satisfecisse: illam, & hanc fuisse ignominiosam, acerbamque supra quam credibile est. Dicimus, Deum visum fuisse illum dereliquisse, illiusque hostibus eum omnino tradidisse, nullum fuisse ejus cruciatibus modum, inauditos ejus dolores; ita ut homo non videretur; numquam tamen eum questum fuisse inter tot supplicia; immo orasse pro inimicis suis; mortuum demum esse inter duos latrones; ejus mortem a Patre pro nobis acceptam cur mundus sanctificaretur, fuisse; gentesque omnes, quæ illum ut Redemptorem adorarunt postea, ejusque Ecclesiam constituunt, esse spolia, quæ tam aspero certamine sibi comparavit. Hoc est, quod de morte Christi, Jerosolymis illi inflicta a Judæis, nos Evangelium docet. Audiamus nunc, quid jam dixerat Isaias (*b*). Postquam a versiculo VII. & LII. læte prædixerat adventum ejus, qui annunciaturus, & prædicaturus erat pacem in Israel, prænuntiaveratque & gloriam, & abjectionem magni Viri, qui aspersurus erat gentes multas, & super quem Reges os suum essent contenturi, caput LIII. hoc modo incipit: *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est?* Egregium fidei gentium, quæ cre-

(a) Rabbinorum ineptiæ, ut hunc locum infirment, confutantur a Clar. Huetio *Demon. Evang. propos.* 9. *cap.* 25.

(b) *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis, Sion, regnabit Deus tuus ... Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi; sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt Reges os suum.*

crediturae erant, duritieique Judæorum cordis Vaticinium, qui quod dicturus Propheta erat, non erant credituri. Ita ergo de magno illo Viro loqui pergit. *Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum; despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem; & quasi absconditus vultus ejus, & despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum, & sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia, & de judicio sublatus est; generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portavit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia pro eo quod in mortem tradidit animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.*

XVI. Antiquam Synagogam locum hunc Isaiæ Prophetæ ad Christum retulisse tam certum est, quam quod certissimum. Multa veterum Rabbinorum testimonia ad hos propositum Raymundus Martinius collegit (*Pug. Fid. F. 3. Dist. 3. c. 17. & alibi.*), qui in hac materia, Campegio Vitringa Theologo Protestante teste, (*Comment. in Isaiam* ad hunc locum (*omnium superavit diligentiam.* Hugo Grotius *Lib. V. Veritat. Relig. Christ.* in quo libro & sentiebat, & scribebat Christiane, affert prædictum textum, & hæc addit: *Quis potest nominari aut Regum, aut Prophetarum, in quem hæc congruant? nemo sane. Quem locum* (ibid.) *de Messia interpretantur Chaldæus Paraphrastes, Gemara Babylonica titulo de Synhedrio.* Et in alia nota: *De Messia hæc explicant Rabboth, & Salomon Jarchi ad Gemaram titulo de Synhedrio.* Licet autem perspexerint Judæi hoc propheticum Vaticinium in Christo adimpletum, tamen, si illud Messiæ attribuant, viderunt, oportere in Christo Messiam feagnoscere, ideo e plurimis insaniis quasdam absonas explicationes, ridiculas omnesque, falsasque expiscati sunt, ne illum Messiam faterentur. Minus inepta, sententia ipsius Vitringæ (a), est illa, quæ ait, hic prædici populum Hebræum in hac Romana captivitate, & dispersione pluribus incommodis, ærumnisque obnoxium. At quam false! Hic sermo fit de viro singulari, qui servus justus Domini, & vir dolorum dicitur; hic iniquitatem non fecit, nec dolus inventus est

(a) *Minus absurdæ quam hypotheses aliæ*, ubi supra. Narrat Origenes in præstanti opere contra Celsum *Lib. 1. n. 55.* sibi quondam disputanti cum quibusdam Hebræis de hoc Isaiæ loco, hoc idem eos dedisse responsum. Ne pigeat integrum locum audire, ut translatus in Latinum fuit a P. De la Ruè. *Memini me olim, cum disputarem adversus illos ex Judæis, qui sapientes vocantur, usum esse illis Vaticiniis. Quibus unus ex eis reposuit, illa intelligenda esse de uno, eoque integro populo, disperso, & percusso, ut occasione dispersionis Judæorum inter plurimas gentes multi proselyti fierent: atque ita interpretabatur illud:* Ingloria erit ab hominibus species tua: *& illud:* Quibus non est annunciatum de eo videbunt; *& illud:* homo in plaga positus. *Hic quidem multa dixi, ut ostenderem quam immerito quæ de uno quodpiam prædicta fuerant ad universum populum referrent. Rogabam quis esset ille, qui dicebat:* iste peccata nostra fert, & pro nobis dolet: *Et istud;* ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & infirmatus est propter iniquitates nostras; *& hoc aliud:* Livore ejus sanati sumus. *Clarum est enim, eos, qui apud Prophetam res futuras videntem, taliaque velut personis afflatu sancti spiritus accommodantem hæc loquuntur, esse homines sive ex populo Judæico, sive ex gentibus, qui peccatis dudum obnoxii Salvatoris passione sanati sunt. Sed illos maxime premere visum est illud:* Propter iniquitates populi mei ductus est ad mortem. *Si enim populus est, ut volunt, de quo prophetatum sit, quomodo propter iniquitates populi Dei hic ad mortem ductus dicitur, nisi sit alius a Dei populo? Quis iste est autem, nisi Jesus Christus,* cujus livore sanati sumus *quotquot in eum credimus*, qui expolians principatus & potestates traduxit eas confidenter in ligno?

est in ore ejus. An hęc in populum Hebręum congruunt? Quid plura? fuit ille percussus propter scelera populi Dei. Quis est hic populus Dei, pro quo Hebręus, qui est Dei populus, percussus fuit? Obmutuit, & non aperuit os suum tamquam agnus coram tondente se. Legant Hebræi recentes, qua vi majores sui restiterint armis Romanis, qui in eos pugnabant, ostendatque illos agnos innocentes, ovesque mutas. Sed piget diutius Lectorem detinere; qui legat Propheticum locum & quovis pene verbo refutatam Hebręam sententiam videbit. Rabbinus Aben-Ezra putavit, hic innui Prophetam Jeremiam; quę quidem opinio alterius Rabbini magni nominis Abarbanelli inanis est, & futilis (*a*). Quę notę hic attribuuntur huic viro, minime Jeremię conveniunt; de quo pręterea cum ne verbum quidem unquam fecerit Isaias, hic repente in scenam producitur; sicut contra negari non potest, eum de adventu, ortu, ministerioque Messię non fuisse multa loquutum; & hujus Oraculi initia majestatem pręseferentia non ostendere, non hominem quemcumque, sed Israelis Redemptorem a se prędici. Quapropter mirandum est, Grotium tanti ingenii virum, qui cum egregie etiam hoc loco, ut supra diximus, Christianam caussam defenderit, dixeritque, illud Vaticinium in *Nullum Prophetam* posse congruere, hęc Judaica stulta deliria ligurire, & de Jeremia propheticum Oraculum intelligere; licèt concedat (*Comment. in c.* 53. *Isai.*) *has notas in Jeremiam quidem congruere prius; sed potius sublimiusque, sæpe, & magis* κατὰ λέξιν (secundum verba) *in Christum*. Absurdam sententiam, indignamque tanto viro, adversamque veritati, quam ille prius fassus erat, ab uno studio his Prophetiarum perturbatis sensibus impietati Socinianę favendæ profectam. Quod inter alios Scriptores Vitringa illi exprobrat (*b*).

In Messia igitur, & hinc in Christo (sicut & in memorato loco, & alibi (*c*) etiam idem Grotius sibi repugnans docuit) in Christo, inquam, adimplendum erat Vaticinium; perspectumque revera fuit in ejus Passione, & in iis, quę Passionem sunt subsecuta. Alia etiam leviora facta magni hujus eventi nobis prędixit Regius Propheta in Psalmo XXI., in quo inducitur Messias in suę Passionis cruciatibus Patrem suum alloquens, incipiens vocibus, quas prope expirans protulit, *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me?* Inter cętera hęc illi dicit: *omnes videntes me deriserunt me, loquuti sunt labiis, & moverunt caput; ajens; speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum*. Atque hoc modo nimirum scimus, Hebręos derisisse Christum, dum erat in Cruce (*d*). Ast de hac Cruce loquiturne Propheta? Et quidem aperte. Primum memorat conjurationem, fraudemque hostium ut eum morti traderent, inquiens (*ibid.*) *circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me*. Tum addit (*e*) *Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea*.

(a) *Abarbanel se mirari dicit Aben-Ezram hypotesim de Jeremia laudare ut pulchram: non videre enim, quæ species aut pulchritudo in hypotesi sit. Cum enim attributa hujus servi Jehovæ, Jeremiæ non conveniunt, tum neutiquam probabile sit, Isaiam Prophetam illustrem, & Jeremiæ parem .... tam graphice de ortu & ministerio Jeremiæ vaticinaturum esse; & quidem cum in præcedentibus nulla nota, nullum vestigium extet Jeremiæ.* Vitring. *ubi supra*.

(b) *Perspexit Vir illustris, si Christum Jesum hic directe, & absque typo aut tegmine propositum diceret, se in propheticis analogis, in quibus de servo Jehovæ agitur, non posse hunc diffugere sensum, & interpretandi modum*. Ibid.

(c) Ad locum S. Joann. cap. 12. v. 34. *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum*: Grotius hæc notat: *Quæ ad evectionem Messiæ pertinent, diligenter annotarunt Magistri illorum temporum; cæci ad ea, quæ de pravis ejus passionibus dicebantur, tum alibi, tum maxime*. In Isaiæ cap. 53.

(d) *Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua ... Confidit in Deo, liberet nunc, si vult, eum*. Matth. c. 27.

(e) Vim hujus Oraculi sentiunt Hebræi; putant tamen se posse eam eludere facile per textum Hebræum, in quo non legitur כרי Carù, quæ latine vertitur *foderunt*, sed כארי Caari, quod significat *quasi Leo*, quare cum non dicat Propheta *foderunt manus meas, & pedes meos*, sed *quasi Leo manus meas, & pedes meos*, corruit, Hebræorum sententia, tota argumenti ex hoc Oraculo deducti vis. Tractant quæstionem hanc viri doctissimi non solum Catholici, sed etiam Heterodoxi, ut legi potest in magna Collectione Criticorum Sacrorum, & apud Thomam Malvenda Ord. Prædic. in commento ad hunc Psalmum, qui affert Munsterii, Forsterii, Merceri, Tremellii, Junii, aliorumque testimonia, qui licet non jurarint in Editionem Vulgatam, quam Romana veneratur Ecclesia, tamen mordicus defendunt lectionem nostram *foderunt*, rejiciuntque strenue illam *quasi Leo* inventam

ab

inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hoc est, cum Oraculum non fuerit in Davide completum, cujus ossa usque ad eum diem in tumulo cubabant, proxime, directeque respiciebat Jesum Christum, ejusque Resurrectionem. Etiam ejus in cœlos Ascensionem animas in locis inferis terræ detentas tamquam spolia in triumphum secum ducentis idem David prædixit pluribus in Psalmis, sed clarissime in Psalmo LXVII., ubi ait: *ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus;* sicuti etiam annunciavit ejus ad Patris dexteram sessionem magnificis illis verbis (*Psal.* 109.) *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Quis est hic Davidis *Dominus*, cui *Dominus dixit*, *sede*? Nisi ille, qui secundum carnem Davidis filius, sed secundum divinitatem æterni Patris Filius, ad dexteram ejus sedet. Qui honos cum æqualitatem significet, in neminem omnium congruere potest; & proinde Messias Jesus Christus verus Deus nobis demonstratur.

§. XIX. Pollicitus tamen erat ille ipse (a) antequam in Cœlum scanderet, se intra paucos dies Spiritum Sanctum suum super Apostolos missurum; a quo repleti lumine, amore, donisque usque ad terminos terræ disseminaturi defensurique Evangelium vel morte ipsa fuissent, Ecclesiamque propagaturi. Promissum hoc & viderunt, & audierunt præstitum die decimo nimirum, a quo Christus in Cœlum ascenderat, Discipuli, simul enim Jerusalem congregatis *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque super singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis* (Græcus textus ἑτέραις γλώσσαις *alienis linguis*), *prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*. (Act. 2.) Quia vero per eos dies innumeræ exteræ gentes, quæ Jerusalem convenerant, magnopere hoc prodigium mirabantur, eas jussit animadvertere Petrus (*ib.*), hoc maxime admirandum eventum etiam ab uno earum prophetarum, ab Joele nempe fuisse prædictum, his verbis (*cap.* 2.); *Et erit: post hæc effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ; senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos, & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum, & dabo prodigia in Cœlo, & in terra*. Hujus Oraculi complementi testis totus terrarum Orbis fuit; & propter descensum Spiritus Sancti, qui, præter eum, qui in Jerusalem evenit, cernebatur etiam per impositionem manuum Apostolorum super Hebræis, & Gentilibus, qui convertebantur, & propter inaudita, & incredibilia miracula, quæ ab his Evangelii præconibus fiebant, quorum prodigiorum vim hisquoque, quibus vivimus temporibus & in eversione idololatriæ, quæ tum debacchabatur, & in gentium corruptarum, voluptatibusque suis deditarum, sanctificatione, & in conversione demum totius Orbis ad Christi Religionem, (quod tot Prophetæ fuerant jamdiu vaticinati), hoc est ad veri Numinis cultum, oculis ipsis perspicimus.

§. XX. Quod in catenis accidit, ut anulus ultimus cum primo conjungatur, ita hac in re evenire jure nobis dicere posse videmur. Gentium vocatio, Sanguinis Jesu Christi, laborumque ejus Discipulorum fructus est eventum illud ingens, quod & sæpissime, & apertissime ab omnibus Prophetis fuerat prænuntiatum. Fructum hunc a Messia uno, *in quo erant benedicendæ cunctæ gentes terræ*, derivandum esse uno ore illi testati sunt. Opus hoc debebat æque cum Fœderis Veteris abrogatione, Novique institutione procedere: hujusque rei eversio Templi, & Jerusalem vastatio nunquam posthac reparanda erat signum propositum. Antequam igitur excidium illud, vastitasque contingeret, venturus erat Messias. Illud, & hæc evenerunt; & post Christi Passionem, mortemque Gentes conversæ sunt, Fœdus antiquum fuit abolitum, Jerusalem est funditus diruta, soloque æquata. Ex Oraculis ergo hæc duo facta, Christum esse Messiam, invicte probant. Quod si Christum Messiam esse nobis persuasum est, statim perspicimus, tamquam lineas ad centrum, ad eum referri, complerique

(a) *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies ... Et eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*. Act. 1.

que in eo omnia Oracula, promissa omnia, quæ ab ipso rerum primordio Patriarchis, Prophetisque de Reparatore futuro facta fuerunt. Si eum ejusmodi non fuisse quis dicat, quod dicunt Hebræi, inania sunt promissa, Oracula sensus expertia, finem nullum attingent. Nativitatis locus fuit ibi, ubi Michæas vaticinatus est; Genitricis signum, cujusmodi enunciavit Isaias; ejus Præcursor, qualem ab ipso descriptum legimus; ejus prædicandi veritatem, & pacem munus, ejus potestatem prodigia patrandi Isaias idem prævidit; in Jerusalem ingressus est quo apparatu viderat Zacharias; sæpius in Templum secundum, ut *desideratus gentibus*, intravit, decoravitque, illud juxta Aggæi Oraculum. *Oblationem mundam*, ipse instituit, quæ sublatis de medio antiquis victimis, cæremoniisque, una omnipotenti Deo, ut docuerat Malachias, erat offerenda. Ille fuit *expectatio gentium*: ab illo enim omnes sanctificatæ fuerunt; venitque, *cum ablatum esset sceptrum de Tribu Juda, & dux de fœmore ejus*: quo temporis puncto videlicet Messiam nasciturum Jacob prædixerat. Passus est ea, quæ Isaias jam dixerat, eum esse passurum; illaque gessit insignia, quæ ab eo gestanda David præviderat. E vivis sublato defecit hostia, & sacrificium, Civitasque sancta devastata fuit, quo modo in Daniele scriptum legimus, a Romano milite. Ille non emarcuit in sepulchro, sed victor resurrexit, triumphansque in Cœlos ascendit; quæ omnia ita futura esse cecinerat David. Inde Spiritum Sanctum, ut pollicitus ille fuerat, & Joel scripserat, super Apostolos misit. Hinc Hebræi rejecti, dispersi, gentibus omnibus opprobrium, execratioque facti sunt; gentesque ab ortu solis usque ad occasum, ab austro ad aquilonem, quod nostrismet oculis videmus, ad veri Dei cultum fuere conversæ. Omnia hæc vaticinia, quæ Messiam respiciunt, ab iis Libris, quos nostræ Religionis hostes infensissimi tenent, sunt exscripta. Horum Oraculorum in Christo, & per Christum complementum factum res est omnino cognita, utpote quæ sensibus subjecta, cujus vel ipsi adversarii nostri testes possunt esse locupletissimi. Jesus Christus igitur est Messias. Ille ergo est admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Princeps pacis, ut appellatus fuit ab Isaia, & ut Christiana Religio docet. Christiana igitur Religio, cujus Historia facta libera, & contingentia, & dogmata humano intellectu superiora continet, prænunciata fuit longe ante, quam constitueretur, & prænunciata utpote illa quæ Deo grata foret, & per quam homines æternam vitam consequerentur. A Deo ergo proficiscitur; est ergo vera; quod Prophetiis demonstrare in nos receperamus.

§. XXI. Ex his omnibus Lector ipse per se arguet, quam inepta, futiliaque Libertinorum objecta sint. Ausus est Spinosa (*Tract. Theolog. Polit. cap.* 2.) prophetandi gratiam constitutioni corporis, vique phantasiæ tribuere, fingens (licet longo verborum circuitu) antiquos Prophetas fanaticos, & œstro correptos fuisse. Hoc idem sentit recens Deista (*a*), qui hæc scribit, *Prophetarum œstrum est humanum antiquorum Gentilium, mulierumque furiosarum in sacro tripode insidentium œstro prorsus par*. Ut insaniam hanc refellam, satis mihi erit referre, quod sapientissime Paschalis ait: (*b*) *Si homo unus de Christo cum respectu temporis, tum materiæ de ejus adventu tradidisset, & revera Christus venisset, quo praedictum fuerat modo, hoc Vaticinium vim ingentem haberet. At hic quid amplius est. Plures homines uni aliis succedentes per annorum quatuor mille spatium constantes, unanimesque hoc idem eventurum esse prænuntians. Populus ingens est, qui per annos quatuor mille factum hoc futurum prædicit, qui per tot annorum intervallum perma-*

(a) Examen de la Relig. Chap. 7. n. 10. *L'entousiasme des Prophètes est tout humain, & tout semblable à celui des anciens payens & des femmes transportées sur le sacré Trépied.*

(b) *Quand un seul homme auroit fait un livre des prédictions de Jesus-Christ pour le tems, & pour la maniere, & que Jesus-Christ seroit venu conformement à ces Propheties, ce seroit une force infinite. Mais il y a bien plus ici. C'est une suite d'hommes durant quattre mille ans, qui constamment & sans variation viennent l'un en suite de l'autre prédire ce meme avenement. C'est un peuple tout entier qui l'annonce, & qui subsiste pendant quatre mille années pour rendre en corps temoignage des assurances qu'ils en ont, & dont ils ne peuvent etre détournez par quelques menaces & quelque persécution qu'on leur fasse: ceci est tout autrement considerable.* Pensées. 15.

manet, ut una voce testetur arrhas, quas habet, & a quibus neque minis, neque cruciatibus, qui illi intentantur, absterreri possit. Hoc enimvero est longe aliter considerandum. Hactenus Paschalis. Quicumque ergo fingere potest fanaticum errorem tam felicem in prædicendo, ita universum in hominibus, constantem ita in rerum vicissitudinibus, hic, hic supra quam credibile est insanit, & quicumque ita insanit, non potest esse nisi impius, communemque naturæ sensum omnino repudiavit.

Ejusdem surfuris est aliud argumentum, quod tamen magni faciunt, laudibusque ad sidera tollunt Libertini; hoc est Prophetias omnes esse allegoricas, & ab interpretibus pro arbitratu suo ad Christum referri. *Allegorias perpetuas in omnibus Prophetiis animadverto*: (*a*) scribit memoratus Libertinus). *Hæ allegoricæ interpretationes* (pergit blaterare) (*b*), *quæ nihil probant, quæque tantum vim desumunt ab illo, qui eas explicat, repugnant rationi Indi, qui quicquam sapiat, nedum illi persuadeant. Quod tamen notatu dignum magis est, hoc est, Ecclesiam cum Scripturis subjicere sensum, qui magis illi arridet. David inquit* „ Dominus regnavit, decorem indutus est „ *& Ecclesia ait, Davidem dixisse nationibus* „ Dominus regnavit e ligno „. *Quod falsum est.* „ Impleta sunt, quæ concinit „ David fideli carmine dicens in nationibus regnavit a Ligno Deus. „ *David numquam hæc dixit quamcumque malimus versionem sequi*. Ex iis, quæ dicta sunt, prima hujus argumenti pars est jam refutata. Oracula multa attulimus, quæ proxime, & κατὰ τὸ ῥητὸν Christum respiciunt, neque de aliis viris, ut contra Grotium ostendimus, intelligi possunt; quantum igitur ad has Prophetias pertinet, nil opus est confugere ad allegoricum sensum, ut ostendamus, eas fuisse completas. Sunt earum quædam indirectæ, allegoricæ, & typicæ, immo totum Vetus Testamentum fuisse Novis Fœderis typum dicimus. At estne illud commentum? Audiat Libertinus, veritatique manus det. I. Ex Prophetiis litteralibus, & allegoricis notam Messiæ mortalibus promissi affirmamus in Christo fuisse, a quo docendæ, & salvandæ nationes erant. II. Quædam reperimus Oracula, quæ quidem aliqua ex parte in quodam præteritorum temporum viro fuerunt adimpleta, ita tamen, ut, cum hic totam Vaticinii Prophetici gravem majestatem, quæ indicat & virum, & facta humanis viribus superiora, sustinere non possit, evidenter cognoscamus, Prophetam longius, quam hominis visum prospicere possit, prævidisse. Tunc autem id quod ultra humanum visum provisum fuit, ad Christum referendum esse dicimus; & hoc quidem utpote quod majus est, quam ut homini convenire possit κατὰ λέξιν (*secundum litteram*) Christo tribuimus; alias autem Oraculi partes non quidem *litteraliter*, sed *allegorice* de Christo intelligentes; dicentesque veterem illum virum *typum* Christi esse; Christumque præcipue Oraculo illo fuisse indigitatum. Exemplo sit Psalmus LXXI. de quo supra mentionem fecimus, qui inscribitur *Salomonis*, & in quo ea dicuntur, quæ nullo pacto de Rege illo dici possunt, sed litteraliter, & directe de Christo, cujusmodi sunt illa: *ante solem permanet nomen ejus, omnes gentes magnificabunt eum, benedicentur in ipso omnes tribus terræ*, & alia talia. Cur igitur Christum, qui iis in locis litteraliter prænunciatus est, etiam allegorice prænunciatum esse non dicemus in iis, quæ proxime Salomonem respiciebant, verbi causa iis propheticis vocibus: *liberabit pauperem a potente, & pauperem, cui non erat adjutor* denotari Redemptionem Mediatoris, cujus Salomon typus erat?

III. Hæc eadem typica, & allegorica figura Christi, ejusque mysteriorum est in Veteri toto Testamento, & evidentia tan-

(a) *D'abord j'observe . . . des allegories éternelles dans toutes les Propheties.* Examen de la Relig. chap. 7. 1.

(b) *Ces interprétations allegoriques, qui ne prouvent rien, & qui dependent uniquement du genie de celui qui allegorise, revoltent la raison d'un Indien de bon sens, bien loin de le persuader: mais ce que je trouve de plus remarquable, c'est, que l'Eglise ajoute à l'Ecriture ce qui lui plait. David a dit*, Dominus regnavit, decorem indutus est; *& l'Eglise dit, que David a dit aux nations*, Dominus regnavit à ligno, *ce qui est faux*. Impleta sunt quæ concinit David fideli carmine dicens in nationibus regnavit a ligno Deus: *Jamais David a dit ces paroles de quelque version, qu'on puisse se servir*. Ibid. 2.

tanta est, quanta nimirum est illa, ex qua in aliqua nota ille sensus cernitur, qui unus potest nobis quamlibet notæ partem explicare, & quo remoto nota tota perplexa est, obscuraque. *Nota duos habet intellectus* (egregie more suo Paschalis inquit (a)). *Cum aliqua magni momenti Epistola intercipitur, in qua intellectus apertus est, cujus tamen sensus nihilominus dicitur latens, occultusque, ita occultus, ut littera quidem inspici possit, quin inspiciatur, intelligique possit, quin intelligatur, quid dicendum erit, nisi Epistolam hanc duas habere significationes, tantoque magis cum aperta antilegomena in sensu litterali occurrant? Quanti ergo ducendi illi non sunt, qui nobis notam explicant, sensumque latentem nos docent, præcipue cum principia, quibus utuntur, plana sint, & clara? Jam hoc est illud, quod Christus, & Apostoli fecerunt, signum illi fregerunt, velum disruperunt, & quid lateret, patefecerunt. Illi nos docuerunt, hostes hominum esse suas cupiditates, Redemptorem fore spiritalem. Duos habiturum notas, paupertatis, ut deprimat superbum, gloria, ut humilem exaltet. Christum futurum Deum, & hominem.* Similis huic cogitato est imago illa, alibi a nobis allata illius cylindri super abaco erecti, in quo varii colores sint, ita tamen ut nihil perfecti objiciant oculis, immo casu videntur in eum jacti, & sine arte ducti. Requiro a Philosopho nostro, num *Indi sana mentis rationi* repugnaret, si cylindro sua sub luce viso, coloribus confusis imaginem omnibus suis in partibus perfectam repræsentantibus, diceretur, hoc intendisse præcipue artificem eos colores ita disponendo, ut non illam informem figuram exhiberent, quæ apparebat in abaco, sed illam perfectam, quam in cylindro oculis objicere debebant? Considerentur sacrificia innumerabilia, expiationes, aliæque cæremoniæ cunctæ, quæ in antiquo Templo fiebant. Consideretur Agnus Paschalis, & ille rituum apparatus, quibus debebat immolari, sanguis effundi, & carnes vorari. Considerentur ad summam leges, dicendi modi, & facta Veteris Testamenti, Hebræusque corporeus, qui iis litteraliter subjiciebatur; dicemus, nihil augusti, nihil divini iis subesse; at si oculi in Christum, in ejus Crucis Sacrificium, in ejus Sanguinem, ad ejus Sanguinis pretium, ad ubertem ejus Redemptionem convertantur, & *antitypus* totius Veteris Fœderis consideretur; jam in hac relatione omnes leges, omnes cæremoniæ, omnia antiqua facta sese evolvunt, singularem præstantiam præseferunt, suæ originis nobilitatem ostendunt, & Deo digna comparent. Tantum ergo abest, ut commentitium sit in Fœdere antiquo introspicere veluti sub allegoriarum, & figurarum nubibus Redemptorem, ut etiam sine illo aut has perfecte intelligere, aut earum meritum, amplitudinemque cognoscere non possimus.

Antequam porro progredimur, respondemusque Increduli argumenti membro ultimo, ictus horribilis, quem Voltærus in suis Epistolis de cogitationibus Paschalis librat, jacitque in ea, quæ modo diximus, non est prætereundus. Ejus verba recitemus, ne ea nos immutasse in suspicionem incidamus. *Opinatur* (inquit). *Paschalis, quidquid scriptum est in Scriptura duplicem habere sensum; at qui infeliciter impius esset, posset illi dicere, qui verbis suis duplicem sensum affigit, decipere vult homines; & hujusmodi versutia lege punitur. Qui ergo* (nunc surgit Auctori vitrea bilis, rugosaque naso sanna) *quin pudore suffunderis, de Deo dicere potes, quod ille punit, & quod hominibus vetat? At quid hoc tantum inquio? quam despicata habet Ethnicorum oracula, quod duplicem sensum habebant?* (a) Viden' cujus ponderis sint

(a) *Le chifre a deux sens. Quand on surprend une lettre importante, où l'on trouve un sens clair, & où il est dit neanmoins, que se sens est voilè, & obscurci, qu'il est cachè en sorte, qu'on verra cette lettre sans la voir, & qu'on l'entendra sans l'entendre; que doit-on penser, si non que c'est un chifre à double sens, & d'autant plus qu'on y trouve des contrarietèe manifestes dans le sens litterale? Combien doit-on donc estimer ceux qui nous decouvrent le chifre, & nous apprennent à connoitre le sens cachè, & principalement quand les principes, qu'ils en prennent sont tout à fait naturels, & clairs? C'est ce qu'a fait Jesus-Christ, & les Apotres. Ils ont levè le sceau, & ils ont rompu le voile, & decouvert l'esprit. Ils nous ont appris pour cela, que les ennemis de l'homme sont les passions, que le Redempteur seroit spirituel, qu'il y auroit deux avenemens, l'un de misere, pour abaisser l'homme superbe, l'autre de gloire pour èlever l'homme humiliè; que Jesus-Christ sera Dieu, & homme. Pensees. 23.*

(a) *Il veut, que tout ait deux sens dans l'Ecriture, mais un homme, qui auroit le malheur d'être incre-*

sint censuræ, quæ non in Paschalem, sed in totam Religionem, quæ Paschalis ementito nomine impetitur, jaciuntur? At quæ umquam comparatio est inter duplicem Scripturarum sensum, duplicemque deceptorum sermonem lege vetitum, Oraculorumque Gentilium duplicem sensum derisum? Hic duplex sensus includit vafre duos significatus, quorum alter excludit alterum, & si verus est unus, alter falsus est. Hujusmodi, ut multa alia hujus generis exempla prætercam, erat Oraculum celebre editum Cræso memoratum ab Herodoto (*Clio* 53). a Cicerone (*De Divinat. II. cap. 56.*), ab Eusebio (*Præpar. Evang. Lib. V. cap. 21.*), & ab aliis pluribus:

Cræsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim. (a)

Quod æque intelligi poterat & de hostili Imperio, quod devastandum erat a Cræso, & ita sane hic illud accepit, & de Cræsi Imperio, quod illa expeditione deberet everti, quod evenit, a Cyro. Atque hæc est illa *ἀμφιβολία* fraudulenta, & stulta, non modo a Luciano in suo *Jove Tragœdo*, sed ab omnibus prudentibus derisa. Duplex Scripturæ sensus significat duo eventa, duos viros, sed veros, quorum uterque potest unus post alium existere; inferior unus, præcipuus alius, unus adumbrans, adumbratus alter, unus arrhabo, alter complementum. Exemplo sit Oraculum a Natano Davidi editum (*II. Reg. cap. 7.*) *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium.*

Proxime hoc Oraculum Salomonem, præcipue Christum respicit. In utroque verum apparuit. Salomon Davidis Filius fuit maximus suæ ætatis Regum; ædificavit Templum Deo, a quo summopere amatus fuit, pluribusque donatus bonis. Christus quoad humanam naturam fuit e semine David, fuit, coliturque Rex Regum, ejusque regnum finem nullum est habiturum. Ille veri Dei Ecclesiam constituit; verus Deus est illi Pater, eique ille est Filius non adoptatus, ut fuit Salomon, sed naturalis. En quomodo Vaticinium quoad utrumque sensum de utroque intelligi potest; proxime de Salomone; præcipue præstantiusque de Christo; de illo ut de *typo*, & arrha, hoc ut de *antitypo*, & complemento. Nunc a Voltæro requiro; aut discrimen hoc tam apertum horum duorum Scripturæ sensuum, & æquivoca *ἀμφιβολίαι* Oraculorum Gentilium noverat; aut ignorabat. Si ignorabat; vah hebetem oculorum aciem! Si noverat, vah indecoram agendi hominis rationem, qui simulatione ita evidenti non modo Paschalem, sed omnes Christianos Doctores, Apostolos, Evangelium ipsum, in quo duplex hic sensus Foederis antiqui statuitur, doceturque, audet coarguere.

Sed ad ultimam Libertini nostri argumenti partem revertamur. *Quod magis notatu est dignum* (inquit ille) *hoc est, Ecclesiam Scripturæ qui sibi magis arriserit, sensum subjicere*. Si hoc Ecclesia faceret, esset mehercules facinus indignum. Qui tamen ille id probat? Hoc modo. *Davides dixit*, Dominus regnavit, decorem „ indutus est. „ Ita. *Et Ecclesia ait*, „ *Davidem dixisse* nationibus „ Dominus regnavit a ligno „. *Quod falsum est*. Ast ego repono, esse falsissimum, Ecclesiam, aut quemvis alium dixisse umquam, in Psalmo, ubi dicitur „ Dominus regnavit, decorem indutus est, prænunciasse nationibus Davidem „ Dominus regnavit a Ligno. „ Accipe, inquit Libertinus, Ecclesiæ verba: „ impleta sunt quæ „ concinit David fideli carmine dicens „ in nationibus, regnavit a Ligno Deus. „ Num-

incredule, pourroit lui dire, celui qui donne deux sens à ses paroles, veut tromper les hommes, & cette duplicitè est toujours punie par les Loix. Comment donc pouvez-vous sans rougir admettre dans Dieu ce qu'on punit, & ce qu'on deteste dans les hommes? Que dis-je? avec quel mepris, & avec quelle indegnation ne traitez-vous pas les oracles des payens, parce qu'ils avoient deux sens I. Lett. sur les pensees, de M. Paschal. n. 15.

(a) *Κροῖσος ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει*. Vid. *Suidas* in *λοξίας*. Cicero loco modo citato ita vertit Oraculum

Cræsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

Tum addit: *hostium vim sese perversurum putavit, pervertit autem suam.*

Numquam, pergit, *Davides hæc dixit, quacumque versione uti mavis*. Possumusne inducere animum, ut credamus, eruditum hunc hominem, qui vero vultu censoriam hanc sententiam pronunciat, legisse, & perlegisse in aliqua versione Psalmos? Tamen certo certius id est, hanc versionem, in qua legantur allata verba Hymni (qui quidem neque Canon Ecclesiæ est, aut Decretum, quod statuat ita legendum eum Psalmi locum esse), hanc versionem, inquam, reperiri, estque illa nimirum, quæ *Itala antiqua* dicitur, qua a primis usque temporibus Occidentalis Ecclesia utebatur. Hac eadem versione Tertullianus, S. Augustinus, S. Leo Magnus, Vigilius Tapsensis aliique Patres usi sunt, qui omnes non in Psalmo *Dominus regnavit, decorem indutus est* (qui est XCII. a Libertino prolatus) sed in XCV. ita versiculum legunt, *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno*; ita etiam in Psalterio Romano, Corbiacensi, Carnotensi, & aliis, & hoc sequutus hymnum hunc Venantius Fortunatus composuit. Hæc versio Psalmorum *Itala antiqua* edita in lucem fuit a P. Sabatiero (*Biblior. Sacror. Latinæ Version. Antiquæ: seu vetus Italica. Tom. II. pag. I.*), qui eam desumpsit a Codice, quo S. Germanus Parisiensis Episcopus utebatur.

Liceat etiam addere, Codicem alium scriptum ante sæculum VI. in Bibliotheca Ecclesiæ Veronensis servari, qui editus Romæ fuit ab eruditissimo P. Blanchino (*Vindiciæ Canonicarum Scripturarum*) in quo duabus in columnis scriptum est Psalterium, in prima est textus Græcus characteribus latinis expressus, in secunda versio *Itala antiqua* modo memorata, in illo legitur in nostro versiculo APO XILU, & in hac e regione *a Ligno*. Putat Cl. Auctor, legi hic puram putamque Versionem LXX. ac proinde hos verba hæc *ἀπὸ ξύλου a ligno* deduxisse ab Hebræo fonte, a quo postea, (quod iis Pater quidam exprobravit) ea ipsi Hebræi deleverint. Controversiam hanc missam facio, neque hanc Lectionem, strenue cæteroquin a doctissimo P. Blanchino propugnatam in notis ad hunc locum, defendere est mihi in animo: plus satis habeo, si ostendo, mentiri impudenter Libertinum, qui elata, tumidaque voce affirmat, nullam usquam versionem esse, quæ vocem illam habeat, & si simul evinco, homines hos cum recte ratiocinari, tum multigena eruditione præstare.

Capiti huic satis longo finem imponet aliud argumentum, quod & Impius hactenus refutatus, & Libertini vulgo sæpius in aciem producunt. Petitur a tenebris, cæcisque latibulis, ut illi ajunt, quibus Prophetica Vaticinia involvuntur, & delitescunt. *Si Deus* (unus ex iis inquit (a)) *afflasset Prophetias, eam præseferrent claritatem, qua ab iis vaticinandi ambagibus, quibus utuntur homines, internoscerentur*. Et alibi: (b) *Si Prophetiæ fuissent claræ, Hebræi earum custodes, ubi illas completas vidissent, procul dubio resipuissent*. Quem lapidem non movent increduli, ut veritati se opponant! Porphyrius, ut scribit Hieronymus, Danielis Librum Propheticum esse negabat, quia nimis erat apertus: Nostrorum temporum Libertini eum, cæterasque Prophetias omnes, quod nimis sint obscuræ rejiciunt. *Quo teneam vultus mutantes Prothea nodo?* Eja, doceant, ipsi quomodo Prophetiæ, ut iis arriderent, ut possent iis persuadere, loqui debuissent? Prophetiarum obscuritas est cujusmodi scilicet decebat Oracula divina ad peculiarem providentiam relata, quæ mire pedetentim emergens inter eas tenebras volebat elucescere, postremoque cum tempus, quo essent complenda, adventaret, evidentissime illa patefieri. Ab ipso Mundi exordio promissus Messias fuit, & Oraculo generali his tantum verbis, *mulieris* semen serpentis caput esse contriturum. Multis sæculis post Deus mortalibus prænuntiat, ex omnibus hominibus Abrahamum esse selectum, e cujus progenie oriturus erat Soter ille, in quo *erant gentes omnes benedicen-*

(a) *Si Dieu avoit dicté des Propheties, elles auroient eu un caractere de clarté, qui les auroit distinguées des autres manieres équivoques de diviner, dont les hommes se servent*. Examen de la Religion chap. 7. 9.

(b) *Si les Propheties avoient été claires, les Juifs, qui en etoient les depositaires, se seroient sans doute convertis, quand ils en auroient vu l'accomplissement*. Ibid. 2.

dicenda. Eadem promissio fit Isaaco; quia vero ille duos habebat filios, ei Spiritus Sanctus significat, non a posteritate Esau, sed Jacobi eum profecturum; Jacobo autem duodecim liberorum parenti dicitur, Judæ Genus futurum illud, e quo erat egressurus. In Judæ benedictione hujus promissi Oraculum clarius effertur, additurque signum illius complementi; signum autem hoc erat *defectio sceptri in Juda posteritate*; & nota præcipua Messiæ innuitur hæc, eum futurum *Gentium expectationem*. Post diuturnam sæculorum, eventorumque seriem a Tribu Juda eligitur Pastor, evehiturque ad regnum; illique (fuit autem Davides) affirmatur, ex ejus posteris edendum esse in lucem Messiam; ejusque regnum nullum habiturum finem. Vaticinium est in ejus Regis Psalmis; & in Libris subsequentium Prophetarum ita circumstantiæ omnes prædicuntur, ut hujus Soteris non solum genus, tribus, familia, sed etiam Matris insignia, nativitatis locus, tempus huic evento præfinitum, ministerium, potestas, dignitas, mortis genus, præcipueque Fœderis immutatio, totiusque Orbis conversio ad ejus Nominis, verique Dei cultum indicentur. Oraculum ergo nostræ Religionis præcipuum tantum abest ut sit tenebris, cæcaque nocte involutum, ut potius dicendum sit Soli simile esse, qui eo clarius nitet, quo ad meridiem propius accedit. Et sane, ut jam ostendimus, Christi ætate, hujus facti fama ita percrebuerat, ut Palæstinæ terminis non contenta, in omnes orientales plagas pertinuerit. Quid ita? Videlicet quia Prophetarum Oracula toties fuerant repetita, ita erant clara, ut sese invicem illustrarent, darentque, reciperentque mutuo lucem tantam, ut nullius ambigendi locus superesset. Quid plura? Prophetiæ ad vices vel populi Hebræi, vel finitimorum populorum spectantes permixtæ simul cum Vaticinio ad Christum, & Ecclesiam pertinente prophetica Oracula obscuriora nobis reddunt; nobis, inquam, qui maxime ab iis moribus, ab iis populis, ab illa ætate dissiti sumus: at eædem hæ Prophetiæ peculiares, tum cum adimplebantur, Hebræis argumento erant clarissimo, certissimæque spei, etiam Prophetias Messiam respicientes cito fore adimplendas. Hæc ergo obscuritas ex propheticis volatibus transitibusque ab hoc ad alium virum, ab una ad aliam rem non modo Libertinis ansam præbent hæc Vaticinia irridendi, sed etiam aliam sub oculis notam objiciunt, quæ a Deo esse illa prolata, demonstrat. *Prophetæ*, inquit egregie Paschalis (a), *Prophetias peculiares, Messiæque simul permiscent; ut Prophetia Messiæ probarentur, peculiaresque ne frugis essent expertes*. Denique Prophetiæ a nobis allatæ superius præ manibus singulæ sumantur; & licet inficiari nolimus, quasdam quoad circumstantias, vel ex linguæ indole, vel ex ratione Chronologica non esse omnino claras; tamen Vaticinii summa, cum aliis colligari, omnium complexus collatis cum aliis eventis claritate tanta fulgere videbitur, ut ab ea parvæ quædam peculiarium dubiorum umbræ, ceu tenuis a meridiana luce caligo, solvantur, dissipenturque. Nemo omnium sanæ mentis esse potest, qui non fateatur, Spiritum Sanctum Oracula illa dictasse, (quæ Libertini audacia una cum *divinandi modis ambiguis, quibus utuntur homines*, conferre potest) & Religionem Christianam admiranda Prophetiarum, *typorumque* serie per quadraginta sæculorum decursum ab eodem Spiritu Sancto adumbratam fuisse, & prædictam. Atqui, si ita res se haberet, inquit Adversarius, *si Prophetiæ fuissent, Hebræi earum custodes, ubi eas completas vidissent, resipuissent*. Acutum mehercule telum! At contra respondeat ille, qui licet Revelationis hostis, jactat se nihilominus Religionem naturalem profiteri, ac proinde Dei unitatem providentiamque agnoscere; si quis refelleret argumenta, quibus hæ veritates probantur, dicens, si demonstrationes evidentes essent, numquam futuros fuisse aut Atheos, aut Manichæos, aut Epicureos; quid reponeret? Num

(a) *Les Prophètes sont mêlés de Prophéties particulières, & de celles du Messie, afin que les Prophéties du Messie ne fussent pas sans preuves, & que les Prophéties particulières ne fussent pas sans fruit*. Pensées, 15.

Num concederet, obstinationem, aut delirium horum capitulorum stolidorum, horumque improborum cordium nostrarum rationum lumen quicquam imminuere? Quem latet, quam hominum cogitationes inanes sint, & portentosæ? Quam adolescentiæ præjudicia, affectuumque impetus vim in animum exerant, ut hallucinetur? Hebræi carnei, & qui intimum sensum promissorum Abrahamo factorum, Oraculorum, & Prophetarum non intelligebant, Soterem terrenum præstolabantur; alia non habebant in animo bona præter pingue solum, lucrosaque commercia; nullum alium pavebant hostem nisi servitutem gladiumque (a): ideo nulla alia indicia futura in Messia censebant nisi majestatis, divitiarum, fortitudinis, triumphorum. Quare quid miremur, si hoc intuitu Prophetias legentes, eas in Christo non viderent, qui pauper natus est, abjectus vixit, Crucique affixus expiravit? Quamquam hæc ipsa Hebræorum pervicacia, hæc ipsa mentis debilitas, ut Prophetias ad Messiam attinentes non intelligerent, nedum quicquam roboris detrahat (ut Libertini postulant) ab iisdem, invicto potius argumento sunt, quod earum nobis Divinitatem persuadet. Illa ipsa cordis durities, illa ipsa stupiditas a Prophetis, & ab Isaia (b) præcipue claris, gravibusque verbis nobis prædicitur, quo modo etiam illius impiæ gentis contra Soterem suum malefacta prænuntiantur, & proinde tantæ impietatis pœna, quæ fuit reprobatio, cædes, dispersio illius populi per universi Orbis nationes. In his sine regno, sine Sacerdotio vivens abhinc decem & octo sæculis, veritatem eorum Vaticiniorum, quibus & illius magnitudo criminis, & ejus acerbitas suplicii prædicitur, satis aperte nobis testatur.

(a) Quam corrupti mores Hebræorum essent Christi ætate legimus in Josepho *de Bello Jud. Lib. IV. cap. 37. & lib. VII. cap. 30.*

(b) Cap. 6. *Et dixit* (Dominus) *Vade, & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum. Et dixi: usquequo Domine? Et dixit: donec desolentur Civitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquetur deserta.*

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

Evangelica Demonstratio.

I. *Epilogus Demonstrationis Divinæ Revelationis existentiæ. Principium, quo fulcitur. Anacephalæosis signorum Doctrinæ Christianæ.*

II. *Unaquæque harum notarum ex se sola probat existentiam divinæ Revelationis. Prima consequutio.*

III. *Accessio multarum harum notarum addit alios evidentiæ gradus, proportione habita, demonstrationi. Consequutio secunda.*

IV. *Complexus harum omnium notarum ob simplicitatis principium addit alium evidentiæ gradum demonstrationi. Tertia consequutio.*

V. *Demonstratio in forma.*

§ I. SEd tandem aliquando hactenus probatæ demonstrationis consequutio est deducenda, nimirum in Christiana Religione divinam Revelationem existere. Propositionem ergo, quam capite hujus Libri VII. tamquam fundamentum sermonis nostri jecimus, revocet in memoriam Lector, fuit autem hæc: *complexus circumstantiarum, aut signorum, aut, ut quidam dicunt, phænomenorum ita cum principio conjunctorum, ut illud solum possit eorum esse adequata causa, quo sublato, nulla ratio sit, qua explicetur, causa nulla, qua illa generet, complexus, inquam, hic hujusmodi principii existentiam confirmat.* Eo loci in hac propositione fundamentum cujus-

cujusque moralis evidentiæ, quam de factis habemus, qualia sunt exempli causa existentia Cæsaris, Romæ conditio, inesse ostendimus; probavimusque etiam, principium hoc esse adeo certum, ut ad simplices, primasque veritates reducatur, neque in dubium possit illud revocari. Dum principium hoc quomodo in hanc rem nostram congrueret, exposuimus, diximusque Religionem Christianam iis notis, ita, & tam arcte cum Revelatione divina conjunctis convestitam esse, ut, hæc semel admissa, causam adæquatam, quæ illas omnes explicat, rationemque simplicissimam, quæ illas producit, in illa una comperiamus; hac sublata, nec indicari, nec esse hujusmodi complexus, aut ratio, aut causa possit; sed, ut dicam, in suspenso sint, quin ullum sit fundamentum, quo fulciantur, aut ratio, qua explicentur. Harum notarum præcipuæ ad examen revocatæ a nobis sunt, explicatæque, videmurque, nisi suscepti operis nos fallit amor, cuilibet honesto, & a præjudiciis libero homini probasse, esse singulas ejusmodi, ut nonnisi Deum auctorem possint habere. Doctrinam Christianam in libris duorum Fœderum tam veram in suis Theoriis, quam in disciplina morali integram vidimus, ut recta ratio eam, quippe quæ cum suis luminibus convenit, ex una parte approbet, simulque ut tamquam superantem quidquid quavis ætate, quavis in regione jusserunt qui habentur sapientissimi Legumlatores, suspiciat. Quantum Doctrina Christiana potuerit, collegimus ex eo, quod non solum corruptos homines ad sanam frugem revocarit, quod ne minima quidem ex parte celeberrimi totius retroactorum temporum Philosophi eloquentissimis orationibus suis sunt consequuti, sed etiam ex eo, quod cultores suos ad eum sanctitatis, integritatisque gradum evexit, ut suos infensissimos hostes in admirationem, & stuporem pertraxerit. Hujus doctrinæ etiam citissimam, & quoquoversum latissime pertinentem propagationem vidimus, ostendimusque, humanis viribus cunctis pensitatis, id fieri minime potuisse, sive ipsius doctrinæ Sectis quæ tum dominabantur, infensæ, sive humani cordis corruptorum affectuum, sive illius sæculi supra quam credibile est vitiis addicti, sive horribilium, quæ ex ejus cultu derivabantur, consequutionum, sive modorum, qui ad hoc opus adhibiti sunt, inertiæ ratio habeatur. Ad trutinam Martyrum Christianorum fortitudinem revocavimus, & luce meridiana clarius ostendimus hujus eventi, omnibus circumstantiis perpensis, nullam vim creatam finitamque causam esse potuisse. Ad miracula pro Christiana Fide patrata oculos convertimus, & cum eorum veritatem, præsertim Resurrectionis Christi testimoniis confirmatæ ita, ut certiora historiarum facta evidentius confirmari non possint, patefecimus, tum eum fontem, unde ea prodigia dimanarunt, quæ nullus malus spiritus edere potest, sed solus Deus, deteximus. Illa tandem Oracula, quæ per quadraginta sæcula de Divino Sotere, de ejus ministerio, gestis, prodigiis, potissimumque de Fœderum mutatione, de Hebræorum reprobatione, de eversione numquam alias reparanda Jerosolymarum, Templique, de Orbis ab idololatria ad veri Numinis cultum conversione, mortalibus fuerunt prænunciata, in medium produximus. Hæc autem Oracula iis contenta Libris, quos acerrimi hostes ipsi nostri custodierunt sedulo, evidenter, & omnino in Christo, suaque Ecclesia fuisse adimpleta, planissimum fecimus: atque hinc, eum esse Messiam, hanc esse Religionem sæculis tot ante prædictam, recte collegimus.

§. II. Hæ sunt notæ illæ præcipue, quas diximus, probavimusque in Christianam Religionem congruere, atque ita congruere, ut nulla alia Religio earum aliquam ostentare possit, nedum vero omnes simul.

Unaquæque igitur harum notarum etiam per se sola sumpta tam apte cum Deo, tamquam cum causa sua naturali, veraque conjuncta est, ut eo tantum hujus Religionis auctore posito, nota hæc intelligi possit, explicarique; eoque sublato, causa nulla sit, quæ hanc notam explicet, illiusque rationem reddat.

Unaquæque ergo harum notarum, quibus Christiana Religio insignitur, ad eam divinam demonstrandam sufficit. Quod si unaquæque vim hujusmodi habet, tot unitæ simul, omnesque copulatæ evidentissimam, invictamque demonstrationem efficiunt; idque duas ob rationes, quas e vestigio subdimus.

§. III. Ac primum quidem ex ea communi ratione, evidentiam de existentia alicujus occultæ causæ eo magis augeri, quo magis augentur phænomena, seu effectus, quæ varie, sed necessario cum illa conjuncta, eam nobis indicant, indigitantque & varie & simul velut unam radicem suam, qualibet alia magis, magisque clare exclusa: Veritas, integritas Christianæ doctrinæ causam sapientia, & sanctitate infinita præditam mihi prodit; ejus autem vis in convertendis, sanctificandisque gentibus causam mihi aperit irrepentem gratia sua in imum cordis, voluntatesque rebelles efficaciter subjugantem. Jam causa hæc tantopere sapiens, adeo sancta, ita potens nonnisi Deus esse potest. At eum scilicet novo evidentiæ genere hujus doctrinæ auctorem, miracula, quibus illa confirmatur, mihi ostendunt. Requirunt enim hæc supremi naturæ Domini brachium. Praterea Prophetiæ, quæ passim in veteri Foedere reperiuntur, in novo adimpletæ in eo, qui illas afflavit, *præscientiam* falli, & fallere nesciam omnium eventuum liberorum, & contingentium nobis significant, quod solius Dei decus est. Martyrum Christianorum eventum, qui sanguine suo doctrinam hanc testati sunt, vim quavis humana infirmitate majorem requirit, quæ quidem nonnisi a Deo proficisci potest. Conversio demum Orbis modis ineptissimis, contra plurima, & validissima obstacula facta ostendit eum, qui illam obtinuit, non indigere modorum robore, ut sua exequatur consilia, sed humanam potentiam eum evertere, nihilo vim dare, hominum mentes movere, & quo ei libet flectere; jam hæ notæ singulæ, & omnes procul dubio sunt unius Dei. Quælibet igitur harum circumstantiarum, quibus Christiana Religio ornatur, peculiari, diversaque via nos ad Deum auctorem cognoscendum manuducit; cum harum circumstantiarum quælibet singularem relationem cum illo tamquam cum eo principio habeat, quod unum propter infinita attributa sua, potest esse causa sola, quæ omnes eas producit, causaque adæquata, quæ omnes explicet.

§. IV. Ex hoc tamen relationum, & hinc peculiarium evidentiæ graduum augmento non totum illud emolumentum habetur, quod ex consideratione earum notarum, aut circumstantiarum, quibus fepitur Christiana Religio, colligitur. In hujusmodi complexu relationem aliam, eamque necessariam perspicio, quam relationem *unitatis* cum Deo veluti cum principio simplici, unoque totius hujus systematis appello; quæ quidem relatio, ut mea fert opinio, huc usque allatam demonstrationem ita facit perspicuam, ut nihil supra. Animadverto igitur, notas superius explicatas omnes secum invicem ita connexas, conjunctasque esse, ut systema mira partium relatione mutua efformatum, dispositumque componant. Doctrinæ sanctitas simul cum miraculis conjurat, quæ illam confirmarunt; citissima Evangelii propagatio respondet Prophetarum Oraculis, quæ illam præsagierant; Martyrum fortitudo unita est cum Resurrectione Christi, quam testati sunt. Non solum perfectissimus concentus in Scripturarum omnium corpore, & in omnibus Prophetarum Vaticiniis a Mundi primordio usque ad Messiæ nativitatem cernitur; sed Judæorum verbi causa dispersio cum Vaticinio Jacobi colligata est, & Templi excidium copulatur cum sacrificio *mundæ oblationis a solis ortu usque ad occasum magni Dei nomini facta*. Morum sanctitas Mysteriorum altitudini respondet; hæc insigniunt miracula: miracula animos addunt Martyribus, Martyres sanguine suo doctrinam confirmant. Uno verbo, omnia hæc Phænomena, aut signa simul cohærent, mutuo se defendunt, se invicem illustrant, & omnia concordia ceu ad centrum totius molis commune, qui est Christus, tendunt, ut omnia, & singula divinitatem testentur, veramque Religionem demonstrent. Complexus ergo hic habere nequit nisi principium *simplex*, *unumque*, quod tamen omnia complectatur tempora, regat vices omnes, voluntates omnes introspiciat, flectatque. Singulares enim quædam causæ separatæ, etiamsi possent nonnulla ex his phænomenis parere (quod fieri non potest) omnium tamen complexum oculis subjicere nequirent, multoque vero minus integrum systema componere, quod in tot sæculorum serie, in tanta regionum amplitudine, in tanta hominum, rerumque varietate relatione tantopere æqua, hujusmodi multiplici unitate videmus.

Hoc

Hoc ergo *simplex principium, unumque*, quod Prophetarum mentes illustravit, tot sæculis post gentes ad agnitionem Dei vocavit; idem principium, quod Scripturas inspiravit, Martyres erexit; illud idem, quod excitavit e morte Christum, operatum est per Apostolos miracula; illud quod exitium Jerusalem prædixit; Titum impulit ad eam urbem evertendam, ejaculatumque est e fundamentis flammas, ut ab illa reædificanda Julianum deterreret. Jam principium hoc *simplex*, *&* *unum*, continensque *rationem adæquatam* omnium horum phænomenorum, illaque omnia intuitu prospiciens uno, opportune, apteque quamlibet partem movens nisi Deus esse non potest: Deus ergo horum phænomenorum, seu notarum causa una est; & proinde Christianæ Religionis iis ornatæ signis ille unus est auctor. Ut huic argumento ab Impiis satisfiat, eorum est aut probare, in Deo non esse hujus complexus *rationem adæquatam*; sed ut hoc dicatur, & *præscientia*, & sanctitas, & omnipotentia, & summum Imperium, & providentia neganda est, hoc est Deus ipse negandus; aut extra illum alia *simplex* causa, *&* *una*, quæ hunc complexum contineat, est invenienda. Atque hic sancte, casteque affirmo Lectoribus, in omnibus horum Philosophorum libris, ut legantur, perleganturque, nihil reperiri aliud, nisi *fanatismum*, & subdola verba, & sophismata. At ex iis, quæ usque adhuc probavimus, mihi videor jure, ac merito respondere posse, ita ratiocinantem esse omnino despiciendum.

§. V. Huic ergo de divina Revelatione tractatui finem imponamus argumentum totum ad scholasticam formam redigentes.

Notarum, aut phænomenorum complexus ita cum principio conjunctus, ut unus possit omnium rationem reddere, quo sublato, nulla ratio est, quæ illas explicet, aut causa, quæ illas pariat, hujus existentiæ principium probat.

Atqui Christiana Religio hujusmodi notaram ita cum divina Revelatione, sive Deo ejus auctore conjunctarum complexu convestitur, ut ille unus & singularum hujusmodi notarum, & omnium complexus rationem adæquatam reddere possit; & si Deum earum auctorem non esse fingamus, nulla est ratio, quæ singulas has notas pariat, multoque minus complexum totum explicet.

Ergo Deus Religionis Christianæ est auctor; ergo divina Revelatio in ipsa est. Quod erat a nobis demonstrandum.



L E C T O R I.



Eligionis cum Naturalis, tum Revelatæ capita præcipua in duobus superioribus libris solide constituta fuere, & hæ veritates necessario sciendæ mea quidem sententia clare expositæ, demonstrataque, quin nullus dubitandi locus amplius supersit, fuerunt. Licet autem pro certo habeam, maximam non solum eorum, qui hæc scripta legerint, sed illorum etiam, qui nobiscum vivunt, partem hujusmodi dogmata omnino credere, nihilo tamen minus illud etiam scio, plurimos semper magnopere commoveri, imo etiam horrescere & quasi trepidare, quod non ignorant litteratorum hominum examen in terris esse, qui veritatum hujusmodi se palam adversarios profitentur, impietatemque audacter propugnant. A pluribus hujusmodi homines præstantissima ingenia, Philosophi intellectu excellenti, ratiocinandique acumine supra vulgus præstanti præditi, ut spiritus vere fortes, magnique ducuntur, qui ab omnibus saltem sint colendi, timendique. Vulgarem hanc opinionem scituli quidam adaugent, cum in cœtubus quædam crepant nomina tumidi, admirantesque, eorum ratiocinationes commendant, illorumque libros ut Jovis auribus dignos extollunt: & quamvis aperte dicere non audeant, eos de impietate vera sentire, tamen quibusdam mutilis periodis, quibusdam arcanis aposiopesibus, quæ idem indicant, animi sui sensa promere non erubescunt; gravi, prudentique epiphonemate concludentes, pro Religionis bono arcendos eos esse, quandoquidem si in aciem descenderent, fortasse si non excidium Sanctuario afferrent, terrorem certe illi incuterent. Jam hæc est persona, quam volente propitio Deo in hoc libro me excutere paro, in quo vero sub suo aspectu hi formidati gigantes prodibunt. Neque ideo quisquam putet, me arbitrari, libertinos ingenii, acuminis, eruditionisque esse expertes; imo contra ajo ex iis esse quosdam egregii ingenii; jamque Lector animadvertere potuit, sæpe a nobis iis tributum fuisse, quod illis debebatur, nosque de illorum ingenio ea reverentia, qua decebat, fuisse loquutos (*a*). Dixi *quosdam*. Quilibet enim non invitus concedet, in hoc Libertinorum tanto numero multos esse larvatos Litteratos, argumentorumque, de quibus agunt, valde inscios.) Quod ergo propugno, hoc est, etiam hæc sublimia ingenia, etiam hos viros eruditione, & scientia præstantes quotiescumque nescio quo malo fato impietatem defendere aggrediuntur, potius quam terrorem hominibus sapientibus argumentorumque gnaris incutiant, misericordiam potius, ne dicam despicatum excitare. Sane e multis speciminibus in superioribus libris a nobis allatis, hujusmodi notam per se ipsum jam lector detexerit; sed eam in hoc libro, in quo hodiernæ impietatis fontes aperire constituimus, clarius, apertiusque cognoscet.

Vide-

(a) Sicut diversæ sunt hominum cogitationes, diversa consilia, ita fortasse quibusdam non arrisit, a me in hoc opere quosdam scriptores Libertinos, aut Hæreticos cum laude nominatos fuisse. His tamen vere, animoseque respondeo, quod censoribus suis S. Hieronymus epist. 41. alias 65. ad Dama. & Ocean. respondit. *Objiciunt mihi, quare Originem aliquando laudaverim .. laudavi interpretem, non dogmatisten; ingenium, non fidem; Philosophum, non Apostolum*. Spero fore ut liber meus ab initio ad finem usque hoc responsum confirmare possit. Deinde dico, id a me factum, ut cuivis lectorum generi ostenderem, non jam turbulenta cupiditate, sed uno veritatis amore ductum me scribere; quoniam & scriptorum scientiam dignoscere scimus, & in hostibus nostris meritum veneravi non timemus. Demum fateor, semper mihi visum fuisse in nostræ Religionis laudem redundare, si non solum de aggressionibus in eam factis a vilibus indoctisque impiis triumphare ostenderetur, sed a validis viris, e quibus obtenta victoria aperte eorum malam causam demonstrat, non ingenii infirmitatem: namque

Si pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent. Virg. Æneid. II.

Videbimus ergo, stimulum primum, quo Libertinis ad religionem deferendam, profitendamque impietatem excitantur, non esse Philosophiam, non eruditionem, non scientiam, sed *cordis corruptionem*. Licentiæ immodicæ, impunisque, hoc est ab iis conscientiæ morsubus, motibusque, quos in improbis Religio excitat, liberæ cupido efficit, ut ipsa odio habeatur, tum obstinate ejus dogmata negentur. Hæc propositio quovis argumentorum genere uberrime a nobis probabitur: imo fatendum mihi est in eo pertractando me prolitiore stylo fuisse usum, quam putaram. Ac magnus impiorum Patronus Petrus Bælius me ad id adduxit, pertraxitque. En autem quo modo vidit ille, sicuti perspicaci acutoque ingenio erat, argumentum si non magis directum, certe magis apertum, validumque contra impietatem ex eo desumi, quod cum effrenatissima morum corruptela, naturæ adversa, societatis inimica, ipsius status quietis adversaria conjungitur: quod quidem argumentum, ut quisque per se animadvertit, quemcumque, modo humanitatem omnem non ejurarit, movere debet. E quibuscumque locis, quæ illi Philosophia, Historia, Mythologia suppeditare poterant argumenta desumere nititur. Quaquaversum causam pertractat, suamque propositionem mille sub aspectibus objicit, ut incautum Lectorem decipiat; totque paralogismis, homines honestos & virtute præditos, qui Deum, Religionem contemnunt, esse posse ostendat; atque hinc quietam, felicemque posse societatem existere, in qua solus Atheismus sit, colaturque. Vix est credibile, hanc sententiam in homine prudente, tantique acuminis, qualis Bælius erat, insidere potuisse; tamen nemo est, qui nesciat, quanta arte eam probare aggressus fuerit; quod nisi e votis ei accidit, pessima causa in culpa est, non nisus, strenuique patroni voluntas. Quare operæ pretium me facere duxi, si clari sophistæ paralogismos diluerem (tantoque magis, quod in horum triobolarium Libertinorum, qui ex hoc fonte latices hauriunt, libris ad ravim usque repetiti quotidie prodeunt) examinarem, solveremque cum quoad jus, tum quoad factum ejus sophismata, veritatemque iis mendaciis oppositam, quæ tanto circuitu deducere se posse confidit, necessaria rerum consequutione confirmarem. Ubi ergo probavi, cordis improbitatem esse stimulum illum, quo homines ad contemnendam Religionem aguntur, hinc ad ostendendum transeo, eos ad hunc impietatis gradum progressos nihil aliud in agendo, quam voluntatem, vimque sequi; quod si recti, honestique leges agnoscunt, esse iis hæc præcepta infirma, expertia nempe *sanctionis*, sive causarum, quæ possint eos ad illa adimplenda impellere cum has unas causas Religio subjiciat. Hinc deduco, Libertinum *sui systematis vi* scelus quodcumque, quod velit, possitque, paratum esse patrare. Quo quidem homine sicut nihil magis abominandum, monstrosumque concipi potest, ita nihil magis naturæ consonum potest colligi, quam pestem ejusmodi societati supra quam dici, fingique potest pestiferam esse, ac proinde iis, qui bono cummuni præsunt illam esse penitus exterminandam. Hæc sunt theoremata, quæ invicem conjuncta, Bæliique sophismatibus prorsus adversa argumentis juris, factique, sed veris, ac certis probare aggressus sui; per quæ argumentum, quod contra impietatem ex eo, quod ethicam, societatem, remque publicam evertit, conficitur, vindicatur, totaque ejus vis illi restituitur. Hic proinde vero sub aspectu *homines honestos* Libertinos videbunt, & me sperare juvat, fore ut ad aspectum hujusmodi ex eorum animis horum nostræ Religionis adversariorum conceptus timor depellatur, aut saltem evanescat.

Secundum impietatis fontem methodum perversam, rectæque rationi oppositam, quam Libertini in Religionis negotio sequuntur, esse affirmo. Hæc præ-

cipue consistit in nostrorum dogmatum confutatione argumentis, quæ omnia procul dubio solvuntur, & in amplectendis iis systematibus, quæ difficultatibus non solum gravioribus, sed omnino repugnantibus, & insuperabilibus urgentur. Hanc rationis perturbationem appello; variaque e præcipuis Religionis Naturalis, Revelatæque capitibus exempla profero. Hic mihi rursus cum Bælio acerrimo *Dualismi*, Pyrrhonismi, & omnium fere errorum propugnatore acerrimo confligendum erit; speroque, fore ut non meis viribus fretus, sed veritatis, quam tutor, vi eum profligem: etiam, ut confido, sophismatum imbecillitas, quæ Volterus, Marchio d'Argens, & novissime Rousojus contra Revelatam Religionem afferunt, demonstrabitur; veroque in lumine eorum theorematum oppositorum, earumque consequentiarum, quæ inde derivantur, admirabilium præstantia, & pulchritudo ponetur. Hoc quoque animos his nominibus perterritos mirum quantum recreabit. Novatorum systema, qui ab ecclesia Orthodoxa veritatis fallere, fallique nescia magistra separati cujuscumque arbitrio de Religione, & fide per se judicium ferendi potestatem fecerunt; hoc, inquam, systema jure ac merito alius hujus impietatis, quæ nunc Europam totam inficit, fons est censendus. Cum semel aggeres torrens evertit, mirum non est, si undequeque se se superessundat. Experientia ipsa edocti prudentiores Protestantes id agnoscunt; sed malum hoc in eorum systemate nullo est sanabile remedio. Hoc etiam a nobis invicte probabitur, unde prudens Lector colliget, præter Catholicam Romanam nullam aliam in terris veram esse Religionem, a qua qui semel deficit viam ad impietatem jam sibi sternit.

Ultimum impietatis fontem malorum librorum, qui ultra montes editi per nostras regiones diffunduntur, contagionemque inducunt, lectionem recenseo. E librorum ipsorum nota, & a majoris Lectorum partis ingenio animadversiones meas desumam, in iis sagacissimos dolos detegam, quibus & lumina perstringuntur, mensque legentis simul decipitur; ostendam Lectores plerosque scientiæ, animique expertes, qui virus internoscant, refutentque. Hujusmodi animadversiones una cum iteratis experimentis conjunctæ a me non perperam hanc pestiferam librorum lectionem impietatis fontem constitui, probabunt. Magna me spes tenet, fore ut argumentorum varietas, gravitasque non minus gratum quam utilem sapientibus Lectoribus hunc tertium librum faciant. Nec vero inter cætera erit hoc leve emolumentum veris sub suis aspectubus ingentem illum impiorum numerum, qui Europam universam hac ætate inficere dicitur, detexisse. Eorum enim nota mentis, cordisque cognita, causis, cur a veritate decidcant, impietatis systematibus, quæ amplectuntur, armis infelicibus, quibus ut bellum in nos moveant, utuntur, penitus detectis, inferetur, potius quam ab eorum fortitudine Religioni, quam profitemur, detrimentum ullum reformidemus; misericordiam erga illos in nobis excitandam esse, horroremque.

LIBER TERTIUS

DE FONTIBUS IMPIETATIS.

PARS PRIMA.

De primo Impietatis Fonte.

CAPUT PRIMUM.

Necessitas Revelationis.

I. *Impietatis fons non inest in intellectu, sed in corde.*
II. *Quomodo transitus fiat a corruptione cordis ad mentis impietatem.*
III. *Duo Atheorum genera a Bælio distincta. Unum ex his est incredibile.*
IV. *In quo occupetur maxima Libertinorum pars; quinam Libri iis in deliciis.*
V. *Quid ex hac lectione discant, ut ad impietatem se parent.*
VI. *Specimen characteris, meritique Litterarum Judaicarum.*
VII. *Ex his consequitur, fontem impietatis ut plurimum esse cordis corruptionem.*

§. I. Quamvis argumenta, quibus Naturalis Religionis capita præcipua probantur, sint adeo clara, & evidentia, ut vix ac menti nullis præoccupatæ præjudiciis proponuntur, statim illa amplectatur, & quo magis ea perpendit, eo certiora dignoscat: & Christiana Religio illa signa contineat, quæ proculdubio a Deo illam profectam, ac proinde verissimam demonstrant; ideo incredibile videtur, mortalem esse posse quemquam, qui de illis dubitare possit, immo etiam ea negare. Hinc causas, fontesque rei hujus tam a recta ratione alienæ, quam oculis nostris passim subjectæ investigare proposuimus; neque inanem sumemus laborem. Hinc enim emolumenti multum vera causa percipiet, dedecusque ingens in Libertinos redundabit, quorum verum ingenium longe aliud ab illo, quod sibi adsciscunt, sparguntque in vulgus sedulo, se habere, saltem penes indoctos imperitosque, detegemus.

Nemo est, qui neget esse Deum, nisi qui avet ne sit. In cordis ergo corruptione en verissimus fons primus. Hoc idem de illis, qui bellum in Religionem Revelatam inferunt, est sentiendum. Nos tamen de Atheis potissimum nunc sermonem habebimus; cum quia ii omnes, qui a Revelata Religione deciscunt, tam perversas Providentiæ, Deique notiones habent, principiaque ita nutantia jaciunt, quæ in Atheismum ducunt; tum etiam quia Christianus, qui Revelatam Religionem deserit, hanc naturalem Religionem sibi confingit; cum verissimum sit illud quod Fenelonius alibi a nobis memoratus ait, *inter Catholicam Religionem, & Atheismum nihil esse medii*. Itaque non ideo in Religionem arma Libertini movent, quod viri docti sint, sed quia impune mali esse cupiunt. Et sane etiamsi concedere vellemus, argumenta quæ contra Dei existentiam, animæ immortalitatem, divinam Revelationem, afferunt, habere vim aliquam apparentem, quilibet tamen prudens, honestusque fateri debet, ea collata cum perspicuis demonstrationibus, ea vehementi universa propensione, qua ad sequendas naturales præcipue veritates homo fertur, nullum per se robur habe-

habere, quo animum præjudiciis præoccupatum nullis haberent in suspenso, multoque minus in impietatem propellerent. Quod ergo rationum vis facere nequit, efficit cupiditatum impetus; eoque modo, quo, ut inquiunt Theologi, sanctus amor, quem illi *pium credulitatis affectum* appellant, movet, & urget intellectum, ut mysteriis obscuris, naturæque lumen suum superantibus assentiatur; ita dicendum est, amore malo ad negandam, vel invito insito lumine, veritatem, & ad præbendum grato errori assensum, non argumentis, sed una libidine motum intellectum impelli.

§. II. Ut autem nobis persuadeamus, rem ita esse, & hujusmodi esse Impietatis fontem, & Libertinorum ingenium, satis erit, si ad vivendi rationem eorum, qui eam profitentur, oculos convertamus. Gens nata, altaque cum Dei, æternitatis, legum Religionis notione, quæ tamen aut voluptatis illecebris, aut utilitatis vi, aut cupiditatum blanditiis permota iis se totam permisit, sentit interea conscientiæ latratus, qua discerpitur, Religionis lumina, quibus perstringitur, Deum judicem fulmina jaculantem, æternaque minitantem supplicia prospicit. Nil non intentatum relinquunt, ut quoad fieri potest, ab his cogitationibus terrificis mentem avertant: ex hoc in illud diverticulum migrant, ex una ad aliam cupiditatem. Et sane inter effrænatarum cupiditatum tumultum, inter nitorem, strepitumque mortalium voluptatibus deditorum horrendas has voces, has suorum turpitudinum castigationes non sentiunt. Quid tamen inde? cupiditatum æstu paulisper frigescente, & nocte adventante, & solitudine intestina prodit furia, quæ illos deterret, suppliciumque longe majus perceptis concupitis voluptatibus iis infligit (a). *Nolite putare*, ajebat Cicero (*pro Sexto Rof. Amer. c. 24.*), *quemadmodum in fabulis sæpe numero videtis, eos qui aliquid impie, sceleratèque commiserint, agitari, ac perterreri furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, & suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ, domesticæque curæ.* Quid hi agent hoc tam gravi in certamine? Exaudientne has justissimas castigationes, sequenturne Religionis lumina, incœptumque pessime vivendi modum derelinquent? Ille Minister est iniquis modis præclarum adeptus honorem, cujus incrementa omnia, resque secundæ Poetæ Epicurei (*Horatii Lib. I. Sat. 3. v. 98.*) axiomati nituntur:

Atque ipsa utilitas justi prope mater & æqui.

Jam animos sumpsit ad immolandam libidinibus suis imbellem innocentiam; jam fides, & juramenta confirmandæ veritati, & fraudi æque inserviunt: justitia propriis commodis regitur; ex Religionis exercitio non purior ejus animus efficitur, sed ea nequitiæ velamen est. Quid ergo faciet, ut a conscientiæ morsibus, & pavoribus, quibus vexatur, se eximat? Conatur mentem convenire cum corde, ut illa quin perhorrescat, videat id, quod amore tanto amplectitur. Sibi persuadere studet, verum esse id, quod cupit, falsumque prorsus quod abhorret. Agendi juxta Machiavelli præcepta ratio summa lex fit, & ad theoriam redigitur; Religionis dogmata arroganter ad examen vocantur. De alterius vitæ pœnis, & de supremi judicis existentia primum quidem dubius habetur sermo; tum quibusdam blasphemiis, & sophismatibus Libertinorum memoriæ mandatis per summam impudentiam deridentur. Demum per conatum, cui natura quidem tota repugnat, at vehementissima cupiditas rapit, oculi veritati clauduntur prorsus, asseriturque, nihil huic vitæ superesse, para, putaque automota nos esse; alteram vitam non existere nisi in pusillorum mentibus, solumque Lucretium recte sensisse (*Lib. 3. v. 37.*)

Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus.

Hic Ministri illius impietatis fons est, cui

(a) . . . . *Quos conscia facti*
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum. Juven. Sat. 13. v. 193.
Ultricesque sedent in limine Diræ. Virg. Æneid. IV. v. 473.

cui utilitas præcipuo argumento fuit, ut a veritate discederet; quem fortuna suis illecebris, non aliqua sublimis Metaphysica contemplatio permovit, ut a Deo desisceret. Hoc idem de juvene illo voluptatibus unice addicto dicatur, qui jamdiu est

Captivus vilis vini, thalami, atque ciborum. (a)

Hoc idem de homine illo effero, impotenti, superbo, pietatis contemptore, suique judicii, voluntatisque pedisequo: Hi, aliique omnes, qui Libertini dicuntur, aut Atheistæ sunt (sequar Bælium testem) *quocumque vitiorum genere contaminati, atrociora crimina patrare parati, qui animadvertentes inferni timorem interdum suam quietem perturbare, videntesque commodum sibi esse, Deum non esse, student id sibi persuadere.* (b) Et paullo post; *Ex quo homo induxit animum, esse Atheistam, & omnia suscipere, ut hunc finem consequatur, qua maxima nequitia fœdari homo potest, inquinatur: & nisi Deus prodigia patret ut ad bonam frugem eum reducat, hic omnia scelera committet; quamvis ad verum Atheismum nunquam perveniet* (c). Habemus ex Bælii fatentis verbis Libertinorum nostrorum indolem. Habemus systematis horum *hominum honestorum* fontem.

§. III. Verum quidem est Bælium eo loci duo Atheorum genera distinguere: *hoc est eorum* (d), *qui a dubitatione incipiunt, & in dubitationem desinunt;* & quamquam in his cognoscat fontem modo descriptum, tamen de primis dicit, *ut plurimum esse doctos falsos, qui ostentant, se ratiocinari, & corporeas voluptates contemnere . . . . sed quoniam accidit, eos, qui suffocant, aut suffocare nituntur in sua mente malitiose Dei notitiam, esse in primis dissolutos, contumacioresque criminosos; ideo vulgus, omnes Atheos indiscriminatim scelestos esse, opinatur.* Quod illi persuadere cupienti, esse quoddam *Atheorum genus* (Dict. Crit. Artic. Des-Barreaux Rem. F.) *hominum gravium a voluptatibus, & illecebris alienorum . . . . quos longa contemplationum profundarum series, sed male deductarum in Atheismum impulerit*, minus arridet. At quis non videt in hac Atheorum distinctione artem, qua clarus hic Sophista conatur horrorem illum imminuere, quo mortales persequuntur homines ejusmodi? *Homines* ergo *graves a voluptatibus, & ab illecebris carnis*, addimus nos, nati, altique in Religionis sinu possunt serio in dubium Dei existentiam revocare? Homines ergo sanæ mentis, quod significare videntur illa verba *homines graves*, cupiditatum impotentia non obcæcati, aut pertracti evidentiæ illi, quæ invicte Orbem totum ad hujus veritatis confessionem perpulit, resistent? Utrum opinionem hanc paradoxum dicam, an insaniam nescio. Hoc tamen theorema Bælio arridet, pluribus in locis fuse pertractatur, quodque Atheistarum patroni nomen, nemini, quod ego quidem sciam, ad criptum, illi peperit. Fateor, esse varios Libertinorum nequitiæ gradus; neque omnes iisdem vitiis laborare; fateor etiam, nonnullos in impietatem prolabi per ratiocinia fallacia, quæ alii increduli vulgo ignorant. Concedo etiam, hos fœdiores & majori horrore dignos primis esse; at effutire, *eos esse homines graves, a voluptatibus, & illecebris alienos*; hoc est probis ornatos moribus, cupiditatibus non assentientes, non elatos, ut modo dicebam, aut paradoxum censeo, aut insaniam. Etiamsi autem res per seipsam loquitur, eam a principiis suis repetere placet, & inquirere, num nisi homo moribus apprime pravus possit Atheismum amplecti. Fingamus hominem bonis moribus natum, altumque

a Re-

(a) *Di un servo, di letti, e di vivande.*

(b) *Sont des ames souillées de tout sorte des vices, & capables des plus noires mechancetez, qui s'apercevant, que la crainte d's Enfers vient quelque foi troubler leurs repos, & comprenant, qu'il est de leur interêt, qu'il n'y ait point Dieu, tachent de se le persuader.* Pens. divert. 9 CLXXVII.

(c) *Dès qu'un homme est capable de vouloir etre Athée, & de faire des efforts pour cela, il est de la plus effroyable malice, qui puisse tomber dans une ame, & si Dieu ne fait des miracles pour le convertir, c'est un homme, qui sera tous les crimes, qui seront en son pouvoir, quoiqu'il ne puisse venir à bout de passer dans l'Atheisme.* Ibid.

(d) *Les Athées, qui commencent par douter, d'avec ceux qui finissent par douter. Ceux-là sont pour l'ordinaire de faux sçavans, qui se piquent de raison; & de mépriser les voluptés corporelles ... Or parceque ceux qui étouffent, ou qui tachent d'etouffer dans leur ame par belle malice la connoissance de Dieu, sont les plus insignes debauchés, & les plus determinés pecheurs, qui soyent au Monde; on se persuade, que tous les Athées indifferentement sont des scelerats.* Ibid.

a Religione illustratum: næ hic nullam utilitatem, nullamque curam habet, ut hæc Religio vera non sit. Moralia præcepta approbat, & exequitur; videtque, nihil vetari sibi ab ea, nisi quod genitor filio suo vetaret. Dogmata considerat, quæ sunt Dei existentia, animæ immortalitas, Divina Revelatio, eaque tam evidenter vera detegit, intellectumque ita persuasum videt, ut sophismata omnia a Libertinis inventa delirantium somnia, quibus nihil movetur, sibi videantur. Cæterum videt, cognoscitque veritatem hanc certissimam, etiamsi Religionem sequens deciperetur, non ideo Atheismum malum ullum sibi intentare, neque, si a Religione deficiens illum amplectatur, sibi bonum ullum polliceri; nisi fortasse more brutorum animantium vivendi libertatem, persuasionemque more belluarum moriendi. At vero Religio, quam sequitur, amatque, vera est, eum in spem erigit, ut æterna bona consequuturus sit, & si præ illa Atheismum sequatur, infinita, æternaque minitatur supplicia. Qui fieri ergo poterit, ut homo gravis, & honestus eam partem deserat, in qua, quin malum ullum subeat, sperare potest infinitum bonum, eamque eligat, in qua, quin aliquod verum promittatur bonum, infiniti, æterni mali periculum est (a)? Quis potest inter hæc hærere anceps, immo ad impietatem prolabi? Nemo mehercule, nisi ille, in quo voluptatum illecebræ, præsentiumque cupidinum jucunditas, aut immodicus gloriæ sensus, quo ingenium suum admiratur, magis possint, quam infinitorum bonorum spes, infinitorumque futurorum malorum timor. Jam hic est profecto homo corruptus, malusque: corruptio ergo cordis primus est Impietatis fons.

§. IV. At de hoc Atheorum genere secundo in Bælium loqui supersedeamus; de quibus alibi jam mentionem facturi sumus; transeamusque ad aliam observationem, quæ nisi universe æque ac proxime antecedens, pari tamen claritate nobis demonstrabit, non seriam meditationem, sed cupiditatum impotentiam maximæ Libertinorum parti argumento esse, ut Impietatem sequantur. Et sane quot ex iis sunt, qui, ut Bælius loquitur, *alieni a voluptatibus illecebrisque* altæ huic, & diuturnæ meditationi (quæ certe diuturnaque profundaque multum esse debet, ut evidentia tot veritatum refellatur, & ut ratiociniorum vi quævis Religionis notio de mente deleatur) se totos dedant, & mutentur ex systemate in Atheos? Solum contemplationis nomen nimis triste est austerumque genti, quæ nihil aliud cogitat, quam voluptatibus immergi, genti, quæ nihil post mortem opperiens, quamlibet vitæ partem, quæ voluptatibus careat, amissam credit. Quandonam & præstat, & vacat hos Metaphysicæ in studium incumbere, quale ostendendum esset, si vellent Athei *spiritu*, non autem cordis credi; si per diem totum noctemque in ludis, in cœtubus, in voluptatibus, in comessationibus unis post alias videmus? Theatrumne, an ludi abacus est eorum studiorum gymnasium? Saltatricesne, an amicæ sunt eorum studiorum moderatrices, a quibus theoremata, quibus æternum Deum e Cœlo detrudant, addiscunt? Tamen eruditionem, doctrinamque jactitant, librique vel ultra maria, vel ultra montes compositi magna ex parte etiam mulierum penetralium ornamento sunt. Vultu fero, & impudenti in cœtubus sermonem habent, & sententiam ferunt in quidquid usque locorum est sancti, angustique. Totum autem studium, doctrinaque horum hominum est, ut plurimum aliquod impium, obscœnumque Dictionarium versasse; aliquam Epistolarum cum audacium, & impudentium, tum bonorum morum corruptorum collectionem; aliquem Romanensem librum, & sacrilega, & turpissima narrantem facinora; hæc enim nota est, qua insigniri debent libri, quibus vacare debent, ut novas eorum doctrinas combibant. Quod mirum quantum propositionem nostram con-

(a) Hoc est argumentum quod illustrat Paschalius cap. .6 *Pensées sur la Religion*. Ejus prima semina reperio in sermone habito a Socrate in vinculis paullo ante mortem, relatoque a Platone in *Phadone Tom. I. pag. 91. Edit. Serran.* Idem reperitur apud Arnobium *Lib. IV. Adver. Gen.* Dignum quod præcipue advertatur est, quod Bælius *Tom. III. Diction.*, ubi loquitur de Paschalio refert idem argumentum *Rem. I.* & noscit vim; aliaque objectione in illud facta a quodam adversario illius Magni Viri ait: *cette confutation est foible, & ne merite pas d'etre examinée.*

confirmat; hoc est cordis corruptionem, quod hujusmodi cibis pascitur, eos exstimulare, ut contra veritatem arma ferant. Et sane Petrus Bælius, qui quotquot fuerunt, maxime horum hominum ingenium callebat, iis ad satietatem usque inserviit; ita ut de hoc auctore mihi visus sim posse dicere id, quod de Petronio Arbitro Epicureo Poeta, scripsit Huetius (a), *majorem suæ famæ partem eum debere turpitudinibus; eum minus fuisse legendum, minorisque faciendum, si castior fuisset*. Roterodamensem Scriptorem præcesserat proxime elapso sæculo *Franciscus de la Mothe le Vaer* insignis Pyrrhonicus, & ut ait Bælius ipse, turpissimus Scriptor, Signifer proinde Libertinorum. Hunc antecesserat sæculo præcedenti Michael a Montanea, cujus specimina non solum Impietatis semina continent, sed etiam cynicam impudentiam præseferunt ita, ut Bælius scripta tueatur sua eo quod turpitudines, & Pyrrhonismum Montaneæ non contineant. His Veneribus etiam Opera Domini a Sancto Evremontio initio hujus sæculi Londini mortui, & Atheistis carissimi ornantur. Idem de Epistolis Persicis, de Epistolis Judaicis, & hujus generis Liberculis plurimis impudentiæ, & impietati nuncupatis est sentiendum, Horum autem nulli, licet ætate posterior locum principem cedit Helvetii Liber inscriptus *De l'Esprit*, de quo alibi sæpius sumus loquuti.

Ex his ergo fontibus Athei nostri scientiam suam in Religionem hauriunt. Ex iis enim Satyrarum, ludicrarum Narrationum, jocorum, turpium eventuum, quibus Religionis Ministri deridentur, & etiam despiciuntur augustissima, & sacrosancta Mysteria, desumunt. Harum narrationum una audenti fronte, verbis ad artem conquisitis leviculo risu prolatis iis est demonstrationis Metaphysicæ loco, ex quo Religionem omnem fabulam, artemque Sacerdotum esse concludant. Hoc argumentorum genere ex ridiculo & Satyra deductorum, quorum prudens quisque, cum de Religione agatur, non solum impietatem (b), sed etiam infirmitatem videt, valde usus est in suis Dialogis Lucianus (c), ut non solum gentiles superstitiones, sed etiam Religionem ludibrio haberet: Lucianus, inquam, incredulorum deliciæ, & corculum (d). Hujus ejusdem argumenti partes suscepit in Anglia Celebris Mylordus Shaftsburgius, eoque non sine Lectorum stomacho Auctor Epistolarum Judaicarum, Voltærus, aliique Libertini minutuli utuntur; quod nimirum demonstrat id, quod hic affirmamus, hoc est nonnisi cordis corruptelam hujus impietatis, quam profitentur, caussam esse. Quis enim nisi perversus, perditusque ideo tantum, quia potest ab aliquo petulanti homine derideri, potest systema rejicere? Ex hujusmodi libris præterea in aliquod præcipuum Religionis caput aliquod sophisma, quod eorum ignorantiæ novum accidit, & invictum, licet fortasse pluribus ab hinc sæculis ab Auctoribus pluribus solutum, difflatumque addiscunt; hoc obtrudunt amicis, videnturque sibi hoc jaculo armati, quo de Religione putant se triumphaturos, Hercule fortiores esse.

Quam-

(a) *J'ai dit ailleurs, & je le repete encore, qu'il doit la meilleure partie de sa reputation à ses obscenitès; & qu'il auroit etè moins lû, & moins estimè, si il avoit etè plus modeste.* Huetiana §. 86 De Bælii obscænitate inter alios legatur *J. Bernard. Nouvelles de la Rep. Jann.* 1707. *ar.* 1.

(b) Petrus Bælius *Dict. Crit. art. Garasse* damnat multum Auctorem Catholicum, qui in Atheos scribens *sæpe ab illa gravitate discedit, quæ in hac materia servanda est*; utitur Satyris, *jocos effundis, faceta multa narrat*. Quid dicendum erit de iis, qui utuntur his armis in Religionem, & derident quidquid sancti ubique est?

(c) Placet afferre judicium, quod de Luciano post Suidam, & alios plures Clarus Tillemontius facit, cum quia valde ejus naturæ convenit, tum quia in eo imago plurium nuperorum Spirituum Fortium cernitur; qui sicut illum deliriis adæquant, tum ab elegantia, eruditione, & acumine distant in immensum Græci Auctoris.

Il fait une profession ouverte d'impietè, se moquant egalement de la veritable Religion, dont il parle en divers endroits, & des superstitions payennes qu'il montre être vraiment ridicules. C'est ce, qui lui a fait donner le surnom de blasphemateur, & d'Athée. Aussi il suivoit la Philosophie d'Epicure, qui n'est guere eloignée de l'Atheisme; ou plutôt il n'avoit ni Religion, ni dogme fixe, & constant, regardant tout comme incertain, & problematique, & voulant se rire de tout.... Ce qui rende encore ses Ecrits dangereux à lire, c'est, que souvent on y voit aussi peu de respect pur la pudeur, que pour la Religion. Tillem. Tom. II. Histor. des Emper. part. 2. art. 29.

(d) *Essai sur la libertè de l'Esprit, & de la Raillerie*. Vide Burnet. *Défense de la Religion.* Tom. V. p. 23.

Quamvis autem hujusmodi sophismata ab eorum animis nimis alte jactas Divinitatis, Religionisque notiones radicitus evellere, & Atheismi evidentiam introducere non possint, iis tamen imponunt, esse in terrarum Orbe mortales, qui eam in aperto habeant, mortales, qui sibi ita persuadeant, mortales demum, qui illius argumenti, cujus ipsi veritatem non concipiunt, vim sentiant. Credunt, Spinosam, etiamsi ab iis minus intelligatur, *Pantheismum demonstrare*; Tolandum fuisse invictum Atheum; Hobbesium vere demonstrare *in una utilitate jus consistere*; licet aut nunquam hos Auctores legerint, aut nunquam argumenta illa in iis repererint, quæ ad tutam, tranquillamque impietatem deducant. Persuasionem ergo suam aliena, certa credita, persuasione fulciunt: sæpiusque hujusmodi insanias repetendo curant phantasiam sibi perturbare, & pervertere, veritatemque e corde e erentem caput reprimere: easque in cœtubus recinendo non tam alios, quam se decipere student, immo non alia de causa, nisi ut ipsi decipiantur, alios decipi exoptant (Vid. Muralti *Lettre sur l'Esprit Fort*). Quicumque quibusdam ex his infelicissimis hominibus usus est familiariter, & præcipue quicumque cum iis certamen iniit, novit, me a veritate non aberrare. Hinc nihil illi magis reformidant quam colligatam, continuatamque ratiociniorum seriem; primis enim argumentationis jactis telis succumbunt, risuque acie exsiliunt; cum quia, ut diximus, theses tantum & theomata salutarunt; tum quia videmus eos ratiocinandi arte tamquam propria nota non insigniri. Requiro nunc a quovis prudente viro, num hujus generis Athei alii ducendi sint, quam corruptus grex; in quibus effrenes cupiditates prima causa sunt, cur obcæcentur; eosque ad facinus hoc injustum, & exsecrandum impellunt, hoc est ad Religionem deserendam in aliena persuasione, quam non vident, & in aliquo sophismate, cujus vim ignorant, solum nixos? Hujus tamen ingenii est maxima eorum pars, qui nostris temporibus increduli videri volunt. Denique si argumentorum vis quibus tueantur, defendantque Impietatem, iis deest; non deest tamen audacia, qua in medium errorem quemcumque turpissimum proferant, & gravissimas veritates contemnant. Itaque petulantiam etiam a memoratis libris, in quibus illa argumentorum vicibus fungitur, Libertini nostri addiscunt, quæ quo minor est Scriptorum doctrina, eo major est, inscentiamque æquat.

§. VI. Judaicæ Epistolæ, exempli causa, sunt ex iis maxime contemnendis Libris, qui Religionem ætate nostra aggressi sunt; earum tamen Auctor in fortissimorum ducum habetur numero. Impie dicta pleno cornu effunduntur, defenduntur que alta, distinctaque voce eos, qui illas carperent, *viles, invidasque animas* vocitando. Calumniæ, Satyræ, quibus veræ Religionis Ministri proscinduntur, sunt ut plurimum argumenta illa, quibus Religio impugnatur: quasi vero mali ministrorum mores, qui homines certe sunt, possint illius Religionis, quæ divina demonstratur, veritatem infirmare. Ita autem earum meritum, & vim extollit Auctor ipse, ut ab initio usque exclamet (a), *quid interest eruditulorum, indoctorum, Monachorum, hypocritarumque gregi displicere? Num quod isti damnant est minoris faciendum?* Respondeo, non opus esse Monacho, aut pio Viro, sed sanæ mentis decorisque unciolam sufficere, ut hujusmodi scribendi ratio fastidium pariat. Et sane quis pati potest hominem, natum, educatumque Christianum, quin rationes afferat, quin eruditionem, doctrinamque solidam, & veram ostendat, ut cuique patet, ex livore solum, venenoque identidem Religionem hanc, ab illo *Nazarenam* appellatam, cum Judaica superstitione, Turcaumque lege conferre, & derisam, & contemptam ex certamine victam, & exsibilatam educere? Religionem, inquam, per tot sæcula ubique terrarum excultam, tot argumentis veram confirmatam, ut cætera silentio prætermittam, edoctam a tot præstantibus ingenio viris cum veteribus, tum recentibus, quibuscum comparatus, nescio, quantus Auctor noster videri posset? Quis ferre potest, quin indignetur,

do-

(a) *Qu'importe-t-il de deplaire à un tas des Grimauds, d'Ignorans, des Moines, des faux Devots? Ce qu'ils condamnent, en vaut-il moins?* Tom. I. Praf.

dolum malum, quo plures ſcribuntur Epiſtolæ, editurque in lucem in ſermones duos verſa narratio pluribus blaſphemiis, quam verbis contexta in Divinum Legiſlatorem, in ſanctitatem, decuſque Matris ſuæ? Quæ quidem narratio a Rabbinis conficta dicitur, tamen editur, nulla alia de cauſa, niſi ut ab incautis Lectoribus, ſicut cæteræ ridiculæ, mordaceſque narratiunculæ, deguſtetur? Quis legere poteſt ritus auguſtiores ſanctioreſque tamquam comicos prorſus traduci? Quis hujus in Religionis veritates graviſſimas jaci ſophiſmata ſæpius repulſa Caraitæ alicujus, aut alterius infidelis (quod harum Epiſtolarum in fine legitur), & in ſubdolo certamine ex ignorantia, vel ex Scriptoris aſtu reticere reſponſa, & fingere illas victas, depreſſaſque? Quis ferre poteſt ſublimia ingenia, præceptoreſque magno ſemper in honore habitos deſpici, argui, reprehendique audientibus doctiſſimis Conventibus, immo Nationibus a quodam Scriptore, qui in lucem prodit infarcinatus quibuſdam Epiſtolis (a), *veteribus, recoctiſque narratiunculis, adnotationibus e trivio petitis, & extractis ab Exploratore Turca, e paraphraſibus Rouſſoji, aliorumque auctorum conflatis; in quibus ſiquid eſt, quod ferendum ſit, jam millies in aliis Libris fuit editum?* Neque vero reponatur, induci Hebræum loquentem, qui, ut ſuſceptam perſonam ſuſtineat, pro ſuæ Religionis præjudiciis loquitur. Quod infelicius, magiſque puerile reponi poteſt? alibi jam dixi, honeſto homini, niſi audet elato vultu contra Religionem in aciem prodire, erubeſcendum eſſe, quod eam deridendam præbet, quod Rabbinum fingit eam aggredi, aut impium, ut in eam illa evomant dicteria, quæ jam pluries novit eſſe confutata, quæque ille neſcit refellere (b).

§. VII. Hæ itaque ſunt, ut modo dicebam, demonſtrationes, quibus Libertini ſe inſtruunt, & quas recinunt in concionibus ut credantur Spiritus Fortes, & ſe formidandos præbeant. Jactantia, contemptus, & ſatyræ contra Religionem, ejuſque cultores, eorum eſt farrago libellorum. *Valde probabile* eſt (inquit Baylius hos deſcribens) *eos, qui in cœtubus veritates Religionis notiores impugnare cupiunt, plura dicere, quam cogitent. Jactantia majorem in his diſputationibus partem occupat, quam perſuaſio. Sperant illi, ſententiis inauditis, & audacibus, quas tuentur, Spirituum Fortium famam ſibi parituros. Paulatim ergo ſermones perverſos facere conſueverunt, & ſi eorum vivendi ratio voluptatibus addicta conjungitur cum eorum ſuperbia, actum de illis eſt. Malus hic habitus hinc ſuperbia, hinc libidine acquiſitus educationis præcepta corrumpit; hoc eſt, extinguit veritatum lumen, quas de Divinitate, de Paradiſo, & Inferno ab infantia didicerant.* Paulloque poſt inquit: *Quædam objecta didicerunt, ea ſemper obtrudunt, & ex jactantia de iis loquuntur.* (*Dict. Crit. Art. Des-Barreaux. Rem. F.*). Quid ergo amplius requirimus ut dicamus, hujuſmodi Libertinorum rationis luctuoſiſſimam cordis corruptionem fontem eſſe? Quæ tota, ſperanſque libertatem, pacemque, jactando impietatis ſyſtema, non rationibus ducta, ſed aliquo ſophiſmate intellecto male & audacia, & ſuperbia impulſa hoc amplectitur.

CA-

(a) Legatur Epiſtola miſſa ad auctorem illius ſαλφδίας, præmiſſaque Tom. VII. Epiſt. Judaicar. Edit. Lauſannæ, & Genevæ 1730. *Que ſignifient ces contes uſés, & rebatus, ces reflexions triviales: ces extraits de l'Eſpion Turc, ces paraphraſes de Rouſſeau, & des autres auteurs, dont ce livre eſt rempli? à quoi bon le donner au public, ſi ce qu'il contient de meilleur a deja eté imprimé tant de fois dans autres ouvrages?*

(b) Crederem, me abuti lectorum patientia, ſi vellem doctorum teſtimonia proferre omnium ætatum, qui hanc rationem improbant. Scimus quid omnes ſenſerint de Luciano nuper memorato, qui nomine alicujus ſcurræ impietates ſuas evomebat. Scimus quid ſcripſerit Nazianzenus Orat. 3. de Juliano Apoſtata dum ſimulabat ſe Chriſtianum, & diſputantem defendebat idololatriam, & impugnabat Evangelium. Scimus, quid dixerit Photius (Cod. 106.) contra Theognoſtum, qui purgabat errores in quodam ſuo opere, quaſi non ex ſe enunciatos, ſed ex alio. Scimus (ut prætermittamus plura exempla, & afferamus huic *literato Judaizanti* exemplum quaſi domeſticum, aptumque valde) quod ſcribit Joannes Gerſonius (*Lib. cont. Romantium a Roſa*) de eo, qui Pariſiis deriſit, & impugnavit illa ætate Chriſtianam Fidem. Citatus hic ante Archiepiſcopum Pariſienſem, convictuſque a Cancellario Academiæ Pariſienſis ſe purgavit ajens, ſe ea dixiſſe ſub Hebræi perſona. *Ita ſane*, inquit Cancellarius, *ſi tunc loquutus es ut Judæus, nunc verbabe ut Chriſtianus*. Idem faciendum eſſet a M.D.A. ſed malo ſuo fato fortaſſe id efficere nequit.

CAPUT SECUNDUM.

De eodem primo Impietatis fonte.

I. *Nota prima, quam Libertini affectant.*
II. *Quam tamen non servant in periculis, & morti proximi. Mutationes Tullii Hostilii, Bionis Borysthenitæ, & aliorum veterum, & recentiorum.*
III. *Quid ex hoc colligatur.*
IV. *Opinio Bælii nostram propositionem confirmat.*
V. *Atheos systematicos, incorruptoque corde dari est Bælii paradoxum.*
VI. *Stupiditas, & obstinatio quorumdam Libertinorum in morte non est argumentum Epidicticum eorum persuasionis. Confirmatur experientia.*
VII. *Mors Spinosæ varie relata a Scriptoribus.*
VIII. *Brevis narratio mortis Bælii.*
IX. *Opinio verosimilior quomodo Spinosa se præparavit ad mortem. Animadversiones, quæ hinc oriuntur de hujus impii persuasione. Conclusio hactenus dictorum.*

§. I. Nihil fortasse magis Libertinis displicet, quam non ex persuasione, & systemate, sed ex cordis impuri corruptique æstu tales haberi. Putant ii, genus impietatis primum cum hominis honesti ratione conjungi posse, quod & iis Litterati famam conciliet, qui ex vulgo hominum cogitationibus suis liberis eximatur; secundum vero (etiam Bælio ipso acerrimo Atheistarum propugnatore) hominis mali perversitate turpissimarum cupiditatum pertracti notionem exhibet, qui eo usque progressus est, ut cupiat, quin sibi persuadere possit, feris agri belluis sine æternitate, sine Deo similis esse.

§. II. Tamen hoc nimirum esse Incredulorum ingenium, hoc est eorum impietatem e corrupti cordis cupiditatibus proficisci, non autem a solidis, evidentibusque principiis derivari, rationes capite antecedenti allatæ meo quidem judicio satis confirmant. Injucundum tamen non erit id reipsa ab iis demonstratum videre. Non semel ergo, neque in uno tantum, sed in omnibus, & quovis tempore animadversum est, hos Divinitatis contemptores, hos alterius vitæ derisores in aliquod periculum prolapsos, potissimumque morti proximos cadere animis, obmutescere, jactantiam deponere, reformidare, pallere, loca esse infera credere, Religionem amplecti, Deum invocare, & nuncupare illi vota, immo non raro ab impietate ad superstitionem transire.

Locupletissimum, & penes Libertinos omni exceptione majorem hujusce rei testem habeo Lucretium, qui ita loquitur (*Lib. III. vers. 41.*)

Nam quod sæpe homines morbos magis esse timendos,
Infamemque ferunt vitam, quam Tartara leti;
Et se scire animi naturam sanguinis esse;
Nec prorsus quidquam nostra rationis egere:
Hic licet advertas animum, magis omnia laudis,
Aut etiam venti, si fert ita forte voluntas,
Jactari causa, quam quod res ipsa probetur.
Extorres iidem patria, longeque fugati
Conspectu ex hominum, fœdati crimine turpi,
Omnibus ærumnis affecti denique vivunt:
Et quocumque tamen miseri venere, parentant,
Et nigras mactant pecudes, & Manibus divis
Inferias mittunt: multoque in rebus acerbis
Acrius advertunt animos ad relligionem.

Hactenus Lucretius: neque esset magni laboris ad hoc confirmandum plura hujus generis exempla proferre. Quis nescit quod de Tullio Hostilio tertio Romanorum Rege spiritu revera forti, ferocique memoriæ prodidit Livius (*Dec. I. Lib. I. c. 31.*)? Gravi illi afflictato morbo *tunc adeo fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces, ut qui nihil ante ratus esset minus regium, quam sacris dedere ani-*

re animum, repente omnibus magnis, parvisque superstitionibus obnoxius de geret, religionibusque etiam populum impleret. Feroci principi addamus audacissimum Philosophum Borysthenitem, de quo loquitur Laertius *Lib. IV.* & Horatius *Lib. II. Ep. 2. v. 59.* ubi mentionem de illius *nigro sale* facit (*a*). Neque hominibus enim parcebat, neque Diis, quos omnes in festivis, satyricisque sermonibus suis ludibrio habebat. Cum clari Theodori Athei discipulus fuisset, impudenter quamlibet Divinitatem de medio tollebat, omnemque Religionem pessundabat; & sophismatibus alios etiam ad impietatem, & pravos mores impellere satagebat. Sed cum morbo laborasset spiritus ille fortis & imperterritus, ita abjectus fuit, ut non solum a Deo veniam precatus, sed etiam anilibus superstitionibus animum dedens, demonstrarit, ostentatum Atheismum non aliunde initium habuisse suum, quam ab jactatione, & a perversa voluntate, quæ periculis territa ea projecit tela, quæ audacia tanta in Divinitatem fuerat jaculatus. Idem Diogenes Laertius, vita ejus breviter enarrata, de hujus Spiritus Fortis mutatione urbanam, rectamque simul censuram fert, quæ apte in rem nostram facit, dignaque est, quæ exscribatur. Ita ergo inquit *Lib. IV. segment.* 55. (*b*).

Bionem Borysthenitem, quem Scythica tellus
produxit,
Dixisse audivimus revera nihil esse Deos.
Ac si quidem id dogma tueri perstitisset, merito dicendus esset:
At nunc cum in longum morbum incidisset, ac
mori pertimesceret,
Qui Deos non dixerat, qui fanum non viderat,
Mortalibus qui illuserat, dum Diis immolarent:
Non pro foco solum, arisque, ac mensa
Nidore, adipe, thureque Deorum nares implevit:
Nec solum peccavi, dixit, delictis parcite;
Sed & anui collum facile porrexit excantandum:
Brachiaque loris persuasus devinxit:
Rhamnumque, & lauri ramum janua imposuit,
Cuncta administrare magis, quam mori paratus.
Stultus, qui mercede voluerit Deos esse:
Quasi tunc essent, cum illos Bion demum esse
arbitraretur.
Ergo necquicquam sapiens, cum lembus erat
carbo totus (c),
Tendens manum, salve, inquit, Pluto, salve.

P. Valsecchi de Fund. Rel. &c.

Imago est hæc satis vivida ejus ingenii, quod in recentibus Incredulis quo audacioribus in Religione irridenda, cum corporis vires spiritus furorem adæquant, eo abjectioribus in quovis objecto periculo, quotidie videmus. Momento temporis tota quanta est eorum Metaphysica perit: Nec Spinosa, nec Hobbesius menti occurrunt; creditæ in supremum Numen demonstrationes evanescunt; nihil demum aliud cogitant, nisi ut veniam consequantur, non raro, ut diximus, superstitiones etiam sectantes. Belius idem non gravate concedit, hanc esse comoediam, quam (*Dict. Critiq. Art. Bion Rem. E.*) *omnes pene impii* agunt: & inter cetera refert, *Præclarum spiritum indoluisse, neminem sua secta hominum perseverantia donum habere; eam detestari morti proximos; eos sibi probro esse, & semetipsos refellere*, quod pluribus exemplis passim in suo Dictionario confirmat. (*Art. Bion, Des Barreaux, Henault*, & alibi). Neque difficile nobis esset, etiam recentiora addere. Dominus *de la Mettrie*, auctor impii Libelli inscripti *L'Homme Machine*, creditus merito fuit acerrimus Materialista, qui, ut Belius loquitur, dici potuisset *Impius e systemate*; At jam moriturus animo illo forti defecit, & ad bonum tramitem redire studuit. Constat, quantum Libertinis Auctoris *Epistolarum Persicarum* nomen in deliciis esset, & quanta jactatione eum extollerent; At mortem prospiciens jam jam impendentem (quod alibi etiam diximus) ferociam abjecit, & ut Christianum decet, mori curavit.

§. III. Ratio hæc pene universa Spirituum

(a) *Carmine tu gaudes, hic delectatur jambis;*
Ille Bioneis sermonibus, & sale nigro.

(b) Hæc lepidissima satyra in omnibus antiquis Diogenis Laertii editionibus legebatur ut soluta oratio cum in Græco textu, tum in versione Latina *Ambrosii Camaldulensis*, & in Itala *Rostini a Prato Alboino*. At Mehibomius in præstanti VVesteiniana editione 1692. metrum in textu Græci Historici advertit, quare ita exscribitur, & e ragione est versio latina.

(c) Vid. Not. ad hunc locum in edit. cit.

tuum Fortium, qui in periculis, & jam morituri impietatis systema abjiciunt, quid quæso significat? esse proculdubio eorum impietatis fontem non Metaphysicam, sed mentis corruptionem; eorum systema non argumentis superstrui, sed illusionibus, quę Dei, atque æternitatis notionibus alte animo infixis tenebras quidem offundere possunt; sed persuasionem, quę ex recto ratiocinio habetur, numquam delere. Et sane, si evidenter credunt, quod semper dicunt, mortem non esse nisi ęternum somnum, cujuslibet sensus expertem; judicium supremi Moderatoris, quod per mortem futurum dicitur, nonnisi poeticum inventum; locum ęternorum suppliciorum in malos paratum esse aniles fabellas, pavoremque puerilem (a); quare dum hęc omnia prope impendent, non excutiunt demonstrationes suas, irridentes his obviam eunt, quo animo fortis vir in cubiculum noctu ingreditur, in quo scit nihil inesse aliud quam tenebras, quas solum pueri reformidant? Cur in contrariam abeunt sententiam, imitanturque *Persas*; cum a Gręcis victi, marisque fluctibus jactati feroces illi Ecci milites hujusmodi infortuniis afflicti

. . . . . . Qui Deos
Non esse credebant prius, fundebant preces,
Cœlum, atque terram adorantes? (b)

Dicet fortasse quispiam, eos id agere, ut tutiores sint, & eo tempore illos argumento illo uti, quod appellatur *ab eo, quod est tutius*, a nobis superius indicato; sequuntur proinde tunc Religionem, quę si vera est, iis somnum pollicetur bonum; si falsa, nullum malum inde percipiunt.

At respondeo, argumentum *ab eo, quod est tutius*, non habere locum contra evidentiam; hoc est partem, quę videtur tutior, non esse eligendam nisi ab animo nimium imbecillo, & melancholico, tum cum sibi persuadeat evidenter, sententiam ejusmodi falsam esse, & systema illi contrarium certum esse, verumque. Qui fieri ergo posset, ut Libertini, hoc est Spiritus κατ' ἐξοχὴν Fortes, & impavidi morti proximi majoris securitatis nomine Religionem amplecterentur, si certo scirent Religionem esse deliramentum, & insaniam, & Atheismum esse certo sentirent?

Reponetur ergo, Libertinos numquam hanc evidentiam contra Religionem, & contra Deum assequi; sed tantum dubitare (Vid. *Epis. Muralti sur l'Esprit fort*): quæ quidem dubitatio locum dat parti tutiori. Ita eorum Patronus maximus respondet (*Bayle Dict. Crit. Art. Bion. Rem. E.*) En ejus verba: *pene omnes irreligiosi incerti hærent, & ancipites; numquam evidenter sciunt. Cum ergo ægrotent, cum jam impietas nihil iis prosit, tutiorem amplectuntur sententiam illam, quæ pollicetur, si vera est, æternam beatitatem, quæque nullum affert periculum, si est falsa.*

Verum cur, inquio, id incolumes non agunt? cur eam sententiam, quæ tantum utilitatis, & securitatis affert, cum contra nonnisi dubii sint, amplectuntur? Nulla alia de causa certe nisi quod sanis impietas alicui est illis usui, hoc est, quin eos mordeat, permittit, eos sequi cupiditates suas, quod agere propediem morituri non possunt. Hinc videt quisque, eos fateri, quod nunc inquirimus, id est principium illud, quod eos impios efficit, esse cordis corruptionem. De Religione semper dubitant; in hujusmodi dubiis, Religio certe esset eligenda, quæ utilior, & tutior sententia est, ut illi ipsi in morte ostendunt, ipsa enim ambiguitas eadem est ac impietas κατ' ἐξοχὴν, agebat Paschalis. Nisi ergo id agunt valentes, demonstrant, se immodica cupiditate rapi, quæ puris putisque dubiis in impietate potest eos retinere; a qua, quamvis systema verum esset, nullum aliud emolumentum percipiunt; nisi ut brutorum animantium ritu vivant; & quod si esset falsum, in discri-

(a) *Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis*
In tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam
Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura. Lucret. Lib. VI. v. 34.

(b) . . . . . Θεοὺς δέ τις
Τὸ πρὶν νομίζων οὐδαμοῦ, τότ' ηὔχετο
Λιταῖσι, γαῖαν οὐρανόν τε προσκυνῶν. Æschil. in Pers. v. 497. alias.

discrimen eos adducit, ut quovis temporis puncto amittere bonum infinitum, & infinitum malum subire possint. Omnes ergo hi Spiritus Fortes, & Libertini sunt ejusmodi, quia audaces esse volunt, & nequam.

§. V. Bælius tamen, licet interdum veritatem sincere fateri videatur, quædam tamen perfugia habet, in quibus spem omnem victoriæ eum collocasse quisque intelligit. Pluribus in locis concedit, maximam Libertinorum partem, hoc est adolescentes illos dissolutos, hos aulicos avaros, hos venales ministros, hos tumidos nebulones, totumque hujus generis gregem, qui Spirituum Fortium nomine Europam inficit, nihil aliud sane esse, nisi gentem cum perditam, tum utplurimum imperitam, aut tantum leviter doctam. Fatemur esse homines, qui, quamvis petulantia tanta in congressibus contra Religionem loquuntur, vel nesciunt quid dicant, vel dicunt plura cogitatis; homines demum, quibus cupiditatum impetus est demonstrationis loco, quæ in impietate eos detinet. Jam hos, fatetur Bælius, esse imbecillos eos homines, eos Comicos Heroas, qui cito ex humanis decessuri mutantur; quod quidem demonstrat, obrutam cupiditatum caligine, non vero ratiociniis deletam prorsus Religionem in eorum animis esse. Indigitat tamen Criticus hic extra turbam hanc, cujus causam deserit, indigitat, inquam, qui sibi gratiosi sint, hique sunt *homines (loco modo citato) illi graves alieni a voluptatibus, & a terrestribus deliramentis, qui in cœtubus, ut impietatem suadeant, non vitilitigant: qui sententias suas reconditas habent* (gemmas summi pretii) *aut cum iis tantum viris eas communicant, qui illis abuti nequeunt*. Hos ille appellat *Atheos systematicos, neque turpitudinibus, neque jactatione corruptos, quos principium quoddam nimis evidens, deductumque per rectas illationes infeliciter victos in hanc sententiam pertraxit*. Possuntne hæc humani generis monstra mitius pingi? De his interea quid Bælius ait? *Dei gratia morte ante oculos proposita potest hos* (ex hac certa persuasione) *deducere: sine illa tamen morbos inter, ærumnasque in sua sententia permanent: quod si ad Ecclesiæ cæremonias, quas in morte adhibet, se conformant, eo ab illis id fit, ut propinqui iis liberentur incommodis, quibus ex neglectis Ecclesiasticis ritibus affligerentur*. Hi enimvero sunt Atheismi duces veri. Hi sunt viri illi, animo tanto, ut ne in morte quidem Inferos sibi timeant, sed propinquis incommoda ex Ritualis contemptu derivanda timent. Hi Bælii plausus merentur, non scituli illi (*Dict. Crit. artic. Des Barreaux. Rem. E.*) *qui disputationum capita non examinarunt, qui aliquam oppositionem didicerunt, qua mortales exsurdant, qui ex ostentatione loquuntur, at in periculis deficiunt*. Sed Pyrrhonici verborum circuitu ne nos vinci patiamur, ambigua verba explicemus, videbimusque, nostram propositionem esse verissimam. Bælii opinio falso principio nititur. Ita ergo ei respondeamus. I. Esse quosdam Libertinos aliis minus corruptos, parumque in libidinum luto volutatos, concessimus supra, & nunc quoque libenter concedimus: *At homines graves*, in Religione altos, nullo modo *corruptos aut jactatione, aut voluptatibus*, hoc est homines integro, puroque corde Atheos fieri, putamus incredibile esse, opinamurque id a nobis satis probatum. II. Esse Libertinos studii amantes, litteratos, doctos, qui in impietatem incidunt non stupidarum belluarum more alienæ fidei vestigiis inhærentes, sed studio, sophismatibus ductos, dedimus supra, & damus nunc etiam. At hos ita persuaderi, ita convinci, esse bona fide Atheos, cum potius quædam deliria, quamdam idearum confusionem habeant, hoc est, quod negamus, credimusque ex rebus dictis, moxque dicendis jure nos posse id affirmare. III. Gratiam Dei, eos ex hac vita decedentes quin mutationem ullam præseferant, demonstrare, se pacatos, & de Atheismo certos vixisse, hoc pernegamus.

§. VI. Et sane Spirituum Fortium mutatio, & animi abjectio ad mortem propositam, indicio quidem est, & Bælius ipse fatetur, hos semper dubitasse. Nonnullorum tamen indolentia, & stupiditas argumento eorum evidentiæ non est. Spiritus sopor, aut voluntatis desperatio ex malis præcedentibus affectionibus, Deique justa desertione, non jam systematica persuasione mentis orta funestissimæ hujus indolentiæ, & stupiditatis, qua ex hac vita migrant, causa esse potest. Non-

ne quotidie videmus Christianos jam jam morituros nolle precibus, minisque flecti, quibus excitantur ad suorum criminum pœnitentiam, & ad se præparandos ad transitum ab hac vita; sed obstinatos quin ullum doloris indicium dent, hinc migrare? quid? aguntne isti hac persuasione moti, nullam dari æternitatem, non Deum, aut sine dolore se posse salvari? Nihil minus: nullum enim horum errorem se imbibisse unquam significarunt. Spiritus cæcitas, obstinatioque cordis, qua stupidi, defixique sunt in cœno antiquo, & etiam funesta desperatio, ex qua fit, ut nullam sperent suorum criminum veniam, efficit, ut hoc modo moriantur. Hæ sunt Libertinorum etiam affectiones, qui in morbis, & in subitis rerum nullo dolore perculsi videntur, & quin pœnitentiæ exterius signum præseferant, moriuntur. Non est hæc Philosophica quies, sed brutorum animantium stupiditas, per quam ne animum quidem advertunt ad eum transitum, quem propediem sunt facturi. Aut si impendentem migrationem vident, & præterita crimina, suorumque dubiorum labens fundamentum cognoscunt, certum tamen est, ut quis ad Deum convertatur, requiri quod fatetur Bælius ipse, Dei gratia. Jam gratia hac jure carent, immo se illam habituros desperant; hocce autem modo non Spiritus Fortes, & imperturbati, sed furentes, desperatique transeunt. Opportune Bernardi Nieuvventyti (*L'existence de Dieu. Discours preliminaire.*) Viri cum in Philosophicis rebus versati, tum ingenui, gravisque narratio accidit. De quodam horum Spirituum Fortium loquens ita ait; *Novi ab adolescentia quemdam ex Spinosa necessariis, qui ejus sententias fuerat semper sequutus, & qui quotiescumque occasio sese ferebat, ejus opiniones acute defendebat, quandoquidem ingenio præstabat. Cum in morbum incidisset, diu pacatus exemplum magistri sui sequutus permansit; demum in hac verba erupit*: credere se tunc id, quod prius negaverat, sed serum esse, ut veniam speraret. *Litteratus vir amicus meus infelicissimam hanc mortem cum adjunctis omnibus mihi narravit.* Si quisquam censendus esset ex iis, quos Bælius *Atheos systematicos* appellat, *qui principiis & illationibus ducti Religionem rejiciunt*, hic procul dubio discipulus, & pedissequus ita studiosus ejus, qui Atheismum ad systema redegerat, futurus fuisse videtur. Ejus tamen in morte confessio non persuasionem, sed laudis cupiditatem, ostentationemque in causa fuisse, cur defenderet impietatem, ostendit; & si contrito corde ad Deum, quem læserat, & negaverat, non confugiebat, non ex eo fieri, quod ejus existentiam non crederet, sed quod veniam desperabat. Cur non igitur dicendum nobis erit, eo tempore, quamvis id non indicent, ita esse affectos eos, qui minus acri ingenio prædití, minusque impietatis mysteriis initiati, dum in vivis erant, Religionem oppugnarunt?

§. VII. Ex eo autem quod Nieuventytus de desperato discipuli fine loquens Magistri pacem narrat, posset fortasse quis credere, Atheistarum Heroem illum in letifero morbo animi firmitatem, constantiamque imperterritam, quæ pedissequis suis etiamsi eam exoptent, solet deesse, ostendisse. Sed quamquam varia de Spinosæ morte referuntur ab Auctoribus, penes neminem tamen hæc constantia legitur. Scriptor modo memoratus, cui plurimam habendam esse fidem reor, cum ob animi candorem, tum quod in iis ipsis locis vixit, familiarissimeque cum iis vixit, qui impium illum apprime noverant, ita loquitur (*exist. de Dieu discours prelim.*): *Certum est, Spinosam, ut quamlibet perturbationem angoremque præverteret, noluisse, dum ægrotabat, dum morti luctabatur, quemquam de statu hominis post vitam hanc, & de veritate, aut falsitate suarum sententiarum audire, quod certe non ostendit hominem ex vera Philosophia certum. Quamvis enim ejus spiritus ita fuisset infirmatus morbo, ut respondere non potuisset, ut optasset, omnibus argumentis; nihilo tamen minus verum erat juxta ejus principia, se non futurum ideo miserabiliorem post mortem, sed tantum se cariturum gloria, Spiritum aliis Fortiorem se fuisse.* Joannes Christophorus VVolfius (*Biblioth. Hebraic. Par. I. p. 240.*) ait quid amplius: *Morti proximus nullum admisit, sæpeque in hæc verba prorupit*, o Deus esto mihi peccatori propitius: *quod a celeberrimo viro se accepisse testatur Franciscus Halma in Praf. quam præmisit vitæ Spinosæ*. Ex his apparet, hunc insignem Impium non modo extremo vitæ tempore constantem in Atheismo *a se redacto*, ut

ut ille jactitat, *ad systema*, fuisse, sed etiam dedidicisse & Geometriam, & systemata, & quod Libertini cæteri faciunt, vel tunc se deliramenta sua reprobasse, vel perfida obstinatione, qui ex errore eum deducere poterant, audire noluisse. Quamquam Jacobus Bruckerus (*a*) ultimus Historiæ Philosophicæ Scriptor, Joannis Coleri, unius ex iis, qui illius vitam in lucem edidit, quæ tenebris potius obtegenda erat, auctoritatem sequutus, credit, quidquid narratum fuit aut de ejus exclamationibus, aut de interdicto hospiti facto admittendi Ministros, a quibus invisetetur, aut ebibisse, ut quidam opinantur, cicutam, fabulam redolere. Scribit, Spinosæ mortem, ut accidere solet tabidis, quo morbo jamdiu laborabat, omnino repentinam, & inopinatam evenisse, cum illo ipso die e cubiculo esset egressus, solusque cum illo esset eo momento Medicus quidam Amstelodamensis, qui eum visitatum venerat. Sed licet narrationem hanc sequi velimus, Spinosæque mors repente, & inopinato contigerit, nisi solitam Libertinorum mutationem nobis ostendit, neque ullam animi confidentiam in eo nos detegere sinit; solumque reformidandum illius Dei, qui momento temporis suos contemptores, hostesque ad æternas suæ indignationis derisæ pœnas ferendas dejicit, judicium videmus.

§. VIII. Hæc etiam fuit Petri Bælii funestissima mors, qui cum in Repub. litteraria tot personas egisset, tempus ei defuit, quo nobis sensa animi sui in morte aperiret, num Pyrrhonismum, Manichæismum, & Atheismum per jocum, aut per ostentationem professus fuisset; eligens tunc tutiorem partem; an ita strenue *ex systemate, & ex illationibus unis ex aliis deductis* impietati patrocinatus fuerit impavide, constanterque advenientem mortem intuens. Ille enim etiam repente omnino mortuus est, quia suorum amicorum quisquam adesset, a quibus lecto suo stratus indutus, vitaque defunctus fuit repertus. (*b*)

§. IX. Cæterum ut ad Spinosam redeamus, etiamsi dicatur mors ejus repentina fuisse, ut Colerus, aliique scribunt; tamen non est prætereundum silentio, quod Nieuwentytus narrat, quomodo se ad mortem præparaverit, munieritque; *ut quamvis perturbationem, angoremque præverteret, noluerit, dum agrotabat, dum morti luctabatur, quemquam de statu hominis post vitam hanc, & de veritate, aut falsitate suarum sententiarum audire*. Non possumus, inquam, narrationem hanc rejicere, primum quidem quia Auctor hic, qui poterat eam omnino scire, *certam* esse affirmat; deinde vero, quia narrationi Nieuwentyti consonans est id, quod Bælius scribit, aitque, se ab auctoribus fide dignis accepisse (*c*). Demum quia id omne convenit cum animi Spinosæ affectionibus, quas ille ipse in quadam epistola ad *Blyenbergium* relata a Nieuwentyto, nobis detegit; in qua postquam fassus est, se non intelligere Sacram Scripturam, ac ideo de suis opinionibus id sentire, quod intellectus suus sibi suggerebat; *Quod si cognitio* (*d*), *quam naturaliter ex intellectu habeo fortasse falsa est, per eam tamen stat, ut sim felix, dum lateo, vivoque non in mærore, & luctu, sed in tranquillitate, gaudio & volu-*

(*a*) *Hoc fatum ultimum nec ipse, nec familiares proximum esse, ut in hoc morbi genere fieri solet, senserunt; ideo animo nihil tale expectantibus solo Medico L. M. qui Amstelodamo accesserat præsente IX. Kal. Martii 1677. expiravit.* T. IV. p. 2. l. II. c. 3. §. 8.

(*b*) Vid. *Vie de M. Bayle par M. des Maizeaux*. Le P. Niceron. *Memoir. des Hom. Illust.* Tom VI.

(*c*) *La chose est de fraiche date, & je la tiens d'un grand homme qui la sait de bonne part. C'etoit le plus grand Athée, qui ait jamais été, & qui s'etoit tellement infatué de certains principes de Philosophie, que pour les mieux mediter, il se mit comme en retraite, renonçant à tout ce qu'on appelle plaisirs & vanités du Monde, & ne s'occupant que de ces abstruses meditations. Se sentant près de sa fin, il fit venir son hotesse, & la pria d'empecher, qu'aucun Ministre ne le vint voir en cet etat. Sa raison etoit, comme on l'a sçu de ses amis, qu'il vouloit mourir sans dispute, & qu'il craignoit de tomber dans quelque foiblesse de sens, qui lui fit dire quelque chose, dont on tirât avantage contre ses principes. C'est-à-dire qu'il craignoit, que l'on ne dubitât dans le Monde, qu'à la vuë de la mort sa conscience s'etant reveillée, l'avoit fait dementir de sa bravoure, & renoncer à ses sentimens.* Pens. divers. §. 181.

(*d*) *Et si la connoissance, que j'ai, deja de l'entendement naturel, se trouve jamais fausse, elle ne laisse pas de me rendre heureux, pendant que j'en jouis, & que je passe ma vie non dans les larmes & les soupirs, mais dans la tranquillité, la joye, & les plaisirs.* Lettre 34. apud Nieuwentytum loc. cit.

tratibus. Ex quo loco multa notatu digna colliguntur. I. Quam infirma esset persuasio, quam etiam *positis methodis geometritis*, & *Atheismo systematico* de opinione sua habebat, quam non ambigebat posse esse falsam; II. Quam mala ejus cordis affectio esset, cum in re tanti momenti in qua & argumenta, & innumeras illationes veri systematis ignorare non poterat, quin ulterius quicquam quæreret, contentus erat perversa opinione, quam esse falsam posse credebat. (neque vero erat magni negotii id nosse legentique ejus Ethicam præcipue incredibile videtur, eum non vidisse verba ambigua, quibus totus *Pantheismus* innititur) idcirco, quia ejusmodi opinio eum felicem reddebat, afficiebatque gaudio, ut non in luctu, sed *in alacritate*, & *voluptatibus* vitam transigeret. *Sententia* (ait optime Nieuwentytus loc. cit.) *doctorum hominum relinquo, num verba hac Philosophum, qui veritatem inquirat, aut obstinatum Atheum denotent, qui ne gaudium suum perturbaret, nolebat sermonem de hac persuasione sibi fieri*. III. Quantum cum hujusmodi Spinosæ & intellectus & cordis affectionibus conveniret, quod supra de ejusdem morbi, decessusque tempore narravimus, hoc est eum noluisse de suis sententiis, & de altera vita disputantem quemquam audire. Prævidebat fore ut sua pax turbaretur, &, ut ajebat ille apud Horatium (*Lib. II. Epist. 2. v. 138.*) Mentis gratissimus error sibi demeretur, de quo certus non erat, sed quem obstinate defendebat; atque hoc modo potuisset illa infirmitatis indicia præbere, quæ in impiis solemus inspicere, sed quæ hominem non solum in Fœderato Belgio, sed in Gallia, in Anglia fama nobilem *Spirituum Fortium* Principem dedecebant (*Belius Dict. Crit. Art. Spinosa*.) Sensa hæc illius valentis, cautiones hæ illius ægrotantis, letoque proximi demonstrant id sensisse Spinosam, quod nobis probandum proposuimus: hoc est, non argumentorum evidentiam, sed cordis incredibili superbia transvorsum acti corruptionem, desideriumque vitæ liberæ a mœrore, & luctu, (qui ex conscientia vulnerata nascuntur), & funestissima gaudentis pace, principium fuisse, quod eum pertraxit in impietatem, & in ea detinuit. Quod ex dictis in hoc capite certo affirmare etiam de aliis Libertinis jure ac merito nobis posse videmur, qui cum ibidem sunt, ut moriantur, impias jactatas opiniones deponunt, Religionemque profitentes, aperte ostendunt, non vim ratiocinii, quo fuerint convicti, sed cupiditatum impetum, quibus fuere impulsi, causam fuisse, cur in Impiorum album referrentur; & proinde non quod fuerint acuti Metaphysici, sed spiritus impuri, corruptique, Atheos esse factos.

CAPUT TERTIUM.

De Fundamentis Libertinorum Ethicæ.

I. *Quodnam ex systemate sit Atheistæ ingenium.*

II. *Belius Libertinorum causam suscipit, se accingit ad probandum, virtutem stare simul cum eorum systemate. Opinio de opere Crousatii in Belium.*

III. *Jacit Belius principium verissimum, cum dicit, posse Atheum cognoscere veritates morales niti iisdem rerum naturis. Errat Puffendorfius, qui id negat. Atheus non est exlex.*

IV. *Ex hoc principio non potest probabiliter deduci, Atheum cupiturum honeste vivere.*

V. *Belius ipse titubat veritate principii a se jacti, ac proinde frænum, quod Libertinis injecerat, tollit.*

§. I. Ex hactenus dictis potest inferre quisque, quodnam sit verum horum infelicium ingenium, qui Religioni tergo dato, impii vivunt. Si desiderium vivendi impune impie fuit principium, quod eos ad hoc impulit, evi-

evidens est, eos ad hanc Libertatem progressos, neque quicquam aliud audientes, quam cupiditates, futuros ex systemate ejusmodi, ut quoties sua interesit, hominumque timor eos non coerceat, quodlibet facinus patrare sint parati; utilitas, & voluptas sit cuique jus, fasque: ad eam tendunt consilia omnia, omniaque illi immolantur; legesque omnes amicitiæ, sanguinis, pudicitiæ, justitiæ reguntur a suprema hominis voluntate, qui nullam aliam legem habet, nisi libidinem suam, neque modum alium, quam suam vim. Est hoc verum Atheistarum ingenium; quo sane nihil terribilius humano generi concipi potest.

§. II. Quis tamen credidisset futurum nostra ætate hominem, qui non obiter, sed data opera defenderet, & quasi inter Deos referret infelices hosce, non solum eos falsorum Numinum cultoribus anteponendo, sed etiam ostendere nitendo in eorum systemate virtutem, morumque honestatem amice conjurare? Patronus hic Bælius est, qui in libro suo inscripto *Pensées sur les Cometes*, & in alio titulum præferente *Continuation sur les memes* præcipue fuse materiam hanc tractat; fonsque nullus est aut in Philosophia, aut in Theologia, aut in Historia, fabulave, ex quo argumenta ad probandum propositum suum non desumat. Pyrrhonismus universus, quem ille prodigialiter versat, ei suppeditat cujusque generis tela, quibus susceptam causam propugnet. Hanc modo in hypothesim redactam nobis ante oculos objicit; modo in thesim eam redigit; modo eam *in abstracto* contemplatur, modo in actu: interdum absolute & in se, modo ad alia relatam; semper tamen deducit, probis bonisque moribus ornatos esse eos homines, qui Religionem quamvis inculcant, atque æternitatem, Deumque negant. Non dubito quin Lector de hoc dicturus sit, quod Cicero de Epicuro scripsit, qui *librum de sanctitate* scripserat. *At etiam liber est Epicuri de sanctitate. Ludimur ab hoc homine non tam faceto, quam ad scribendi licentiam libero. Quæ enim potest esse sanctitas, si Dii humana non curant* (Lib. I. de Nat. Deor. cap. ult.)

Crousatius Philosophiæ & Mathematicæ in Groningensi Academia Professor, volumen satis magnum titulum præferens (a) *Examen Pyrrhonismi veteris, & recentis* in lucem protulit, in quo opera Bælii Pyrrhonicorum recentium principis ad severam trutinam revocat, multaque ad religionem naturalem attinentia capita satis ample, & strenue impugnat. Per integram sectionem (b) *Pyrrhonismum quoad Religionis influxum in societatem examinat*, & copiose hic loquitur de Atheorum virtutibus, & Bælii paradoxa perpendit, solvitque. Quamvis autem Auctori illi acutæ Metaphysicæ, immensique laboris in perquirendis componendisque inter se innumeris locis e tot tantisque Adversarii voluminibus laus non est deneganda, pauci tamen, ut mea fert opinio, tam patientes erunt, qui librum illum totum sint lecturi. Idque potissimum propter Methodum admodum prolixam, stylumque, qui præ Rotherodamensis Auctoris stylo, facili, concitato omnibusque luminibus, veneribusque ornato, dignoque, quem pro veritate adhiberet, neque tam turpiter ad errores defendendos illo abuteretur Bælius, rudis est, & injucundus. Prætermitto sectæ præjudicia, livoremque summum in Orthodoxam fidem, quibus Crousatii opus identidem fœdatur; ex quo fit, ut inoffenso pede ab iis, qui veritatem inquirunt, amantque, legi non possit. Nos ergo ad pauca præcipua capita quidquid Bælius de Atheorum virtutibus pluribus in locis fuse scribit, redigemus: sequemurque methodum, quam rerum natura requirit, confutandoque ejus errores veritatem in lucem proferemus; ostendemusque cum mentis impietate non virtutem, sed cordis corruptionem usque conjungi.

§. III. Itaque ut probet Impiorum virtutem, & honestatem Bælius usque ad notiones primas recti, honestique progreditur, quibus Increduli, Dei existentia de medio sublata, possunt ornari, & earum veritatem sibi persuadere. Ita autem hoc demonstrat. Celeberrimi Theologi, & Metaphysici docent, jus naturale prius esse quovis divino decreto, hoc

(a) *Examen du pyrrhonisme ancien, & moderne Par M. de Crousaz à l'Haye 1733.*
(b) *Sect. 14. Examen du Pyrrhonisme par rapport à l'influence de la Religion sur la Societé.*

est ex origine sua non pendere a supremi Legislatoris jussu; sed iisdem rerum naturis niti, inter quas est necessarius ordo, in cujus custodia honestas, & jus; & in confusione nefas, & turpitudo consistit. Hinc doctores hi colligunt, etiam si fingamus Deum non esse, & essent homines, eos non futuros *exleges*; sed sua quemque ratione teneri ad jus naturale colendum, sive ad custodiam ordinis rerum naturis nixi. *Cum igitur* (a) *Atheus* (hæc est Bælii consequutio) *cognoscere possit, veritates morales niti iisdem rerum naturis, non hominum opinionibus niti, potest credere se ad notiones recta rationis, tamquam ad normam boni moralis diversi a bono utili, conformari debere.*

Gravissimam doctrinam hanc libenter admittimus eo modo, quo eam Libro I. explicavimus, & propugnavimus D. Thomam sequuti, qui verissimam (b) Lib. III. *contra Gentes* eam esse demonstrat; eamque Catholici Doctores vulgo amplectuntur, Grotiusque ipse eam approbat in præfatione (§. XI.) suo operi *de jure belli, & pacis* præmissa, probatque Samuel Clarkius (c), & Leibnitius in Theodicæa (§. 182. *& seq.*) contra Pufendorfium qui perperam credit (d), *non posse concipi honestatem aut turpitudinem ante legem supremi Legislatoris*. Nos, inquam admittimus memoratam doctrinam, & licet veritati allata hypothesis omnino repugnet; quandoquidem sine Deo non modo quidquam non existeret, sed ne esse quidem posset, Deoque posito, nullum temporis punctum fuerit, quin naturalis juris præcepta hominibus legi non fuerint, tamen aut in prima hypothesi, aut in abstractione, qua fingamus aliquod fuisse tempus, quo Deus nihil adhuc decreverit, nixa ordini essentiali rerum cernitur honestas, aut turpitudo ejus, quod ille lege jussit, aut vetuit. Quare apte dici solet de naturalibus interdictis, *non esse ipsa turpia, quia prohibentur, sed prohiberi, quia sunt turpia*. Si enim in differentia ante legis rogationem conciperentur, Deus hominibus legem Decalogo omnino contrariam dare potuisset, quod sine horrore dici nequit. Hinc ergo deducatur, vel potius permittatur etiam Atheum ratione sua rerum ordinem, & honestatem *posse* cognoscere, & duci se *posse* non exlegem, sed aliqua ratione, ut fatetur Bælius, ad jus naturale observandum obligari.

§. IV. Tamen longe adhuc ille ita abest ab ea veritate, quam perspicuam propositionem statuere credit, ut timeam, ne ad illam unquam sit perventurus. Et sane quis unquam potest aliquo modo probabili sibi persuadere, eos, qui ut superius ostendimus, ut scilicet exleges, effrænesque viverent, Athei facti sunt, hanc libertatis regionem ingressos, eas catenas metaphysica abstractione nexuros sibi esse, quas ut disrumperent adversus rationis splendidissima lumina acri tetenderunt manu? Clarissimis argumentis, quæ existentiam Dei ostendunt, oculos obstruxerunt, ne scilicet Legislatorem haberent, qui eorum cupiditates coerceret; num erit probabile, post hujusmodi victoriam Auctoris suæ formidinis horrifici, illorum sententiam esse sequuturos, qui tamen legem in hujusmodi statu iis esse datam arbitrantur? Si hanc, honestatis, virtutisque æternam legem norunt, non possunt eam lædentes, quin conscientiæ latratus, morsusque sentiant. Cum vero optent in suis voluptatibus ab his intestinis furiis non perturbari, hinc ad veritates cognitas, & maxime universas conculcandas feruntur. Systema ergo illius, qui vult, etiam Atheos immutabilem, æternamque juris, honestique regulam nosse, veluti metaphysica acumina ludi-

(a) *Or dès là qu'un Athée peut s'appercevoir, que les verités de morale sont fondées sur la nature même des choses, & non pas sur les fantasies de l'homme, il se peut croire obligé à se conformer aux idées de la droite raison, comme à une régle du bien moral distingué du bien utile.* Contin. des pens. §. 152.

(b) *Lib. III. Cont. Gent. cap.* 129. cujus est titulus, *quod in actibus humanis sunt aliqua recta secundum naturam, & non solum quasi lege posita*. Quam thesim probat Sanctus Doctor septem argumentis.

(c) *Les Preuves de la Religion, tant naturèlle que revelée: ou l'immutabilité des obligations de la Religion naturèlle, & la certitude de la Religion Chrètienne*. Chap. 3.

(d) De jure nat. & gen. Lib. I. c. 10. §. 6. *Non adparet, quomodo honestas, aut turpitudo intelligi possit ante legem, & citra superioris impositionem*, Quod fuse ibi probare satagit; sed vehementius, & pluribus paralogismis in Lib. inscripto *Eris Scandica*, pag. 26.

ludibrio habebunt. Quod si ut ingenium ostentent, aut ut ab impietatis crimine se purgent, credanturque honesti viri, hoc systema comprobabunt, commendabuntque, & de illo rectissime loquentur, & ad sydera Grotium, qui illud docet, laudibus extollent, cum amici autem versantes solutis cachinnis ridebunt; doctrinam hanc Barbararum Monachorum Scholarum deliramentum ducent, & Puffendorfius illud rejiciens, ejusque pedissequi eorum Heroes fient. Ita egit Carneades, praeclarus Scepticus, *qui cum Legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, disputavit de justitia copiose, audiente Galba, & Catone Censorio maximis tunc Oratoribus. Sed idem disputationem suam postridie contraria disputatione subvertit, & justitiam, quam pridie laudaverat, sustulit &c.* Lactan. Lib. V. cap. 14.

§. V. At quid opus est tam longinqua exempla quaerere? *Balius ipse* (inquit adtemperate admodum Leibnitius *Essais de Theodicée* §. 185.) *qui tam pulchra profert, ut ostendat bonitatis, justitiaeque regulas, & generatim veritates aeternas per se subsistere, & non ex Dei arbitraria electione:* (atque hinc infert (loco cit.), *etiam Atheos posse illas cognoscere, & posse credere, se adstringi ad conformandos se cum notionibus rectae rationis, tamquam cum regula boni moralis*) *ille ipse alibi valde dubius loquutus est. Postquam retulit, quid senserit Cartesius, & suorum assectarum pars, qui asserunt, Deum esse veritatum, & essentiarum causam liberam* (ex qua sententia sequitur praecedentis systematis eversio: tunc enim in hypothesi Athei nulla est honestatis, & justitiae norma) *ille pergit* (a) *dicere „ feci quod in me fuit, ut intelligerem hoc „ dogma, & ut modum objecta solvendi, „ quae in illud produci possunt, reperirem. „ Sincere vobis fateor, non omnino rem ad „ vota mihi cecidisse. Reor, ut alii Philo„ sophi aliis in rebus fecerunt, tempus solu„ turum paradoxum hoc.* „ En ergo stabile, immotumque fundamentum honestatis Atheorum, quod jecit Baelius cum ad juris honestique normam progressus est, quae *potest* ab iis cognosci, *potestque* inspici tamquam ejusmodi sit, quae obliget; atque hinc possunt mores suos ad eam conformare. Si Atheis hujus generis legere hujus unius Auctoris opera, & se ejus asseclas profiteri arridet, in iis rationem, qua se ab hoc difficili systemate subducant, reperient, nisi ut aperte falsum illud rejiciendo, relinquendo saltem ut dubium, interea hilarem ducturi vitam, donec tempus hoc paradoxum explicet. Observet hic obiter prudens Lector, quale Baelii ingenium fuerit, & qua ratione clarissimas veritates alicubi a se cognitas, & strenue comprobatas, alibi autem Pyrrhonismo ductus aut destruat omnino, aut in dubium revocet. At ne conjecturis immoremur, cum possimus reipsa certiores fieri, num impii has honestatis, jurisque immobiles leges ut suae morum disciplinae fundamentum jaciant, an elata fronte eas disjiciant, principiisque omnino contrariis humana officia metiantur; inquisitio haec sequentis capitis seges erit.

C A-

(a) *J'ai fait tout ce que j'ai pu pour bien comprendre ce dogme, & pour trouver la solution des difficultés, qui l'environnent. Je vous confesse ingenuement, que je n'en suis pas venu encore tout-a-fait à bout. Cela ne me decourage; je m'imagine, comme ont fait autres Philosophes en d'autres cas, que le tems developpera ce beau paradoxe.* Contin. des Pens. §. 114.

CAPUT QUARTUM.

Specimen Hobbesii, Spinosæ, & Montaneæ Ethices.

I. *Ingenium Hobbesii a Bælio descriptum: non convenit cum vero.*
II. *Basis Hobbesii Ethices est*, jus consistere in vi. *Illatio in Bælium.*
III. *Antilegomena, dolique Hobbesii: pestiferæ consequutiones ex ejus principiis.*
IV. *Elogium immerito ei datum a Puffendorfio.*
V. *Specimen Ethices Spinosæ. Hobbesii vestigia calcat. Sed eam in suo Pantheismo collocat.*
VI. *Impii Recutiti fraus detecta, & confutata.*
VII. *De Libertinis Scepticis. Hi ignorant leges æternas æquitatis memoratas a Bælio. Id probatur opinionibus Montaneæ, quæ refelluntur. In Bælium conclusio.*

§. I. A Thoma Hobbesio Anglo initium sumamus, cujus elogium Bælius more suo contexit inquiens (*a*), *ex omnibus virtutibus moralibus, sola religio erat, de qua poterat esse controversia*; aliis enim omnibus eum præditum, ornatumque esse dicebat. Sed quoad Religionem licet afferat Scriptoris, seu potius immodici ejus vitæ laudatoris loca, qui ex Libertinorum albo eum delet qua potest vi maxima, Bælius tamen qua est exquisita probitate, assentiri nequit. Proinde dicere pergit, *si cognoscebatur Hobbesius, haud opus fuisse ab eo requirere, num æstimaret, an amaret virtutem, sed eum interrogari debuisse illo Persii versiculo Satyra II. 17.*

Heus age responde, minimum est, quod scire laboro,
De Jove quid sentis?

Male, immo pessime ille opinabatur, respondent ii omnes (*b*), qui ejus opera paulisper legerunt, in quibus mala passim offenduntur principia, quæ & Religionem Revelatam destruunt, & justam supremi Numinis pervertendo rationem ad impietatem viam sternunt. Sed quæ præterea deberent e *systemate* hæ morales virtutes Hobbesii, a Bælio commendatæ esse, ipse prudens Lector conjicere poterit legens, quid *de regula illa honestatis justitiæque æterna rerum naturis nixa* opinatus fuerit, propter cujus notitiam, ipsius Bælii judicio, virtutibus ornati credendi sunt etiam Athei, de qua re nunc disputamus.

§. II. Hic ergo Philosophus in suo celebri opere de *Cive* homines considerat capite 1. *in naturali statu*, & antequam in societatem coaluissent, legumque Civilium vinculis essent colligati. Cum eos nobis falso ante oculos subjecisset naturæ impetu in bellum, & in impotentiam omnes, & singulos impulsos, & cum varias, absurdasque doctrinas attulisset, ita concludit; *ex quo intelligitur etiam tanquam corollarium in statu hominum naturali potentiam certam & irresistibilem jus conferre regendi, imperandique in eos, qui resistere non possunt: adeo ut omnipotentia ab ea causa omnium rerum agendarum jus essentialiter, & immediate adhæreat.* De Cive cap. 1. §. 14. Hæc est Hobbesii doctrina, quæ per ejus opus diffunditur, & a qua nemo est qui non videat nasci consequutiones illas maxime perniciosas, quæ legem quamlibet justitiæ, & honestatis funditus tollunt. Afferamus locum.

(*a*) *Des toutes les vertus morales il n'y avoit autre, que la Religion, qui fût une matiere problematique dans la personne de Hobbes... Quand on le connoissoit, on n'avoit que faire de demander, s'il estimoit, [illegible] pourroit être tenté de lui faire cette question: Heus age &c.* Dict. Crit. Art. Hobbes Rem. M.

(*b*) Potest pluribus in locis legi Cudworthius *in syst. intellect.* Parkerus *De Deo, & Provid. Disp.* 2. *sec.* 19. Richardus Cumberlandus *Tract. Philos. de Legib. natur.* Franciscus Buddæus *Trait. de l'Atheis. de la supers. chap.* 1. Jacobus Brukerus *Tom. IV. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 6. §. 17. & alii plures, qui eum inter Atheos referunt ob ejus opera.

cum alium, in quo subdolus senex hoc idem principium clarius docet. *In regno naturali regnandi, & puniendi eos, qui leges suas violant, jus Deo est a sola potentia irresistibili.* De Cive cap. 15. §. 5. Advertat hic Lector, *Regnum naturale Dei*, inquit Hobbesius ibidem §. 4., *esse illud, in quo regit per dictamina recta rationis.* Eo etiam loci hoc idem jus in hominum secundum naturalem statum consideratorum vi cognoscit, & inquit: *Cum enim per naturam jus esset omnibus in omnia, unicuique erat jus in omnes regnandi ipsi natura coævum. .... Quod si quis cæteros potentia in tantum antecessisset, ut resistere ei ne omnes quidem conjunctis viribus potuissent, ratio, quare de jure sibi a natura concesso decederet, nulla omnino fuisset. Iis igitur, quorum potentiæ resisti non potest, & per consequens Deo omnipotenti jus dominandi ab ipsa potentia derivatur. Et quotiescumque Deus peccatorem punit, vel etiam interficit, etsi ideo puniat, quia peccaverat, non tamen dicendum est, non potuisse eum eundem juste affligere, vel etiam occidere, etsi non peccasset.* §. V. En ergo honestatis, justitiæque æternam legem ad solam vim ab Hobbesio redactam; hoc est sublatam quamcumque æquitatis, justitiæque normam, & omnia ab arbitrio potentioris recta; quod revera alibi ille docet. *Regulas boni & mali, justi & injusti, honesti & inhonesti esse leges civiles; ideoque quod Legislator præceperit, id pro bono, quod vetuerit id pro malo habendum esse ..... Ante Imperia justum, & injustum non extitere, ut quorum natura ad mandatum sit relativa; actioque omnis sua natura adiaphora est.* (a) De Cive cap. 12. §. 1. Legatur præterea cap. 1. §. 10. cap. 6. §. 11. cap. 17. §. 12. Hujus generis est hujus hominis Ethica, qui *tanti virtutem faciebat, & amabat* (Bælii sententia), *quique virtutibus ornabatur omnibus præter religionem.* Nihil facilius esset, quam alia similia loca colligere, ex quibus evidenter infertur, Philosophum hunc *eas regulas honestatis æquitatisque æternas rerum naturis nixas* non agnovisse; ex quarum cognitione vult nobis Bælius Libertinos possedisse virtutes, persuadere. Relata sufficiant, e quibus potest quisque deducere, tantum abesse, ut Hobbesius principia illa, quæ virtutem instillant, habuerit, ut etiam illa statuat, quæ ad corruptionem impellunt. Quapropter jure ac merito cum primum Cartesius Librum *de Cive* vidisset, ait, ut testatur Leibnitius (b), *se in eo detegere quadam principia maxime exitiosa; omnes enim homines, aut scelestos credi, aut iis ansam dari, ut nequam fiant.*

Non me latet, multis in locis ejusdem Libri mentionem de Legibus naturæ Hobbesium facere, & præcipue cap. II. plures recenset, easque etiam immutabiles vocat. At hinc nimirum fit ut e plurimis castigationibus in hunc Auctorem ab aliis Scriptoribus factis fit etiam hæc, eum apertissimis antilegomenis scatere. Quod cum nemo, qui illum attente legerit, & loca cum locis contulerit, negat: tum sufficeret, ut in hac scribendi inconstanti ratione & superius memorati Carneadis in disputationibus Romæ de hac materia habitis pyrrhonismi imitationem inspiceremus; & proinde ostenderemus, quod modo inquirimus, Religionis æterna dictata, quæ justitiam metiuntur, & honestatem, fuisse in illo nutantia. Si tamen id, quod sentio, dicendum mihi est, arbitror, subdolum senem in locis, in quibus recte loqui videtur de Dei existentia, de Religione, de legibus naturalibus, incautis Lectoribus fucum facere, vel ut inquit ejusdem gentis Auctor Richardus Cumberlandus (*Traité Philosph. des Loix naturel. cap. 1.*) subducere hac ratione voluisse a Magistratuum Christianorum censura suarum doctrinarum impietatem, æque ad evertendam Religionem,

(a) Non possumus prætermittere locum Ciceronis ut hunc impium refellamus. *Quod si populorum jussis, si Principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus falsa supponere, si hac suffragiis, aut scitis multitudinis probarentur. Quod si tanta potestas est stultorum sententiis, atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur; cur non sanciunt, ut qua mala, perniciosaque sunt, habeantur pro bonis, ac salutaribus? aut cur cum jus ex injuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo?* Lib. I. de Leg. cap. 16. Legatur Lib. I. hujus Operis cap. *de Jure*, in quo errores Hobbesiani confutantur.

(b) *Il y remarque des principes, & des maximes très-dangereuses en ce qu'on y suppose tous les hommes méchans, ou qu'on leurs donne sujet de l'être.* Essais de Theodicée p. 420.

nem, atque ad mores medullitus corrumpendos tendentium (a) Et sane cum non semel, sed sæpius inculcasset, *actionem quamlibet natura sua esse adiaphoram, regulasque boni, & mali, justi, & injusti, honesti, turpisque esse leges civiles*; quem locum, quam vim habere potest illa, quæ una est *e suis legibus naturalibus* societatis præcipuis, hoc est *pactis standum esse, sive Fidem observandam*? (De Cive cap. 3. §. 1.) Si ante societatem neque hæc, nec Lex ulla alia obligandi vim habet, *sed* (b) *cuique licet & in quemque, & cujusvis juris utilitas, & vis mensura est*, quod naturæ principium, aut quæ honestatis, æquitatisque Lex obligare poterit ad observandam eam Fidem, ad standum iis pactis, quæ nulla honestas, nullum jus præcessit, sed ex iis derivatur? Si pacta regulis æquitatis sanciuntur, quæ injustitia erit unquam pacta frangere? Quid plura? Recenset quidem Hobbesius, explicatque leges has naturales, pacta, æquitatem, modestiam, temperantiam respicientes, & viginti hujusmodi pacta capite III. numerat, gravitatemque demonstrat; at quid addit? Pulchre dictum: (c) quicumque eum illis vivit, qui pacta non servant, eum stolidum futurum, peccaturumque contra rationem, si ea observaret; ita enim agens, & detrimenti periculum subiret, & aliena præda fieret. Ille igitur qua est honestate vult, tunc reipsa violandas esse has leges, sed observandas animo, hoc est consilium habere eas observandi alias; atque hoc, inquit ille, significat illud leges naturales obligare semper *in foro interiori*, at non semper *in foro exteriori*. Quæ æquior Ethica? At progrediamur porro. Docet copiose Hobbesius cap. IV. has *natura* leges esse leges *divinas*, locisque e Sacris Litteris depromptis id probat; immo in præcedentis capitis fine dixerat, revera eas esse appellandas leges, quia in Scriptura indicuntur. Sed qui avet scire quantum ponderis hinc habeant, legat cap. XVII. in quo cum sermonem habeat de peccatis contra justitiam, dicit, justitiæ civilis esse ea definire. In Scripturis vetatur causa exempli fornicatio, *at præcepto non mœcababere non prohibetur omnis concubitus, sed tantum cum aliena, quæ vero aliena est, judicatio ad Civitatem* (hoc est ad potestatem civilem) *pertinet, & per regulas, quas præscribet Civitas, determinanda est. Imperatur ergo præcepto hoc mari, & fœmina servare Fidem, quam dederint mutuo, ex præscripto Civitatis*. §. 10. Si ergo in aliqua urbe uxorum communio institueretur, quam Plato in sua Repub. volebat, quæque, ut refert Diodorus Siculus (*Lib. III.*) in quibusdam barbaris gentibus vigebat, aut mulierum Polygamia, quæ aliquandiu in Anglia fuit, testante Cæsare (*Comment. de Bel. Gal. Lib. V. c.* 14.) optime cum his interpretationibus naturale, divinumque fornicationis interdictum conveniret. Eadem Philosophus hic de homicidio, & de furto tradit. Nonne hoc est naturæ præceptis ex Scripturarum auctoritate pondus ingens addere? Quamquam quotus est quisque qui nesciat, Hobbesium hoc eodem Scripturarum nomine toties repetito non intellexisse auctoritatem divinam, quam versipellis homo interdum illis attribuere fingit? Præter alia in libro *de Cive* loca, in quibus eorum voluminum auctoritas pessumdatur, Principibusque auctoritati subjicitur, satis est legere locum hunc in Libro *Leviathan cap.* 34. *Quod Deus aliis dicat, scire non possumus naturaliter, neque sine revelatione divina nobis concessa naturaliter. Quamquam enim a Deo revelatum esse alicui aliquid, credere inducatur aliquis vel propter miracula, quæ ab eo facta esse viderit, vel propter egregiam sanctitatem, vel egregiam sapientiam, vel propter egregiam felicitatem, quæ omnia gratiæ divina*

(a) Hæc ars politica tributa fuit Epicuro, ut legimus in Cicerone *Lib. I. de Nat. Deor. cap.* 44. ubi Cotta ita loquitur: *Verius est igitur, nimirum illud, quod familiaris omnium nostrum Possidonius, disseruit . . . nullos esse Deos Epicuro videri, quæque is de Diis immortalibus dixerit, invidiæ detestandæ gratia dixisse.*

(b) *Natura dedit cuique jus in omnia: Hoc est in statu mere naturali, sive antequam homines ullis pactis sese invicem obstrinxissent, unicuique licebat facere quæcumque, & in quoscumque licebat, & possidere, uti, frui omnibus quæ volebat, & poterat . . . ex quo etiam intelligitur in statu naturæ mensuram juris esse utilitatem.* De Civ. c. 1. §. 10.

(c) *Non est igitur existimandum, natura, hoc est ratione obligari homines ad exercitium earum omnium in eo statu hominum, in quo non exercentur ab aliis &c.* ib. c. 3. §. 27.

na signa sunt satis magna, certitudinem tamen non efficiunt. Tanti Canonicos Scriptores Hobbesius facit, tanti Dei verbi auctoritatem. At quid hoc mirum, si de ipso supremo Numine tam perverse sentiebat? Ita ille (*Leviath. c. 34.*) *Corpus, & substantia idem significant, ac proinde vox composita substantia incorporea est insignificans; aeque ac si quis diceret corpus incorporeum*, (& de Cive cap. 15. §. 14.) *Non igitur Deo tribuetur Figura . . . . neque quod habeat partes . . . quod in aliquo loco sit . . . neque quod moveatur, aut quiescat*. Si autem volumus, eum esse; ergo dicendum erit, eum esse corpus, quod alibi (*a*) aperte docet. Specimen hoc est errorum Hobbesii, qui ut impune eas sententias, quæ funditus Religionem, mores, & societatem ipsam evertunt, disseminaret, quædam permiscuit theoremata, quæ honestatem, & pietatem propugnare videntur. Illis tamen vim omnem alibi adimit, & per jocum vocibus iis utitur quæ nihil pestiferum venenum minuunt, quod per Opus totum diffusum est, & incautorum animos, qui illius Opera legunt, miserrime inficit.

Haud nos latet quod de Hobbesio scribit Puffendorfius, *neque raro contingere videas, ut ab illis maximo cum supercilio condemnetur, a quibus minime lectus fuit, aut intellectus*. Sam. Puffen. de jure Nat. in Præf. ad Lect. Illi tamen respondemus, nos intelligere non posse, quomodo qui ejus Opera legit, intellexitque, eum laudare, omnibusque anteferre possit inquiens: *nemo negaverit, tam profunde ipsum societatis humanæ, & civilis compagem rimatum fuisse, ut pauci priorum cum ipso huic comparari queant*. ibid. Vah! adulationem iniquissimam, & pudendam. At hæc fortasse ab eo gratitudo expressit; plurimum enim ex Angli Libertini scriptis didicerat, *& sine* Hobbio *numquam Puffendorfium in tanto fama, atque honoris . . . . fastigio conspexissemus*. (Bibliot. Juris Imperantium pag. 79.) Quamquam dici potest, tot censuras eum non fuisse subiturum (*b*), nisi quosdam ejus gravissimos errores fuisset sequutus; inter quæ errata recensendum certe est illud, quod veritatibus immutabilibus, & æternis adversatur, quod est illud ipsum, quod hactenus in Hobbesio coarguimus. Atque hoc dictum volo in Bælium, Libertinos leges has immutabiles æquitatis, & honestatis rerum naturis nixas nihil curare, immo omnino evertere.

§. V. Verum ab hoc impietatis Magistro in Septentrionalibus Insulis ad Ilias pestes, quæ Europam Atheismo infecerunt, transeamus; videamusque, num suæ morum disciplinæ has æternas regulas ut fundamentum jecerint, per quod ipsi, eorumque pedissequi eas virtutes a Bælio ita commendatas habere possent. Benedictus Spinosa in hac materia vestigia ipsa Hobbesii calcat, sed apertius impios errores disseminat, aliisque principiis, hoc est, suo *Pantheismo* superstruit. Ita autem ratiocinatur (Tract. Theolog. Polit. cap. 16.) *Per jus, & institutum naturæ nihil aliud intelligo, quam regulas naturæ uniuscuiusque individui, secundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo existendum, & operandum. Ex. gr. pisces a natura determinati sunt ad natandum, & magni ad minores comedendum: adeoque pisces summo naturali jure aqua potiuntur, & magni minores comedunt. Nam certum est, naturam absolute consideratam jus summum habere ad omnia, quæ potest, hoc est, jus naturæ eo usque se extendere, quo usque ejus potentia se extendit. Natura enim* (en *Phantheismum* hujus impiæ Ethices fundamentum) *potentia ipsa Dei potentia est, qui summum jus ad omnia habet. Sed quia universalis potentia totius naturæ nihil est præter potentiam individuorum simul, hinc sequitur, unumquodque individuum jus summum habere ad omnia, quæ potest, sive jus uniuscuiusque eo usque se exten-*

(a) Legantur præ cæteris Scriptoribus, qui Hobbium impugnarunt, duo Angli Samuel Clarkius *Preuves de la Religion tant naturelle, que Revelée* chap. 4. & Richardus Cumberlandus: *Traité Philosophique des Loix naturelles* in multis totius Operis locis, sed præcipue cap. 1. & ult.

(b) Legi meretur de hac materia Epistola Leibnitii ad Molanum missa, quæ est xvi. *Tom. I. Epist. ad Diversos*. Referam aliqua verba ejusdem desumpta ab *Otio Hannoverano* pag. 181. *Relatum mihi est, cum primum ederet Puffendorfius elementa sua Jurisprudentiæ Hagæ Comitum* Ann. 1660. *hoc ipso captasse sibi favorem Electoris Palatini Caroli Ludovici, quod Hobbesium in præfatione commendaverit, ex eoque assumenda quædam putaverit sibi, cum nimium constaret ipsi, summum Hobbesii admiratorem esse Electorem, cui & opus istud dedicavit, hacque ratione meruisse, ut Professio Hildebergensis sibi demandaretur.*

tendere, quousque ejus determinatur potentia se extendit. Et quia lex summa Naturæ est, ut unaquæque res in suo statu, quantum in se est, conetur perseverare, idque nulla alterius, sed tantum sui habita ratione; hinc sequitur, unumquodque individuum jus summum ad hoc habere . . . . Jus itaque naturale uniuscujusque hominis non sana ratione, sed cupiditate, & potentia determinatum est. Hactenus Spinosa. Qua illustri Apotheosi non est Atheus ille consecrandus, qui mores suos ad hanc amussim dirigit? Sciet jam Bælius in hac præcipua Spinosæ doctrina *honestatis, justitiæque regulas æternas* nobis indigitare, vel potius confusionem vitiorum, & virtutum, approbationemque promiscuam bonorum morum, improbissimorumque facinorum, immo licentiam summam effrænipm cupiditatum, quæ jus sit in quocumque & vult, & potest iis indulgere? Quis posthac Spinosistam de æquitate, & honestate, de fide, de virtutibus loquentem pati poterit? Ille negat ex systemate regendum esse jus a ratione, in quo virtus consistit: sed ejus loco ducem ei præficit cæcam cupiditatem, gravemque nimis vim, nempe aculeum illum, quo bruta animantia ad agendum moventur, ac determinantur. An quisquam privatus cum hujusmodi homine societatem inibit, Princepsve sua in Repub. hujusce sectæ Professorem feret, quod suum, licitumque reputat quidquid consequi potest; & si occasio feret, & sors tulerit, sui esse putat Reipub. fundamenta sus deque vertere? Hæc rectissime ex modo Spinosæ allata doctrina consequuntur, cujus Libri in quibusdam Christianis Urbibus impune leguntur ab iis, qui nequeunt nisi venenum combibere, misereque infici. Omnia tamen hæc falsa theoremata cum Spinosæ, tum Hobbesii & clare, & ubertim refellimus Lib. I. ubi loquuti sumus de *jure*, quem locum Lector adeat; qui etiam ibi videre poterit, *has ipsas recti honestique regulas primas*, ex quarum contemplatione Bælius putat, Atheorum Ethicam puram esse posse, etiam Helvetium in libro *de l'Esprit* ultimum Impietatis patronum, derisui habere.

§. VI. Sed ut ad Spinosam redeamus, dicet fortasse quispiam, doctrinas has infandas dici tantum ab eo considerante homines in statu naturali, & priusquam quisquam cederet juri, quod ex natura habet; & illud transferret aut ad societatem, aut ad unum, qui illam regeret; postquam juris translationem Spinosam idem & justitiam, & caritatem, & Legum vim, & regiminis auctoritatem agnoscit. Ad quæ omnia actiones suas homines conformare debent, aliterque facientes & peccant, & pœnam merentur. At hæc, ego inquio, est una ex fraudibus iis, quibus illi utuntur ut fucum faciant, incautosque decipiant; Retinet enim totius systematis perversitatem. Et sane *lex æterna honestatis æquitatisque rerum naturis nixa* hujus Philosophi sententia de medio omnino tollitur; nominaque, notionesque harum virtutis regularum, a civili potestate, quæ illas præscribit, proficiscuntur, prorsusque pendent (*a*): quod nobis modo satis est, ut Bælio ostendamus, Atheos suos purissimos hos fontes, e quibus ille deducere laborat eorum honestatem, integritatemque, nolle quicquam agnoscere. At quis fraudem non videt? Si ante civilem societatem (ut jam contra Hobbesium argumentati sumus) nulla est æquitatis, & honestatis lex; sed ex illa hæ leges cœperunt, quodnam principium, aut vis *interior* ad servanda hujus societatis pacta, præscriptaque homines coget? Sicut non est, harum judicio, aliud principium movens, quam propria utilitas, & voluptas, & hæc homines in societatem coegit, legumque vinculis obstrinxit; ita cum aliquis ex harum legum cultu non amplius utilitatem, & voluptatem percipit, quo jure se obligavit, eodem

(a) *In statu naturali peccatum concipere non possumus, nec Deum tamquam Judicem homines propter peccata punientem, sed omnia secundum leges universæ naturæ communes fieri, & eumdem casum (ut cum Salomone loquar) justo, ac impio, puro, ac impuro &c. contingere, & nullum locum justitiæ, nec caritati esse: at ut veræ rationis documenta, hoc est ipsa divina documenta vim juris absolute haberent, necesse fuisse, ut unusquisque jure suo naturali cederet, & omnes idem in omnes, vel in aliquot vel in unum transferrent: & tum demum nobis innotuit, quid justitia, quid injustitia, quid æquitas, quidque iniquitas esset: justitia igitur, & absolute omnia veræ rationis documenta, & consequenter erga proximum Caritas a solo Imperii jure, hoc est a solo eorum decreto, qui jus imperandi habent, vim juris, & mandati accipiunt.* Tract. Theol. Polit. c. 19.

dem etiam se dissolvit ; & nisi supplicii adsit metus , e systemate eas infringit (a). Legatur Cicero Lib. I. de Legibus c. 14. & seq. [illegible]

§ VII. Ad propositum consilium nostrum probandum hos duos scriptores , qui Libertinorum Principes possunt dici jure , ac merito , recensuisse sufficeret . Operæ tamen pretium faciemus , postquam ostendimus , quam hi , qui dici possunt *Athei Dogmatici* , ab æternis recti , honestique legibus agnoscendis procul absint , demonstrare Lectori , multo magis esse credendum , totam Atheorum *Pyrronicorum* familiam , qui de omnibus se dubitare profitentur , hæc omnia e systemate non curare ; ideoque regulam nullam cum ad verum discernendum , tum ad justum , honestumque constituendum , discernendumque ab injusto , turpique , eos non curare . Unum Michaelem Montaneam , in cujus *Speciminibus* una cum impudentia impietatis semina reperiuntur , satis fuerit proferre ; impietatis , dixi ; quam ille nisi certa persuasione ductus est professus saltem suorum vitiorum ostentatione (quod illi gravissimi viri exprobrarunt) , se illam excolere per summam jactationem ostendit . Ille ergo de Legibus loquens tantum a Baelii dictis recedit , ut etiam eos , qui naturales Leges esse dicunt , ludibrio habeat . (b) *Digni enimvero* (ita ille scribit) *qui risu excipiantur , ii sunt , qui ut evidentiæ pondus legibus addant , dicunt , earum quasdam esse firmas , perpetuas , & immutabiles , quas naturales appellant , impressasque esse ajunt in humano genere pro suæ essentiæ conditione .* Hinc fuse , petulanterque ad clarissima justitiæ , honestatis , pudicitiæque principia evertenda se accingit , ajens , esse illa omnia incerta , & ad libidinem conficta , saltem rationem sequutus , fidemque minime audiens ; in quo alia illa fraus hujus Impiorum generis propria , ut alibi dicemus , vaferrima consulit . Proinde quidquid ad hanc rem Sextus Empyricus (*Pyrrhon. Hypotyp. Lib. III. Cap. 24.*) dixerat , ille colligit , describitque varios mores populorum , infandaque vitia , quæ legibus naturæ contraria , ut narrant Historici , aut fingunt Poetæ , interdum in quibusdam regionibus viguerunt ; ut inde deducat , tamquam indifferentia habenda esse fidem , & proditionem , mansuetudinem , & crudelitatem , virtutem , & vitium ; sicut enim illa ab omnibus pene gentibus fuit exculta , ita hoc quibusdam populis familiare fuit . Quod Montaneæ argumentum , jam ab omnibus Scepticis recoctum , ut quodvis discrimen boni , malique moralis de medio tollant , norunt etiam cupidissimi ex intimi sui sensus testimonio , qui iis invitis , commovetur , horrescitque , quantum a veritate abhorreat . Quis ignorat sicut corporea , ita spiritalia dari monstra ? Ac proinde sicut nunquam dicemus , non esse humani corporis proprietatem duos oculos in fronte gestare , ex eo quod legimus quosdam fuisse , qui unum tantum haberent , ita , multoque etiam minus dicendum est , notiones honesti , & tur-

(a) Licet Spinosa longo verborum circuitu videatur inculcare præcipue ultimis Tract. Theol. Polit. capitibus obedientiam principibus , pactorumque fidem , ut societas persistat , in hoc tamen loco explicat sensus suos . *[illegible] autem ratione pactum hoc* (societatis) *iniri debeat , ut ratum , fixumque sit , hic jam videndum . Nam lex humanæ naturæ universalis est , ut nemo aliquid , quod bonum esse judicat , negligat , nisi spe majoris boni , vel ex metu majoris damni ; nec aliquod malum perferat nisi ad majus vitandum , vel spe majoris boni . [illegible] de duobus bonis , quod ipse majus esse judicat , & de duobus malis , quod minus sibi videtur , eliget , dico expresse , quod sibi eligenti majus , aut minus videtur , non quod res necessario ita se habeat , ut ipse judicat . Atque hæc lex adeo firmiter naturæ humanæ inscripta est , ut inter æternas veritates sit ponenda , quas nemo ignorare potest . At ex ea necessario sequitur , neminem absque dolo promissurum , se jure , quod in omnia habet , cessurum , & absolute neminem promissis staturum nisi ex metu majoris mali , vel spe majoris boni . . . Ex quibus concludimus , pactum nullam vim habere posse , nisi ratione utilitatis , qua sublata , pactum simul tollitur , & irritum manet . . . unusquisque naturæ jure dolo agere potest , nec pactis stare tenetur , nisi spe majoris boni , vel metu majoris mali . [illegible] quia jam ostendimus , jus naturale sola potentia uniuscujusque determinari , sequitur , quod quantum quisque potentiæ , quam habet in alterum , vel vi , vel sponte transfert , tantum etiam de suo jure alteri necessario cedere ; & illum summum jus in omnes habere , qui summam potestatem habet , qua omnes vi cogere , & metu summi supplicii , quod omnes universaliter timent , retinere potest . [illegible] hanc potentiam quidquid velit exequendi conservabit ; alias precario imperabit , & nemo fortior , nisi velit , ei obtemperare tenebitur .* Ibid. c. 16.

(b) [illegible] *nes fermes , perpetuelles & immutables , qu'ils nomment naturelles , qui sont empreintes en l'humain genre par la condition de leur propre essence &c.* Ess. Tom. II. Chap. 12.

turpis immutabiles non habere homines, quod quidam fuerunt, qui eas fine horrore simul confuderunt. At hoc missum nunc facimus, jubemusque Lectorem adire id, quod Lib. I. diximus; & quod propofuimus demonstrandum certum sit: hoc est, Libertinos & *Dogmaticos*, *& Scepticos* profiteri, *se leges illas justitiæ, & honestatis rerum naturis nixas immutabiles* non nosse, a quibus Bælius argumentum vult deducere, ut eorum virtutes nobis ostendat; immo illos, eas rejicere, nec principium aliud suorum consiliorum quam utilitatem, voluptatemque, neque aliam præter vim juris libellam admittere. Ex quibus theorematibus impiam illam derivari Ethicam, nemo est qui non videat, ideoque non intelligat, eos, qui illam profitentur, *ex systemate* corruptissimos, & perniciosissimos omnium mortalium esse.

CAPUT QUINTUM.

Dogmata Naturalia in systemate Athei carent *Sanctione*.

I. *Pars Libertinorum maxima nihil curat leges recti, honestique æternas.*

II. *Etiamsi testarentur, se eas agnoscere, non est credendum, eos illas observare. Animadversio ad thesim VVarbutonis. Quo sensu in systemate Athei sit obligatio naturalis.*

III. *Solæ causæ a Religione edoctæ, negataque ab Atheo muniunt* sufficienti sanctione *naturalia dictamina. Probatur experientia. Indoles Barbaræ Imperatricis. Puffendorfius castigatus.*

IV. *Sophisma Balii solutum.*

§. I. HUjusmodi est ergo Libertinorum doctorum Ethica; de quibus, ut gratum Bælio faciamus, disputari potest, agnoscant, necne, recti, honestique leges immutabiles. Alios enim (hique majorem, maximamque Impiorum agminis partem efficiunt), qui iniquitatis via pererrant, *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus* (Psal. 31.) hoc est acti cæco cupiditatum furore; quique si interdum studio dant operam, nihil præter *Ephemeridas*, *Epistolas*; *specimina* in Religionem atro veneno infecta sapiunt; hos, inquam, certo certius est, quamlibet honestatis, æquitatis, virtutis libellam ut invisam, adversamque furcam e mente sua expellere; profiterique, se *nolle eam* intelligere, scilicet, *ne bene agerent*. (a)

§. II. Quamquam fingamus quidem homines hos sicut hæc æterna honestatis, æquitatisque rerum naturis nixa exemplaria cognoscere possunt, ita profiteri, se illa cognoscere; immo etiam veritatem illam, quæ Bælii sententia est evidentissima; eos confiteri, hoc est *esse æquum, hominem conformare se ad rationem*, & ex hujusmodi principiis non turpem illam Ethicam, cujus aliquot specimina in systematibus Montanez, Spinosæ, Hobbesiique attulimus, eos deducere, sed aliam derivare, eamque dogmatibus rectissimis, similibusque iis contexere, quæ in *Manuali Epicteti*, *in Cebetis Tabula*, *in Antonini Imperatoris Opere* reperiuntur. Num ideo, inquio ego, credendum erit hominem Atheum, licet hæc theoremata jactitet, futurum probum, eaque servaturum? Nihil sane minus. Immo e systemate erit ejusmodi (quoties suæ cupiditates id requirant) ut ea dictata veluti deliramenta conculcet, & quamlibet naturæ regulam lædat, & quodvis nefarium facinus committat. Hoc est quod in hoc capite probare intendimus.

Villelmus VVarburtonus doctus Anglus, m

(a) *Noluit intelligere, ut bene ageret*. Psal. 35.

in opere; de quo alibi mentionem fecimus, (a) probare volens, necessariam esse Religionem societati, disputansque in Bælium, qui Libertinorum virtutem propugnat, ut inferat, non esse societati Atheismum pestiferum, ex aliis argumentis, quæ strenue adhibet, copiose proposuimus. Ait, quamquam concedamus, discrimen vitii, & virtutis tamquam rerum naturis nixum impios cognoscere, cognoscere etiam æquum esse, hominem ad rationem se conformare, *has notiones nullam in iis habituras vim, cum nullo modo Atheus ad agendum secundum rectam rationem obstringatur; I. quia obligatio necessario supponit ens, quod obliget aliud ab eo, quod obligatur; II. Quia obligatio supponit legem, quæ jubet, & interdicit; nullaque lex rogari potest nisi ab ente intelligente, & superiori, quod jus habet ejus observantiam exigendi.*

Verum arbitrarer hic opportunum esse animadvertere, cum Bælius ait, Atheum (*Contin. des pens.* §. 152.) *posse credere se adstringi ad se conformandum ad rectæ rationis notiones, veluti ad boni moralis regulam &c.* certissimum esse, eum non fuisse loquutum de obligatione illa, quæ cum exteriori vi conjungatur, nec quæ ex lege a superiori Ente indicta nascatur, quod ejus observantiam exigat: quandoquidem in Athei hypothesi hæc repugnant. *Obligationis* nomine ille potest, debetque necessitatem rerum naturis nixam intelligere: cum rationali naturæ conveniat pro recta ratione agere, & alienum ab ea sit, eique contrarium ab illa decedere. Ita etiam leges naturæ, nisi in Atheo habent vim illam, quæ *coactiva* dicitur; habent tamen illam, quæ appellatur *directrix*, ad quam ille conformari debet, nulla tamen alia intentata poena, nisi rectæ rationis morsibus, quæ illi regulam hanc agendi indigitat, & circum quam non est indifferens (b). Atque hoc est illud, quod *Bælius* vult, quod docuit *Grotius*, *Leibnitius* (c), omnesque alii Auctores, qui sentiunt, Atheum non posse dici *exlegem* (d). Immo putarem, hac animadversione huic controversiæ magis fortasse verborum, quam rerum enatæ hac de re in Anglia, relatæque in *Biblioteque Raisonnée* posse finem *imponi*.

§. III. Itaque necessaria hac distinctione præmissa, rursus præ manibus argumentum sumamus, dicamusque, ne hanc quidem *obligationem*, *seu necessitatem hominis se conformandi ad recta rationis notiones*, & hanc legem *directricem*, aut regulam honestatis æternam habituras vim in Atheo, ut eum ad virtutem impellant, retrahantque ab omnibus contrariis indignis facinoribus, ad quæ cupiditates rapiunt. Hæc propositio ita etiam efferri potest; Leges naturales in Athei systemate non *muniuntur sanctione*, *quæ sufficiat ad impellendos constanter homines ad eas observandas, & ad eas non lædendas*. Hoc autem ita probatur. *Sanctio sufficiens* ad impellendos homines constanter ad Legum observantiam consistit in una, pluribusque causis, quæ possint æquare aculeos, illecebrasve omnes, quas illi habere possunt, ut eas violent. Atqui causæ sufficientes ad æquandas constanter has illecebras sunt illæ unæ, quas Religio menti objicit, nempe judex supremus, qui malos bonosque poenis, præmiisque afficiat; quod ab Atheorum systemate prorsus excluditur: ergo in Atheorum systemate Leges naturales, etiamsi concederentur, *sanctione sufficienti* carent ad impellendos constanter homines ad eas observandas. Quod dicemus pluribus in sub-

(a) *La Divinitè de la Mission de Moisè demontrée . . . par cette consideration, qu'il n'est point fait mention du dogme des recompenses, & des peines dans une vie à venir sous l'Economie Judaique.*

(b) *Lex est ratio summa insita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio cum est in hominis mente, confirmata, & confecta, lex est. Itaque arbitrantur* (doctissimi homines) *prudentiam esse legem, cujus ea vis sit, ut recte facere jubeat, vetet delinquere.* Cicero de Legib. Lib I. cap. 6.

(c) *Nam ut taceam, quod Grotius bene notavit, fore aliquam naturalem obligationem, etsi daretur, quod dari non potest, Deum nullum esse, aut licet divina existentia seponatur tantisper . . . hæc, inquam, ut taceam, sciendum est, Deum ipsum laudari, quod justus est, adeoque esse quamdam, imo potius esse summam ipsius Dei justitiam, etsi superiore careat, & sponte naturæ excellentis omnia bene agat, ut nemo de eo cum ratione queri possit.* Leibnitius Epist. ad Molanum quæ est XVI Tom. II. Epist. ad diver.

(d) Vid. *F. Nicolai Concinæ Ord. Prædic. Origines, & Fundamenta & Capita prima delineata Juris Natur. & Gent. §.* ..

sequentibus capitibus imbecillitatem causarum a Bælio allatarum, veluti sufficientium ad movendos homines, ut Leges naturales servent, ad trutinam revocantes, nostri argumenti robur evidenter demonstrabit. Interim satis habemus ita ratiocinari. Causas has a Religione suppeditatas, & quas Libertini se ignorare profitentur, esse valida fræna hominibus injecta, ut eos cohibeant, Libertini ipsi dicentes, Religionem esse artis Politicæ inventum, fatentur. Quandoquidem nonne ita dicentes ajunt Legumlatores, Principesque omnes prævidisse, nulla alia ratione posse aliquem modum hominum cupiditatibus injici, efficique, ut populi mutuo & privatam justitiam, & publicam fidem in Principes servarent, nisi in ipsis persuasionem vitæ futuræ ubi puniantur crimina, virtusque præmia recipiat, fovendo? Et quamquam falsum sit, hanc esse Religionis originem, certissimum tamen est, hanc esse Religionis utilitatem unanimi consensu ab omnibus Legislatoribus, & ab iis omnibus comprobatam, qui cum hominis indolem considerassent, ad vitæ honestatem, & ad Societatis officia illum promovere voluerunt (a). Et sane res per se ipsa loquitur; Concipiantur enim homines, qui puteat omnia desitura simul cum vita, esse insaniam infera loca, Paradisum illusionem, & Deum, qui corda scrutatur, & actiones rependit, esse *Ens rationis*. Objiciatur ergo iis, dum sacra auri fame urgentur, tuta ratio alienas opes furandi; aut regnandi cupiditate abreptis via certa, occultaque ejiciendi e solio Principem, illudque occupandi ostendatur, quotus erit quisque, in quo sola *legum æquitatis immutabilium naturis rerum nixarum* contemplatio superatura sit vim, quam hujusmodi res adeo cupiditatibus ejus excitatis, & vehementibus convenientes eum impellunt? Quot erunt, qui contenti sint vitam miseram, abjectamque degere, sed justi, potius quam divites, honoribusque ornati, sed clam nequam, cum sibi persuadeant, neminem esse, qui hujusmodi iniquitatem neque videat, neque puniturus sit, omniaque morte sint finienda? Idem de uxore illa dicatur, quæ cum virum oderit, jam furtim amasium habet, delicias suas, & corculum, quo libidinem expleat, cultumque muliebrem augeat, quin dedecus reformidet, aut detrimentum inde percipiat. Si hæc aut per quorumdam Librorum lectionem, quorum tanta est copia, aut ex alicujus eorum Philosophorum consuetudine, qui impietatem disseminare student, Religionem omnem ex animo eliminaret; sicut legimus (quamvis raro exemplo; mulieres enim, ut Bælius ait (*Pens. divers.* §. 142.) non gestiunt ut plurimum usque eo virtutem ostentare suam, ut impietatem profiteantur) de Barbara Imperatrice Imperatoris Sigismundi uxore, quæ Paradisum, Infernumque ludibrio habebat, an spes esset hanc ad bonam frugem reducendi per honestatis, justitiæque leges ab iis turpibus cupidinibus, in quibus misera volutatur? an credendum est, juxta impium sistema, eam ferociorem, immaniorem que factam velle semper volupe vitare, quod egit memorata modo Augusta, & in omni turpitudinum pudendarum genere vivere; cum sibi persuadeat, morte omnia interire? Quoniam autem hujus impietatis Heroinæ mentionem fecimus, integrum elogium, quod de illa Æneas Silvius scripsit, placeat afferre. In illa, tamquam in exemplari intuemur eas de moribus sententias, eumque honestatis modum, quem in Libertinis esse, arbitrari debemus. *Apud Græcium, Barbara Imperatrix ea tempestate decessit, quæ inter concubinos illaudatum ævum publice agitans, sæpius viros petiit, quam peteretur, neque alteri cuipiam Religioni adscripta, quippe quæ superos, inferosque ullos esse negabat. Ferunt, eam ancillas suas sæpe orantes, jejunantesque increpasse, quæ corpus suum frustra macerarent, fictumque cæli Numen placari verbis crederent.* Vivendum suaviter, dum vita suppetit, fruendumque voluptatibus. Id tantum homini datum, cujus anima cum corpore simul extinguitur: somniare qui alteram vitam sibi promittunt. *Congrua moribus sententia! Nam qui relicto animi cultu, volu-*

pen-

(a) *Atque haud scio, an pietate adversus Deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima virtus justitia tollatur.* Cicer. l. De Natur. Deor. n. 2.

pestibus corporis se dedere gravanti vitiorum sarcina, non quibus explicent, vitamque corrigant, sed qua coeptum iter approbent, ea dogmata facile imbuunt . . . . Neque inquinatis mentibus solamen ullum valentius, quam si totum extingui morte hominem opinentur. Una salus desperanti Cœlum inferos non timere. Hactenus Æneas Silvius *Hist. Bohem. cap. 59.* Vid. *Bonfinium Rerum Ungar. Decad. III. Lib. VII.* (a). Evidens ergo est, validiorem vim ad retrahendos homines a nequitia, stimulosque ad virtutem eos impellendi esse illos, quos veritates Religionis ad alteram vitam spectantes admovent. His ergo stimulis remotis, cognitæ recti, honestique regulæ (quas fieri non potuit, ut memorata Imperatrix ignoraret) vim nullam ad cupiditates hominis rationi adversas comprimendas habent. At proinde Libertini, utcumque hæc pulcherrima theoremata jactitent, & *systemate practico* corrupti erunt, malique: quod scilicet significare volebat Lucretius inquiens Lib. I. v. 108.

. . . . Nam si certum finem esse viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Relligionibus, atque minis obsistere Vatum.
Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas,
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Opportune hic advertendum est, Leibnitium acriter reprehendere Puffendorfium, quod, falso sentiens, lumine rationis animæ immortalitatem, pœnasque, præmiaque alterius vitæ non cognosci, (*De offic. Hom. & Civ. in Praef. pag. m. XFXI.*) *disciplina, jurisque naturalis finem intra hujusce vitæ terminos concludas.* Ita autem Leibnitius ait in Epist. ad Gerh. VVolth. Molanum, quæ est XVI. Tom. II. Epist. G.G. Leibnitii ad divers. *Itaque negligere hic futuræ vitæ curam, quæ cum Providentia divina inseparabiliter connexa est, & contentum esse inferiori quodam juris naturæ gradu, qui etiam apud Atheum valere possit; est scientiam pulcherrima sui parte mutilare, & multa hujus quoque vitæ officia tollere. Cur enim aliquis pro charitatibus, pro patria, pro Rep. pro recto, & justo discrimen fortunarum, dignitatum, vitaque ipsius subeat: si eversis aliorum rebus ipse consulere sibi, & in honore, & opulentia vitam ducere possit? Nam uni nominis immortalitati, famaque posthuma, idest rumoribus, unde nihil ad nos perveniat, vera ac solida bona posthabere, quid aliud quam splendida justitia furie?* Hactenus Leibnitius.

§. IV. Sed revertamur ad Bælium. Non gravatim rationem nostram admitteret; tamen crederet, nihil adhuc nos fecisse, ut eam virtutem, quam in Libertinis esse tuetur, labefactaremus. Tam comiter excipit alium Auctorem, qui adversus Atheos, & Deistas scribens (b) probat, ex eorum principiis de medio virtutibus omnibus sublatis, vitiisque effrænibus, & sceleribus debacchantibus, societatem etiam, si hoc systema sequerentur homines, esse prolapsuram. *Id ille probat* (ita Bælius loquitur) *recte admodum: sed quoniam rem unam, quam me demonstrasse credo, non animadvertit, hoc est homines non sequi sua principia, ideo jure potest illi reponi, eum nihil probasse.* (c) Hic est ensis ille districtus, quem semper in hac causa expedit. *Non sunt* (inquit alibi) *generales spiritus opiniones, quæ nos ad agendum movent, sed affectus præsentes cordis* (d). Ergo, inquio, tu idem concedis, Impios viventes, agentesque juxta sua principia, & systema, quod Deum ultorem, & præmia dantem repudiat, vivere, & agere scelesta debere; tunc autem aliquid boni facturos cum herum principiorum vi resistent. Pulchre dictum. At credendumne nobis est, sæpe eos vim hanc esse adhibituros, vitamque sapientem esse ducturos? Nego; atque hoc eodem argumento id pro-

bo,

(a) Quamquam turpissima hujus Imperatricis vita nihil prorsus conveniat cum ea virtute, qua Bælius ornatos Libertinos dicit: tamen Augusta hujus ingenii ansam ei præbebat, ut stilum exerceret suum, & eas promeret mentis opes quibus abundabat. Et sane Articulum in suo Dictionario de ea composuit, eisque addidit adnotationes, quæ hujus Heroinæ meritis convenirent.

(b) *Traité de la Religion contre les Athées, les Deistes, & les nouveaux Pyrrhoniens.*

(c) *Il le prouve fort judicieusement; mais parce qu'il n'a pas pris garde à une chose, que je crois avoir demontré, sçavoir, que les hommes ne suivent pas leurs principes, on lui peut objecter avec raison, qu'il n'a rien prouvé dans cet endroit-là?* Pens. divers. §. 181.

(d) *Ce ne sont pas les opinions generales de l'esprit, qui nous determinent à agir, mais les passions presentes du coeur.* Ibid. §. 136.

bo, quo te ostendisse putas, homines sua principia non sequi. Eccum illud: *Si conscientiæ* (*a*) *lumina* (ita tu loqueris) *essent ratio, quæ nos movet, an ita viverent, ut vivunt, Christiani?* Minime vero gentium; ego respondeo; deploranda-que est oppositio ejusmodi in Christianis tam ingens mentis cordisque; at intende animum, & animadverte, ut pernoscas quid hinc colligam. Si Christiani tam male vivunt; ergo, inquio, ex hac eadem causa credi nequit Libertinos iisdem in angustiis versantes bonam esse acturos vitam. Si conscientiæ lumina in agendo Christiani non sequuntur; ergo ideo credendum est, principia sui systematis in vivendo Libertinos esse sequuturos. Id autem ita me demonstrare credo. Tam male Christiani vivunt, quia in illis carnis illecebræ, quæ ad malum rapiunt, vim causarum, quas Fides eorum menti objicit (quæ sunt eorum principia), & quæ ad bonum oppositum eos ferunt, sæpe superant. Jam illecebræ istæ in Libertinorum principiis non modo non inveniunt vim contrariam vincendam, sed ex iis novam ad vincendum vim accipiunt. Ergo si Christiani tam male vivunt, pessime hac de causa vivere debent Libertini.

Est itaque purum putumque sophisma, quod incautos tantum decipere potest illud Bælii, qui versans principium suum inquit (*b*), *non esse magis alienum, Atheum vivere bene, quam Christianum male. Si quotidie monstrum hoc videmus, cur non credemus & illud dari posse?* Hoc, inquam, est purum, putumque sophisma, quod jam per se cadit. Nempe quia hoc ultimi monstrui genus quotidie videmus, ideo primum dari non posse probabiliter credimus. Quia videmus hoc tam alienum, nempe Christianos in quodlibet scelerum genus ruentes, ideo putamus non æque alienum, sed multo etiam magis alienum, & pene ἀδύνατον, Atheos *iisdem in angustiis versantes, hoc est suis cupiditatibus actos, iisdem rebus circumseptos* bene vivere. Rationem autem superius adduximus, quæ ita etiam efferri potest.

Ad vitam malam a cupiditatibus Christiani impelluntur, sed a principiis suæ mentis retrahuntur. Athei ad vitam malam & a cupiditatibus, & a suæ mentis principiis urgentur. Si ergo cupiditates interdum in Christianis principiorum vim superant, & in causa sunt, cur male vivant; ideo credendum erit, fieri pene non posse, ut cupiditates, & principia simul ad impietatem impios non moveant, sed in iisdem angustiis positi bene vivant. Illi autem propositioni toties a Bælio repetitæ, homines non semper sua principia sequi, respondeo: aut hæc principia conveniunt cum animi propensionibus, cordisque inclinationibus, aut illis adversantur: Si conveniunt, homines iis obsecundant, si adversantur, tunc ea tantum sequuntur, cum auxilia, aut causas habent, quæ cordis inclinationes evincant. Athei principia, ut capite antecedenti vidimus, sunt, discrimen nullum inter vitia, virtutesque agnoscere, in vi jus ponere, licitum credere quod lubet. Quod si Bælio concedere volumus, hunc habere, & recti, honestique notiones cognoscere; e suo systemate tamen credit, non esse judicem, qui observantiam, aut læsionem harum Legum curet, qui præmia, & supplicia sit daturus, sed cum omnia morte intereant, vitam esse gaudendi tempus. Jam hæc principia cum humani cordis propensionibus ad hæc præsentia bona tendentibus omnino congruunt (quibus cupiditatibus & Atheum æque ac Christianum peccantem in iisdem circumstantiis versantem agitari fingimus): Nulla ergo ratio est, cur Atheo non sit vivendum secundum principia sua; sed in eo est, ut ita dicam, *ratio composita* suarum cupiditatum, & suorum principiorum, ob quam scelestè sit illi vivendum. Christiani principia Athei principiis, corruptisque cordis affectibus prorsus adversantur. Si itaque evenit, causas, quæ ex his enascuntur principiis, agere in Christiani animum ejus proportio-

(*a*) *Si les lumieres de la conscience etoient la raison, qui n ns determine, les Chretiens vivroient-ils aussi mal, qu'ils font?* ib. §. 138.

(*b*) *Je reponds, qu'il n'est pas plus etrange, qu'un Athée vive vertueusement, qu'il est etrange, qu'un Chrétien se porte à toute sorte des crimes. Si nous voyons tous les jours cette derniere espece de monstre, pour quoi croirons-nous, que l'autre soit impossible?* ibid. §. 174.

tione vis, qua illum corporeæ cupiditates rapiunt (hoc est si spes præmii, aut æternorum suppliciorum metus, aut amor in supremum Legislatorem Christiani cor magis, quam corporis illecebræ movent), pro suis principiis & agere, & vivere potest: si vero corporeæ delectationes prævalent; ille, principiis rationis, fideique neglectis cupiditatibus obsequitur, vivit, agitque criminose. Sed ejus tamen vivendi ratio scelerte, & improbe ducta ob victoriam relatam a cupiditatibus contra sua principia, & contra eas vehementes causas, quæ ex illis derivantur, ad bene vivendum, evidenter nobis demonstrat, confirmatque: Atheo in quo efferæ cupiditates non modo ab ejus principiis impugnantur, sed aluntur potius, & foventur, multo pejus esse vivendum. Ita respondendum est comparationi a Bælio allatæ & pro rerum natura, & pro hominum solito vivendi cursu. Non ideo tamen putamus, quodlibet Athei opus debere esse malum, aut interdum a cupidinibus actum transversum ex aliquo principio, quod tunc excitatur, contra systema suum illum agere non posse. Tamen non est credendum, hujusmodi principium ut plurimum in Impiis, sed raro tantum in aliquo locum habere; neque etiam credibile est, in quopiam vim tantam illud habiturum, ut eum contra systema suum ad *vivendum secundum virtutem* permoveat, ut loquitur Bælius, quod constantem cursum probitatis significat. Hanc autem probitatem in Atheo ex prolatis rationibus, & ex modo afferendis credimus nullo modo inesse posse.

CAPUT SEXTUM.

Causæ, quas habent Athei secundum Bælium vivendi recte, ostenduntur ad hoc opus ineptæ.

I. *Proponuntur Bælii argumenta.*

II. *Quantam vim habeat in hac re Magistratuum, aut infamiæ formido. Delirium Lucretii admissum a Bælio.*

III. *Etiamsi omnes causæ memoratæ ab Adversario moverent Atheos, nunquam tamen eos virtute ornarent. Cardani opinio repetita a Collinsio, & a Tolando.*

IV. *Vis corporis constitutionis quanto sit ponderi ad probandam Atheorum virtutem.*

V. *Illatio pro nostra thesi.*

§. I. HAud nobis blandimur, Atheorum patronum præcipuum esse manus daturum. Nihil illi antiquius, nihilque facilius, quam in aciem redire, ut veritatem acrius impugnet; ratus fal tem Lectores aut imperitos, aut male affectos (quibus præsertim immensa illa volumina scripsit) tam vario, multiplicique argumentorum apparatu aliquantulum demum esse movendos, quod ille optat, & se hinc triumphum reportaturum.

Itaque eos fontes paullo ante confuse indicatos explicat, quibus putat honestatem, & virtutem, Religionem, Deumque pili facientis probari posse. Recitemus primum ejus verba exscripta ab *Illustratione* Tom. IV. sui Dictionarii posita, qua seipsum defendit, quod laudibus Atheos extulerit, quæ & quia sunt injustæ, & paullo studiose perquisitæ, viros prudentes, honestosque læserant, læduntque. Ita ergo ait (a).

Dei timor, amorque non sunt humanarum actio-

(a) *La crainte, & l'amour de la divinité ne sont point l'unique ressort des actions humaines. Il y a d'autres principes, qui font agir l'homme: l'amour de la louange, la crainte de l'infamie, les dispo-*

actionum fons unus; sunt & alia principia, quæ ad agendum homines impellunt. Laudis amor, infamiæ formido, corporis varia constitutio, pœna, mercedesque a Magistratibus propositæ vim ingentem ad movendos homines habent . . . . Cum hoc ita sit, non est putandum mali exempli paradoxum, sed potius res probabilis maxime, Atheos validius ad bonos mores ferri vi corporis constitutionis, laudum amore impulsos, & ab infamiæ metu rectos, quam conscientia ad eos alii feruntur.

Hæc est ars illa exquisitissima hujus præclari Sophistæ, ut nullum mendacium in aciem producat, nisi aliqua clara, & perspicua veritas illud præcedat. Non solum Dei cognitionem, sed etiam Principum timorem, infamiæ verecundiam, corporis constitutionem agere, & vehementer in hominem agere, res adeo certa est, ut de illa nemo dubitare possit. His de causis homines Atheos posse ferri, & *vehementer ferri in bonos mores colendos, & virtutem sequendam*, hæc est propositio illa, quam nullo modo comprobare possumus, & quam examinandam ita Lectoribus subjicimus.

§. II. Impium concipiamus vehementi aliqua cupiditate, quæ ad malum illum impellit, vexatum; quæ eo majorem vim in illo habet, quo in systemate, quod ille sequitur, non certamen ob propositam spem, aut bonorum, aut malorum æternorum timorem invenit, sed majorem potius peccandi segetem videt eo, quod sibi persuasum est, omnium mortem esse interitum. Quidnam hujus cupiditatis impetum cohibere, & impium ne illi obsecundet, retrahere poterit? Magistratuum formido, dedecorisque terror, Bælius reponit.

At respondeo, primum Magistratuum timorem in innumeris cupiditatibus coercendis, quas illi non curant, locum non habere. Ejusmodi sunt ebrietates, simplices fornicationes, & plurima alia turpitudinum genera, hujusmodi sunt immodicæ comessationes, ingrati animi vitium, violatio datæ fidei, inferiorum contemptus, & alia talia crimina, quæ Prætor minime curat (a). *Deinde* neque Magistratuum pavor, neque dedecoris horror ad Impii cupiditates refrænandas vim ullam habent, cum aut interiores sunt, aut possunt occultari. Consideret hic secum ipse Lector, quam ingens iniquitatum vis ab Impiis patrabitur, quoties iis lubebit. *Nam* (ita adtemperate Cicero Lib. I. de Legib. cap. 54.) *quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem, & judicem? Quid in deserto loco nactus, quem multo auro spoliare possit, imbecillum, atque solum . . . videtis credo, quid sit acturus*. Nimirum hic quodcumque malum facinus committet (inquit Prudentius (qui sensa hujus Libertini Bæliani virtutibus præditi expromens ita egregie canit (*Lib. II. Cont. Symmach. v. 168.*):

Nam si tota mihi cum corpore vita peribit,
Non poterit superesse meum post funera quicquam;
Quis mihi Regnator Cœli? Quis Conditor Orbis?
Quis Deus? aut quæ jam merito metuenda potestas?
Ibo per impuros fervente libidine luxus,
Incestabo thoros, sacrum calcabo pudorem,
Infaciabor habens aliquod sine teste propinqui
Depositum, tenues avidus spoliabo clientes,
Longævam perimam magico cantamine matrem;
Tardat anus dominum dilata morte secundum.
Nec formido malum: falluntur publica jura,
Aut si res pateat, judex corrumpitur auro.
Rara reos justa percellit pœna securi.

Tamen fallimini (inquit Bælius) & temere judicatis; si ita de Libertino sentitis. Etiamsi sit in tenebris, etiamsi peccatum suum possit occulere, alia vehemens causa, cur cupiditatem ferventem comprimat, illi non deerit. At quænam unquam erit

dispositions du temperament, les peines, & les recompenses proposées par les Magistrats ont beaucoup d'activité sur le coeur humain . . . III. Cela etant, il ne faut point considerer comme un paradoxe scandaleux, mais plûtôt comme une chose très-possible, que des gens sans religion soyent plus fortement poussés vers les bonnes moeurs du temperament accompagnée de l'amour des louanges, & soutenus de la crainte du deshonneur, que d'autres gens n'y sont poussés par les instins de la conscience. I. Beclaire issement. sur les Athées.

(a) Leg. Cicer. Lib. I. de Legib. cap. 16. ubi videtur quasdam innuere leges, quæ crimina fovent. *Quod si populorum jussis, si Principum decretis, si sententiis Judicum jura constituerentur: jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere &c.*

erit causa isthæc? Ejus verba audiamus. Posset enim quis suspicari, me id exaggerare. (a) *Si putaret, nullum ibi adesse testem, suspicionem nullam de se fieri, posset tamen adhuc animum inducere ad prædam deferendam* (loquitur de secreto deposito restituendo) *verens, ne incideret in infortunium, quod aliis accidit, qui ediderunt patrata a se crimina, vel dormientes, vel febri calida laborantes inter delirandum. Hac utitur ratione Lucretius ut ad virtutem homines Atheos excitet.* Aculeum enimvero acutissimum, potentissimumque, qui a vitiis revocet, & ad Epicuream sanctitatem mortales omnes exacuat! Ita Libertinus Poeta excutit *Lib. V. v. 1154. & seq.*

Nec facile est placidam, ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.
Etsi fallit enim divum genus, humanumque,
Perpetuo tamen id fore clam, diffidere debet.
Quippe ubi se multi per somnia sæpe loquentes,
Aut morbo delirantes protraxe ferantur.
Et celata diu in medium peccata dedisse.

Advertit sapienter VVarburtonus, nullo modo verisimile esse, casus tam parum probabilis, remotique timorem, cupiditatis, quæ hominem extimulat, sollicitatque, impetum posse coercere. Contenti essemus, a Bælio requirere, ut, qua erat honestate, nobis diceret, num revere posset credere, a Lucretii ætate ad sua usque tempora, Impium unum fuisse, quem timor aperiendi in somnis, aut inter deliria sua malefacta semel etiam ab iis patrandis revocaverit.

§. III. At fingamus demum, hujusmodi causas, quæ a Magistratuum suppliciis, & ab infamia, aut dedecore penes Gentes proficiscuntur, locum apud Impios habere. Quis autem, inquio, fructus inde sperandus est? Eos *ad honestatem, & ad bonos mores* ducent, Bælius respondet. At quis non videt, virtutem hanc simulatam esse, quæ perverse ab injuste agendo manum retrahit, malum affectum e corde non evellit radicitus, immo aut ex ostentatione, aut ex utilitate nequitiam auget? *Ac per hoc* (inquit D. Aug. Epist. 145. alias 144. ad Anastas.) *in ipsa voluntate reus est, qui vult facere, quod non licet fieri; sed ideo non facit; quia impune non potest fieri.* Et ante illum Cicero scripserat (Lib. I. de Legib. cap. 19.); *Innocentes ergo, & verecundi sunt, ut bene audiant, & ut rumorem bonum colligant? . . . Quid enim possumus eos, qui a stupro arcentur infamia metu, pudicos dicere? . . . An corporis pravitates si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis, animi deformitas non habebit?* Vera ergo insania est Hieronymi Cardani aut nullius, aut dubiæ Fidei hominis argumentum a Bælio memoratum, quod ejusmodi est. *Nunc demum videamus, an forsan ad bene, beateque vivendum hoc credere* (nimirum animorum immortalitatem) *plurimum conferat. Atque, ut video, nec in hoc utilis est hæc opinio . . . . His, qui sanctitatem minime profitentur, nemo fidis: quamobrem fide majore uti coguntur* (qui immortalitatem inficiantur.) *talesque se apud homines præstare, ut non videantur ea professione deteriores: unde etiam evenit, ut his temporibus pauci fœneratorum fidem æquiparent, cum tamen illi reliquo vitæ genere sint perditissimi.* (*Tom. II. Oper. Hieron. Cardani pag. 464.*) (b). Reor, Cardanum hic revera describere indolem consuetam Impiorum, qui scientes systema suum horrori esse, cunctisque a mortalibus tamquam monstra humani generis, hostesque communes se respici, hinc speciem quamdam honestatis, ut in societate perferantur, evitentque mala, & supplicia suo reatui debita, præseferunt. Eodem tamen tempore quisque novit, argumentum nullum, ut persuadeatur utilitas, quæ ex impietate proficiscitur, stultius afferri posse: cum sit

Y 4

(a) *S'il se croioit à l'abri de tout soupçon, encore pourroit-il bien se resoudre à lacher sa prise par la crainte de tomber dans l'inconvenient, qui est arrivé à quelques-uns de publier eux memes leurs crimes pendant qu'ils dormoient, ou pendant les transports d'une fievre chaude: Lucrece se sert de ce motif pour porter à la vertu les hommes sans Religion.* Pens. diver. §. 179.

(b) Scriptor *vitæ, sensorumque Vaninii* editæ Gallice Rotherodami 1717. ait non sine quadam admiratione *pag.* 25. non fuisse a Bælio hoc Cardani argumentum allatum in libro *Continuation des pensées sur la Comete*: quare ille hoc fuse affert; At qui poterat illud silentio præterire, qui nil indictum, & intentatum relinquit, ut desperatam causam tueatur? Nihil illud affert in libro hoc, causa est, quia in libro *Pensées* §. 179. per figuram *præteritionem* illud attulerat, auctore nominato, locoque.

sit hæc, quam ille bonam, beatamque vitam appellat, impudentissima simulata virtus, vitiosaque astutia fœneratorum calliditatis similis; quæ e contrario nobis ostendit, quam systema illud, quod pedissequos suos ad tam execrandam vivendi rationem allicit, sit perniciosum. Animadvertendum hic etiam est, hoc fallax, ineptissimumque Cardani argumentum a Collinsio in aciem produci in *Discours de la liberté de penser* pag. 177. qui dicit, hominem *libere* (hoc est licenter) cogitantem, ideoque hominum odium subeuntem, ad vivendum bene, honesteque adstringi; quod argumentum torquet etiam Tolandus (*Adeisidæmon.* §. 23.)

Quodnam virtutis genus est unquam istud? Quid de illo, qui hæc scribere audet, quid de iis, qui plausu hujusmodi argumenta excipiunt, sentiendum erit? Verum quidem est, Collinsium post memoratum argumentum statim aliud principium subdere, ut suorum *libere cogitantium* virtutem demonstret. Illud est ejusmodi: *hominem, qui vult libere cogitare, magna diligentia, studioque indigere: atque hoc modo negotiorum multitudinem, inclinationes malas, vitiosasque cupiditates ex ejus corde propellere.* (Disc. de la liberté de penser pag. 178.) Huic novæ demonstrationi (quæ identidem ab aliquo impio tirone usurpatur) egregie hæc duo breviter postulando mihi Bentlejus respondisse videtur: I. Num omnes homines *curis distentissimi* sint virtute præditi? II. Num omnes qui se *libere cogitantes* profitentur, sive Impii, sint ideo plurimis negotiis distenti? (a)

§. VI. Verum ad Bælium redeamus; examinemusque tandem alium ab eo allatum fontem, a quo argumentum Impiorum honestatis se desumere arbitratur. Hæc est constitutionis corporis vis; per quam multi natura sua a quibusdam criminibus se abstinent; cum quidam odio habeant crudelitatem, & homicidia, alii turpitudinem, & intemperantiam; alii ab jurgiis, ab impotentia, a perfidia, & a mendaciis abhorreant. Si ergo Athæus corporis temperationem quibusdam horum modorum præditi habebit, etiamsi quamlibet religionem rejiciat, honestam, temperatam, sobriam, mitem, benignamque ex vi hujus corporis habitus vitam ducet. Respondeo, hoc argumentum si quidquam probat, probare non quodvis sceleris genus Impium esse patraturum. Qua de re cum Bælio nullum inibimus certamen. Haud finit humana natura, unum, eumdemque hominem ita esse improbum, ut in quovis criminum genere delinquat, ita ut omnia rationis lumina, per quæ homo est, sus deque misceantur. Affectio una alteri adversatur, & hæc delectatio, quæ indoli peccantis gratissima est, efficit, ne alteri cupiditati satisfiat, quæ illum perturbat, ac proinde ab aliquo committendo crimine, quod illi molestum esset, eum retrahit. Simul cum magnis criminibus sæpe Historiæ narrant, videmusque quotidie conjuncta, exercitaque opera, quæ per se laudem merentur. Cum igitur defendimus, impietatem parere, & fovere morum corruptionem, non id nobis volumus, eam debere a summo ad imum ejus habitum corporis pervertere, qui illi nomen dedit, ita ut momento temporis immanis, mollis, avarus, intemperans, proditor, homicidia fiat, si suapte natura imbellis, largus, temperans, pudibundus, modestus, & humanus erat. Quod dicimus hoc est, Impium e systemate suo ad quodlibet facinus, quod ei libuerit, aut committendum, si opportunum ei fuerit, aut ad illud animo eligendum, si exterius obstaculum eum impediat, esse paratum. Argumentum propositum hoc unum probat, hunc non facturum id, quod sibi non arriserit, aut non libuerit, quod quidem concedimus. Verum hæc non multum suspicienda virtus nobis videtur. Semper multum malus homo erit. *Primum* quidem quia corporis constitutionis bonæ propensiones nunquam tot sunt, ut omnibus cupiditatibus opponantur; immo ut plurimum plures illis sunt: proinde his cupidinibus, quia indoles

(a) Insignis hic Litteratus Anglus ediderat nomine *Phileleutherii Lipsiensis* librum contra Collinsiã sermonem versum ex Angla in Gallicam linguam hoc titulo: *La Friponnerie Laïque des pretendus Esprits-Forts d'Angleterre*. Locus citatus est *Par. II. Remar.* XLIV. *Quoi donc? Est-ce que tous les hommes, qui sont occupés sont vertueux? Ou que tous les gens de la Secte, qui pense librement, sont occupés.*

doles obstet, in toto obsecundabitur; deinde vero ipsæ corporis temperationis dotes non adeo stabiles, fortesque sunt, ut illecebris, stimulisque exemplorum non sint superandæ in homine, in quo e suis dogmatibus non solum in certamine fulciuntur, sed derelinquuntur etiam. Innumeros casus hujusmodi felicis corporis constitutionis hominum ab illecebris, aliisque exemplis corruptorum Historiæ nobis narrant; & hæc ad rem nostram accommodate scripsit Seneca Lib. 3. de Ira cap. 8. *Sumuntur a conversantibus mores, & ut quædam ad contactus corporum vitia transiliunt; ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus convictores in amorem vini traxit; & impudicorum cœtus fortem quoque, & silliceum emollit.*

§. V. Iis ergo, quæ diximus, evidenter probatur, caussas, quas Bælius affert, ut ostendat, Religionis contemptorem, cupiditatum, quæ illum ad malum rapiunt, impetum superaturum, esse prorsus ineptas. Possunt etenim efficere quidem, ut hic omnia scelera non committat; aut eum ab aliquo publico crimine subducendo, quod & timor Principis, & dedecoris timor præstant, aut illum ad aliquod peculiare vitiorum genus non impellendo, ad quod & indoles, & corporis constitutio adjumenti sunt. Sed aut separatæ, aut conjunctæ hæ ostentatæ caussæ innumera alia crimina aut ab hominibus non vetita, aut putenda non credita, vel occulta & interiora, & temperationi corporis, indolique non ingrata impedire non possunt, quæ ne Impius patret nullum est illi injectum frænum. Multo vero minus hæ caussæ eum ad *bonos mores faciendos, & ad vitam secundum virtutem vivendam* impellent, ut asserit Adversarius, quem hactenus impugnavimus.

CAPUT SEPTIMUM.

Examen aliorum Bælii Argumentorum juris, & facti pro Atheorum honestate.

I. *Pomponatii Paradoxum de amore puro eorum, qui putant, animam mortalem esse; adoptatur a Bælio: refutatur.*
II. *Bælius ipse alio in loco illud refellit, & sequitur facta.*
III. *Responsio generalis ad hoc argumentum.*
IV. *Animadversiones ad locum Clementis Alexandrini spectantem ad Diagoram, Theodorum, Evhimerum, Specimen Bælianæ Criticæ.*

§. I. PEtrus Pomponatius insignis Philosophus, præceptorque, dum erat Patavii Professor, Magni Cardinalis Gasparis Contareni, (a) in Libro, quem de *Immortalitate animæ* inscripsit (qui materiam tot disputationibus dedit) probare voluit, rationibus a natura petitis, nec posse decidi hujusmodi quæstionem,

(a) Hic non dubitavit sese opponere celeberrimo suo Magistro, scripsitque libros duos inscriptos *de Immortalitate Animæ*, in quo probat, posse quæstionem hanc decidi principiis Aristotelicæ Philosophiæ, & demonstrari iisdem, esse animam humanam immortalem; solvitque Pomponatii argumenta. Hi duo libri, ut refert Joannes a Casa in Contareni vita, scripti a Cardinali annos nato triginta fuerunt, conjunctique sunt cum aliis ejus Operibus impressis Lutetiæ Parisiorum 1751. Mirum est P. Niceronem horum Librorum in articulo Petri Pomponatii (*Tom.* 25. *Memoir. des Hommes illus.*) mentionem nullam facere, licet recenseat alios, qui eum impugnarunt, & non minus fuse, quam diligenter, sapienterque controversiam hanc tractat spectantem ad sententiam illius Peripatetici, quem tamquam sanæ fidei virum defendit. Ita etiam agit Petrus Bælius in suo Dictionario art. *Pomponace*. Et sane quamvis Pomponatius quasdam opiniones docuerit falsas, minusque rectas, non tamen nobis videtur jure ille referendus inter Atheistas, appellandusque Atheismi Magister, ut a multis vocatur, & præcipue a Daniele Morhofio *Polyhist. Tom. I. Lib. I. cap. 8. §. 18. & Tom. II. Lib. I. cap. II. §. 4.*

nem, nec demonstrari, animam esse immortalem, sed audiendam esse solam Fidem, quæ de illius immortalitate nos certos facit. Cum ergo ille de hoc verba faciat, & cum illi adversaretur argumentum, quod nos tractamus, hoc est, alterius vitæ pœnas, præmiaque negando (quod consequitur ex mortalitate animæ) viam cuilibet sceleri sterni, & ex mortalibus virtutem exulare, inter alia hoc respondet. *Asserentes animam mortalem melius videntur salvare rationem virtutis, quam asserentes ipsam immortalem: spes namque præmii, & pœna timor videntur servilitatem quamdam importare, quæ rationi virtutis contrariatur.* (Pet. Pompon. De Immortalitate animæ cap. 14.) Cogitatum hoc Bælio placuerat: quare probare volens, etiam Impios honestatis habere notionem, & eam sequi posse, ait (*a*), *rationem antiquis Philosophis dictasse, faciendum esse bonum ex boni ipsius amore, & virtutem debere esse præmium sui met ipsius; solumque hominem malum formidine pœnæ malum vitare.* Hinc cum Ciceronis locum, in quo de Epicuri pietate fit sermo, attulisset, hæc addit: (*b*) *constat ergo, rationem sine Religionis præsidio notionem hujus pietatis tantopere a Patribus celebratæ invenisse, quæ fit, ut Deus ametur, ut ejus lex observetur ob illius infinitam perfectionem.* Quis umquam putasset, Atheos ad hanc Mysticam contemplationem progressos & non solum bonos effectos, sed etiam *amore puro* accensos, agentesque ex tam perfecto impulsu, se visurum? Tales tamen vult Bælius nobis eos obtrudere, quare inter cætera elogia, quibus eos laudat, de iis etiam eos versiculos Horatii Lib. I. Epist. 16. v. 52. dicit,

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Oderunt peccare mali formidine pœnæ. (*c*)

At credimus, jure nos hujusmodi præstantissimam virtutem hominum religione carentium, & qui omnia faciunt, metiunturque amore proprio, irridere posse: etiam officia ipsa virtutum, quæ ideo hoc modo omnia fœdantur, & corrumpentur. Quapropter verius, æquiusque puto etiam Antiquorum Sapientium sensa exprimi versibus illis Ovidii *de Ponto Lib. II. Eleg. 3. v. 11.*

Non facile invenies de centum millibus unum,
Virtutem pretium qui putet esse sibi.
Ipse decor recti, facti si præmia desunt,
Non movet, & gratis pœnitet esse probum. (*d*)

Sed ut aliquid aptius ad hanc rem, & directe Pomponatii sententiæ contrarium dicamus, en quomodo Hierocles loquitur in suis *commentariis in Aurea carmina* (*e*): *etiam credentes animam mortalem, cum agunt de virtute non contemnenda jocose loquuntur, nedum verum dicant. Quapropter si post mortem aliquid nostrum non superesset, atque hoc a natura propensionem non haberet veritate, & virtutibus se ornandi, qualem dicimus esse animam rationalem, rerum honestarum purum*

(a) *La raison a dicté aux anciens Sages, qu'il falloit faire le bien pour l'amour du bien même, & que la vertu se devoit tenir à elle-même lieu de recompense, & qu'il n'appartenoit, qu'à un méchant homme de s'abstenir du mal pour la crainte du chatiment.* Pens. div. §. 178.

(b) *Il est donc vrai, que la raison a trouvé sans le secours de la Religion l'idée de cette pieté, que les Peres ont tant vantée, qui fait que on aime Dieu, & que on obéit à ses loix uniquement à cause de sa infinite perfection.* Ibid.

(c) Ita citat. Bælius locum hunc (*pens. divers.* §. 178.) & ait, ita reperiri in prima Horatii editione. Advertam hic obiter, etiam in editione Florentina Landini 1482. hos duos versiculos ita legi; eosque ita invenio in codice nostræ Bibliothecæ Venetiis, sed sæculi XV. tamen in pluribus aliis editionibus cum antiquis, tum novis, quibus illa Bibliotheca abundat, versiculus tantum primus reperitur: & eruditissimus Bentlejus, qui testatur se contulisse editionem suam cum celebrioribus MMSS. de versu secundo verbum nullum facit. Fortasse non esset abs re conjicere, versum illum fuisse intrusum, formatumque ex parte primi, & ex parte alterius subsequentis.

Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

(d) Non absonus est versiculus ille Juvenalis Satyr. X. v. 141.

. . . . *Quis enim virtutem amplectitur ipsam,*
Præmia si tollas?

(e) Καὶ οἱ θνητὴν οἰόμενοι τὴν ψυχήν, περὶ τοῦ μὴ προΐεσθαι τὴν ἀρετὴν, κατεψεύδοντο μᾶλλον, ἢ ἀληθεύουσιν. Εἰ γὰρ μή τι τῶν ὑπομενόντων ἡμῶν μετὰ θάνατον, καὶ τοῦτο φύσιν ἔχον ἀληθείᾳ καὶ ἀρετῇ κοσμεῖσθαι (οἷον δή φαμεν εἶναι τὴν λογικὴν ψυχήν) οὐκ ἂν ἐγγένοιτο ἡμῖν καθαρὰ γένεσις τῶν καλῶν. Ὑποκαπύεται γὰρ ἡ ὑποψία τῆς φθορᾶς τὴν περὶ ταῦτα σπουδὴν, καὶ πρὸς ἀποχαύνωσιν ἄγει σωματικὴν, ὁποίαν ποτὲ ἂν ᾖ ταῦτα, καὶ πάντως ἂν ἁρπάζεσθαι ἐφίεται. Hierocl. in Aur. Carm. pag. 76. Editione Cantabrig. 1709.

rum desiderium in nobis non esset. Sola enim suspicio, animam mortalem esse, quodvis harum (hoc est veritatis, virtutisque) *desiderium suffocat, movetque ad inquirendas corporis voluptates, quæcumque sint, & ubicumque reperiri possint*.

§. II. Et sane Bælius ipse, qui in libro *des Pensées diverses* amorem hunc purum, gratuitumque in campum produxerat tamquam causam, qua Increduli possent a malo removeri, & ad bonum impelli, in *Dictionario* autem, postquam illum Pomponatii verbis superius exscriptis retulit, eum deliramentum habet prorsus ineptum ad illud solvendum argumentum validissimum, quod Libertinorum systema cujuscumque immanissimi criminis fontem esse demonstrat. Ita ergo loquitur (a) *Omnes hæ* (Pomponatii) *observationes oppositionem non refellunt. Hæ sunt nullius ponderis responsa*. Bene habet, quid ergo aliud dicendum restat? *En* (sequitur ille) *cogitatum magis cum ratione consonans: innititur factis. Ille* (hoc est Philosophus Peripateticus) *ait, numerum ingentem scelestorum, & perditorum immortalitatem animæ credere, multosque sanctos, justosque eam non credere*.

Hoc est magnum illud argumentum quo se triumphum relaturum Bælius putat; ideoque copiose pluribus in suorum operum locis illud versat. Aliquantisper ejus vestigia nos sequi oportet; non enim nos latet, quam jucundus Libertinis sit locus hic. Bælii interim textum recitemus, *Sed ut dicamus aliquid validius, & quod magis quam ut conjectura tantum assequi possimus, illustret id, quod de moribus cujusdam Atheorum societatis dixi, animadvertam, paucos illos homines, qui palam Atheismum sunt professi e veteribus, Diagoram, Theodorum, Evhimerum, & alios, non ita vixisse, ut in eorum licentiam invcherentur mortales . . . Contra vero novi, eorum vivendi rationem sic admirandam Clementi Alexandrino esse visam, ut Atheismi criminationem illis affictam, tamquam falsa esset, a se rejiciendam duxerit* (b). Hoc est admirabile illud argumentum, quod pluribus erroribus, quam verbis refertum est; purumque imbecillum sophisma est, quod causam nostram potius magis, magisque confirmat.

§. III. Ac primum quidem, ex iis, qui animæ immortalitatem credunt, Religionemque profitentur, vim ingentem scelestorum, & nequam esse, ut Pomponatius ajebat, tam deplorandum est, quam certum, quod negare non audemus. At quid inde? An Religionis systema in corruptione hac partem ullam habet, quicquam influit? Nullum Libertinum hæc ausurum dicere, credo. Illi ipsi putant, Religionem a Politicis esse inventam, ut in officio populi continerentur. Non dicent igitur, eam profitentium illam fovere licentiam. Proficiscitur ergo illa ex magno, vehementique eorum cupiditatum impetu, quæ vim omnem earum causarum spei, timorisque superant, quibus Religio suapte natura a vitiis eos revocans ad virtutem impelleret. Ex quo rectissima consequutione præjudicium gravissimum in Bælii, ejusque amicorum propositionem eliditur. Si enim cupiditates (ut supra animadvertimus) vim tantam in homine habent, ut illa perfringant repagula, quibus Religio eas cohibet, pertrahuntque homines in gravissima crimina superatis obstaculis omnibus a Fide objectis, qui credi potest, eos qui hujusmodi impedimentis non retinentur, immo systema sequuntur, quod licentiam fovens eos ad quodvis peccatum patrandum allicit, qui, inquam credi potest, hos in iisdem circumstantiis versantes, & iisdem cupidinibus actos permansuros esse constantes, & vitam puram,

(a) *Toutes ces Remarques n'ôtent pas la difficulté, ce sont des pauvres solutions. Mais voici une pensée plus raisonnable: elle est fondée sur des faits. Il dit qu'un grand nombre de frippons & de scelerats croient l'immortalité de l'ame, & que plusieurs saints & justes ne la croient pas*. Diction. Crit. Art. Pomponace Rem. H.

(b) *Mais pour dire quelque chose de plus fort, & qui ne laisse pas dans les termes d'une simple conjecture ce que je avance concernant les mœurs d'une societé d'Athées; je remarquerai, que ce peu des personnes, qui ont fait profession ouverte d'Atheïsme parmi les Anciens, un Diagoras, un Theodore, un Evhemere, & quelques autres, n'ont pas vecu d'une manière, qui ait fait crier contre le libertinage de leurs mœurs .... Je trouve au contraire, que leur bonne vie a paru si admirable à Clement Alexandrin, qu'il s'est crû obligé à s'inscrire en faux contre l'accusation d'Atheïsme, qu'on leurs avoit intentée*. Pensées divers. §. 174.

ram, integramque ducturos? Dixi in iisdem circumstantiis versantes, iisdemque cupidinibus actos: quandoquidem contingere potest, hominem Religionem colentem, cum habeat plures illecebras, commoda plura, majora irritamenta, graviora committere crimina, quam Atheus alterius indolis, aliusque conditionis, aliisque in circumstantiis patret. Ut crudelia, & immania Neronis opera fierent, Roma Imperatorem eum esse oportebat. Neque vero, ut Atheismus comprobetur, monstro illi regnanti Neroni (quem Bælius veluti hominem Religionem excolentem, & Caligulam, & Tiberium, aliasque hujusmodi Romæ pestes nobis objicit) infelix Hebræus, cujusmodi Spinosa fuit, opponendus est; hic enim infimo loco natus, re fare familiari angusta ab annis viginti lethali lue laborans, quin homicidia faceret, quin libidini se dederet in hospitis domo, in Belgii Fœderati angulo delitescens vivebat. Si illi Imperantes simul cum cordis corruptela impietatem mentis habuissent, nihilo sane fuissent minus pejores, nisi dicendum sit, & in tutiora eos fuisse ruituros crimina, a quibus Numinum timor illos aliquando revocabat. Barbara uxor Imperatoris Sigismundi impia mulier (ut alibi diximus) jure cum Maria uxore Ottonis, cum Zoe Romani Argyropoli, cum Eufrosina Alexii, & cum aliis componi potest, quæ Religionem profitentes insigne turpitudinibus solium reddiderunt; videbimusque eam a sua impietate animos fecisse, ne ulli licentia cederet, inquiens, *nulla alia de causa optandam vitam esse, nisi ut volupe victitetur.*

§. IV. His verissimis animadversionibus præmissis, quæ per se argumentum infirmant, locum Bælii per partes singulas examinemus. *Adverto* (inquit ille) *paucos illos homines, qui palam Atheismum sunt professi e veteribus Diagoram, Theodorum, Evhemerum non ita vixisse, ut in eorum morum licentiam inveherentur mortales.* At eratne Bælius ita humanarum rerum ignarus, ut nesciret esse posse homines improbos, & perditissimos, quin tamen scelera tam publica, & manifesta admitterent, quæ Historiæ, aut carminum monumentis Posterorum memoriæ traderentur? Silentium Historicorum estne argumentum satis validum, ut eos homines, qui Religionem omnem ejurarunt, justos, integrosque fuisse credamus? Hic reponit Bælius, non habemus solum silentium. *Contra vero horum vivendi rationem sic admirabilem Clementi Alexandrino visam, ut Atheismi criminationem illis affictam tanquam falsam esse a se rejiciendam duxerit.* Ergo, inquio, Clemens Alexandrinus nobiscum sentiebat, credebatque fieri non posse, ut simul cum Atheismo vita *temperans, sapiensque* stare posset (a). Quare arbitratus est, hos (qui suo judicio bene vivebant) divinitatem cognovisse, & ideo nomen *Atheis* fuisse tributum, quia falsa Numina irridebant, stultasque superstitiones earum regionum habebant ludibrio. At in hoc, respondet Bælius, erravit Clemens, *demiror*, pergit dicere, *hominem doctrina tanta non vidisse, Ethnicos distinxisse diligenter hos ab illis.* Verum Criticam Bælii appello: si Clementis auctoritatem rejicit, hos a nota verorum Atheorum purgantis, cur ita tumidus eam in aciem producit, dum eos bonos appellat? Si Clemens circa eorum impietatem erravit, cur credendum non erit, circa eorum mores eum non errasse? Erravit, inquit Bælius, in primo capite: quandoquidem Cicero, Plutarchus, Diogenes Laertius, eos vocant Atheos, & Ethnici valde accurate hos ab illis distinguebant, hoc est illos, qui divinitatem omnem de medio auferebant, ab iis, qui idololatricas superstitiones tantum respuebant. At jure demiror ego, hominem tanta eruditione, cujusmodi Bælius est, potuisse tam animose asserere, *hanc Gentilium diligentiam* in his duobus capitibus distinguendis. Poterat in memoriam revocare locum illum *Dionis* in Domitiano, ubi Clemens, & Domitilla Christiani *Atheismi* accusantur; illum Juliani Imperatoris in *Cæsaribus*, ubi eadem criminatio Constantino Magno affigitur; innumerosque alios in nostræ Religionis Apologis, e quibus discimus, Ethnicos universim impietatis nomen omnibus Christianis dedisse. Abusum hunc Atheismi

(a) Σωφρόνως βεβιωκότας, in Protrept. p. 7.

mi etiam illis, qui Divinitatem norunt, repudiabantque Deorum Ethnicorum superstitiones nomen dandi, animadvertit non solum *Muretus* a Bælio memoratus, quique Clementi Alexandrino assentitur; sed *Vossius* (a) in perinsigni Opere *de Idololatriæ Origine Lib. I. Cap. I.* loquens de quibusdam superius dictis Atheis satis copiose demonstrat: Fabricius in *Bibliographia antiquaria cap. VIII.* & alibi. Quid plura? Eruditus Abbas Sevinus (b) *in Dissertatione de vita, & operibus Evhemeri* cum retulisset, & approbasset Clementis Alexandrini opinionem, & dedisset specimen, quantum ex antiquis auctoribus erui potest, *Historiæ* ab hoc contextæ post suam celebrem navigationem, credit ex Ciceronis loco & ex Apologistarum Christianorum testimonio concludi posse, *Athei nomen suo sub intellectu sumptum jure non posse de illo dici.* Credit, Evhemerum evertisse tantum Deos gentium, quorum in suo Opere originem inquirere curaverat, & ostendere, eos quondam fuisse homines mortales, & ex una populorum opinione inter Deos relatos. Quæ animadversiones omnes nobis demonstrant, Bælium nimium facile de errore Clementem Alexandrinum, saltem quoad quosdam ex recensitis Philosophis, damnasse, quorum Atheismus non est adeo certus, ut ille putat. At laudetur quidem ejus severa Critice, quæ in hoc capite Clementis auctoritatem, quamvis prolatis testimoniis fulciatur, rejicit; solumque nobis dicat, quibus argumentis motus sit ad eam sequendam, cum caput aliud, hoc est *temperantem*, *sapientemque* eorum vivendi rationem docet. Equidem neque de Diagora, neque de Evhemero aut in Cicerone, aut in Diogene, aut in Plutarcho quicquam inveni, quod de eorum moribus fidem faciat. At habemusne fortasse aliquod elogium Theodori, qui omnium certe fuit maxime Athæus? Scilicet. Laertius *Lib. II. in Aristip. Segm.* 99. refert, docuisse hunc, *furto quoque, & adulterio, & sacrilegio, cum tempestivum erit, daturum operam sapientem: Nihil quippe horum natura esse malum, si auferatur de hisce vulgaris opinio, quæ ad continendos stultos conflata est. Immo Cynica impudentia dicebat, sapientem publice absque ullo pudore scortis congressurum.* Hæ hujus Athei erant sententiæ. Num ejus vitæ tenor iis contrarius erat? Ex eodem Laertio scimus, cum apud Lysimachum simul cum Hipparchia impudentissima Cynica Cratetis muliere conviva esset, & hæc illi quoddam proposuisset sophisma, non verbis Theodorus respondit, sed reipsa ostendit, non esse valde a suis theoriis alienum (c). Num narrationem hanc Diogenis ignorabat Bælius? Minime vero gentium. In suo *Dictionario ad articulum Hipparchia* illam refert, hoc tamen discrimine, quod Laertius licet Epicureus breviter, & modeste id narrat, ille scenam Bælio dignam agit, alienamque brevitatem supplet. Hæc est exquisita Critice, hæc Rotherodamensis Scriptoris bona fides. Ubi susceptum consilium est ostendendi per fas, per nefas Atheos *esse bonos viros, vita admiranda, temperatis, modestisque moribus, auctoritate Ecclesiæ Patris* in horum bonorum hominum numero etiam Theodorus collocatur. Cum vero oblectandi sunt asseclæ, amici, gregarii consuetis festivis narratiunculis, Theodorus ipse cum Cynica muliercula ludens producitur. Sed hujus Bælianæ Criticæ exempla innumera proferri possent. Quapropter ex iis, quæ hactenus diximus, prudens Lector colligat, argumenta juris, factive a summo Atheorum patrono allata, & a nobis perpensa, ad eorum honestatem confirmandam nihil habere momenti.

CA-

(a) *Praterea ne illud quidem satis est apertum, an omnes isti Numen esse negaverint. Nam rationi magis consentaneum est, Atheos vocatos a nostris, quia sic apud Gentiles legissent: a Gentilibus vero, quia Deos Gentium pro Diis non haberent.*

(b) *Recherchés sur la vie, & les Ouvrages d'Evhemere.* Vid. *Memoir. de l'Acad. Royal des Inscrip. & Belles-Let. Tom. XI. le sentiment de là* (ex Cicer. de Nat. Deor. Lib. I. cap. 42.) *aussi bien que du temoignage des Apologistes Chrétiens, que le nom d'Athée pris dans sa veritable signification, ne sçauroit lui etre legitimement adapté.*

(c) *Tum ille* (Theodorus) *ad id quidem minime respondit: Sed ejus pallium attraxit. Sed neque territa, neque turbata est Hipparchia ut mulier.* Laert. Lib. 6. Segm. 97. in Hipparch. Vide Menagii adnotationem ad hunc locum edit. Vesten.

ram, integramque ducturos? Dixi in iisdem circumstantiis versantes, iisdemque cupidinibus actos: quandoquidem contingere potest, hominem Religionem colentem, cum habeat plures illecebras, commoda plura, majora irritamenta, graviora committere crimina, quam Atheus alterius indolis, aliusque conditionis, aliisque in circumstantiis patret. Ut crudelia, & immania Neronis opera fierent, Romæ Imperatorem eum esse oportebat. Neque vero, ut Atheismus comprobetur, monstro illi regnanti Neroni (quem Bælius veluti hominem Religionem excolentem, & Caligulam, & Tiberium, aliasque hujusmodi Romæ pestes nobis objicit) infelix Hebræus, cujusmodi Spinosa fuit, opponendus est; hic enim infimo loco natus, re fare familiari angusta ab annis viginti lethali lue laborans, quin homicidia faceret, quin libidini se dederet in hospitis domo, in Belgii Fœderati angulo delitescens vivebat. Si illi Imperantes simul cum cordis corruptela impietatem mentis habuissent, nihilo sane fuissent minus pejores, nisi dicendum sit, & in tutiora eos fuisse ruituros crimina, a quibus Numinum timor illos aliquando revocabat. Barbara uxor Imperatoris Sigismundi impia mulier (ut alibi diximus) jure cum Maria uxore Ottonis, cum Zoe Romani Argyropoli, cum Eufrosina Alexii, & cum aliis componi potest, quæ Religionem profitentes insigne turpitudinibus folium reddiderunt; videbimusque eam a sua impietate animos fecisse, ne ulli licentia cederet, inquiens, *nulla alia de causa optandam vitam esse, nisi ut volupe victitetur*.

§. IV. His verissimis animadversionibus præmissis, quæ per se argumentum infirmant, locum Bælii per partes singulas examinemus. *Adverto* (inquit ille) *paucos illos homines, qui palam Atheismum sunt professi e veteribus Diagoram, Theodorum, Evhemerum non ita vixisse, ut in eorum morum licentiam inveherentur mortales*. At eratne Bælius ita humanarum rerum ignarus, ut nesciret esse posse homines improbos, & perditissimos, quin tamen scelera tam publica, & manifesta admitterent, quæ Historiæ, aut carminum monumentis Posterorum memoriæ traderentur? Silentium Historicorum estne argumentum satis validum, ut eos homines, qui Religionem omnem ejurarunt, justos, integrosque fuisse credamus? Hic reponit Bælius, non habemus solum silentium. *Contra vero illi, eorum vivendi rationem sic admirandam Clementi Alexandrino fuisse visam, ut Atheismi abominationem illis affictam tanquam falsam esse a se rejiciendam duxerit*. Ergo, inquit, Clemens Alexandrinus nobiscum sentiebat, credebatque fieri non posse, ut simul cum Atheismo vita *temperanter, sapienterque* staret posset (a). Quare arbitratus est, hos (qui suo judicio bene vivebant) divinitatem cognovisse, & ideo nomen *Atheis* iis fuisse tributum, quia falsa Numina irridebant, stultasque superstitiones earum regionum habebant ludibrio. At in hoc, respondet Bælius, erravit Clemens, *demiror*, pergit dicere, *hominem doctrina tanta non vidisse, Ethnicos distinxisse diligenter hos ab illis*. Verum Criticam Bælii appello: si Clementis auctoritatem rejicit, hos a nota verorum Atheorum purgantis, cur ita tumidus eam in aciem producit, dum eos bonos appellat? Si Clemens circa eorum impietatem erravit, cur credendum non erit, circa eorum mores eum non errasse? Erravit, inquit Bælius, in primo capite: quandoquidem Cicero, Plutarchus, Diogenes Laertius, eos vocant Atheos, & Ethnici valde accurate hos ab illis distinguebant, hoc est illos, qui divinitatem omnem de medio auferebant, ab iis, qui idololatricas superstitiones tantum respuebant. At jure demiror ego, hominem tanta eruditione, cujusmodi Bælius est, potuisse tam animose afferere, *hanc Gentilium diligentiam* in his duobus capitibus distinguendis. Poterat in memoriam revocare locum illum *Dionis* in Domitiano, ubi Clemens, & Domitilla Christiani *Atheismi* accusantur; illum Juliani Imperatoris in *Cæsaribus*, ubi eadem criminatio Constantino Magno affigitur; innumerosque alios in nostræ Religionis Apologis, e quibus discimus, Ethnicos universim impietatis nomen omnibus Christianis dedisse. Abusum hunc Atheismi

(a) *Σωφρόνως βεβιωκότας, in Protrept. p. 7.*

mi etiam illis, qui Divinitatem norunt, repudiabantque Deorum Ethnicorum superstitiones nomen dandi, animadvertit non solum *Muretus* a Bælio memoratus, quique Clementi Alexandrino assentitur; sed *Vossius* (a) in perinsigni Opere *de Idololatria Origine Lib. I. Cap. I.* loquens de quibusdam superius dictis Atheis satis copiose demonstrat: Fabricius in *Bibliographia antiquaria cap. VIII.* & alibi. Quid plura? Eruditus Abbas Sevinus (b) *in Dissertatione de vita, & operibus Evhemeri* cum retulisset, & approbasset Clementis Alexandrini opinionem, & dedisset specimen, quantum ex antiquis auctoribus erui potest, *Historia* ab hoc contextæ post suam celebrem navigationem, credit ex Ciceronis loco & ex Apologistarum Christianorum testimonio concludi posse, *Athei nomen suo sub intellectu sumptum jure non posse de illo dici.* Credit, Evhemerum evertisse tantum Deos gentium, quorum in suo Opere originem inquirere curaverat, & ostendere, eos quondam fuisse homines mortales, & ex una populorum opinione inter Deos relatos. Quæ animadversiones omnes nobis demonstrant, Bælium nimium facile de errore Clementem Alexandrinum, saltem quoad quosdam ex recensitis Philosophis, damnasse, quorum Atheismus non est adeo certus, ut ille putat. At laudetur quidem ejus severa Critice, quæ in hoc capite Clementis auctoritatem, quamvis prolatis testimoniis fulciatur, rejicit; solumque nobis dicat, quibus argumentis motus sit ad eam sequendam, cum caput aliud, hoc est *temperantem*, *sapientemque* eorum vivendi rationem docet. Equidem neque de Diagora, neque de Evhemero aut in Cicerone, aut in Diogene, aut in Plutarcho quicquam inveni, quod de eorum moribus fidem faciat. At habemusne fortasse aliquod elogium Theodori, qui omnium certe fuit maxime Athæus? Scilicet. Laertius *Lib. II. in Aristip. Segm. 99.* refert, docuisse hunc, *furto quoque, & adulterio, & sacrilegio, cum tempestivum erit, daturum operam sapientem: Nihil quippe horum natura esse malum, si auferatur de hisce vulgaris opinio, qua ad continendos stultos conflata est. Immo Cynica impudentia dicebat, sapientem publice absque ullo pudore scortis congressurum.* Hæ hujus Athei erant sententiæ. Num ejus vitæ tenor iis contrarius erat? Ex eodem Laertio scimus, cum apud Lysimachum simul cum Hipparchia impudentissima Cynica Cratetis muliere conviva esset, & hæc illi quoddam proposuisset sophisma, non verbis Theodorus respondit, sed reipsa ostendit, non esse valde a suis theoriis alienum (c). Num narrationem hanc Diogenis ignorabat Bælius? Minime vero gentium. In suo *Dictionario ad articulum Hipparchia* illam refert, hoc tamen discrimine, quod Laertius licet Epicureus breviter, & modeste id narrat, ille scenam Bælio dignam agit, alienamque brevitatem supplet. Hæc est exquisita Critice, hæc Rotherodamensis Scriptoris bona fides. Ubi susceptum consilium est ostendendi per fas, per nefas Atheos *esse bonos viros, vita admiranda, temperatis, modestisque moribus, auctoritate Ecclesiæ Patris* iu horum bonorum hominum numero etiam Theodorus collocatur. Cum vero oblectandi sunt asseclæ, amici, gregarii consuetis festivis narratiunculis, Theodorus ipse cum Cynica muliercula ludens producitur. Sed hujus Bælianæ Criticæ exempla innumera proferri possent. Quapropter ex iis, quæ hactenus diximus, prudens Lector colligat, argumenta juris, factive a summo Atheorum patrono allata, & a nobis perpensa, ad eorum honestatem confirmandam nihil habere momenti.

CA-

(a) *Præterea ne illud quidem satis est apertum, an omnes isti Numen esse negaverint. Nam rationi magis consentaneum est, Atheos vocatos a nostris, quia sic apud Gentiles legissent: a Gentilibus vero, quia Deos Gentium pro Diis non haberent.*

(b) *Reche chés sur la vie, & les Ouvrages d'Evhemere.* Vid. *Memoir. de l'Acad. Royal des Inscrip. & Belles-Let. Tom. XI. Je conclus de là* (ex Cicer. de Nat. Deor. Lib. I. cap. 42.) *aussi bien que du temoignage des Apologistes Chrétiens, que le nom d'Athée pris dans sa veritable signification, ne sçauroit lui etre legitimement adapté.*

(c) *Tum ille* (Theodorus) *ad id quidem minime respondit: Sed ejus pallium attraxit. Sed neque territa, neque turbata est Hipparchia ut mulier.* Laert. Lib. 6. Segm. 97. in Hipparch. Vide Menagil adnotationem ad hunc locum edit. Vesten.

CAPUT OCTAVUM.

Ethica, & Historia Epicuri.

I. *Baelius objicit Epicurum ut unum ex pluribus exemplaribus inter veteres Philosophos.*
II. *Pessimum Epicuri nomen apud antiquos. Studium Petri Gassendi, ut eum purget. Res illi pene ex sententia cedit. Laudatur.*
III. *Quidam tamen veteres criminationes renovarunt; inter hos eminuit Cardinalis de Poliniaco. In quo Epicurus collocaret summum bonum.*
IV. *Expositio magis verisimilis totius illius systematis;*
V. *Argumentum Gassendi, cui respondetur. Locus excellens Anti-Lucretii.*
VI. *Critice horum capitum debet esse admodum cauta.*
VII. *Mores Epicuri laudati, expressique a Libertinis recentibus; quantum a vera virtute distent.*
VIII. *Discipuli Epicuri quam corrupti: Horatius, Petronius, Lucretius. Pictura horum honestorum hominum more Epicureo.*

§. I. PRaeclarum Atheorum propugnatorem paulisper adhuc sequamur; qui cum voluisset Clementis Alexandrini auctoritate etiam Theodorum virtutibus ornatum fuisse nobis obtrudere, Epicurus quoque cum suis pedissequis veluti perfectissimae virtutis exemplar erat in scenam ab illo producendus. Ita ergo loco superius dicto loquitur (a): *Epicurus, qui providentiam, animaque immortalitatem negabat, ex antiquis Philosophis unus est, qui integre ad exemplum vixerit; quamvis ejus secta fuerit postea infamata . . . qui vitiis suis eam dedecorarunt, non ex ejus Schola vitia didicerunt.* In articulo vero, quem in Dictionario confecit de hoc Philosopho, eloquentia exquisitissima & integritatem ejus Ethicae, & morum sanctimoniam describit, sibique plaudit, ratus, se virtutibus praeditos homines eos, qui aeternitatem, & Leges, & Religionem, Deumque conculcant, mortalibus ostensurum. Suscepti hujus operis consilium haud finit, nos hujusmodi latissimae quaestionis capita singula minutatim examinare: quaedam tamen praecipua capita asseremus, ex quibus & de Epicuri Historia, & de ejus Ethica recte conjecturam faciemus.

§. II. Exploratum est, per decem, & octo saecula Epicuri, ejusque scholae nomen universim, & turpiter, & pessime non propter impietatem solum, sed etiam propter corruptam Ethicam apud omnes audivisse. E Patribus Clemens Alexandrinus, Lactantius, Ambrosius, alii que, ex Ethnicis scriptoribus Cicero, Plutarchus, Sextus Empyricus, & Seneca male de illo senserunt. Horum vestigiis insistentes subsequuti Scriptores docuerunt, praecipuum Scholae Epicuri dogma fuisse *voluptatem esse summum hominis bonum*, illiusque hortos veluti libidinum receptacula pinxerunt. Athenaeus, qui Commodi, aut Pertinacis aetate (b) scribebat, refert, mulierculam quamdam procacem, Leontium nomine, fuisse Epicuri amicam, eumque in Philosophia audientem in iisdem hortis consuetam artem meretriciam facere (c). Aliae insignes produntur meretrices, quae Epicuri tempore in iisdem morabantur hortis, & se-

(a) *Epicure qui nioit la Providence, & l'immortalité de l'ame, est un des anciens Philosophes qui a vecu le plus exemplairement: & quoique sa secte ait été decriée dans la suite . . . ceux qui l'ont deshonorée par leur vices, n'etoient point devenus vicieux dans cette Ecole.* Pens. divers. §. 174.

(b) Vide Vossium de *Histor. Graecis lib. II. cap. 15.*

(c) Οὗτος δ' οὖν ὁ Ἐπίκουρος οὐ Λεόντιον εἶχεν ἐρωμένην τὴν ἐπὶ ἑταιρείᾳ διαβόητον γενομένην; Ἡ δ' οὐδ' ὅτε φιλοσοφεῖν ἤρξατο, ἐπαύσατο ἑταιροῦσα, πᾶσί τε τοῖς Ἐπικουρείοις συνῆν ἐν τοῖς κήποις, Ἐπικούρῳ δὲ καὶ ἀναφανδόν, ὥστ' ἐκεῖνον πολλὴν φροντίδα ποιούμενον αὐτῆς, τοῦτ' ἐμφανίζειν διὰ τῶν πρὸς Ἕρμαρχον ἐπιστολῶν. Athenaeus. L. XIII. Deipno Soph. Edit. Dalecham.

& secundum voluptuarii præceptoris dogmata gymnasium in fornicem converterbant. Ita pene omnes mortales usque ad proxime elapsi sæculi medietatem de Epicuro & cogitarunt, & loquuti sunt; cum celeberrimo Petro Gassendo, veluti Hercules Augiæ stabulum repurgare aggressio eruditione multa, floridaque eloquentia res e sententia ita cessit, ut in Philosophorum chorum Epicurus relatus fuerit, & fama, existimatioque illi conciliata (*a*). Creditum fuit quidquid de illo detractum fuit ex Stoicorum calumniis fuisse profectum, qui ut illius famam convellerent, quasdam Epistolas libidinis, ac turpitudinis plenas sint ementiti, e quibus tamquam ab incorruptis laticibus subsequentes Scriptores illius doctrinam hauserint; moribus sanctis, integrisque fuisse Epicurum; demum in voluptate quidem summum bonum, ultimumque hominis finem collocasse, sed hoc nomine non voluptates, sive *titillationes* corporis, sed oblectamenta, jucunditatemque, aut tranquillitatem firmam, quietamque animi, quæ consistit in virtute, vel ex ea nascitur, illum intellexisse. Hæc est illa notio, quam ejus Philosophi, doctrinæque illius Gassendus dedit, apprime quidem Classi Litteratus vir, quique sine laude nominari non potest. Ex eo tempore qui quidquam sapere in litteraria Repub. videri volunt, ita de Epicuro loquuntur: Libertini vero præcipue præter modum gloriantur arbitrantes, se ostendere in illo Philosophum, qui, ut Ciceronis verbis utar (de Nat. Deor. Lib. I. cap. 41.) *nec manibus, ut Xerses, sed rationibus Deorum immortalium templa, & aras everterit*, cum ab humanis animis Acherontis timorem ejecerit; & Religiones e terris eliminarit, tamen honestatem, temperantiam, frugalitatemque colebat; qui amicitiam in suos, pietatem in patriam docebat, qui de amicitia præcipue ea tradidit præcepta, quæ ut Collinsius (*Discours de la Libertè de penser pag. 191.*) ait, nos Christiani apprime venerari deberemus.

Etiamsi vero Scriptores pene omnes, qui post Gassendum de Epicuro verba fecerunt, hujus institerunt vestigiis, & de illo optime senfere, & præcipue Jacobus Cruderus in sua praclara Philosophica Historia; alii tamen fuerunt, qui novitatis illecebris minime capti antiquas criminationes renovarunt; ejusque Ethicam ut corruptissimam rejecerunt. Hi fuere præsertim Parkerus, Gatakerus, Bentlejus; sed potissimum Cardinalis de Polignaco in suo *Anti-Lucretio* auro, cedroque Poemate digno, in quo non minori doctrinarum vi, quam facilitate, & elegantia carminum errores antiqui Libertini Poetæ confutantur, variæque, & perversæ nuperorum Atheistarum hypotheses evertuntur. Certo certius ergo Nobilissimus Auctor arbitratur in *voluptate*, seu corporis oblectamentis summam hominis beatitatem Epicurum posuisse; cujus opinionis nemo est, qui etiam cursim librum X. Diogenis Laertii legens, in quo vita, sententiæque Epicuri recensentur, plurima indicia non perspiciat (*b*). Verum quidem est, Philosophum hunc infamiam, quam jam subiisse suarum voluptuarium opinionum causa Cyrenaicos videbat, evitare volentem, sæpius testari, nolle se voluptatis nomine in schola sua corporis oblectationes intelligi, sed gaudium, lætitiamque animi nulla perturbatione, fastidio, & dolore permixtam; in quo ejus sententia summum malum consistit. Levior tamen est fucus hic, ut Cardinalis advertit, quam ut ejus fraudem omnino tegat. Si enim summa hominis felicitas in gaudio, aut lætitia, aut in ejus, quod arridet, allicitque, possessione consistit, necessario consequitur, secundum Epicurum, etiam omnes voluptates carnis sensuumque esse ab eo quærendas, cui plaga ceant, & cui molestiam earum privatio afferat. Ejus versos recitemus. Anti-Lucr. Lib. I. v. 183.

Quippe ubi pro summa rerum, pro fine supremo est

Quod

(a) Defensio Epicuri doctrinæ, & morum invenitur & in notis, quas Gassendus fecit ad Lib. X. Laertii, quem etiam in Latinum sermonem transtulit, & in septem libris ab eo compositis *de Vita, & Moribus Epicuri*, qui sunt Tom. V. Operum ipsius Gassendi.

(b) Locus hic unus Epicuri ad Menœceum Epist. sufficiat; *Voluptatem principium, ac finem dicimus beatæ vitæ*, apud Laertium *Lib. X. segm.* 128.

Quod me delectat, eumque id mihi dulce videri
Non possit, quo comprimitur succensa libido,
Quin ego damnatam Venerem, quin furta maritis
Detestata sequor, fraudes artemque Sinonum,
Et rabidos Bromii patris, Evantumque furores?
Nam defraudari genium vetat alma Voluptas.
Ni potior votis, mihi tunc dolor ingruit ingens,
Et nequeo, si me dolor afficit, esse beatus.

§. IV. Fatetur quidem Epicurus, has corporis voluptates consequi dolores, perturbationesque, ac proinde Philosophicam vocem castamque, ut eas damnet, efferre videtur. At si intus, & in cute illa inspiciatur, non absolute hujusmodi voluptates damnat; at vult, iis modus imponatur, arte degustentur, ita ut percipiantur quidem, cupidoque animo satisfiat (cum in hac satisfactione summa consistat felicitas) sed tamen illud quid nimium, & illæ circumstantiæ evitentur, quæ proinde aliquid molestiæ, perturbationis, dolorisque afferre possunt, qui voluptatis, gaudiique percepti gradum aut superet, aut angat. Hoc Cardinalis de Poliniaco sententia est Epicuri verum systema; quæ numeris omnibus absolutissima voluptas mihi dici posse videtur. Et sane bonum summum, ejus judicio, consistit in animi gaudio, aut voluptate, ita ut quod placet, quo contentus est, quod allicit, quisque possideat. Si cuiquam liberales artes, studiumque, aut etiam pro ejus ingenio virtutis officia, mansuetudo, liberalitas, continentia placent, exerceat ea quidem, Epicurus ait; at *voluptatis causa*, inquit, *virtutes quoque esse eligendas, non propter se, sicuti & medicina propter sanitatem sumitur*. (Epic. apud Laert. Lib. X. seg. 137.). (Advertamque, apte ab Epicuro virtutum officia cum medicinis comparari, quæ non semper sumuntur, ut alii cibi, sed raro, nec sine fastidio.) Sin autem quis oblectationibus, & *titillationibus* corporis, sensuumque voluptatibus delectatur, eas percipiat quidem: *quævis* enim *voluptas*, Epicuri sententia, *bona* est. Perturbatio, vitiumque secundum ejus Ethicam est, I. Si quis credat, in hujusmodi titillationibus, motibusque, & non in gaudio firmo, tranquilloque, quod inde nascitur, felicitatem consistere; ut Brukerus Epicuri honestatis cæteroquin si quis alius propugnator acerrimus explicare videtur (*a*). II. In percipiendis his voluptatibus in hujusmodi circumstantiis, tantaque in quantitate, ut aut læsis civilibus legibus, aut aliena indignatione mota, aut sanitate corporis amissa, molestiæ, doloresque enascantur; quod ille omnium malorum maximum putat, & ideo ad illud evitandum quibusdam temporibus corporeas voluptates interdicit. Quas oblectationes cæteroquin (ut modo diximus) ait, bonas esse memoranda illa sententia, quam (*b*) Epicuri laudator maximus in notis ad præstantem Laertii suam Editionem Vesteinianam scelestam, perniciosamque esse fatetur. *Nulla per se voluptas mala est; sed efficientia quarumdam voluptatum longe plures turbas adferunt, quam voluptates*. (apud Laert. Lib. X. *inter ratas opiniones Epic.*) Quæ propositio, immo systema totum ab Epicuro eodem confirmari videtur iis verbis in Epistola ad Menoecum (apud Laert. Lib. X. segm. 129. Edit. Vestein.) *Non omnem voluptatem eligimus; verum sæpe plerasque trasgredimur, quando ex his major nos molestia sequitur; doloresque nonnullos voluptatibus præstare arbitramur, quandoquidem ex diutina toleratione dolorum major nos voluptas sequitur. Omnis itaque voluptas, eo quod naturam familiarem habet, bonum est: Non tamen eligenda omnis; sicuti & dolor omnis malum est, non tamen semper quivis repudiandus est*. Ex quibus omnibus facile deduci posse videtur, qualis revera, & quam corrupta Epicuri Ethica fuerit, & quanto jure in eam omnium ætatum Scriptores declamarint.

§. V.

(a) *Nihil in hoc peccat anima, nec quærit voluptatem corporis propter corpus, sed propter se, suamque tranquillitatem . . . . Vitium vero est, si nempe vel animam ad corporis moventem, non ad suam stabilem voluptatem tamquam ad ultimum finem respiciat, vel eas corporis voluptates anhelet, vel desideret, quæ veram mentis tranquillitatem turbant*. Brukerus Histor. Philosoph. par. II. Lib. II. cap. 13. num. 18. Ex hoc quod dicimus discerni potest horum extremorum verborum ambiguitas.

(b) *Aristippi eadem fuit opinio . . . . scelesta, & damnosa hæc opinio est*.

§. V. Vult tamen immortalis Gassendus, ne in antiquum Philosophum nigrum præfigamus theta, certo credens, Epicuri voluptatem nonnisi in virtute fuisse collocatam. Et sane quinta ex ejus propositionibus ab Laertio relatis erat hæc: *Non potest jucunde vivi, nisi prudenter, & honeste, ac juste vivatur: nec prudenter, & honeste, ac juste vivitur, nisi jucunde. Cui igitur non adest, ut prudenter, & honeste ac juste vivat, nec jucunde ille vivere potest*. (Apud Laert. Lib. X. segm. 140. Edit. Vesteins) Quid ad ostendendum, Epicurum voluptatem in virtute constituisse, clarius afferri potest? At hæc versipellis Græci ars est; quid enim unquam ille virtutis nomine sibi volebat? Num agnoscebat recti, honestique normam, sive regulam æternam? Num in rebus immutabilem ordinem nôrat, voluntati amandum, & cui affectus sui accommodandi essent, & ipsi adhærescendum, utcumque cupiditates; voluptatisque illecebræ, minaque malorum eam absterrere nitantur? Nihil sane minus. Virtutis nomine artem *sciendi voluptates* percipere, sciendi ex animo Dei, mortis, inferorumque metum propellere, sciendi molestias, simultates, supplicia, infirmitates subterfugere, oblectamenta at quam maxime exquisita, & quovis dolore, fastidioque vel dum percipiuntur, vel post, carentia degustare, Epicurus intelligebat. Hæc Epicureæ virtutis notio, præter ea, quæ diximus, perspici videtur in ejus altera, vel ipso Meibomio fatente (a), scelesta improbaque sententia, quæ ad justitiæ virtutem pertinet, talisque est: *Injuria per se malum non est, verum ob suspicionis metum, quod latere nequeat eos, qui hujusmodi sunt injustitia constituti vindices* (b). Ex his ergo apparet, ejus judicio mali mensuram non fuisse æterni ordinis læsionem, sed doloris, molestiæque sola consequentia: ex his apparet, justitiam, honestatem, prudentiam, quas ille necessarias ad jucunde vivendum dicit, nihil aliud esse nisi quamdam diligentiam, necessariosque modos ad vitanda tantum incommoda, pœnas, aliaque mala, quæ voluptates quavis ra-

P. Valsecchi de Fund. Relig. &c.

tione exacerbare possunt. Hæc voluptas ergo est Epicurearum virtutum scopus unus, finisque, quæ ab ipsa proficiscuntur, reguntur que ab illa (Vid. Cicer. *Lib. II. de Finib. cap. 22. & seq.*). At nobilissimum Poetam hæc omnia confirmantem (*Lib. I. vers. 471.*) audiamus.

Sunt qui Gassendo freti duce sic Epicurum
Defendant, nullum ut jactent genus unicos petitum
Esse voluptatis, nisi quod virtute paratur:
Hi fraudem ignorant virtutis nomine tectam;
Fallacique viro nimium patienter adhærent.
Nempe quid est virtus, quid honestas Judice Graio,
Quem verbis lusi tanto dignantur honore,
Tantis immeritum scribendo laudibus ornant?
An recti constans, atque obfirmata cupido
Contra delicias, & cuncta pericula contra,
Propositique tenax, vel cum malesuada voluptas
Obstiterit, terrorve, minantiaque ora Tyranni?
Non ita, sed placiti, quodcumque sit, integer usus
Absque dolore, metu, vel sollicitudinis umbra:
Illa supercilio rigidi sit digna Catonis.
Est, Epicure, tibi ridens, & blandula virtus,
Carpere delicias caute, vitaque fruisci:
Non quod honestum in se, pulchrum est, hoc tibi gratum,
Nam si esset, quid Socratico, quid Pythagoreo
Tramite distares, quid Religione severa?
Sed tibi quod gratum, sejuncta labe timoris,
Et cura, subito culpa vacat, atque decorum est.
Abs te non igitur posita in virtute voluptas,
Ast in ea Virtus: tantum ars est rite fruendi
Natura, non naturam ratione domandi.

§. VI. Specimen hoc Epicureæ Ethicæ ad id quod proposuimus probandum breviter sufficiat. Jam alibi diximus, nunquam melius moderatum Scepticismum adhiberi, quam cum de antiquorum Philosophorum opinionibus agitur non solum ob tempora, quibus floruerunt, adeo a nobis longinqua, sed ob monumentorum inopiam, ob varia Scriptorum, illas referentium consilia, studiaque, ob intellectus, quem quibusdam vocibus sub-

(a) Vide ejus notam ad sententiam 8. Epicuri apud Laert. L. X. segm. 141.
(b) Vid. Menagii animadversionem ad hanc sententiam, ubi magis ejus virus detegit. Sed præcipue legatur Grotius de *Jure Bel. & Pac. Lib. II. cap. 20. §. 44. num 4.*

jiciebant, vim; sed præcipue ob inconstantiam Philosophorum in suis cogitationibus, apertaque antilegomena, demum ex multis aliis hujusmodi rationibus, quæ omnia sapientem criticum coercere debent, ne in sententia ferenda nimium festinet. Quare qui secus Epicuri doctrinam interpretantur, explicantque, nihil de cultu illo, quo eos prosequimur, detractum volumus. Verisimilius, quod nos protulimus, nobis visum fuit; probabiliusque etiam redderemus, si commode omnia monumenta, quæ ad hanc gravissimam quæstionem pertinere possent, minutatim perscrutari, & examinare vacaret. Operæ pretium faciet, si majoris notitiæ cupidus leget præcipue duos primos Ciceronis Libros de *Finibus*, speramusque, eum nobiscum sensurum.

§. VII. Si tamen (inquiet quispiam) Epicuri Ethice perversa fuit, corruptaque, nihilo tamen minus *fuit bonus vir, comis, & humanus, & amicitias coluit*, ut testatur ipse Cicero (a): atque hoc est id, quod præcipue argumento suo Bælius intendit. Respondeo, systema hoc postulasse ab Epicuro, ejus indole considerata, & tempore, quo vivebat, hanc exteriorem vitæ rationem tamquam aptissimam ad fovendam augendamque *voluptatem*. Num autem hoc celebrandum sit veluti rectum, exemplarque virtutis, Judicem Bælium ipsum volo. Et sane im pie de divinitate Epicurus sentiebat; sed quia Socratis, aliorumque Philosophorum hujus criminis postulatorum meminerat, hinc ille, ut illa gravia vitaret infortunia, ut tranquille, quieteque Athenis viveret, non gravate templa invisebat, sacrificiis intererat, etiam libros de sanctitate scribebat (b), & ea palam commendabat, quæ clanculum, & cum amicis solutus cachinnis irridebat. Hujusmodi erat Epicuri sanctimonia. Nonne erat hac præstans virtus? Atque hoc (ut obiter id dicam) est, ex præcipuis nostrorum Spirituum Fortium præceptum, Religionem regionis exterius colere, ut omnes ærumnas evitent. Pergamus porro. Colebat Epicurus amicitias. At poteratne aliter facere, qui nihil aliud quam voluptatem curabat? Quæ incommoda, quæ molestiæ, quæ detrimenta ex simultatibus non derivantur? Quot commoda, quot oblectationes ex amicis non percipiuntur. Ostendendum esset, Epicurum amicos ex eorum merito tantum amavisse; vel ut Ciceronis verbis utar, accensum fuisse (c) *ea caritate, quæ amicitiam ipsam sua sponte, vi sua, ex se, & propter se expetendam faciat, non fructibus, & emolumentis, quæ in amantem derivantur*. Jam nunquam demonstrabitur, generis primi Epicuri amicitiam fuisse, sed fuisse secundi generis, ex ejus systemate videtur necessario consequi (*Vid. Cicer. ibid.*). Atque hoc nempe est dictatum secundum, quod audivimus nuper in quadam Libertinorum societate servari, qui curabant corpus unum constituere, & simul arctissimum fœdus custodiebant, & mutuo sibi opitulabantur: idque, ut rumor ferebat, non ex vera amicitia, sed ut ex mutuis exemplis in conscientiæ morsus animos sumerent, & invicem accenderentur ad hujusmodi vitæ rationem. Ad Epicurum revertamur. Peculiari modo a suis pedissequis propter edendi, bibendique continentiam commendatur, dicunturque frugalissima fuisse convivia, ad quæ discipulos, discipulasque invitabat. At credat Judæus Apella, Leontium, aliasque insignes meretrices & concubinas, quæ cum ejus discipulis in Epicuri hortis vivebant,

(a) *At coluit ipse* (Epicurus) *amicitias. Quasi quis illum neget & bonum virum, & comem, & humanum fuisse.... Sed quamvis comis in amicitiis tuendis fuerit, tamen si hæc vera sunt; nihil enim affirmo* (en num necessarius sit in Philosophica Historia Scepticismus) *non satis acutus fuit*. Cicer. de Finib. Lib. II. c. 25.

(b) *At etiam de sanctitate, de pietate adversus Deos libros scripsit Epicurus. At quomodo in his loquitur? ut Coruncanium, aut Scævolam Pontifices maximos te audire dicas*. Cicer. de Nat. Deor. Lib. I. 498: & hinc argumentum deducit, ut Epicurum extollat hominem, in quo, quamvis illud systema admiserit, inessent notiones præstantissimæ pietatis, & honestatis. Sed loco huic debebat addere, & alium Ciceronis locum in eodem Libro cap. 41. *At etiam liber est Epicuri de sanctitate. Ludimur ab homine non tam faceto, quam ad scribendi licentiam libero. Quæ enim potest esse sanctitas, si dii humana non curant?* o auream sententiam!

(c) *At vero si fructibus, & emolumentis, & utilitatibus amicitias colemus, si nulla caritas erit, quæ faciat amicitiam ipsam sua sponte, vi sua, ex se, & propter se expetendam, dubium est, quin fundos, & insulas amicis anteponamus?* Cicer. de Finib. Lib. II. c. 26.

vebant, pulmentario uno, & aqua contentas fuisse: esset hoc prodigium maxime admirandum a Philosophia patratum. Ego equidem lego, Lucianum, qui neque Stoicus erat, neque Platonicus, sed impius, ut Epicurus, (a) describentem cænam illam opiparam in campis Elysiis, cui egregios viros assedisse fingit, hæc dicere: *Porro Aristippus* (erat hic Cyrenaicorum Princeps) *& Epicurus* (advertatur societas) *primas apud illos tenebant cum iucundi, hilaresque essent, & compotores suavissimi*. (Lucian. veræ Histor. Lib. II. ex vers. Joan. Benedict. Amstel. 1687.). Seneca autem, qui vere Stoicus erat, concedit, ut plurimum parce Epicurum comedisse (& sane quis nescit, quot incommoda, quot dolores ex helluatione nascantur?) At ex illa parsimonia fame aucta, lauta convivia adibat, ubi quanta esse posset, quæ ex esu potuque haberetur *voluptas*, experiebatur (b). Hæc Epicuri virtus, ut lego, arrisit recenti Auctori, qui cum exquisitas consectaretur voluptates, hæc scribit; *aliud (c) molestiæ genus in ipsis voluptatibus sentimus... hujus nullum aliud remedium suppetit, nisi cupiditatibus nostris moderari, voluptatibusque prudenter, sapienterque frui. Ita nimirum Epicurus edendi appetitum exacuabat, vitabatque illud nimium, ut omnia incommoda, quæ ex intemperantia derivantur, effugeret*. Tantum abest, ut verum sit, quod Bælius ait, Epicurum Philosophum omnibus *exemplo fuisse*. Ejus egregia parsimonia nostris etiam temporibus in exemplum abiit. Num autem Luciani cænæ, aut Senecæ conviviorum instar convivia, cænæque essent, quas annis præteritis simul instituere quidam Libertini consueverant interdum, præsertimque cum quis in eorum numerum referebatur, affirmare non ausim. Joannes Tolandus ann. MDCCXX. impium libellum præferentem ficte Cosmopolis typos, titulumque, *Pantheisticon, sive formula celebrandæ sodalitatis Socraticæ* edidit, in quo quadam carmina recitanda, aut cantanda ab hac societate reperies, quæ impietatem suam expromunt, conveniuntque „ cum Epicuri opinionibus „ de perquirendis rerum caussis, ut quivis „ timor ex animo expellatur, vivaturque jucunde, decedaturque e vivis „ tranquille, superstitioque irrideatur (ita „ Religionem appellabant), odio habeantur Sacerdotes, inter ludos jocosque, & Philosophicos sermones vita „ ducatur; „ aliaque hujusmodi præcepta, post quæ se invicem ad exhaurienda pocula provocabant; ita ut hæc Atheistica Societas ab Auctore *de la Bibliotheque Angloise* (*Tom. VIII. part. 2. art. 1.*) *Bacchica societas* dicatur. Restat, ut etiam de Epicuri continentia, pluribus laudibus a recentioribus Apologistis celebrata, aliquid dicamus. Audivimus jam, quantum de illo Antiqui, & potissimum Athenæus obloquerentur. Tamen Stoicorum invidia hæc infanda monumenta, e quibus illius Philosophi infamia colligitur, quidam inventa volunt. Ideoque dicunt celebrem illam Leontium non Epicuri, sed Metrodori ejus discipuli eidem gratiosissimi pellicem fuisse (d). Tamen non gravate conceditur, hanc cum aliis pallacis, quæ eum Magistrum audiebant, una cum aliis discipulis illo in horto vixisse. Quod si ita est, Gassendus ita inquit candidus; *Verum ut contendere nolim rem se in illa consuetudine perinde habuisse, ut si quispiam marmoribus copulavisset marmora (puta cum magno temporibus illis non daretur vitio, si quis a se nihil humani alienum esse arbitraretur, ac damnatum solum haberetur a Philosophia* (hic meo quidem judicio veram honestatis, aliarumque Epicurearum virtutum

(a) Lucianus plurimi fecit Epicuri doctrinam, ut apparet ex *Pseudomante*; refertque, Alexandrum combussisse Epicuri Librum: & Lucianus excanduit.

(b) *Certos habebat dies ille magister voluptatis Epicurus, quibus maligne famem extingueret: visurus an aliquid deesset ex plena, consummataque voluptate, an quantum deesset*. Seneca. Epist. 18. Conferatur locus Epicuri superius allati Epist. ad Menœceum. *Non omnem voluptatem &c.* Vid. Thom. Gataker *in Proloq. ad Antonin.*

(c) *Nous eprouvons une autre sorte d'ennui, qui nous saisit au milieu des voluptés mêmes.... A cela je ne trouve point d'autre remede, que de moderer nos passions, & de menager nos plaisirs, avec une ingenieuse, & sage œconomie. C'est ainsi qu'Epicure reveilloit ses appetits par l'abstinence: & fuyoit tous les excès pour eviter l'incommodité de la debauche*. De l'usage de la vie. Inter Opera S. Evremontii T. VI. p. 53. *Edit. Londin.*

(d) *Potuerunt illæ feminæ cum Epicuro conversatæ uxores esse commorantium etiam cum illo familiarium.... Postremo quod Leontium non negetur fuisse Methrodori concubina, disquirendum esset, an id fuerit in horto, seu Epicureo contubernio indecorum*. Gassend. de Vit. & Morib. Epic. Lib. VII. cap. 5.

nobis notionem Gassendus dat) *si quispiam intemperanter, cumque legum, sanitatis, ac famæ dispendio sese venereis dederet*) *ita potuit tanta in illa conversatione esse moderatio, ut peccatum nihil fuerit adversus temperantiam: maximeque cum tanta illic coleretur sobrietas, quæ inimica est veneris, & cum ipse qui præerat, instituebatque, Epicurus sic continens foret, & adversus Venerea ita declamaret*, de Vit. & mor. Epic. Lib. VII. cap. 5. Continentem circa Venerea Brukerus (a) vult, nos certe credere, Epicurum fuisse, causasque affert & *animi ejus inclinationem ab isto fœminarum commercio, & corporis infirmitatem*, quæ non sinebat hujusmodi voluptates nisi magnis cum ærumnis eum percipere. E quidem reor, prudentem Lectorem ex his tantum, quæ diximus, per se cogniturum, cujusmodi fuerit, si modo fuit, hæc Epicuri continentia; & quam immerito eam Libertini celebrent. Et multo etiam magis, quia si multa contra Epicurum conficta ab ejus adversariis putant, neque minus credenda illa omnia sunt, quæ in ejus laudem Laertius scribit, *Historicus*, inquit Bentlejus (La Fripponerie Laique &c. Remarq. 48.) *suspectus hac in re, quia erat Epicureus, ac proinde ad magistrum laudibus extollendum adstrictus*.

§. VIII. Quamquam discipuli, qui ex illa palæstra prodierunt, satis, superque & Magistrum, & sectam dedecorant, evidenterque confirmant, quod Bælius concedere renuit, licentiam Impietatis esse assiduam comitem, scio, Ciceronem dicere (*Lib. II. de finib. c. 25.*), se multos hujusmodi cognovisse, de quibus honorifice loquitur; at quis nescit, fuisse hos vulgo abjectissimos? Elianus (*Vari. Hist. Lib. IX. c. 12.*) scribit hæc, *Romani Alceum, & Filiscum Epicureos ex urbe ejecerunt, quia multarum, flagitiosarumque libidinum auctores essent adolescentibus. Messenii etiam Epicureos expulerunt.* Quod etiam de Messeniis refert Athenæus (*Lib. XII. Dipnosoph.*). Neque vero, hos sui Præceptoris sanam Ethicam pervertisse, & corrupisse, dicant; quandoquidem primum vidimus, ipsam ex natura sua cuique perversitati viam stravisse, cum summum bonum, finemque ultimum in *voluptate poneret*. Deinde discimus a Numenio apud Eusebium (b), sectam nullam fuisse, quæ primas Magistri sui doctrinas per tot sæcula diligentius custodierit, & cujus Professores in ea tradenda tam concordes forent, quam Epicurei, qui ut Temistii (*Orat. IV.*) verbis utar, sententias voluptarii suorum hortorum Principis magis quam *Athenienses Solonis Leges, & Lacedæmones Lycurgi* jura venerabantur.

Ex hac igitur Schola duo e millibus egressi sunt præstantes Latini Poetæ Horatius, & Petronius Arbiter. Horatius Lyricorum Princeps gloriatur, se ex illo grege esse versiculis illis (*Lib. I. Ep. 4. extr.*)

Me pinguem, & nitidum bene curata cute vises,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum. (c)

Quantumque in eum nomen hoc, quod Epicuream profitebatur doctrinam, conveniret, nemo est qui ignoret; ipse enim pluribus in locis, Odum præsertim, palam facit. Alter quantum linguæ Latinæ nitore præstitit, tantum alios omnes in fandis turpitudinibus, quibus *Satyricon* suum refersit, superavit; & ex eo, quod Tacitus (quandoquidem viri doctissimi sen-

(a) *Nec a scortorum, quæ hortos Epicuri frequentasse negari non potest, conversatione Epicurus incontinentiæ accusari potest. Ut enim supra docuimus, & animi inclinatione abhorruisse illum ab isto fœminarum commercio, & corporis infirmitate fuisse inhabilem &c....* Hist. Philosoph. part. 2. Lib. 2. c. 17. n. 4. morbus, quo etiam Epicurus interiit, fuit calculus in vesica concretus.

(b) *Euseb. Præpar. Evang. Lib. XIV. cap. 5.* Leg. ibi locus Numenii Pythagorici, qui non potest esse ad rem nostram accommodatior.

(c) Meibomius Eruditissimus in suis notis ad Laertium, cum vellet defendere Epicurum, & cum aliquid molestiæ perciperet ex his Horatii versibus, ut indecoris Magistro, vult, non esse legendum *Epicuri de grege porcum*, sed *parcum*, immo vult Horatii editores hanc lectionem sequi. Vid. *Not. M. Meib. ad Lib. X. Laert. segm. 131. Edit. Amstel. 1692.* en ut quandoque bonus dormitat Homerus. Omnia eorum versuum verba quam naturaliter connectuntur cum voce *porcum*, tam per vim possunt detorqueri ad *parcum*. MSS. statuunt antiquam lectionem, eam confirmant editiones, versiones. Meibomius, quia id indecorum Epicuro est, vult eam immutari, nonne somniat?

sentiunt (a), eum esse, qui Lib. XVI. cap. 18. Annalium ab hoc Historico memoratur) scribit, cernimus, exquisitissimam *voluptatem* illum perquisivisse, & coluisse. Hic etiam fuit ex Epicuri schola, cujus impias de Deo, & anima sententias pluribus in locis tradit; quod autem ad turpitudines spectat, cum impudentissime quædam nefanda descripsisset facinora, se adversus æqua honestorum hominum convicia Patris sui Epicuri auctoritate tuetur, quem ita laudat (*Satyr. cap.* 122.)

Ipse pater veri doctus Epicurus in arte
Jussit, & hanc vitam dixit habere Deos. (b)

Ab his duobus Poetis non est sejungendus Lucretius, qui data opera Impii Græci Philosophi sententias Latio explicuit, quem summis laudibus extollit, Poemate præstantissimo cum artificio, tum dicendi elegantia. Bælius (*Diction. Critiq. Art. Lucrece. Remar. G.*) P. Brietio, qui Lucretium appellavit *turpissimis fœdatum moribus, quos nimis prodidit in suis versibus* (de Poet. Latin.) veniam dare nequit. Fatetur, eum quædam descripsisse (quæ pudice celanda erant) verbis valde obscœnis; aut eum purgat exemplo tractatuum, qui de medicina scribuntur; eumque hic sibi campum aperit, in quo tam sæpe exultat. Nos lubentes id inquirere prætermittimus, & ne cum illo de hoc congrediamur, manus potius dabimus. Hoc unum animadvertere contenti sumus, Lucretium initio sui Poematis nobis argumentum præbere, ut statuamus, quid revera nomine voluptatis (qua de re adeo indignabatur Cicero, quoties illi objiciebatur, eam illum ignorare) Epicurea Schola intelligeret, cum decus hujusmodi hic Poeta non virtuti, vel animi tranquillitati, aut jucunditati; sed *almæ veneri* adscribat, cujus verbis suo gymnasio dignis meritum, potentiamque cantat. Hi, ut innumeros alios missos faciam, illius Philosophi tam *boni exempli*, quem, ejusque sectam tantopere Bælius commendat, discipuli fuerunt. Hæc fuit disciplina cum contemplativa, tum actuosa ejus sectæ discipulorum, quæ Religionem, Deumque de medio tollebat. Quapropter miserum perfugium est Rotherodamensis Philosophi, cum ait, eos, qui vitiis suis aliquid dedecoris huic sectæ attulerunt, ex ejus schola vitia non didicisse. Nos etiam credimus, quicumque animum inducit ad impietatem profitendam, corrupto esse corde; at simul dicimus; qui prius mali erant e solo impetu cupiditatum, pejores in diem factos fuisse, & hujusmodi e systemate fieri. Ita responsum volumus Bælio, qui Epicurum veluti omnium Philosophorum veterum exemplar, & tamquam argumentum eorum virtutis nobis objicit, qui Religionem quamvis respuunt.

(a) Leg. *Dissertationes, & Præfationes variæ de vita, & scriptis T. Petronii Arbitri* adjectæ ad finem edition. Petri Burmanni *Trajecti ad Rhen.* 1709. & *Huetiana* §. 85. *Jugement de Petrone.*

(b) Apponam imaginem hujus Epicurei, quam L. XVI. c. 18. Annal. conficit Tacitus in qua & Magister, & multorum, qui eum sequuntur, exemplar cernentur. *De C. Petronio altius exordiar. Interdiu dormiebat, noctu agebat, vacabatque voluptatibus, ut alios industria, ita illum discernebat negligentia, facultates suas effundebat non in commessationes, effusionesque, ut plerique, sed in ingenio voluptatibus. Quo liberiora illius dictaque, factaque videbantur, & magis naturalia, eo magis, ut non perquisita, placebant. Proconsul in Bythinia, tum Consul fuit navus, sagaxque. Amplexatus vere, aut specie vitia fuit ex intimis. Fuit Magister voluptatum. Nullam tanta in copia percipiebat Nero, cujus Petronius Arbiter non esset. Ex quo invidit Tigellinus, eum secum competitorem esse, & voluptatum peritiorem Magistrum. Adhibens crudelitatem omnium cupiditatum in principe vehementissimam Libertum subornat, ut referat, Petronium esse e Scævini necessariis. Indicta causa familia pene omnis conjicitur in vincula, Cæsar forte venerat in Campaniam, & Petronius Cumas ingressus capitur. Non se occidit, venas incidi sibi jussit, & ligari, ut posset eas solvere; utitusque verbo facit, non gravia, neque virum constantem indicantia; voluitque sibi legi non de immortalitate animæ, non sapientium præcepta, sed jucunda carmina, quosdam libertos muneribus affecit, quosdam virgas cædi jussit; exiit, dormivit, ut mors violenta naturalis videretur, non ut quidam morientes adulatus est in testamento Neroni aut Tigellino; sed ad Cæsarem misit scripta omnia ejus turpia facinora cum omnibus inhonestis modis nomine Spadonum, & pelicum, ea obsignavit, annulumque fregit, ne aliis fraudi esset.* En hominem honestum Epicureo more-

CAPUT NONUM.

Sadducæorum ingenium. Casus Vaninii objecti a Bælio ut aliud argumentum Atheorum virtutis.

§. Alia duo exempla a Bælio, ut Impiorum integritatem demonstret allata nullo modo sunt nobis silentio prætereunda; præcipue cum illa & inaniter jactans, & falsa in aciem producere videtur. Antiquum unum est; nuperum alterum. Illud est Sadducæorum, hoc Vaninii. Ita de illis loquitur (*a*): *Fuit inter Judæos secta quædam, quæ palam animæ immortalitatem negabat: hi erant Sadducæi: nullibi reperio, hos tam male opinantes ceteris Hebræis turpius vixisse. Contra vero valde probabile est, Pharisæis, qui adeo de Divinæ legis observantia gloriabantur, fuisse honestiores.* Hoc argumentum duo errata continet, unum in *propositione*, in *consequutione* alterum. Error in propositione est error facti. Legatur Josephus Historicus, qui *Lib. II. de Bel. Judaic. c. 8. n. 14.* aperte doctrinam, moresque trium insignium inter Hebræos sectarum, hoc est Essenorum, Pharisæorum, & Sadducæorum explanat. Ait Essenos omnium esse optimos. Eorum pia opera, pudicitiam, Religionem, & præcipue constantiam, qua ne patrias leges violarent, immania supplicia, mortemque ipsam sunt perpessi, fusius narrat; significatque praeterea Historicus, hanc fortitudinem in iis fuisse, quod immortalitatem animæ, pœnasque, & præmia alterius vitæ credebant; quod non secus ac Esseni, pergit Josephus dicere, Græci credebant, nempe malis supplicia, probis præmia post vitæ interitum esse parata. Cum de disciplina, moribusque Essenorum copiose disseruerit, de doctrina, vitaque Pharisæorum, & Sadducæorum ratione verba facit, caputque de utraque secta loquens ita concludit: *Pharisæi sunt consortio sociabiles, curantque se mutuo amare. At Sadducæi moribus ferinis inter se sunt, versanturque cum sua secta hominibus non secus atque cum advenis* (*b*). Hoc idem de Sadducæis dicit Eusebius in sua Historia Eccl. *Lib. 2. c. 23.* ubi de Anano Pontifice Hebræo Neronis ætate loquens ait, *hominem hunc supra modum audacem, perfrictæque frontis fuisse e Sadducæorum secta*, qui, inquit Historicus, *in judiciis exercendis sunt* ca-

(a) *Il y a eu parmi les Juifs une secte, qui nioit ouvertement l'immortalité de l'âme: c'étoient les Sadducéens. Je ne vois pas qu'avec une opinion si detestable ils aient mené une vie plus corrompue que les autres Juifs; & il est au contraire fort vraisemblable, qu'ils etoient plus honnêtes gens que les Pharisiens, qui se piquoient tant de l'observation de la loi de Dieu.* Pens. Diverses. §. 174.

(b) Φαρισαῖοι μὲν φιλάλληλοί τε, καὶ τὴν εἰς τὸ κοινὸν ὁμόνοιαν ἀσκοῦντες. Σαδδουκαίων δὲ καὶ πρὸς ἀλλήλους τὸ ἦθος ἀγριώτερον, αἵ τε ἐπιμιξίαι πρὸς τοὺς ὁμοίους ἀπηνεῖς ὡς πρὸς ἀλλοτρίους.

cæterorum Judæorum immanissimi (*a*). Qui ergo dicere potest Bælius, eos *cæteris Judæis corruptiores non fuisse?* Cum Essenis ne conferendi quidem sunt: Pharisæis ipsi *minus honestiores* erant; illi enim humanitatem, benevolentiamque colebant, hi barbari erant, immanes, efferique. VVillemerus in *Dissertatione Philol. de Sadducæis* eorum pravos mores copiose describit, & præterquamquod eos crudelitatis accusat, illos etiam Horatii verbis *Epicuri de grege porcos* appellat; eosque improbe etiam sensisse probat de iis, quæ ad honestatem pertinent. Eorum defensionem Bælius studiose suscipit in Dictionario, neque vult, eos hujus criminis a Josepho illis non afficti insimulari; immo ex eorum ferocia dicendum esse, illos voluptuarios non fuisse. *Voluptuarii* enim, inquit ille, *sibi invicem indulgent, neque aliud quicquam cogitant, nisi ut commercii jucunditatem augeant, & quidquid imminuere possit oblectamenta, removeant* (*b*). Quanti hoc Bælii argumentum faciendum sit, Lector videt. Hospes prorsus sit, & peregrinus in Historiis oportet, qui nescit, quam sæpe cum efferatissima ferocitate conjuncta fuerit libido effusissima. Officiosa verba, quibus Caligula (*Sueton. in Caligula c. 33.*) scorta sua excipiebat, non sunt hujus monstrosæ junctionis argumentum unum. At id parum rei confert, neque nobis lubido est de Sadducæorum fœditate disceptandi. Satis habemus, si Bælium nolentem, eos cæteris Hebræis pejores fuisse, refellamus auctoritate & Josephi, & Eusebii scribentium, eos fuisse *moribus ferinis, & crudelibus*, & non modo Essenis, sed iisdem Pharisæis fuisse nequiores (*c*). Nonne est verbum cum male acceptum, tum a Spiritibus Fortibus repetitum dicere amicitiam *divinam virtutem* (*d*)? Nonne hoc nomine tantopere Epicurum laudare, & gloriari, se illam religiose colere, consueverunt? En Sadducæos acerrimos hujus *divinæ virtutis* hostes; non modo cum advenis, sed etiam cum suæ sectæ hominibus crudeles, ferosque; immo, ut aperte eos vocat Præclarus Rabbinus Abraham Zachut relatus a Drusio, *impios, & pessimis moribus præditos*, (*de Tribus sectis Judæor. Lib. III. c. 12.*) Quid ergo requiritur amplius, ut eos improbos, corruptosque dicamus.

§. III. Igitur hujus argumenti Bælii a Sadducæis sumpti proportio cum Historiarum veritate non convenit. Transeamus nunc ad consequutionem, quam ille deducere vult, cernemusque ex illa minus recte hanc proficisci. Ex Sadducæorum honestatis exemplo, quamvis opinionem de animæ interitu imbibissent, vult inferre, homines sine Religione honestos esse posse. At hæc consecutio, licet propositio vera esset, non est recta. Sadducæi siquidem eos honestatis stimulos habere poterant, quibus Athei, Deistæque carent. Etenim negabant quidem Sadducæi supplicia, præmiaque æterna alterius vitæ; at credebant, Deum suæ legis cultores præmiis, violatores pœnis temporariis remunerari, sicut per Moysem fuerat pollicitus in Pentateucho, quem Librum tam-

(a) Ὁ δὲ νεώτερος Ἄνανος .... θρασὺς ἦν τὸν τρόπον, καὶ τολμητὰς διαφερόντως. αἵρεσιν δὲ μετῄει τῶν Σαδδουκαίων, οἵπερ εἰσὶ περὶ τὰς κρίσεις ὠμοὶ παρὰ πάντας τοὺς Ἰουδαίους.

(b) *Les voluptueux ils ont une grande complaisance les uns pour les autres; ils ne travaillent, qu'à multiplier les douceurs de leur commerce, ils en bannissent tout ce qui en peut diminuer les agremens.* Diction. Crit. art. *Sadduceens*. Rem. D.

(c) Moshemius in commentariis *De rebus Christianorum ante Constantinum M.* in Prolegom. cap. II. §. 13. sapienter advertit, quomodo durities, & immanitas Sadducæorum (de qua loquuntur Josephus, & Eusebius) derivabatur ex eorum sectæ capite præcipuo. Nam inquit ille. *Quum legem Mosis divinitus datam esse confiterentur Sadducæi, concedendum quoque illis erat, obedientibus præmia promissa esse a Deo, malis, & improbis pœnas decretas: Quum vero animas interire cum corpore crederent, hoc unum illis relictum erat, ut Deum vitæ hujus bonis, & commodis probitatem remunerari, morbis vero, ignominia, paupertate, aliisque malis improbitatem ulcisci statuerent.* Quapropter *eodem ex fonte nasci debebat inhumanitas erga eos, qui alienæ opis indigebant, & cum adversa fortuna colluctabantur. Quoniam enim bonis bene omnia in hac vita evenire ducebant, malis autem male: pauperes, & miseros existimare debebant Deum criminibus offendisse, justamque ejus ultionem sentire; facinorosis autem & Dei hostibus opem ferre, pœnisque divinitus inflictis beneficiis suis modum imponere vallo æque remotum a ratione, atque a religione videbatur. Igitur cum duri, asperi, & immites essent, pii sibi Deique amantes videbantur.* Leg. idem auctor de *voluptate eorumdem* Sadducæorum.

(d) *L'Amitiè la plus divine de toutes les vertus, qu'Epicure posseda lui meme à un tel point de perfection &c.* Collins. Disc. de la libertè de pens. 189.

tamquam divinum, & secundum litteram intellectum Sadducæi venerabantur. Hic erat stimulus, quo gens illa corporea meta poterat pietatis officia exercere, sicut revera Joannes Gerardus Vossius (*de Theolog. Gentil. Lib. I. cap. 10.*), & Lightfootus (*a*) putant, & Bælius in suo Dictionario concedit (*b*). *Hæc opinio*, inquit ille, *potest esse stimulo, frenoque: potest impellere ad bonum spe terrei commodi, & propensionem ad malum temporariarum pœnarum metu coercere.*

§. III. Ex his potest quisque facile cognoscere, Sadducæorum exemplum ab eo allatum in suo de *pensèes diverses* Libro, Atheorum, Deistarumque, in quibus hæ causæ locum non habent, honestatem minime probare. Ita tamen Bælius non sentit. Postquam probavit, causas terrearum vicissitudinum potuisse *maxinnopere*, *immo fortius quam longinquorum bonorum, & malorum doctrinas* Sadducæos permovere, ut honeste viverent, paullo post Logica sua Pyrrhonica hujusmodi effatum evertit, & tamquam *probabiliorem* eorum opinionem affert, qui putant (*c*) *generatim loquendo, veram præcipuamque Religionis vim quoad virtutem in æternarum pœnarum, præmiorumque persuasione consistere; ac proinde si animæ immortalitatis dogma tollatur, causam validissimam, quam Religio habet, de medio auferri.* Quam sententiam duobus argumentis probat. Jam nos hoc uno contenti erimus, & ita in Scepticum nostrum disputabimus. Si doctrina animæ immortalitatis causa est fortissima, quam Religio habere possit, ut accendat homines ad virtutem, cur ergo tot suorum operum in locis ait, impios, qui doctrinam hanc irrident, causamque hanc validissimam respuunt, ad virtutem ferri? Urgeamus argumentum, responsumque præoccupemus. Si persuasio, Deum omnipotentem, regentemque omnia in hac vita bonos præmiis afficere, & reos punire, causa apta non est, ut Sadducæus, qui animæ immortalitatem negat, virtutem colat, qui credi poterit, virtute præditos futuros eos in quibus, quavis Religione neglecta, causæ aliæ non sunt nisi Principis timor, laudisque amor, aut aliæ hujusmodi alibi memoratæ? Audiamus tamen quomodo Scepticus disputationi finem imponat; conjiciatque prudens Lector hujus hominis ingenium, qui ut tenebras veritati offundat natus vere videtur. *Ut aliquando* (*d*) *desinam*, ajo, *negari non posse, hominem, qui sibi persuadeat, divinam justitiam pœnas, præmiaque in hac tantum vita impertiri, & simul cum vita nos interire, non posse Religionis causa malum fugere, bonumque amplecti.* Factum bene: nihil ulterius postulo, ut pro me concludam: ita enim argumentor. Sadducæos ergo e systemate stimulus aliquis ad virtutem impellit, qui neque in Deistis, neque in Atheis inest. Igitur Sadducæorum exemplum allatum a Bælio in suis *pensèes* nihil omnino Impiorum honestatem probat. At pedetentim; nondum siquidem desiit. Ita ergo dicere pergit. (*e*) *Sed eodem tempore dicendum est, ita parum probabile esse, sensum hujusmodi vim aliquam in natura nostra pravitatem habere, ut immo causa subsit, cur credamus, Sadducæorum sectam verum Religionis fundamentum evertisse, Sadducæique bonos mores exemplum moralis honestatis cum impietate conjunctionis duci potuisse.* Hæc omnia mihi tenebræ sunt. Tentemus tamen num eas dissipare

(a) In Actib. Apostol. 3. 23. v. 58. *Quorsum hæc Religio* Sadducæi *ut obtineat scilicet temporalia, quorum solam promissionem observat ille factam in lege, nihil rimans ultra litteram.*

(b) *Cette opinion parois très-capable de servir de frein, e d'èperon: elle peut pousser au bien par l'esperance d'un bonheur terrestre, & reprimer par la peur des châtimens temporels le panchant au mal.* Dict. Crit. Art. Sadduc. Rem. E.

(c) *Ceux qui approfondissent la chose, en jugent d'une autre façon. Ils croient, que generalement parlant la veritable, & la principale force de la Religion, par rapport a la pratique de la vertu, consiste à ètre persuadè de l'eternitè des peines, & des recompenses; & que ainsi en ruinant le dogme de l'immortalitè de l'ame, on casse les meilleurs ressorts de la Religion.* Ibid.

(d) *Pour finir je dis, qu'on ne peut nier, qu'en cas, qu'un homme soit fortement persuadè, que la justice Divine distribue les peines & les recompenses seulement dans cette vie, & que toute notre destinèe se termine là, il ne puisse s'abstenir du mal, & se tourner vers le bien par un motif de Religion.* Ibid.

(e) *Mai en même tems il faut dire, qu'il y a si peu d'apparence, qu'un tel sentiment ait quelque force contre la depravation de notre nature, que l'on est fondè à soutenir, que la Secte Sadducèene detruisoit les vrais appuis de la Religion, & que la bonne vie d'un Sadducèen peut passer pour une espèce d'exemple de la combinaison de l'honnêteté morale, & de l'impietè.* Ibid.

e possimus, ut quidnam recte deduci possit, videamus. *Parum probabile est, hujusmodi sensum vim aliquam in natura nostra pravitatem habere*. Concedatur: *causa ubest, cur credamus, Sadducaeorum sectam verum Religionis fundamentum evertisse*. Hoc quoque detur. At ex his quid naturaliter consequitur? hoc nimirum, ni toto coelo fallor. Ergo est maxime probabile, quod auctoritate Josephi diximus, adducaeos fuisse homines improbos perditosque, utpote in quibus poenarum, praemiorumque in hac vita sensum nullam vim in eorum naturae pravitatem abuerit, quin etiam maxime probabile st, fuisse omnium Judaeorum nequissimos, a quibus *verum Religionis fundamentum*, oc est animae immortalitatis, & praemiorum suppliciorumque alterius vitae doctrina inerat. Hoc naturaliter, & verisime ex illis propositionibus consequitur. Quod si ita est, ergo quod addit Baelius, l est *Sadducaei bonos mores exemplum moraes honestatis cum impietate conjunctionis dupotuisse*, falso principio refutato quoad istum auctoritate Josephi, & labefacta quoad *jus* iisdem suis propositionibus, ab iis, quae alibi demonstravimus, fultur. Longius fortasse huic materiae magni momenti sumus immorati; hoc tamen ivet ad ostendendum iis, qui Baelii Operum notitiam non habent, quale sit ejus genium, & quae scribat, Ille, ut alibi iximus,

iruit, adificat, mutat quadrata rotundis;

Rationes pro parte hac, & in ipsam ibet in statione paratas; ita tamen ut disputationis fine veritatis, Religiosque causa vel prodatur, vel contunitur, Lectorque incautus, quin advertat, irretiatur.

§. IV. Transeamus nunc ad aliud exemplum a Baelio propositum; magnaque e spes tenet, fore, ut hinc quoque, ide ille pro injusta causa sua argumentum deducere vult, magis magisque veritatem illustratam, confirmatamque Lector intelligat; hoc est cordis corrupte lam fontem esse, notamque individuam impietatis. Afferamus Baelii verba. *Detestabilis Vaninius* (a) *Tolosa combustus Atheismi causa* Ann. MDCXIX. *bonis moribus semper fuit, & quicumque in eum capitis anquirendi munus suscepisset de quacumque alia re prater Fidem, periculum subiisset ne calumnia fuisset convictus*: Requiret fortasse Lector, quae hujus facti argumenta Baelius afferat, & a quibus testimoniis notitiam bonorum hujus Impii morum hauserit. Nihil horum ille affert, sed expudorata facie effutit quidquid sibi in buccas venit. Ille, qui censoria virga tam severe vexat alios, postulat ut quibuslibet verbis suis de facto, quod saeculo antequam ille scriberet, contigit, fidem praestemus. Pervolutemus ergo nos eorum temporum monumenta, eaque a Baelio dictis num consonent, examinemus. *Bartholomaeus Gramondus* tunc praeses Tolosae erat. Impii Vaninii casum suismet oculis vidit. Ille eum narrat Lib. III. suae Historiae, & de moribus ejus loquens pag. 209. ita ait. *Vidi* (Vaninium) *ego in custodia, vidi in patibulo, vidi antequam subiret vincula: Flagitiosus in libertate, & voluptatum sectator avidus, in carcere Catholicus; in extremis omni Philosophia prasidio destitutus, amens moritur*. Ita Gramondus: cujus auctoris testimonii gravissimi alia loca etiam inferius afferemus, quae veram Vaninii faciem nobis referent. Historicus tamen vitae hujus impii Rotherodami typis impressae an. 1717. (b) locum quemdam Patris Merseni, qui tum Lutetiae Parisiorum vivebat, exscribit de hujus moribus, qui in suo ad Genesim Commentario de Atheis loquens haec ait. *Sic enim eos passim audire potes, cum ajunt, se nihil contra suam conscientiam facere, se lumen rationis in omnibus sequi, se malle mori, quam pejerare, quam ullum velle decipere; at revera mentiuntur. Nec enim existimate ullum unquam hominem Atheo pejorem inventum iri; quod exemplo Vaninii Atheorum Cesaris testatum facere possumus, qui ne moechator existimaretur καταπυγωνίστερος esse maluit; licet aliquando nomen suum alicui sanctissima Religiosorum Congregationi dedisset,*

(a) *Le detestable Vanini qui fut brulé a Toulose pour son Atheisme l'an 1619. avoit toujours de tres reglé dans ses moeurs: & quiconque eut entrepris de lui faire un procès criminel sur toute autre chose que sur ses dogmes, auroit couru grand risque d'être convaincu de calomnie*. Pens. div. §. 173.
(b) *La vie, & les sentimens de Lucilio Vanini* 1717.

tamquam divinum, & secundum litteram intellectum Sadducæi venerabantur. Hic erat stimulus, quo gens illa corporea mota poterat pietatis officia exercere, sicut revera Joannes Gerardus Vossius (*de Theolog. Gentil. Lib. I. cap.* 10.), & Lightfootus (*a*) putant, & Bælius in suo Dictionario concedit (*b*). *Hæc opinio*, inquit ille, *potest esse stimulo, frænoque: potest impellere ad bonum spe terreni commodi, & propensionem ad malum temporariarum pœnarum metu coercere.*

§. III. Ex his potest quisque facile cognoscere, Sadducæorum exemplum ab eo allatum in suo de *pensées diverses* Libro, Atheorum, Deistarumque, in quibus hæ causæ locum non habent, honestatem minime probare. Ita tamen Bælius non sentit. Postquam probavit, causas terrearum vicissitudinum potuisse *maximopere, immo fortius quam longinquorum bonorum, & malorum doctrinas* Sadducæos permovere, ut honeste viverent, paullo post Logica sua Pyrrhonica hujusmodi effatum evertit, & tamquam *probabiliorem* eorum opinionem affert, qui putant (*c*) *generatim loquendo, veram præcipuamque Religionis vim quoad virtutem in æternarum pœnarum, præmiorumque persuasione consistere; ac proinde si animæ immortalitatis dogma tollatur, causam validissimam, quam Religio habet, de medio auferri.* Quam sententiam duobus argumentis probat. Jam nos hoc uno contenti erimus, & ita in Scepticum nostrum disputabimus. Si doctrina animæ immortalitatis causa est fortissima, quam Religio habere possit, ut accendat homines ad virtutem, cur ergo tot suorum operum in locis ait, impios, qui doctrinam hanc irrident, causamque hanc validissimam respuunt, ad virtutem ferri? Urgeamus argumentum, responsumque præoccupemus. Si persuasio, Deum omnipotentem, regentemque omnia in hac vita bonos præmiis afficere, & reos punire, causa apta non est, ut Sadducæus, qui animæ immortalitatem negat, virtutem colat, qui credi poterit, virtute præditos futuros eos in quibus, quavis Religione neglecta, causæ aliæ non sunt nisi Principis timor, laudisque amor, aut aliæ hujusmodi alibi memoratæ? Audiamus tamen quomodo Scepticus disputationi finem imponat; conjiciatque prudens Lector hujus hominis ingenium, qui ut tenebras veritati offundat natus vere videtur. *Ut aliquando* (*d*) *desinam, ajo, negari non posse, hominem, qui sibi persuadeat, divinam justitiam pœnas, præmiaque in hac tantum vita impertiri, & simul cum vita nos interire, non posse Religionis causa malum fugere, bonumque amplecti.* Factum bene: nihil ulterius postulo, ut pro me concludam: ita enim argumentor. Sadducæos ergo e systemate stimulus aliquis ad virtutem impellit, qui neque in Deistis, neque in Atheis inest. Igitur Sadducæorum exemplum allatum a Bælio in suis *pensées* nihil omnino Impiorum honestatem probat. At pedetentim; nondum siquidem desiit. Ita ergo dicere pergit. (*e*) *Sed eodem tempore dicendum est, ita parum probabile esse, sensum hujusmodi vim aliquam in natura nostra pravitatem habere, ut immo causa subsit, cur credamus, Sadducæorum sectam verum Religionis fundamentum evertisse, Sadducæique bonos mores exemplum moralis honestatis cum impietate conjunctionis duci potuisse.* Hæc omnia mihi tenebræ sunt. Tentemus tamen num eas dissipare

(a) In Actib. Apostol. 3. 23. v. 58. *Quorsum hæc Religio* Sadducæi *ut obtineat scilicet temporalia, quorum solum promissionem observat ille factam in lege, nihil rimans ultra litteram.*

(b) *Cette opinion paroit très-capable de servir de frein, e d'éperon: elle peut pousser au bien par l'esperance d'un bonheur terrestre, & reprimer par la peur des châtimens temporels le panchant au mal.* Dict. Crit. Art. Sadduc. Rem. E.

(c) *Ceux qui approfondissent la chose, en jugent d'une autre façon. Ils croient, que generalement parlant la veritable, & la principale force de la Religion, par rapport a la pratique de la vertu, consiste à être persuadè de l'eternitè des peines, & des recompenses; & que ainsi en ruinant le dogme de l'immortalitè de l'ame, on casse les meilleurs ressorts de la Religion.* Ibid.

(d) *Pour finir je dis, qu'on ne peut nier, qu'en cas, qu'un homme soit fortement persuadè, que la justice Divine distribue les peines & les recompenses seulement dans cette vie, & que toute nôtre destinèe se termine là, il ne puisse s'abstenir du mal, & se tourner vers le bien par un motif de Religion.* Ibid.

(e) *Mai en même tems il faut dire, qu'il y a si peu d'apparence, qu'un tel sentiment ait quelque force contre la depravation de notre nature, que l'on est fondè à soutenir, que la Secte Sadducèenne detruisoit les vrais appuis de la Religion, & que la bonne vie d'un Sadducèen peut passer pour une espéce d'exemple de la combinaison de l'honnêtetè morale, & de l'impietè.* Ibid.

re possimus, ut quidnam recte deduci possit, videamus. *Parum probabile est, hujusmodi sensum vim aliquam in natura nostra pravitatem habere*. Concedatur: *causa subest, cur credamus, Sadducaeorum sectam verum Religionis fundamentum evertisse*. Hoc quoque detur. At ex his quid naturaliter consequitur? hoc nimirum, ni toto coelo fallor. Ergo est maxime probabile, quod auctoritate Josephi diximus, Sadducaeos fuisse homines improbos perditosque, utpote in quibus poenarum, praemiorumque in hac vita sensum nullam vim in eorum naturae pravitatem habuerit, quin etiam maxime probabile est, fuisse omnium Judaeorum nequissimos, in quibus *verum Religionis fundamentum*, hoc est animae immortalitatis, & praemiorum suppliciorumque alterius vitae doctrina inerat. Hoc naturaliter, & verissime ex illis propositionibus consequitur. Quod si ita est, ergo quod addit Baelius, id est *Sadducaei bonos mores exemplum moralis honestatis cum impietate conjunctionis duci potuisse*, falso principio refutato quoad *factum* auctoritate Josephi, & labefactato quoad *jus* iisdem suis propositionibus, & ab iis, quae alibi demonstravimus, fulcitur. Longius fortasse huic materiae magni momenti sumus immorati; hoc tamen juvet ad ostendendum iis, qui Baelii Operum notitiam non habent, quale sit ejus ingenium, & quae scribat. Ille, ut alibi diximus,

Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis;

Rationes pro parte hac, & in ipsam habet in statione paratas; ita tamen ut in disputationis fine veritatis, Religionisque causa vel prodatur, vel confundatur, Lectorque incautus, quin advertat, irretiatur.

§. IV. Transeamus nunc ad aliud exemplum a Baelio propositum; magnaque me spes tenet, fore, ut hinc quoque, unde ille pro injusta causa sua argumentum deducere vult, magis magisque veritatem illustratam, confirmatamque Lector intelligat; hoc est cordis corruptelam fontem esse, notamque individuam impietatis. Afferamus Baelii verba. *Detestabilis Vaninius* (a) *Tolosa combustus Atheismi causa* Ann. MDCXIX. *bonis moribus semper fuit, & quicumque in eum capitis anquirendi munus suscepisset de quacumque alia re praeter Fidem, periculum subiisset ne calumnia fuisset convictus*: Requiret fortasse Lector, quae hujus facti argumenta Baelius afferat, & a quibus testimoniis notitiam bonorum hujus Impii morum hauserit. Nihil horum ille affert, sed expudorata facie effutit quidquid sibi in buccas venit. Ille, qui censoria virga tam severe vexat alios, postulat ut quibuslibet verbis suis de facto, quod saeculo antequam ille scriberet, contigit, fidem praestemus. Pervolutemus ergo nos eorum temporum monumenta, eaque a Baelio dictis num consonent, examinemus. *Bartholomaeus Gramondus* tunc praeses Tolosae erat. Impii Vaninii casum suismet oculis vidit. Ille eum narrat Lib. III. suae Historiae, & de moribus ejus loquens pag. 209. ita ait. *Vidi* (Vaninium) *ego in custodia, vidi in patibulo, vidi antequam subiret vincula: Flagitiosus in libertate, & voluptatum sectator avidus, in carcere Catholicus; in extremis omni Philosophia praesidio destitutus, amens moritur*. Ita Gramondus: cujus auctoris testimonii gravissimi alia loca etiam inferius afferemus, quae veram Vaninii faciem nobis referent. Historicus tamen vitae hujus impii Roterodami typis impressae an. 1717. (b) locum quemdam Patris Merseni, qui tum Lutetiae Parisiorum vivebat, exscribit de hujus moribus, qui in suo ad Genesim Commentario de Atheis loquens haec ait. *Sic enim eos passim audire potes, cum ajunt, se nihil contra suam conscientiam facere, se lumen rationis in omnibus sequi, se malle mori; quam pejerare, quam ullum velle decipere; at revera mentiuntur. Nec enim existimate ullum unquam hominem Atheo pejorem inventum iri; quod exemplo Vaninii Atheorum Caesaris testatum facere possumus, qui ne moechator existimaretur κατανωγωνιτερος esse maluit; licet aliquando nomen suum alicui sanctissimae Religiosorum Congregationi dedisset*,

(a) *Le detestable Vanini qui fut brulé a Toulose pour son Atheisme l'an 1619. avoit toujours de assez reglé dans ses moeurs: & quiconque eut entrepris de lui faire un procès criminel sur toute autre chose que sur ses dogmes, auroit couru grand risque d'être convaincu de calomnie*. Pens. div. §. 173.

(b) *La vie, & les sentimens de Lucilio Vanini* 1717.

set, qua statim illum ut verum monstrum evomuit. Mersen. Comment. in Genes. p. 671. Merseni testimonio addit Auctor modo dictus Vaninii vitæ loca, & quidem prolixa, sumpta ab Opere P. Garassi inscripto *Doctrine curieuse*, quod in Libertinos scripsit, & ubi hujus impii improbitas atris coloribus illinitur. Sed pro nobis in Bælium, qui pro Athei sui honestate nullum affert monumentum, testimonia superius producta, Præsidis Gramondi præcipue valeant, quem notas omnes, ad fidem sibi conciliandam habere credimus; quippe qui testis fuit oculatus, auritusque, qui causam nullam, cur sibi esset mentiendum habuit, & cujus conditio, dignitasque dubitandi locum nullum relinquere videtur. Quapropter ii omnes, qui de Atheo illo agunt, hunc sequuntur; inter quos recenseri potest Antonius Rheiserus *De Origine, progressu, & incremento Atheismi pag. 246.* Auctor vitæ jam memoratus, P. Niceronus Tom. XXVI. ut prætermittam Schrammium, Clarozium, & alios, quos numerat Buddæus *Traité de l' Atheisme, & de la superstition chap. I.* §. 24. Ad testium auctoritatem de flagitiosis Vaninii moribus auctoritas quavis exceptione major accedit, suntque *ejus Dialoghi ita obsceanitatis, profanorumque jocorum pleni, ut ejus accusationem verisimillimam reddant*; inquit (*a*) Auctor ejus vitæ, qui in hujusce rei confirmationem loca quædam affert, quæ turpe ingenium, inhonestaque facinora perditissimi hominis patefaciunt.

§. V. Satis Bælius saltem habuisset conari Vaninium suum ab impietatis scelere purgare; neque præterea eum veluti *Atheismi Martyrem* (*b*), Heroem honestatis amantissimum, cujus virtutis amore impulsus non modo quamvis voluptatem, & emolumentum, sed vitam ipsam contempserit, laudibus extollere voluisset. Ne quis credat hæc a me fingi, Auctoris locum afferam. (*c*) *Cogitanti mihi, Atheismum habuisse Martyres suos, nullus dubitandi locus est, quin Athei honestatis notionem sibi efforment, quæ magis, quam utilitas, & oblectatio eos moveat. Unde enim factum est, ut Vaninius impendenter doctrinam suam iis prædicaverit, a quibus poterat accusari? Si nil aliud, quam utilitatem suam quærebat, contentus sua conscientiæ tranquilla pace esse debebat, quin discipulos habere vellet; si secta caput esse, si ab Inferorum metu mortales liberare, quo credebat eos importune vexari, avebat, argumento hoc est, sibi persuasum fuisse, præstandum sibi esse munus hoc hominibus, fuisse arbitratum, honestum esse, pro hominibus labores non solum cum nostro detrimento, sed etiam cum nostei capitis discrimine nos exantlare*. Equidem inducere animum non possum, ut credam, Bælium hæc scribentem reputasse cuivis alii Lectorum generi, quam turpibus, imperitisque adolescentibus se scribere, quibus, ut magis in suo jucundo errore confirmarentur, etiam apertissima sophismata arridere deberent. Fieri enim non potest (nisi communem sensum tunc repudiarat) suorum verborum falsitatem eum non vidisse. Sed ad rem veniamus, & hanc Heroicam *Vaninianam* fortitudinnem explicemus; non aliis tamen theoriis, quam iis, quibus Bælius ipse alibi non æstu abreptus causam aperit, qua Libertini ad disseminandam impietatem, seu Atheismum feruntur. Locus est in Dictionario (*d*). *Est admodum probabile, eos, qui*

(a) *Enfin les dialogues mêmes remplis d' obsenitès, & de tours profanes ne le rendent, que trop vraisemblable*. Vie p. 209.

(b) In partem tituli §. 182. de Pens. divers. *L' Atheisme ayant eu des Martyrs, c' est une marque indubitable, qu' il n' exclus pas les idèes de la gloire, & de l' honnêteté*.

(c) *Quand je considere, que l' Atheisme a eu des Martyrs, je ne doute plus, que les Athées ne fassent une idée de l' honnêteté, qui a plus de force sur leur Esprit, que l'utile, & que l'agréable. Car d' où vient, que Vanini s' est indiscretement amusè à dogmatiser devant des personnes, qui le pouvoient deferer à la justice? S' il ne cherchoit que son utilitè particuliere, il devoit se contenter de jouir tranquillemment d' une parfaite securitè de conscience, sans se soucier d' avoir des disciples. S' il a voulu se rendre chef de parti: s' il a voulu delivrer les hommes de la crainte des Enfers, dont il croyoit, qu' ils etoient importunès mal à propos, c' est un signe, qu' il s' est cru obligè à rendre service à son prochain, & qu' il a jugè, qu' il est honnête de travailler pour nos semblables non seulement à notre prejudice, mais aussi au peril de notre vie*. Pens. divers. §. 182.

(d) *Il est assez apparent, que ceux qui affectent dans les compagnies de combattre les veritès les plus communes de la Religion, en disent plus qu' ils n' en pensent. La vanitè a plus de part à leur disputes, que la conscience. Ils s' imaginent, que la singularitè & la hardiesse des sentimens qu' ils soutiendront, leur procurera la reputation de grands esprits . . . . Ils se font donc peu à peu une habitude*

de

qui in concionibus clarissimas Religionis veritates oppugnare gestiunt, plura dicere cogitatis. Plus ostentationis in eorum disputationibus inest, quam persuasionis. Credunt, ex audacibus, & singularibus sententiis, & aliis diversis se famam magnorum virorum consequuturos . . . . Pedetentim ergo impie loqui consuescunt; & si vivendi licentia ad eorum circulatoriam jactationem accedat, velocius spatium corripiunt. Perversa consuetudo hac contracta hinc ab jactatione, inde a libidine, educationis disciplinam infirmat, hoc est veritates in adolescentia imbibitas de Divinitate, de Paradiso, de Inferis sopit; at hac non est fides extincta, est ignis suppositus cineri. Sentiunt ejus vim, quoties in se descendunt, tum pracipue, cum in aliquo discrimine versantur. Tunc etiam de se desperant. Recordatio se ostentasse majorem contemptum, quam quem ex animo haberent, rerum Sacrarum, & ita curasse, ut excuterent hujusmodi jugum, eos anxios quam maxime habet. Neminem unquam virum gravem, voluptates, ostentationemque abhorrentem vidimus, qui prædicandæ impietati se dederit &c.

Quo nunc abiit Heroica Vaninii virtus, notio illa superna honestatis, amor ille gratuitus, sincerusque, qui eum impellebat ad labores pro suis similibus suscipiendos, elaborandumque, ut eos ab Inferorum formidine vindicaret, qua illos vexatos injuste credebat, quo abiit? Somnia, deliriaque sunt hæc. Bælius ipse respondet: Vir gravis, alienusque a voluptatibus, & ostentatione bellum Deo non infert, neque aliis animos facit, ut divinas leges conculcent, ejusque Numen maledictis lacessant. Vaninius ergo erat sui plenus, erat facinorosus, avideque voluptatem sectabatur: & hæ nimirum sunt notæ illæ, quas ei Auctores inurunt. Hinc ergo ostentatione duce, illinc luxuria, impie de rebus sacris loquutus est, ita studens & magni viri nomen aucupari, & excutere, si fieri posset, iterando sophismata Religionis jugum, quæ ejus infandis moribus maxime adversabatur. Hic ejus sermonum ejusque *laborum pro sibi similibus* fons erat, hoc est cura famam sibi conciliandi, seque si non omnino confirmandi, saltem majorem constantiam, animumque in impietate perseverandi ex eo quod plures eam amplecterentur, sumendi.

§. VI. Neque vero quis reponat (ut Bælii argumentum sequamur), eum errorem suum patefecisse iis, qui ejus nomen deferre ad judicem poterant, quasi vero hoc in illo Heroicam fortitudinem demonstraret. Virtus hæc Heroica nihilo major est fortitudine illius, qui alienum in thalamum insilit, haud ignarus, se posse ibi deprehendi, & a viro sui dedecoris ultore occidi; aut de Principe detrahentis coram iis, qui possint in eum illius furorem inflammare. Sicut amor, & ira, & imprudentia periculi timore in his major est, ita ostentatio & libido impium hunc, de quo sermo est, imprudentem, temerariumque in loquendo reddebant. Huc etiam accedunt amicorum plausus, impunitasque aliorum improborum, quæ omnia spem ejus augebant, ita ut se tutum futurum crederet. Hæc erat jactantiæ Vaninii, Libertinorumque nostrorum petulantiæ causa est, vel ipso ense, a quo plecti possunt, frustra proposito; non autem illa, quam Bælius protulit, honestatis inanis amor, neque acutus ille stimulus, ut hoc generi humano munus præstent, ut impiam eamdem sententiam habeat.

§. VII. Nondum summus Impiorum Patronus præclarissimum sui Herois facinus attigit, quo illum *Atheismi Martyris* nomine honestat. Hic enimvero nervos omnes suæ eloquentiæ explicat, ut gloriosum, immortalemque ejus exitum, qui cum

de tenir des discours impies, & si la vie voluptueuse se joint à leur vanité, ils marchent encore plus vite dans ce chemin. Cette mauvaise habitude contractée d'un coté sous les auspices de l'orgueil, & de l'autre sous les auspices de la sensualité, emousse la pointe des impressions de l'education, je veux dire, qu'elle assoupit le sentiment des verités, qu'ils ont apprises dans leur enfance touchant la Divinité, le Paradis, & l'Enfer: mais ce n'est pas une foi eteinte; ce n'est qu'un feu caché sous les cendres. Ils en ressentent l'activité dés qu'ils se consultent, & principalement à la vuë de quelque peril . . . ils passent jusqu'à la superstition: le souvenir d'avoir temoigné plus de mépris, qu'ils n'en sentoient pour les choses saintes, & d'avoir taché de se soutraire entiérement aussi à ce joug, redouble leur inquietude. On n'a presque jamais vu qu'un homme grave, eloigné des voluptez, & des vanitez de la terre, se soit amusé à dogmatiser pour l'impieté &c. Dict. Crit. Art. Des-Barreaux. Rem. F.

cum tragicus, tum etiam turpis fuit, vilisque, extollat. Afferatur locus. *At undenam* (inquit (a)) *est*, *illum* (Vaninium) *Judices suos non decepisse*, *& maluisse inter acerbissimos cruciatus emori*, *quam palinodiam canere*, *quæ ejus sententia nullum illi erat in altera vita detrimentum allatura? Cur non simulare se a sua impietate resipuisse; quoniam jam opinabatur*, *Deum non esse*, *qui simulationem ulcisceretur? Si ergo ita se res habet*, *negari non posset*, *rationem per se solam*, *& sine Dei cognitione posse homines ad sequendam honestatem vel directe*, *vel perverse impellere*.

Nihil factu facilius nobis esset, quam consequutionem negare, etiamsi veræ propositiones essent; cum possit accidere, Limphaticum errorem, aut furorem, aut cæcam superbiam potius quam honestatis amorem accendere impium ita, ut vitam profundat potius quam errores, quos didicit, pertinaciterque defendit, deponat. Et non constantiam, sed ferinam obstinationem illius Mahumedis Effendii, qui in Bæliano Martyrologio, alterum a Vaninio locum tenet, derivatam esse credimus; qui Constantinopoli impie in Cruce usque maledicta evomuit. Sed quod ad rem nostram attinet, hoc est, propositiones supra expositas, narratamque Vaninii constantiam, & fortitudinem esse prorsus falsam. *Cur*, inquit Bælius, *coram judicibus palinodiam ille non cecinit? cur non simulavit*, *se ab erroribus suis resipuisse? cur non mentitus est?* Nempe hæc omnia egit, ut se a cruciatibus, & morte subduceret. Gramondus id testatur. *Postulatus corrupta per novum dogma juventutis in vincula conjicitur*, *catholicumque se Orthodoxum mentitus differt*, *quam metuerat pœnam . . . . Sistitur Senatui audiendus de more reus: rogatusque de Deo quid sentiat*, *respondet*, *coli sibi in Trinitate Unum*, *qualem adorat Ecclesia Orthodoxa. . . . Hæc cum diceret*, *fortuitam e terra paleam legit*, *manuque ad Judices protensa hæc*, *inquit*, *palea jubet*, *ut credam Deum* (Lib. III. p. 209.) Et sanè ex illa palea traxit, confecitque argumentum existentiæ Divini Creatoris, ut idem Auctor refert. Efferat nunc laudibus *Martyrem* suum *Atheismi*, ejusque invictam constantiam Bælius. Narrationi huic a teste factæ quid per Deos immortales respondere potest? Infelici Vaninio tamen hæc verba nihil ad effugiendam mortem profuerunt. Deus ab illo ita læsus, violatusque etiam in hac vita pœnas expetiit. Tunc enimvero furit, tunc maledicta evomuit, ferociterque jactavit, se velle impavidum, immotumque mortem subire. *Sed falso* (inquit Historicus) *sane imperteritum se dixit scelestus homo*, *quem vidimus dejectum animo philosophiæ uti pessime*, *cujus se mentiebatur professorem. Erat illi in extremis aspectus ferox*, *& horridus*, *inquieta mens*, *anxium quodcumque loquebatur: & quanquam philosophice mori se clamabat identidem*, *finiisse ut brutum*, *nemo negaverit*.

§. VIII. Non sum nescius, fuisse quosdam, qui dixerint, Vaninium injuria fuisse damnatum, & ex Monachorum odio, cum de Deo recte sentiret. Ita scribit *Gothofridus* Arnoldus (*Hist. Heres. par. II. Lib. XVI. cap. 16.*), & præcipue Auctor *Apologia pro Vaninio*, *Cosmopol.* 1712.) At neminem fugit, hanc esse Orthodoxæ Religionis hostium Cantiunculam; qui ut de judiciis detrahant, Atheorum ipsorum ab ea damnatorum defensionem suscipiunt. Sicut suscepti laboris hujus consilium ad hoc examinandum nos non invitat, satis habebimus, si his judicem minime suspectum, hoc est Franciscum Buddæum (*traitè de l' Atheis. & de la superst. chap. I. §. 24.*) opponamus; qui post Danielem Morophium, qui ait Vaninii *Dialogos* Atheismum docere, hæc scribit (b); *& sane Atheismi virus uterque liber continere mihi videtur*; *& magis etiam Dialogi*, *quam Amphiteatrum*; quod locis inde petitis probat. Idem sentiunt alii docti Protestantes; & quis-


(a) *Mais d' où vient qu' il n' a pas trompè ses Juges, & qu' il a mieux aimè mourir dans les plus rudes tourmens, que de donner une retractation, qui dans ses principes ne pouvoit lui faire aucun tort dans l' autre monde? Pourquoi ne pas faire semblance d'etre desabusè de ses impietès, puisq' il ne croyois pas, que l' hypocrisie eut etè defendue de Dieu? On ne sauroit donc nier, que la raison sans une connoisance expresse de Dieu, ne puisse conduir les hommes du cotè de l' honnesetè, tantot bien tantot mal.* Pens. divers. §. 181.

(b) *Pour dire la veritè, le poison de l' Atheisme qui semble repandu dans ces deux livres, & plus encore dans les Dialogues, que dans l' Amphitheatrum, & pour donner un simple echantillon &c.*

quisque per se id videre potest, modo impia illa scripta pervolutet. Quoad ejus causam autem, sententiamque in eum prolatam, instituti nostri non est, neque vero vacat loqui.

§. IX. Verum ad Bælium revertamur, & quod prolixe diximus hactenus, contrahamus. I. Lucilius Vaninius Atheus cognitus (saltem e suis doctrinis, scriptisque) a Bælio, & ab omnibus pene scriptoribus, qui de illo mentionem fecerunt, fuit, teste illo, qui eum probe novit, *scelestus, avideque voluptates consequutus est:* ergo quod Bælius de ejus probis moribus memoriæ prodidit, falsum est. II. Hic adolescentibus effrænibus impietatem prædicavit: quod teste Bælio, *viro gravi, voluptatisque, ostentationisque hosti* minime convenit; sed illi, qui gloria tumens famam magni viri captare gestit, & a libidine raptus ejus Legis, quæ illi adversatur, jugum excutere vult. Ergo Vaninii prædicatio *non amorem in sui similes*, sed ostentationem animi, cordisque corruptionem significat. III. Hic coram judicibus, cruciatibusque propositis haud constans perstitit in traditis doctrinis propugnandis; immo eas repudiando, saltem specie tenus, nihil intentatum reliquit, ut supplicium vitaret. Ergo hic *Atheismi Martyr* a Bælio fictus fuit; illaque, quam hinc deducit, Heroica honestas, ad quam sola ratione sine Dei cognitione ferri dicit homines, purum, putumque ejus delirium est. IV. Hic, quamcis fortitudinem jactaret, diceretque, se ut Philosophum decet, velle obire mortem, mortem propediem ferendam prospiciens Philosophiæ, & systematum oblitus est, animum in furorem, ostentationem in abjectionem vertit. Sicut igitur hic depravatis, perditisque moribus Impiorum scelestæ vivendi rationis documentum nobis fuit; ita artibus, quibus ab indicto supplicio se subducere volebat, desperatisque motibus, quibus illud subiit, aliud argumentum nobis suppeditat, *Spiritus Fortes*, cum inibi sunt, ut moriantur, animis prorsus cadere, & abjici. Quæ omnia evidenter confirmant id, quod in præcedentibus capitibus ostendimus, hoc est non acutam Metaphysicam, sed corruptionem summam impietatis fontem esse: neque persuasionem veram, solidamque, sed superbiam, & ostentationem, quæ ad periculorum conspectum abjicitur, in Libertinis esse. (a)

(a) Comperi, Bælium ipsum tandem veritate victum fuisse fassum Jaqueloto in *Entretien de Maxime, & de Themiste part.* 2. Casum Vaninii aliter evenisse, ac ille narrarat. Est ne credibile, cum ita eruditum non legisse Gramondi Historiam, & eum unum facti non quidem antiquissimi in Gallia patrati, celebrisque nescio quo facto notitiam omnino veritati contrariam accepisse? at cur ab anno 1681. quo anno librum suum *Pensées diverses* scripsit usque ad an. 1706. quo mortuus est; cum rursus illa Opera imprimerentur; & ille scriberet, in veritatis honorem tot mendacia non retractavit. An narratio *Martyris Atheismi* utpote quæ nimium illi, suisque amicis cara esset, delenda non fuit?



CAPUT DECIMUM.

Deistarum, & Naturalistarum Ethica.

I. *Ex systematis vi quam corrupta esse debeat Deistarum Ethica.*

II. *Confirmatur testimonio Auctoris* Epistolarum de Religione necessaria homini.

III. *Prodit veritatem Philosophus hic, dum putat nondum esse Deistarum argumenta soluta.*

IV. *Hujus auctoris systema exponitur, ejusque falsitas breviter ostenditur.*

V. *Idem systema explicatur quoad alteram vitam.*

VI. *Pestiferæ consequutiones hujus systematis.*

VII. *Specimen* principiorum Philosophiæ Moralis *alterius Auctoris, ut videtur, Naturalistæ. Sincera ejus opinionum de sanctione legum Naturalistarum expositio.*

VIII. *Ostenditur Auctoris principiis, eum favere licentiæ, ejusque systema esse societati perniciosum.*

§. I. CUM nos in exponenda hactenus corrupta Libertinorum Ethica de Atheis, seu de hostibus cujuscumque Religionis tantum verba fecerimus, dubitare fortasse quispiam posset, num de Deistis, qui Divinitatem se agnoscere dicunt, & de Naturalistis, qui licet Religioni Revelatæ non credunt, Religionis tamen naturalis præcepta se observare profitentur, sit idem sentiendum. Quæ quidem suspicio, in imperitis præcipue augeri posset, ex præclaris, magnificisque vocibus, quibus omnes hi Philosophi, & suis in libris, & in privatis sermonibus, *honestatem, fidem, virtutem, moresque* extollunt; de quibus argumentis etiam, ut modo videbimus, libros in publicam lucem edunt. At fictio hæc pura est, simulatioque, quæ nonnisi incautos decipit, efficitque, ne latens in eorum doctrinis virus inspiciant. Hi omnes e systemate tam virtutibus præditi esse debent, quam ornatos Atheos esse vidimus. Et ut primum de Deistis instituatur sermo, qui dicunt se Deum agnoscere, tamen eum cæcum, otiosum, imbellemque faciunt, cum sapere illum, Mundumque regere, & præsertim hominum opera, ut ea vel præmiis, vel suppliciis afficiat, scrutari negant; de his, inquam, res per se loquitur. Quam enim illi causam habebunt, ut vehementissimas cupiditates corruptæ naturæ in officio contineant, atque inclinationibus iis obstent, quibus sine incommodo, aut pœna per se obsecundare possunt? Fama Ciceronis ætate prodiderat, ut alibi advertimus, Epicurum Deistarum Principem libros composuisse, in quibus de *sanctitate* agebat. *Ludimur* (inquiebat sapiens Orator) *ab homine non tam faceto, quam ad scribendi licentiam libero. Quæ enim potest esse sanctitas, si Dii humana non curant?*

Et sane præcipuum effatum, quo initiantur ii, qui Deistarum in album referri volunt, hoc est, in hac solum vita, homines frui posse, æquamque & sibi temperantis, & incontinentis futuram post obitum conditionem. Ex hoc theoremate quænam moralia præcepta putamus, hos Philosophos esse deducturos? Quam cupide voluptates, & oblectamenta venabitur is, qui se natum unice putat, ut gaudeat? qua audacia occultæ proditiones, fraudes, perjuria fient, quibus sanctissimæ naturales, civilesque leges evertantur, & societatis vincula omnia disrumpantur ab homine illo, qui si Principis pœnam effugere potest, nullum alium judicem, a quo inspiciatur, & a quo sit puniendus, reformidat? Cupiditatum ergo temperatio, & justitia, & honestas, & cæteræ morales virtutes, quæ hinc proficiscuntur, nihil penes hos prorsus significant; & si interdum illas exerceri ab iis videmus, larvæ sunt, quibus [illegible] tegunt vel longis infandis ludis satiati, vel ut tutiorem, liberioremque viam in societatem sibi sternant, ut alios faciant.

§. II.

§. II. Moralem Deistarum Theologiam esse hujusmodi, eorum familiaris quidam, nempe Auctor *Epistolarum de Religione necessaria homini*, de quo alibi mentionem fecimus, testatur. Hic in quadam Epistola quam ab alio se accepisse comminiscitur, ita scribit (*a*): *Quia Deus sibi sufficit*, Spiritus Fortes *colligunt*, *parum illum curare, quæ homines operentur. Dicunt, intervallum infinitum, quod intercedit Deum inter & homines, eum supra illos ita extollere, ut ab eodem criminibus lædi nullo modo possit; contentum sua beatitate non posse iis levia quædam gaudia, quæ percipiunt, invidere; multoque vero minus illos de his punire: sapientissimos esse, illos, qui lucro apponere vitam possunt iis oblectamentis, quæ illa offert, fruentes, quin inani futuræ vitæ timore angantur: qui quidem timores nullum majorem Divinitati honorem afferunt, quam percepta oblectationes eam dedecerent. Illationes has* (inquit ille), *bonos mores omnino labefactant*.

§. III. Hic est color, virtusque tot Deistarum, qui ab hominibus honestis, probisque moribus ornati haberi volunt: An non hujusmodi Elogium merentur? At quid dicemus de Naturalistis, id est de iis, qui, negata conculcataque Revelatione divina, se purissima Religionis Naturalis præcepta sequi gloriantur? Dubitandi locus nullus est, quin, positis fundamentis præcipuis Naturalis Religionis, quæ sunt existentia veri Dei sapientissimi, & omnipotentis Creatoris, mundique moderatoris, statutaque immortalitate, & libertate humanæ animæ, hinc præcepta universa naturalis juris, sive hominis in Deum, in se ipsum, in societatem officiorum deduci; & hinc Theoria puræ Ethicæ (quamquam valde deficientis quoad præsentem hominis peccantis, corruptique statum) confici, & etiam ad eam observandam plures, magnæque causæ derivari possint. Atqui in Naturalistarum schola nedum hæc pura Ethica sit, licentia aut paullo, aut nihilo Deistarum, Atheorumque libertate minor dominatur. Quod diximus probemus, & in manus sumamus *Epistolas de Religione homini necessaria*, quas modo memoravimus, & systema Ethicæ ab Auctore ambiguorum verborum, & sophismatum involucris implicitum evolvemus, & in lucem proferamus.

Cum attulisset ille doctrinam jam superius allatam *Spirituum Fortium*, a qua fatetur morum corruptionem dimanare, pergit dicere, plures illam argumentis jam notis, suntque illa, quæ Religio, rectaque ratio suggerit, se evertere opinatos fuisse. *Dixerunt illi* (en ejus verba) *Divinitatem, licet sibi sufficiat, voluisse tamen creare entia, a quibus gloriam acciperet; eum illis leges dedisse, conditionesque imposuisse, quibus servatis, lassive præmia, aut supplicia impertiretur. Addunt, cum voluerit Deus hominibus modum aperire, quo velit ab iis servitutem sibi præstari, eum illorum obedientiam, aut imperii detrectationem æquo oculis aspicere non posse; Gloriam suam illum curare; eum impelli justitia ad exequendas intentatas minas, tum ad promissa præstanda* (*b*). His doctrinis expositis, quibus recte acceptis Deistarum refelluntur insaniæ, quid Auctor inquit? Hoc nimirum. *Hæ sunt consuetæ solutiones, quibus creditur posse repelli tela, quæ in Religionem Spiritus Fortes ejaculantur. At patet, hujusmodi responsa nedum objecta diluant, integra* en

(*a*) *De ce que Dieu est suffisant a soi, ils concluent qu'il fait peu d'attention a ce qui se passe parmi les hommes. Ils disent que l'infinie distance qu'il y a du Createur aux Creatures le met trop audessus d'elles, pour que les dereglemens de celles-ci l'offensent; que satisfait de sa propre felicité, il ne sauroit leur envier les satisfactions legeres qu'ils cherchent à se procurer dans ce Monde, moins encore les leurs faire payer par des punitions rigoreuses; que les plus habiles sont ceux qui tirent parti de la vie, pour jouir des plaisirs qu'elle offre, sans se laisser troubler par d'inutiles craintes sur l'avenir, qui n'honorent non plus la Divinité, que la jouissance des plaisirs ne la deshonore: Ces Conclusions, comme on le voit, ne vont pas à moins, qu'à la ruine des bonnes Meurs.* Let. sur la Relig. essent. part. I. pag. 2.

(*b*) *Ils ont dit, que la Divinité, quoique suffisante a soi-meme, a voulu créer des êtres pour en être glorifié, qu'elle leur a donné des Loix & imposé des conditions, aux quelles elle a attaché des peines & des recompenses. Ils ajoutent, que Dieu ayant voulu declarer aux hommes la maniere dont il veut en etre servi, il ne sauroit etre indifferent à ce qu'ils s'en acquittent, ou non; qu'il est jaloux de sa gloire; que sa justice ne l'engage pas moins à executer ses minaces, qu'a accomplir ses promesses.*

Ce sont là les solutions ordinaires, par les quelles on pretend parer les coups que les Esprits forts portent à la Religion. Mais il est visible, que de semblables solutions loin d'applanir les difficultés, les laissent dans toute leur force. Ils continuent à demander, quelle satisfaction l'Etre infini peut retirer du service, qu'il exige de petits vermisseaux tel que l'homme. Lettre I.

ea relinquere'. Quid ita ? *quia Spiritus Fortes quærunt , quem honorem Ens infinitum e servitute, quam sibi ab his vermibus, cujusmodi sunt homines , præstari vult , percipere possit* . Epistolarum Auctori argumentum hoc ejusmodi videtur , ut illi responderi non possit. Veritatis causa infirmius, an malitiosius prodi potest ? Ut os Deistis obstruamus , satis est dicere , gaudium , quod Deus percipit ex hominum servitute exigenda , non afferre illi aliiquod emolumentum , augmentumque beatitatis ; sed beatum esse quia ita agendo, pro sua sapientia, justitia, potentia aliisque perfectissimis bonis suis agit ; quorum causa cum creaverit hominem, qui eorum ordinem cognoscere, & cum suis affectionibus, operibusque servare posset ; ille ut supremus perfectissimusque moderator id ab eo & minis , & pollicitationibus postulat. Deum ita agentem agere, ut Ens infinite perfectum decet; in quo ejus felicitas necessaria consistit. Brevis hæc , evidensque doctrina ad refellendum omnino sophisma , quod ex notione *Entis sibi sufficientis* stulte Deistæ conficiunt , & ad fulciendam vim responsorum contra ostentatam libertatem , licentiamque superius allatorum nonne satis est , & plusquam satis?

§. IV. Sed operæ pretium est audire , quibus inventis instructus Epistolarum Scriptor in aciem descendat, qui velut futilia a sanis Theologis adhibita responsa rejicit. Det operam quæso Lector , & diligenter advertat animum , ut pernoscat quid sibi velit hic Naturalista ; videbitque, eum novis cogitatis Deistas refellere arbitrantem æque impia effutire, & systema illud statuere , quo ad hanc ipsam morum eversionem , quam iis exprobrat, iter munit.

Deus, hujus Philosophi judicio, ad hominum creationem , gubernationemque nonnisi desiderio eorum felicitatis movetur. Hominum peccata nullo modo eum lædunt , neque cultus, aut virtutes eorum eum decorant. Ille tamen iis peccare intercidit , eorumque opera scrutatur eo , quod hæc iis tantum nocent . Detrimentum tamen hoc fortasse in altera vita sentient ; at res hæc levis erit momenti, aut certe non æternum superfutura ; quandoquidem cum Deus sibi sufficiat, neque aliud quidquam intenderit, cum homines, qui felices esse possint , creavit , nisi ut ejusmodi fierent, proculdubio, quæcumque illi scelera patrent, debebit eos beare. Hoc est systema, quo acutus hic Scriptor credit invicte, se Deistas devincere, & firmissimum Religionis, morumque fundamentum jacere.

Antequam porro progredimur, advertat Lector, cum nullum aliud nobis hic propositum sit , nisi ut perversam Naturalistarum ostendamus Ethicam, ideo his Epistolarum Auctoris principiis refellendis nos supersedere . Ut tamen uno ictu illa omnia contundamus, considerare sufficiat , cuncta huic falso fundamento superstrui, in Deo nihil aliud esse nisi cæcam bonitatem , cujus solum impetu omnia operetur . *Deus est Ens sibi ipsi sufficiens* . Ita sane : sed quid ita ? Nempe quia in illo omnium bonorum , id est bonitatis , potentiæ, sapientiæ, justitiæ, aliorumque infinitorum cumulus in illo inest , quæ nunquam separata ; sed simul conjuncta concordiaque in ejus operibus emicant . Nullum ergo emolumentum aut vult, aut velle potest homines ex nihilo vocans , eosque gubernans; at vult, neque potest non velle, ut gloria sua inde cernatur , quæ in suis perfectionibus ostendendis consistit. Hinc fit, ut cum ille homines, qui beati esse possint, crearit, velit ipse eos beatos efficere, at non præter sapientiæ suæ consilia, suæque justitiæ jura : quæ perfectiones æque ac bonitas in *Ente sibi sufficiente* sunt agnoscendæ. Hoc verissimo principio facile erit, allata sophismata , quæ non solum in his *Epistolis* , sed in omnibus Naturalistarum, & Deistarum Libris offenduntur, refellere.

E diverticulo in viam redeamus , & ne quis fidem nostram in referendo Epistolarum Auctoris systemate in dubium revocet, afferamus Auctoris ipsius locum. *Si Deus (a) ipse sibi sufficit , commodis suis non servit ; si commodis suis non servit , homines*

(a) *Si Dieu est suffisant à soi meme , il est parfaitement desinteressé . S'il est parfaitement desintressé , il n'a pas tiré les hommes du nant pour augmenter sa beatitude . En créant des etres susceptibles de bonheur , il ne peut avoir eu d'autre but que de les y conduire . Si telà a eté son but , comme on ne sauroit le mettre en doute , ce but subsiste invariablement . Dieu s'interesse donc au bonheur des etres qu'il a crées* . Let. I. p. 1.

mines non creavit, ut suam beatitudinem augeret. Cum creaverit entia beatitatis capacia, nihil aliud intendere potuit, nisi ut illa bearet. Si hujusmodi consilium habuit, de quo ambigi nequit, hoc consilium immutari non debet. Ergo Deus (ita concludit in Deistas) *bonum entium a se creatorum curat.* Et paullo post: *Ut proprie loquamur, Deus lædi nequit; homines peccantes se ipsos lædunt: atque hæc causa est, cur eorum scelera Deo displiceant*: tum paullo infra: *Concedo* (alloquitur Deistas) *proprie loquendo nihilo magis dedecorari Deum ab hominibus voluptates consectantibus, quam ab iis alteram vitam timentibus decorari. At vobis etiam hoc standum est, si altera vita est, si respondet operibus illis, quæ quisque vivens agit; tunc prudentiam non futuram inutilem, & eamdem bonitatem, quæ Deum movet in homines, etiam illum moturam ad eos movendos de altera vita, quæ illos manet.* At quid unquam est id, quod homines improbos in altera vita manet? Quid de hoc sentiat, exponit Epistola IV.

§. V. Hic post varios verborum circuitus, ambiguitates, & paradoxa, sequentia paradoxa constituit. Sicut in membris corporis, ita in spiritus facultatibus dolor (a) *necessaria perturbationem consequitur*: Tum transit ad Dei justitiam definiendam; notionibusque a veritate alienis ait, *esse illam voluntatem constantem, quam habet Deus reducendi ad felicitatem homines, & reducendi eos ad ordinem, qui separari nequit, redigendo. En*, ille inquit, *quid sit severa justitia.* Tum quæstio proponitur, quæ talis est: *quæ erit causa proxima pœnarum*, quas fortasse perferent in altera vita improbi? *Num eas inflictura sit Divinitas ipsa, an naturaliter tantum derivanda sint ex perturbatione?* Respondet, *perturbationem necessario esse doloris causam, & per se hominem infelicissimum posse reddere: Tamen contingere posse, ut modi, quibus divina sapientia uti posset ad hanc perturbationem, quæ hominem afficit, corrigendam, causam majorum dolorum illi adderent.* Quod explicat exemplo ejus, qui alicui luxato corporis membro medetur, quod fit dolore gravissimo. Ne tamen nimium amicos suos his notionibus deterreat, eos solatur, & iis animos addit spe felicis exitus, quem hujusmodi spiritalia luxamenta in altera vita sint habitura. Quare ita mox scribit (b). *Ostendimus, dolorem necessario derivari ex perturbatione, non autem ex inflicta pœna. Sed etiamsi velimus has pœnas inflictas esse, ostendimus quoque his iisdem pœnis nihil aliud Divinitatem intendere posse quam ut hominem reducat ad felicitatem in ordine eum rursus collocando.* Sed quia veretur Auctor, ne etiam hujusmodi pœnæ quamvis ab se adeo imminutæ & quoad magnitudinem, & quoad tempus, adhuc scelestis molestiam afferre possint, qui in perturbatione vivere volunt, in adnotatione ad hanc Epistolam testatur, se nolle quemquam cogere, ut hæc credat; videturque non valde curare, etiamsi quis sententias has de alterius vitæ cruciatibus deliramenta putaret. Hæc sunt ejus verba. (c) *Postulabitur num Deus non posset pri-*

A parler exactement, l'Etre infini ne peut être offensé; ce sont les Creatures qui s'offensent elles memes, & c'est par cette meme raison que leurs dereglemens deplaisent à Dieu . . . . Je vous accorde encore, qu'à parler exactement, Dieu n'est pas plus deshonoré par les plaisirs que les Hommes se procurent, qu'il n'est honoré par leurs craintes sur l'avenir. Mais vous m'accorderez aussi, que si cet avenir a quelque chose de réel, s'il est relatif pour chacun à l'usage qu'il fait de la vie, des justes precaution à cet égard ne seroient pas inutiles; que la meme bonté qui engage Dieu à s'interesser pour les hommes, l'engageroit aussi à les avertir de ce qui les attend. &c. Let. I. p. 7. 8.

(a) *L'Ordre, & l'armonie cessant, la douleur & la confusion en seront les suites naturelles & inevitables . . . . La Justice sera en lui la volonté constante de ramener ses Créatures au bonheur, & de les y ramener en les rehabilitant dans l'ordre, qui en est inseparable. Voilà ce qu'est essentiellement la justice rigoureuse . . . . Une question s'offre ici assez naturellement, c'est de demander, quelle sera la cause prochaine de ces peines: si elles seront infligées par la Divinité meme, ou si elles seront uniquement les suites naturelles du desordre? Je reponds, que le désordre est essentiellement la cause de la douleur, & qu'il suffiroit seul pour rendre l'homme très-miserable. Il pourroit être cependant, que les moyens que la sagesse Divine pourroit mettre en oeuvre pour redresser le renversement, qui s'est introduit dans l'homme . . . . occasionneroient en lui des douleurs plus violentes.*

(b) *Nous avons demontré, que la douleur est une suite inevitable du désordre, & non une peine infligée. Mais soit, qu'il y ait aussi des peines infligées, nous avons demontré encore, que ces memes peines ne peuvent aboutir qu'à remettre l'homme dans le bonheur, en le rehabilitant dans l'Ordre.* Lettre IV.

(c) *On demandera, si Dieu ne pourroit pas le remettre dans leur première integrité, sans qu'il leur en coutât. Je n'ai rien à dire contre la puissance de Dieu. Ceux qui voudront s'y reposer sans nulle certitude, si cette supposition seroit compatible avec la sagesse, & l'equité parfaite, seront les maitres de s'en bercer*, Let. IV. dans la Note p. 50.

pristinæ integritati homines restituere, quin grave incommodum ipsi perferrent! Nil habeo quod contra Dei potentiam dicam, qui illi acquiescere volent sine evidentia ulla, si hæc hypothesis congruere possit cum sapientia, & justitia perfecta, id agere poterunt.

§. VI. Atque hoc est formidabile systema, quod Epistolarum Auctor Deistis nondum judicio suo satis a quovis alio devictis opponit; systema, inquam, quod ille putat (*Let. I. p. 9. & seq.*) *esse verum Religionis fundamentum, causasque maximas ad homines ad recte vivendum excitandos complecti*. Equidem magis, magisque in hanc opinionem eo, ut credam nostræ ætatis Impios simul cum Religione etiam rectæ rationis jacturam facere. Quotus est, qui non videat, eamdem licentiam vivendi, quæ hujus Scriptoris sententia ex hypothesi Deistarum proficiscitur, ejus systemate totam, quanta est contineri? Quidni? Remittet cupiditatibus habenas omnes Deista falsa sententia ductus, *Deum sibi sufficientem* humana non curare; super humana quælibet, infinite elatum hominum sceleribus non lædi: sua felicitate contentum hominibus voluptates interdicere non posse. At nonne idem insistet impius iter, cum audierit a nostro Naturalista, *Deum* sibi sufficientem, si quicquam humana curat, id eum agere nulla ratione sui nominis habita; eum id agere nulla pœna, nullo supplicio nequam homines puniturum? Æque se impudentia, & criminibus mortalium ac eorum obsequio, ac timore se decoratum arbitrari? Et si eos monet, ne ordine exeant, nihil intendere aliud, nisi ut damna illa evitent, quæ ex hujusmodi errore derivantur? De alterius quidem vitæ pœnis loquitur Auctor; at constat, eum ita ad libidinem loqui, ut eas ridiculas faciat; adeo dubie, ut de iis asseveranter non loquatur; demum eum nolentem in Deo nisi voluntatem absolutam, universamque beandi omnes homines agnoscere, ex hominum mentibus cujuslibet supplicii metum delere, omnibusque post vitam in sceleribus gravissimis exactam gaudiis cunctis æternam refertam beatitatem polliceri. Quam, inquam, vim ad retinendum Libertinum in officio documenta hujusmodi habebunt? Quin etiam animos illi facient, ut quoties ei libuerit, tuleritque occasio, facinora atrocissima suscipiat, conficiatque. Quantum eo dolore, quem Auctor illi minitatur, naturaliter consequuturum eas voluptates, e quibus tantum percipit oblectamenti, movebitur? Quem timorem illi injicient tartara, & loca illa, recens excogitata, ubi animæ purgantur, quæ poetice conficta ab Auctore videntur; quæ si tragica narratione initio statim animum perturbant, mox eum in æternam Comœdiam versa sunt exhilaratura? Fanaticus, exempli causa, huic addictus systemati num a morte sibi consciscenda continebitur, quod facinus illud est, quod non ex *filtrationis* in nervorum succis *defectu*, ut Auctor *spiritus legum* opinatur, sed ex Religione jam eliminata tot cujusdam regionis incolæ patrant? immo Gresettus Poeta fingit, horum unum ex hoc systemate proloqui, impavidumque ferrum in se vertere:

Judex supremus tenebris me expectat in hisce,
Is natura totius pater est, & amicus.
Spiritus hic meus illius bonitate repletus
Evolat in gremio illius sine fine futurus. (a)

Aut ergo simulat, aut insanit Philosophus noster cum dicit & in principio, & in progressu suarum Epistolarum, se Spiritibus Fortibus Religionem, & honestatem eorum systemate, ut ille fatetur, victas, prostratasque, nondumque consuetis argumentis defensas velle persuadere. Mala eadem, quæ in his detestari se ait, ex ejus doctrinis consequuntur; & sicut quoad Religionem, moresque aut parvum, aut nullum discrimen est inter Athei Deum negantis, & Deistæ systemata, qui si eum agnoscit, humana tamen eum non gubernare sentit; ita quoad eamdem Religionem, moresque ab horum systematibus Naturalistæ systema nihil

(a) *Le Juge qui m'attend dans cette nuit obscure*
Est le Pere & l'ami de toute la Nature.
Rempli de sa bonté mon esprit immortel
Va tomber, sans frémir, dans son sein paternel.
Ved. *Observations sur l'Esprit des Loix*. Edit. Amstel. 1751. p. 81.

hil pene differt; qui si ait, Deum existere, hominesque curare, opinatur tamen nunquam ab illis eum decorari, aut dedecorari, neque aliud eum posse velle, nisi quocumque modo vivant, illos perfecte æternumque eum felices reddere. Quapropter dubii hæremus, & ancipites in dijudicando, num per illusionem, an per ironiam quidam ex Protestantibus Auctor (*Lettres sur les vrais principes de la Religion*. Let. I. p. 5. & seq.) loquatur, qui in harum Epistolarum confutationis initio, in quibus virus inesse & fatetur, & illud indigitat, hæc e pluribus aliis præcipue scribit; *multa pro eo facere..... eum ubique sincere hostem vitiorum, bonorumque morum patronum acrem apparere: illum Providentiam, & alteram vitam, & in illa pœnas, & supplicia agnoscere: quæ omnia Spiritus Fortes non credunt .... Eum libro toto Ethica pura, & etiam severa inculcare principia ..... in eo verum cerni consilium homines ad virtutem ducendi, & ad meliorem frugem. Verum quidem est* (inquit), *quos adhibet modos, aptissimos ad hoc opus mihi non videri*. Atqui, inquio ego, non modo non esse aptissimos, sed virtuti, & pietati consequendæ hos modos omnino adversari. Ajo, me e tenui specimine, quod duarum tantum Epistolarum dedi, & quod aliarum omnium examine augere nullo negotio possem, mihi jure concludere posse videri, vel eum cæcultasse, nisi prospiciebat, suo systemate licentiæ, & illi quidem licentiæ, quam ipse idem ex Deistarum systemate nasci fatetur, viam muniri; vel, nisi cæcutiebat, vafrum incredulum fuisse, qui voluerit incautos facere ludos, & eam licentiam, impietatemque, quam non ex animi sententia, sed simulate oppugnabat, honestatis, Religionisque larva tegere.

§. VII. Ejusdem ponderis, quod spectat ad modo relatum doctrinæ caput, esse Liberculum anno 1754. Genevensibus typis editum *Principes de Philosophie Morale* inscriptum dicere possumus. Deneganda tamen Auctori laus non est, eum compendiaria, colligataque methodo usum fuisse; notiones claras habet, quibusdam in locis eas recte connectit, easque nitide promit. Initio statim ille fatetur, (a) in sua Ethica *verbum nullum de Revelatione fecisse* (quod silentium cæteroquin, ait, *multo sibi stetisse*) *cum hæ duæ scientiæ valde inter se distent. Revelatio* (inquit) *in auctoritate nititur, Ethica in rationum inter se colligatarum serie; ego autem utile futurum esse duxi experiri quousque rationis sine auctoritatis præsidio lumen me ducere posset*. Non postulatur quidem, ut Ethicam tractaturus de Revelatione agat; & cuique licebit in rerum Moralium disputationibus rationis luminibus uti. Sed cui de Divina Revelatione, in qua clarissima, & verissima Ethices lumina sunt, persuasum est, nefas est, in suo opere (si modo veritatem inquirit) eum respuere ad illam oculos convertere; & quamquam rationis vestigia sequatur, revelationem tamen divinam negligere prorsus non debet. Ita ut si in suis sermonibus ad aliquam propositionem revelatis veritatibus adversam perveniat, sibi persuadere debeat (quod quidem valde difficile non est), rationem suam hallucinari, suaque argumenta esse paralogismos. Ita agit, qui Revelationem tenet, at qui inquit, se eam velle missam facere, statuitque interea Theoremata illi adversa, næ hic Lectorem ludos facit, verusque est, licet personatus, Naturalista. Ex hoc colore Auctoris ingenium cognoscemus.

Inquit ergo ille, quamquam leges naturales *generatim* (Chap. 8. §. 125, 126.) *& per abstractionem* loquendo nitantur causis, quæ ad earum custodiam impellere possunt, tamen *si nihil consideretur aliud, quam angusta hujus Orbis scena, vitii virtutisque consequentias adeo differre, ut plerique hominum unum alteri anteferant. Fortasse* (ita pergit) *magna pars censebit, divitias aut aliud quodcumque peculiare bonum pene tot emolumenta parere, quot rigidior innocentia parit; multoque minoris earum comparatio, conservatioque constabit. Hinc autem quæ mala in humanam societatem non redundabunt? Hæc animadversio* (inquit ib. §. 127.) *magis augetur, si consideratæ velimus, spem esse evitandi, ut revera sæpius evitantur, incom-*

(a) *Je n'ai point parlé de la Revelation, & je puis dire que mon silence m'a couté .... ce sont cependant deux sciences très-distinctes. La Revelation est fondée sur l'authorité, & la Morale est une chaine de raisonnement. J'ai cru avantageux d'essayer jusqu'où pourroit me conduire la lumiére de la raison, sans le secours de l'authorité*. Discours Prelim. pag. 9.

moda vitiorum consequentia, *neque sæpe commoda*, *quæ virtus parit*, *obtineri*. *Hoc tandem addamus* (ait §. 128.), *quoties humanum systema ad hujus vitæ spatium redigitur*, *iis causis illud carere sufficientibus tum*, *cum*, *ut aliquod exerceatur officium*, *oportet ingentia subire pericula*, *quale esset verbi causa*, *capitis discrimen*. *Omnia per calculos in Ethica fiunt*, *& quodvis opus*, *quod nonnisi malum agenti parit*, *opus est*, *quod morali sensu ab homine*, *qui recte rationes init*, *fieri nequit*. Ex his animadversionibus transit ad statuendam existentiam alterius vitæ, in qua est anima immortalis permansura. *Atque hic legum ordinis contemptorum statum* (ait) *magis minusve futurum molestum*, *eorumque conditionem*, *qui eas observarint*, *minus*, *magisque felicem futuram*, *pro utrorumque in his duobus statibus constantia*. Egregia hæc quidem. Sed pergamus porro. Si ab Auctore quæramus, in quo hæc felicitas, aut infelicitas alterius vitæ sita sit, nihil certi respondet, sed tantum reponit (§.154) *virtutem felicitatis*, *vitium esse miseriarum viam*; quod ut nobis persuadeat, nos *ad experientiam* provocat (§. 122.) *quæ nobis demonstrat*, *summam junctionem esse inter hominis felicitatem*, *tenoremque vitæ naturæ*, *& conditioni suæ convenientis*, *pauca esse officia illa*, *quorum violationem malum aliquod vel physicum vel morale non consequatur*; *& quorum cultus aliquod emolumentum non afferat*, *licet nullum aliud esset*, *quam jucundus sensus*, *quem sentit quisque ex bene factis*. Quare, pergit ille dicere (§. 123.) *omnium aliorum hujus vitæ bonorum æqualitate posita*, *nihil optabilius credimus esse*, *quam statum hominis apprime honesti*, *nihil horribilius vita hominis summe improbi*; *& felicitas*, *infelicitasque imminuuntur*, *quo magis utraque ab his oppositis terminis removetur*. Hoc genus ergo *felicitatis*, *aut infelicitatis*, *prout* (§. 158.) *aut violata*, *aut servata Naturæ jura fuerint*, quod erit in altera vita, *perfecte supplet*, inquit Auctor noster, *physicam earum naturalium legum sanctionem*. *Quandoquidem opus virtute præstans* (§. 159.) inquit ille, *poteritne umquam homini sapienti*, *& speranti*, *se felicitatem per illud consequuturum æternam*, *molestum videri*? *vitiumque nonne magis eum permovebit*, *ut illud odio habeat*, *quotiescumque ad ea mala*, *quæ in hac vita affert*, *illa addantur*, *quæ ex eo in illum in altera vita derivabuntur*? Ne tamen quis hujus Philosophi doctrinis absterreatur, quærenti num hoc alterius vitæ malum *futurum* (§. 162.) *intolerabile*, *æternumque statutum sit in improbos* (*quod quidem*, ut hic dicitur, *adversaretur notionibus*, *quas de Deo habemus*) respondet, *hujusmodi cogitationes a systemate suo longe abesse* (§. 163.) Ideoque hujus præcipui doctrinæ capitis, immo totius hujus Philosophi Moralis disciplinæ conclusio hæc est; improborum in altera vita infelicitatem futurum dolorem illum, qui violationem legum consequitur, at *hunc animæ sensum* (§. 164.), *se ex via felicitatis egressum*, *eum in illam reducturum*. Hinc tribus his Epiphonemmis, quæ totius naturalismi meta jure dici possunt, Operi finis imponitur.

I. *Beati*, *qui mature cognoverint*, *& sequuti fuerint felicitatis iter*. (*a*)

II. *Beati etiam qui illud cognoverint*, *& sequuti fuerint*, *quamvis sero*. (*b*)

III. *Beati demum mortales cuncti*, *ut ut in eo cognoscendo*, *sequendoque dissoluti fuerint*! *sæcula enim eos manent*, *quibus eo perveniant*; *natura eos irrequietos ad illud rapit*, *& iis æternitas superest*, *qua laboribus suis latentur*. (*c*)

§. VIII. Hujus Auctoris, qui, ut initio dixi, nec ingenio caret, nec methodo, sensa fusius afferre placuit. Ipsamet illius verba haud nos dubitare sinunt, quasnam sententias habeat; quæ licet perversæ sint (quoad spectat ad hæc ultima theoremata falso fulta principio, hoc est supremum rerum Dominum non duci nisi cæca, imprudentique bonitate) licet, inquam, perversæ sint, non sunt hoc tempore refellendæ. Quod unum intendimus, est, ostendere, quam fieri potest brevissime, ipsius Naturalistæ principiis, ejus systema, (quod reipsa nihil dif-

(a) §. 166. *Heureux ceux qui auront de bonne heure connu & suivi le chemin de la felicité!*
(b) §. 167. *Heureux ceux encore qui l'auront connu & suivi quoique plus tard!*
(c) §. 168. *Heureux une fois tous les hommes quelque lents qu'ils ayent été à le connoître & à le suivre, puisqu'ils ont des Siècles pour y parvenir, que leur nature les porte à y travailler sans cesse, & qu'ils ont l'eternité pour jouir de leurs succès!*

differt a modo confutato) ad licentiam ducere, & ad societatis perniciem. (a) Magna me spes tenet, fore ut sapiens Lector jam per se rem videat; inutile tamen non erit eam hoc sub aspectu proferre. Illud systema ad licentiam fert, in quo naturæ jura *sufficienti sanctione*, seu causis, ut observentur, rationes, quas major hominum pars, ut illas violet habere potest, superantibus destituuntur. Atqui in systemate modo allato naturales leges *sufficienti sanctione* carent; ergo hoc systema ad licentiam ducit. Propositio ex iis, quæ alibi diximus, patet, & ab adversario pluribus in locis repetitur, & explicatur. *Assumptionem* ita probo: in systemate modo exposito leges naturales violantibus æque ac eas colentibus æterna felicitas promittitur. Jam quis sibi persuadere potest, majorem hominum partem cupiditatibus suis non esse habenas soluturam, quovis modo divitias conquisituram, quidvis legibus vetitum patraturam, scientium post vitam hujusmodi jucundam, dissolutam, lætamque; se æternum beatos fore, ut beati innocentiæ rigidioris asseclæ sunt futuri? Jam novi, quid responderi possit, nempe in hoc systemate sæpius iterari, inculcarique, cum gaudium virtutem consequitur, tum molestiam, infelicitatemque vitium consequi. At ajo his duobus verbis, ut in hoc systemate sonant, sufficienti sanctione leges non muniri. Et primum quidem jam Auctor ipse fatetur, *si brevem hujus Orbis scenam respicimus, vitii & virtutis consequentias non adeo inter se differri, ut plerique homines impellantur ad hanc potius, quam ad illud*. Restat ergo examinandum, num hæ consequentiæ alterius vitæ ita differant, ut semper homines movere possint ad præferendam hanc illi. Dicitur in hoc systemate, improbos in altera vita esse male habendos. Sed quodnam malum erit hoc? clare, & distincte hic non describitur; ac proinde nulla datur certa ejus notio, quæ majorem hominum partem impellere possit. Dici videtur, hoc malum futurum molestiam illam, quæ ex ignorantia boni, quod in virtute sequenda consistit, proficiscitur, at dicitur etiam *malum hoc intolerabile* non futurum. Neverbum quidem autem unum fit de ejus diuturnitate; fieri ergo potest, ut momento temporis, hoc est vix ac sensus animam docuerit, *eam a boni tramite aberravisse*, *felicitatis desiderium illam in eum reducat* (Vid. supra §. 164.) Denique theorema in hoc systemate certum est, animam proculdubio hujusmodi felicitatis vitam esse ingressuram, futuramque posthac æternum beatam. Jam quæro ab Auctore nostro, qui ait *omnia in Ethica per calculum fieri*, quot erunt homines, qui malum tam confusum, tam incertum, tam longinquum, tam breve, veluti oblectationibus omnium suarum cupiditatum ponderosius, & interdum gravius periculis ipsis, & morte etiam, quæ sicut ille fatetur, ut aliquod magni momenti officium præstetur, subeunda est, ad calculos reducent? Prædicet quidem, ut lubet; *excellens opus nunquam visurum esse viro sapienti molestum, qui inde æternam felicitatem expectat*. Jactitet, *vitium magis fugiendum esse, cum malis, quæ in hac vita affert, addentur ea, quæ in altera illud consequuntur*. Homines ejus systema amplexati ridebunt, & merito hæc pulchra documenta, hos sermones irridebunt. Cur, illi dicent, ferenda incommoda multa, magnaque nobis sunt, ut secundum virtutem agamus, legesque naturales custodiamus, ut felicitatem, cujus infirmam, & perobscuram notionem habemus, alterius vitæ consequamur; quæ, etiamsi aliquid magni sit, jam quamvis cupidinibus nostris obsequuti fuerimus, æternum nos est affectura? Cur cane pejus, & angue vitia fugiemus, quibus nunc ita oblectamur, si tristia alterius vitæ consequentia incerta sunt, & si quid certi habent, est brevis transitus aliquantulum molestus, at non *intolerabilis* ad æternam beatitatem? Ad summam, consequentia virtutis, vitiique in hoc systemate quoad æternitatem sunt æque felicia: & si qua

(a) Dictis a nobis Tom. I. hujus Operis de animæ immortalitate agentibus, & de iis, quæ fuse diximus in secundo, jam evertuntur hujus Philosophi errores, quos recensuimus hic, ut eversionis Ethices ostenderemus causas. Qui uberius agitatam de pœnarum alterius vitæ quæstionem legere cupit, adeat doctissimum Opus Patris Vincentii Patutii præclari ex Ordine Prædic. Theologi, *De æterno impiorum fato*, ubi reperiet statutum Catholicum dogma, & labefactatos Libertinorum errores.

pœna ex vitio oritur, neque acerbitate, neque diuturnitate cum iis oblectationibus, quas possunt ex jurium naturalium læsione mortales percipere, est comparanda. *Sufficienti* ergo *sanctione* leges naturales hoc in systemate non firmantur; proinque systema istud ex ipsis Auctoris principiis ad morum corruptionem, eversionemque societatis, ducit; quod doctrinæ caput uberius principe studio sequentibus in capitibus demonstrabimus.

CAPUT UNDECIMUM.

Systema Libertinorum est Societati perniciosum.

I. *Nostra propositio est necessaria hactenus dictorum consequentia: tamen a quibusdam impugnatur; præcipue a Bælio.*
II. *Ostenditur Atheismus societati infensus.*
III. *Balii oppositio soluta.*
IV. *Confirmatur argumentum loco Puffendorfii gravissimo. Observatio in systema Deistarum, & Naturalistarum.*

§. I. EX iis, quæ hactenus de Incredulorum corruptione diximus, quam eorum de Religione dubitationum fontem esse ostendimus, & notam, qua præcipue insigniuntur, cum usque eo progressi sunt, ut impietatem profiteantur; ex iis, inquam, prudenti Lectori ita proclive erit colligere; humanæ societati maxime perniciosum esse debere eorum systema, ut huic illationi tam necessario, evidenterque ex illis propositionibus proficiscenti demonstrandæ diutius immorari supervacaneum esse videatur. Tamen quorumdam petulantia tanta est, ut rem hanc in controversiam vocare minime dubitaverint; quin etiam illam quæstionem obscuram, difficilemque dicentes tandem eo devenerint, ut per fraudes plurimas, & sophismata dijudicent, Atheismum non solum minus superstitione societati noxium esse; sed nullum illi detrimentum afferre; ita ut feliciter permanere societas posset, licet quavis religione, & fide ab ea eliminata, omnes impietatem profiterentur. Inauditum, monstrosumque hoc paradoxum fortasse videri debebit. Non erubuit tamen Petrus Bælius diuturnas, acutasque meditationes suas proferre, ut illud omnibus probaret, ut quisque videre potest in ejus *pensées diverses sur les Cometes*, in *continuation* earumdem cogitationum, in *reponses à un provincial*, variisque ejus *Dictionaire* locis. Eum sequutus est Joannes Tolandus in Dissertatione, quæ *Adeisidæmon* (hoc est homo *sine superstitione*) titulum præsefert, aliique minutuli, sed perfrictæ frontis Libertini, qui omnes a magni Rotherodamensis Sophistæ fontibus scientiam suam ut plurimum hauriunt.

§. II. Ut ergo statim ad illationem ipsam descendamus, quandoquidem illi & libris, & sermonibus nos lacessunt, ne ab illa proferenda desistamus; eoque magis, quod illa argumento erit, quantum humanum genus hujusmodi novam Philosophiam perhorrescere, quantumque curare debeat, ut ii qui Reipub. præsunt, eam exulare jubeant. Itaque primum dico, *Atheismum ita humanæ societati damnosum esse, ut ejus subsistentiæ directe adversetur*. Ut ex doctrinis superius expositis evidentissime hanc propositionem deduci ostendamus, ratiocinationis nostræ fundamentum sit doctrina, quam doctus Anglus (a) alia de re scribens jure dicit,

(a) Ditton. La Relig. Chrètien. demont. par la Resur. Par. 2. Chap. 7. prop. 3. *Cette maxime, que la Societè ne sauroit subsister dans le Monde, si les hommes ne se fioient pas l'un a l'autre ... n'est pas moins evidente, que l'axiome de Geometrie, qui dit, que si à des choses égales entre elles vous ajoutez ou otez egalement, elles resteront toujours égales*

cit, esse tam perspicuam, quam est Geometriæ axioma. Eccum illam.

Societas stare non potest, si mortales sibi mutuo fidem non habent. Mutuam fidem hanc habere debent Rex, Civesque; ut ne ille Tyrannus fiat, neque hi desciscant. Fidem hanc habere debent sancitis fœderibus finitimi populi: ne uni alios intercipiant inter inducias, aut pacem. Hanc demum fidem habere debent domini servis, uxori vir, civis civi; ita ut simul viventes, exercentesque commercia, aut quocumque sibi invicem opitulantes se non opprimant, prodant, defraudent, sed pacta, promissa, jura rei, famæ, vitæ servent. Si fides hæc a societate auferretur, eodem tempore quies, pax, commercium de medio tolluntur, eorumque in locum suspicio, metus, bellum ingruunt; atque hinc necessario separatio consequitur, & proinde societas corruit. Jam quænam est umquam hujus *mutuæ fidei*, quæ humanæ societatis est vinculum, causa? Nulla alia, ut mea quidem fert opinio, nisi hæc; persuasio nempe, quam quisque habet, eum, cui fidit, scire se lege obstringi, ne alium opprimat, sed datam fidem præstet, ne violet quocumque nomine alterius jura; deinde eum causas magnas habere, quæ ad hanc legem etiam sua utilitate, aut voluptate posthabita, quasi ad illam lædendam posset allici, servandam illum impellant. Quò magis, minusve firma hæc principia mente de aliquo concipimus, eo minus magisve, quam in illo habemus, fiducia crescitque, decrescitque. Si ergo putaremus, esse quemquam, qui crederet, nullam dari legem, qua adstringatur, ad præstanda promissa, & ad servanda nobis jura; aut crederemus, nullam in hoc esse causam, quæ possit eum ad hanc legem custodiendam impellere; illi fidere non possemus; & proinde nemo aliis confideret, si crederet, in nemine hominum hæc duo principia, quæ fidei fundamenta sunt, inesse. Tunc autem societas, quæ secundum prædictum axioma hac fide fulcitur, non permaneret. Evidentissimis his veritatibus statutis, Libertinorum systema examinemus, conspiciemusque, omnem societatem funditus illo everti. Illi, ut de Epicuro Impiorum veterum Principe, de Hobbesio, Montanea, & Spinosa superiorum Præceptoribus probavimus, statuunt, nihil esse natura sua justum, & honestum, injustum, aut turpe; sed ex viribus, & emolumento cujusque, honestum rectumque metiuntur. Prima igitur lex, quam in hominibus agnoscunt, est illa, quæ inter pisces viget, hoc est, ut qui alterum vi, & magnitudine superat, eum vorare possit. Hi ergo fundamentum primum mutuæ fidei, hoc est persuasionem legis, quæ ad servanda cujusque jura quemlibet obligat, ab hominibus tollunt. Dicunt illi quidem, se non asserere, hominem *exlegem* esse, & suis cupiditatibus obnoxium, nisi prius quam in societate cum aliis vivat; at societatem ingresso præstanda esse promissa, legesque civiles servandas. Quis tamen hujus sermonis sensus prorsus expertis dolum non videt? Si nihil suapte natura justum vel injustum est, cur injustum erit leges civiles lædere, promissisque non stare? jus positivum in naturali fundatur. Qui igitur hoc aufert, illud etiam quoad interiorem vim evertit. At fingamus quod alibi dedimus Bælio, Libertinos ordinem illum æternum, & immutabilem rerum naturis nixum, & a Dei voluntate pendentem posse cognoscere; & ideo justitiæ, honestatisque notiones eos habere posse. Quæ utilitas, inquio ego, in humanam societatem ex hac notitia redundat? Erit hæc mera contemplatio sterilis, infirmaque, minimeque apta, quæ vel levissimum quemvis cupiditatis impetum coerceat, qui in contrariam partem eum moveat. Ratio clara est, & perspicua. Notio hujusmodi honestatis, justitiæque in Atheo nulla est iis præsidiis, quæ sunt præcipua, & universa, quæ una cuilibet motui quo impellatur homo ad ea violanda, obstare possunt. Hæc enim, ut vidimus, sunt illa, quæ Religio una subministrat: hoc est, *Deus omnia videns, æternis præmiis virtutem, suppliciis æternis vitium afficiens.* Aliæ causæ ab Epicuro, tum a Bælio, aliisque Libertinis assignatæ, ut ostendimus, innumeris sceleribus, quæ si patrarentur, societatem omnem labefactarent, obsistere nequeunt. Maximam harum esse imperantium pœnam vidimus. At respondimus alibi, causam hanc *non complecti generatim omnes, & singulos*; plurimi siquidem, & imperantes potissimum eximun-

muntur ; *non complecti generatim omnia vitia ;* non enim multa respicit , quæ alioquin directe , aut saltem oblique societati nocent ; cujusmodi est mœchari , inebriari , contemnere inferiores , odium mutuum conjugum , & alia talia exteriora malefacta , quæ Prætor non curat , quibus illa omnia , quæ intus fiunt , addi possunt , quæ hominem vere malum cum efficiant , non possunt quin serius , aut ocius sese superessundant , societatemque perturbent . Non *omnia loca generatim complecti* , & tempora ; solitudo enim , tenebræque a Principis ultione infinita perfidiæ , proditionum , injustitiæ , fraudum , omniumque aliorum facinorum genera subducunt , quæ cum possint occuli , qui nihil aliud pavet , nisi se ab hominibus cerni , punirique , tuto committet . Cum ergo causa hæc maximam hominum partem ad sua officia recte peragenda movere non possit , eam , quæ societati conservandæ necessaria est , aliorum fiduciam illi conciliare nequit . Hoc idem de aliis causis , quas supra perpendimus , a Libertinis propositis , est æquius sentiendum : hæ autem sunt infamiæ metus , laudis cupido , corporis constitutio bene temperata , & aliæ tales : quæ neque solæ , neque simul conjunctæ cupiditatibus hominis religione carentis , unquam resistent . Legatur quidquid ibidem scripsimus ; gerræ siquidem hujusmodi bis a nobis producendæ , & refutandæ in eodem libro non sunt .

§. III. Alia tamen causa , licet infirma , a Bælio pluribus in locis nobis objecta , quasi possit Atheum a lædendis societatis officiis retinere , non est silentio prætereunda . *Concedere places* (inquit ille) *Atheum e suis principiis nonnisi in suarum cupiditatum utilitatem flecti : num ex hoc fiet , ut illa ad societatis eversionem eum rapiant ? Nihil ergo curabit quietem suam , suorum bonorum , liberorumque conservationem ? nullam publicæ pacis partem sibi sumet ? Si hominem tres habentem filios occidat , non timebit , ne inquiratur ab iis ubique , ut mortem ulciscantur parentis ? Amor sui non eum urget ad cohibendam cupiditatem , cui obsequi non posset , quin se majoribus malis objiceret* (a) ? Ut hujus sophismatis infirmitas cognoscatur , nihil aliud requiritur , nisi ut a Bælio , ejusque pedissequis postulemus , num si de aliqua re gravissima vel ad suas facultates , caputque suum pertinente ageretur , tuto homini fiderent , quem ex una quidem parte scirent vehementissimis avaritiæ , libidinis , gloriæque cupiditatibus ad se prodendos rapi ; ex altera vero crederent comprimi eum non posse , quin his cupiditatibus obsecundet , quam *a parte , quam publici otii sibi sumere deberet* , quod proditiones vetat , aut a timore , quo affici deberet , ne eorum filii , inquisituri , & ulturi se essent ? Quid plura ? Si putarent hominem hujusmodi , qui nonnisi ex allatis causis coercet cupiditates suas , posse sperare , fore ut eos prodere posset , quin proditionem quisquam sciret , aut si sciatur , posse aut effugere pœnam , aut vi illum repellere , vellentne cum illo commercia exercere , rem suam , uxorem , vitamque illi committere ? At si meridiana luce clarius est , neque se , neque quempiam , qui quicquam sapiat , fidem homini huic præstituros unquam esse , in rem nostram ita dicamus ; in humana societate cum sæpissime contingat , ut res , fama , vita nostra alicui committendæ sint , neque allatæ causæ fidem facere possint , ne ille , cui res vestras credidistis , sit vos proditurus , necessario consequitur , per has solas causas humanam societatem stare non posse .

§. IV. Ne grave sit Lectori hoc quod diximus , ubertim a Puffendorfio , jucundo Libertinis nomine , confirmatum , explicatumque audire . Ita ergo ille inquit *de offic. homin. & Civ.* Lib. I. cap. 4. §. 9. *Operæ pretium fuerit paullo distinctius expendisse usum , quem in vita humana Religio gignit ; ut constet , eam revera esse ultimum , & firmissimum humanæ societatis vinculum . Nam in libertate naturali si metum divini Nu-*

(a) *Je veux , que les principes d'un Athée ne le poussent que vers l'interet de ses passions : s'en suivra-t-il qu'ils le poussent à la ruine de la societé ? Ne prend-il donc nul interêt à son repos , & à la conservation de ses biens , & de ses enfans ? N'a-t'il donc aucune part à la sureté publique ? S'il tue aujourd hui un homme , qui a trois grands garçons , n'a-t'il pas à craindre , qu'ils le chercheront par tout , afin de venger la mort de leur pere ? L'amour propre ne l'engage t'il pas assez fortement , a rafrener une passion , qu'il ne pourroit satisfaire sans s'exposer a des plus grands maux ?* Repons. aux quest. d'un Provinc. c. 17.

Numinis removeas, ubi quis propriis viribus fisus fuerit, qualibet imbecillioribus pro libitu inferet, ac honestatem, pudorem, fidem inter inania vocabula reputabit, nec ad recte faciendum aliter, quam sensu propria imbecillitatis adigetur. Porro, Religione remota, Civitatum firmitas intrinseca semper in incerto foret, ut ad cives in officio continendos haudquaquam sufficeret metus temporalis pœna, fides superioribus data, ejusque servanda gloria, & gratitudo, quod ope summi imperii a miseriis status naturalis defendantur (a). *Tunc enim revera locum haberet,* qui mori scit, cogi nescit. *Quippe, cum Deum non metuentibus nihil magis quam mors metui possit, huic contemnenda qui sufficeret, in imperantes quavis tentare posset. Ut autem id vellet, vix causa defutura foret; puta ut declinaret incommoda, qua sibi ab alterius imperio videntur incumbere, aut ut ipse potiretur commodis, qua imperii possessorem comitantur. Præsertim cum facile judicare possit, jure se id facere: vel quod qui in præsens rerum potitur, prave Remp. videatur gerere, vel quod ipse longe melius imperaturum se se speret. Occasio autem ad talia tentanda facile offerri posset, Rege vitam suam non satis caute circumspiciente (& quis tali statu rerum custodes ipses custodiet?) vel multis conspirantibus, vel bello externo ingruente, adscitis in partes hostibus. Præterea cives ad injurias mutuo inferendas, futuri essent pronissimi. Cum enim in foro civili pronuncietur secundum acta, & probata, omnia scelera, & flagitia, ex quibus provenire aptum est, si occulte patrari, & sine arbitris possent, pro dexteritate ingenii, in qua placere sibi quis posset, haberentur. Nemo quoque opera misericordia aut amicitia esset exercitaturus, nisi gloria, aut emolumenti explorata spe. Ex quo & illud consequeretur, ut dum nemo in alterius fide, remotis pœnis Divinis, solidam fiduciam collocare posset, singuli perpetuo metu, & suspicionibus anxii viverent, ne ab aliis deciperentur, aut læderentur. Sed & tam Imperantes, quam subjecti parum proclives essent ad praclara, & gloriosa opera patranda. Nam Imperantes nullo conscientia vinculo constricti omnia munia, ipsamque justitiam venalia essent habituri, & in omnibus privatum commodum quæsituri cum oppressione civium, a quorum rebellione uti semper metuerent, ita suam salutem unice in eo positam intelligerent, ut illos quam maxime enerves redderent. Cives contra oppressionem Imperantium formidantes nunquam non circumspecturi forent occasionem rebellandi, nec minus tamen ipsi inter se diffisuri, seque mutuo formidantes essent: Quin & conjuges oborta vel levi querela, se invicem essent suspecturi, ne veneno, aut alio clandestino modo necarentur. Par periculum a familia immineret: cum enim sine Religione nulla quoque futura foret conscientia; non facile esset occulta ejusmodi scelera deprehendere, quippe qua per inquietudinem conscientia, & terrores in exteriora indicia erumpentes produntur. Unde apparet, quantopere intersit generis humani, Atheismo omnes vias, ne invalescat, intercludere, simulque quanta vecordia eos agitet, qui ad opinionem prudentia politica conciliandam facere autumant, si in impietatem proclives videantur.* Hactenus Puffendorfius. Nunc admonendus tantum Lector est, quamquam & ab eo, & a nobis toto hoc in capite mentio solum Atheismi facta fuit, tamen demonstrationem nostram, animadversionesque Puffendorfii contra Naturalistarum, Deistarumque systema concludere, a quibus cum de medio tollatur mutuæ inter mortales fiduciæ vera, universaque causa, evidens etiam fit, e systemate hos omnes humani generis hostes esse, quippe qui humanæ societatis eversionem moliuntur.

(a) Credo, eruditum Lectorem in hoc, aliisque huic similibus dicendi modis advertere potuisse Hobbesianum virus a Puffendorfio imbibitum de naturali hominum statu, quem ille describit malitiæ, & infelicitatis coloribus nigerrimis in eodem Opere Lib. II. cap. I. §. 9. sed confutatur fuse a Titio, & ab aliis etiam.

C A-

CAPUT DECIMUM.

Deistarum, & Naturalistarum Ethica.

I. *Ex systematis vi quam corrupta esse debeat Deistarum Ethica.*
II. *Confirmatur testimonio Auctoris* Epistolarum de Religione necessaria homini.
III. *Prodit veritatem Philosophus hic, dum putat nondum esse Deistarum argumenta soluta.*
IV. *Hujus auctoris systema exponitur, ejusque falsitas breviter ostenditur.*
V. *Idem systema explicatur quoad alteram vitam.*
VI. *Pestiferæ consequutiones hujus systematis.*
VII. *Specimen* principiorum Philosophiæ Moralis *alterius Auctoris, ut videtur, Naturalistæ. Sincera ejus opinionum de sanctione legum Naturalistarum expositio.*
VIII. *Ostenditur Auctoris principiis, eum favere licentiæ, ejusque systema esse societati perniciosum.*

§. I. CUM nos in exponenda hactenus corrupta Libertinorum Ethica de Atheis, seu de hostibus cujuscumque Religionis tantum verba fecerimus, dubitare fortasse quispiam posset, num de Deistis, qui Divinitatem se agnoscere dicunt, & de Naturalistis, qui licet Religioni Revelatæ non credunt, Religionis tamen naturalis præcepta se observare profitentur, sit idem sentiendum. Quæ quidem suspicio, in imperitis præcipue augeri posset, ex præclaris, magnificisque vocibus, quibus omnes hi Philosophi, & suis in libris, & in privatis sermonibus, *honestatem, fidem, virtutem, moresque* extollunt; de quibus argumentis etiam, ut modo videbimus, libros in publicam lucem edunt. At fictio hæc pura est, simulatioque, quæ nonnisi incautos decipit, efficitque, ne latens in eorum doctrinis virus inspiciant. Hi omnes e systemate tam virtutibus præditi esse debent, quam ornatos Atheos esse vidimus. Et ut primum de Deistis instituatur sermo, qui dicunt se Deum agnoscere, tamen eum cæcum, otiosum, imbellemque faciunt, cum sapere illum, Mundumque regere, & præsertim hominum opera, ut ea vel præmiis, vel suppliciis afficiat, scrutari negant; de his, inquam, res per se loquitur. Quam enim illi caussam habebunt, ut vehementissimas cupiditates corruptæ naturæ in officio contineant, utque inclinationibus iis obstent, quibus sine incommodo, aut pœna per se obsecundare possunt? Fama Ciceronis ætate prodiderat, ut alibi advertimus, Epicurum Deistarum Principem libros composuisse, in quibus de *sanctitate* agebat. *Ludimur* (inquiebat sapiens Orator) *ab homine non tam faceto, quam ad scribendi licentiam libero. Quæ enim potest esse sanctitas, si Dii humana non curant?*

Et sane præcipuum effatum, quo initiantur ii, qui Deistarum in album referri volunt, hoc est, in hac solum vita, homines frui posse, æquamque & sibi temperantis, & incontinentis futuram post obitum conditionem. Ex hoc theoremate quænam moralia præcepta putamus, hos Philosophos esse deducturos? Quam cupide voluptates, & oblectamenta venabitur is, qui se natum unice putat, ut gaudeat? qua audacia occultæ proditiones, fraudes, perjuria fient, quibus sanctissimæ naturales, civilesque leges evertantur, & societatis vincula omnia disrumpantur ab homine illo, qui si Principis pœnam effugere potest, nullum alium judicem, a quo inspiciatur, & a quo sit puniendus, reformidat? Cupiditatum ergo temperatio, & justitia, & honestas, & cæteræ morales virtutes, quæ hinc proficiscuntur, nihil penes hos prorsus significant; & si interdum illas exerceri ab iis videmus, larvæ sunt, quibus φλαυτίαι tegunt vel longis infandis ludis satiati, vel ut tutiorem, liberioremque viam in societatem sibi sternant, ut alios faciant.

§. II. Moralem Deistarum Theologiam esse hujusmodi, eorum familiaris quidam, nempe Auctor *Epistolarum de Religione necessaria homini*, de quo alibi mentionem fecimus, testatur. Hic in quadam Epistola quam ab alio se accepisse comminiscitur, ita scribit (a): *Quia Deus sibi sufficit*, Spiritus Fortes *colligunt*, *parum illum curare*, *quæ homines operentur*. *Dicunt*, *intervallum infinitum*, *quod intercedit Deum inter & homines*, *eum supra illos ita extollere*, *ut ab eodem criminibus lædi nullo modo possit*; *contentum sua beatitate non posse iis levia quædam gaudia*, *quæ percipiunt*, *invidere*; *multoque vero minus illos de his punire*: *sapientissimos esse illos*, *qui lucro apponere vitam possunt iis oblectamentis*, *quæ illa offert*, *fruentes*, *quin inani futuræ vitæ timore angantur*: *qui quidem timores nullum majorem Divinitati honorem afferunt*, *quam percepta oblectationes eam dedecorent*. *Illationes istæ* (inquit ille), *bonos mores omnino labefactant*.

§. III. Hic est color, virtusque tot Deistarum, qui ab hominibus honestis, probisque moribus ornati haberi volunt. An non hujusmodi Elogium merentur? At quid dicemus de Naturalistis, id est de iis, qui, negata conculcataque Revelatione divina, se purissima Religionis Naturalis præcepta sequi gloriantur? Dubitandi locus nullus est, quin, positis fundamentis præcipuis Naturalis Religionis, quæ sunt existentia veri Dei sapientissimi, & omnipotentis Creatoris, mundique moderatoris, statutaque immortalitate, & libertate humanæ animæ, hinc præcepta universa naturalis juris, sive hominis in Deum, in se ipsum, in societatem officiorum deduci; & hinc Theoria puræ Ethicæ (quamquam valde deficientis quoad præsentem hominis peccantis, corruptique statum) confici, & etiam ad eam observandam plures, magnæque causæ derivari possint. Atqui in Naturalistarum schola nedum hæc pura Ethica fit, licentia aut paullo, aut nihilo Deistarum, Atheorumque libertate minor dominatur. Quod diximus probemus, & in manus sumamus *Epistolas de Religione homini necessaria*, quas modo memoravimus, & systema Ethicæ ab Auctore ambiguorum verborum, & sophismatum involucris implicitum evolvemus, & in lucem proferamus.

Cum attulisset ille doctrinam jam superius allatam *Spirituum Fortium*, à qua fatetur morum corruptionem dimanare, pergit dicere, plures illam argumentis jam notis, suntque illa, quæ Religio, rectaque ratio suggerit, se evertere opinatos fuisse. *Dixerunt illi* (en ejus verba) *Divinitatem*, *licet sibi sufficiat*, *voluisse tamen creare entia*, *a quibus gloriam acciperet*; *eum illis leges dedisse*, *conditionesque imposuisse*, *quibus servatis*, *lassisve præmia*, *aut supplicia impertiretur*. *Addunt*, *cum voluerit Deus hominibus modum aperire*, *quo velit ab iis servitutem sibi præstari*, *eum illorum obedientiam*, *aut imperii detrectationem æquis oculis aspicere non posse*; *Gloriam suam illum curare*; *eum impelli justitia ad exequendas intentatas minas*, *tum ad promissa præstanda* (b). His doctrinis expositis, quibus recte acceptis Deistarum refelluntur insaniæ, quid Auctor inquit? Hoc nimirum. *Hæ sunt consuetæ solutiones*, *quibus creditur posse repelli tela*, *quæ in Religionem Spiritus Fortes ejaculantur*. *At patet*, *hujusmodi responsa nedum objecta diluant*, *integra*

en

(a) *De ce que Dieu est suffisant a soi*, *ils concluent qu'il fait peu d'attention a ce qui se passe parmi des hommes*. *Ils disent que l'infinie distance qu'il y a du Createur aux Creatures le met trop au dessus d'elles*, *pour que les dereglements de celles-ci l'offensent*; *que satisfait de sa propre felicité*, *il ne sauroit leur envier les satisfactions legères qu'ils cherchent a se procurer dans ce Monde*, *moins encore les leurs faire payer par des punitions rigoreuses*; *que les plus habiles sont ceux qui tirent parti de la vie*, *pour jouir des plaisirs qu'elle offre*, *sans se laisser troubler par d'inutiles craintes sur l'avenir*, *qui n'honorent non plus la Divinité*, *que la jouissance des plaisirs ne la deshonore*: *Ces Conclusions*, *comme on le voit*, *ne vont pas à moins*, *qu'à la ruine des bonnes Moeurs*. Let. sur la Relig. essent. part. I. pag. 2.

(b) *Ils ont dit*, *que la Divinité*, *quoique suffisante a soi-meme*, *a voulu créer des Etres pour en être glorifié*, *qu'elle leur a donné des Loix & imposé des conditions*, *aux quelles elle a attaché des peines & des recompenses*. *Ils ajoutent*, *que Dieu ayant voulu declarer aux hommes la maniere dont il veut en etre servi*, *il ne sauroit etre indifferent à ce qu'ils s'en acquittent*, *ou non*; *qu'il est jaloux de sa gloire*; *que sa justice ne l'engage pas moins à executer ses minaces*, *qu'a accomplir ses promesses*.

Ce sont là les solutions ordinaires, *par les quelles on pretend parer le coup que les Esprits forts portent à la Religion*. *Mais il est visible*, *que de semblables solutions loin d'applanir les difficultés*, *les laissent dans toute leur force*. *Ils continuent à demander*, *quelle satisfaction l'Etre infini peut retirer du service*, *qu'il exige de petits vermisseaux tel que l'homme*. Lettre I.

ea relinquere. Quid ita? *quia Spiritus Fortes quærunt, quem honorem Ens infinitum e servitute, quam sibi ab his vermibus, cujusmodi sunt homines, præstari vult, percipere possit*. Epistolarum Auctori argumentum hoc ejusmodi videtur, ut illi responderi non possit. Veritatis causa infirmius, an malitiosius prodi potest? Ut os Deistis obstruamus, satis est dicere, gaudium, quod Deus percipit ex hominum servitute exigenda, non afferre illi aliiquod emolumentum, augmentumque beatitatis; sed beatum esse quia ita agendo, pro sua sapientia, justitia, potentia aliisque perfectissimis bonis suis agit; quorum causa cum creaverit hominem, qui eorum ordinem cognoscere, & cum suis affectionibus, operibusque servare posset; ille ut supremus perfectissimusque moderator id ab eo & minis, & pollicitationibus postulat. Deum ita agentem agere, ut Ens infinite perfectum decet; in quo ejus felicitas necessaria consistit. Brevis hæc, evidensque doctrina ad refellendum omnino sophisma, quod ex notione *Entis sibi sufficientis* stulte Deistæ conficiunt, & ad fulciendam vim responsorum contra ostentatam libertatem, licentiamque superius allatorum nonne satis est, & plusquam satis?

§. IV. Sed operæ pretium est audire, quibus inventis instructus Epistolarum Scriptor in aciem descendat, qui velut futilia a sanis Theologis adhibita responsa rejicit. Det operam quæso Lector, & diligenter advertat animum, ut pernoscat quid sibi velit hic Naturalista; videbitque, eum novis cogitatis Deistas refellere arbitrantem æque impia effutire, & systema illud statuere, quo ad hanc ipsam morum eversionem, quam iis exprobrat, iter munit.

Deus, hujus Philosophi judicio, ad hominum creationem, gubernationemque nonnisi desiderio eorum felicitatis movetur. Hominum peccata nullo modo eum lædunt, neque cultus, aut virtutes eorum eum decorant. Ille tamen iis peccare intercidit, eorumque opera scrutatur eo, quod hæc iis tantum nocent. Detrimentum tamen hoc fortasse in altera vita sentient; at res hæc levis erit momenti, aut certe non æternum superfutura; quandoquidem cum Deus sibi sufficiat, neque aliud quidquam intenderit, cum homines, qui felices esse possint, creavit, nisi ut ejusmodi fierent, procul dubio, quæcumque illi scelera patrent, debebit eos beare. Hoc est systema, quo acutus hic Scriptor credit invicte, se Deistas devincere, & firmissimum Religionis, morumque fundamentum jacere.

Antequam porro progredimur, advertat Lector, cum nullum aliud nobis hic propositum sit, nisi ut perversam Naturalistarum ostendamus Ethicam, ideo his Epistolarum Auctoris principiis refellendis nos supersedere. Ut tamen uno ictu illa omnia contundamus, considerare sufficiat, cuncta huic falso fundamento superstrui, in Deo nihil aliud esse nisi cæcam bonitatem, cujus solum impetu omnia operetur. *Deus est Ens sibi ipsi sufficiens*. Ita sane: sed quid ita? Nempe quia in illo omnium bonorum, id est bonitatis, potentiæ, sapientiæ, justitiæ, aliorumque infinitorum cumulus in illo inest, quæ nunquam separata, sed simul conjuncta concordiaque in ejus operibus emicant. Nullum ergo emolumentum aut vult, aut velle potest homines ex nihilo vocans, eosque gubernans; at vult, neque potest non velle, ut gloria sua inde cernatur, quæ in suis perfectionibus ostendendis consistit. Hinc fit, ut cum ille homines, qui beati esse possint, crearit, velit ipse eos beatos efficere, at non præter sapientiæ suæ consilia, suæque justitiæ jura: quæ perfectiones æque ac bonitas in *Ente sibi sufficiente* sunt agnoscendæ. Hoc verissimo principio facile erit, allata sophismata, quæ non solum in his *Epistolis*, sed in omnibus Naturalistarum, & Deistarum Libris offenduntur, refellere.

E diverticulo in viam redeamus, & ne quis fidem nostram in referendo Epistolarum Auctoris systemate in dubium revocet, afferamus Auctoris ipsius locum. *Si Deus* (a) *ipse sibi sufficit, commodis suis non servit; si commodis suis non servit, homines*

(a) *Si Dieu est suffisant à soi meme, il est parfaitement desintéresse. S'il est parfaitement desintressè, il n'en' pas tiré les hommes du nant pour augmenter sa beatitude. En créant des etres susceptibles de bonheur, il ne peut avoir eu d'autre but que de les y conduire. Si telè a etè son but, comme on ne sauroit le mettre en doute, ce but subsiste invariablement. Dieu s'interesse donc au bonheur des etres qu'il a crèès*. Let. I. p. 1.

mines non creavit, ut suam beatitudinem augeret. Cum creaverit entia beatitatis capacia, nihil aliud intendere potuit, nisi ut illa bearet. Si hujusmodi consilium habuit, de quo ambigi nequit, hoc consilium immutari non debet. Ergo Deus (ita concludit in Deistas) *bonum entium a se creatorum curat.* Et paullo post: *Ut proprie loquamur, Deus lædi nequit; homines peccantes se ipsos lædunt: atque hæc causa est, cur eorum scelera Deo displiceant*: tum paullo infra: *Concedo* (alloquitur Deistas) *proprie loquendo nihilo magis dedecorari Deum ab hominibus voluptates consectantibus, quam ab iis alteram vitam timentibus decorari. At vobis etiam hoc dandum est, si altera vita est, si respondet operibus illis, quæ quisque vivens agit; tunc prudentiam non futuram inutilem, & eamdem bonitatem, quæ Deum movet in homines, etiam illum moturam ad eos monendos de altera vita, quæ illos manet.* At quid unquam est id, quod homines improbos in altera vita manet? Quid de hoc sentiat, exponit Epistola IV.

§. V. Hic post varios verborum circuitus, ambiguitates, & paradoxa, sequentia paradoxa constituit. Sicut in membris corporis, ita in spiritus facultatibus dolor (*a*) *necessario perturbationem consequitur*: Tum transit ad Dei justitiam definiendam; notionibusque a veritate alienis ait, *esse illam voluntatem constantem, quam habet Deus reducendi ad felicitatem homines, & reducendi eos ad ordinem, qui separari nequit, redigendo. En*, ille inquit, *quid sit severa justitia*. Tum quæstio proponitur, quæ talis est: *quæ erit causa proxima pœnarum*, quas fortasse perferent in altera vita improbi? *Num eas inflictura sit Divinitas ipsa, an naturaliter tantum derivanda sint ex perturbatione?* Respondet, *perturbationem necessario esse doloris causam, & per se hominem infelicissimum posse reddere: Tamen contingere posse, ut modi, quibus divina sapientia uti posset ad hanc perturbationem, quæ hominem affecit, corrigendam, causam majorum dolorum illi adderent.* Quod explicat exemplo ejus, qui alicui luxato corporis membro medetur, quod fit dolore gravissimo. Ne tamen nimium amicos suos his notionibus deterreat, eos solatur, & iis animos addit spe felicis exitus, quem hujusmodi spiritalia luxamenta in altera vita sint habitura. Quare ita mox scribit (*b*). *Ostendimus, dolorem necessario derivari ex perturbatione, non autem ex inflicta pœna. Sed etiamsi velimus has pœnas inflictas esse, ostendimus quoque his iisdem pœnis nihil aliud Divinitatem intendere posse quam ut hominem reducat ad felicitatem in ordine eum rursus collocando.* Sed quia veretur Auctor, ne etiam hujusmodi pœnæ quamvis ab se adeo imminutæ & quoad magnitudinem, & quoad tempus, adhuc scelestis molestiam afferre possint, qui in perturbatione vivere volunt, in adnotatione ad hanc Epistolam testatur, se nolle quemquam cogere, ut hæc credat; videturque non valde curare, etiamsi quis sententias has de alterius vitæ cruciatibus deliramenta putaret. Hæc sunt ejus verba. (*c*) *Postulabitur num Deus non posset*

A' parler exactement, l' Etre Infini ne peut être offensé; ce sont les Creatures qui s' offensent elles memes, & c' est par cette meme raison que leurs dereglemens deplaisent à Dieu .... Je vous accorde encore, qu' à parler exactement, Dieu n' est pas plus deshonorè par les plaisirs que les Hommes se procurent, qu' il n' est honorè par leurs craintes sur l' avenir. Mais vous m' accorderez aussi, que si cet avenir a quelque chose de rèel, s' il est relatif pour chacun à l' usage qu' il fait de la vie, des justes precautions à cet egard ne seroient pas inutiles; que la meme bontè qui engage Dieu à s' interesser pour les hommes, l' engageroit aussi à les avertir de ce qui les attend. &c. Let. I. p. 7. 8.

(a) *L' Ordre, & l' armonie cessant, la Douleur & la confusion en seront les suites naturelles & inevitables .... La Justice sera en lui la volontè constante de ramener ses Crèatures au bonheur, & de les y ramener en les rehabilitant dans l' ordre, qui en est inseparable. Voilà ce qu' est essentiellement la justice rigoureuse .... Une question s' offre ici assez naturellement, c' est de demander, quelle sera la cause prochaine de ces peines: si elles seront infligèes par la Divinitè meme, ou si elles seront uniquement les suites naturelles du desordre? Je reponds, que le dèsordre est essentiellement la cause de la douleur, & qu' il suffiroit seul pour rendre l' homme très-miserable. Il pourroit être cependant, que les moyens que la sagesse Divine pourroit mettre en oeuvre pour redresser le renversement, qui s' est introduit dans l' homme .... occasionneroient en lui des douleurs plus violentes.*

(b) *Nous avons demontrè, que la douleur est une suite inevitable du dèsordre, & non une peine infligèe. Mais soit, qu' il y ait aussi des peines infligèes, nous avons demontrè encore, que ces memes peines ne peuvent aboutir qu' à remettre l' homme dans le bonheur, en le rehabilitant dans l' Ordre.* Lettre IV.

(c) *On demandera, si Dieu ne pourroit pas lé remettre dans leur première integritè, sans qu' il leur en coutàt. Je n' ai rien à dire contre la puissance de Dieu. Ceux qui voudront s' y reposer sans nulle certitude, si cette supposition seroit compatible avec la sagesse, & l' equitè parfaite, seront les maitres de s' en bercer.* Let. IV. dans la Note p. 30.

pristinæ integritati homines restituere, *quin grave incommodum ipsi perferrent*! *Nil habeo quod contra Dei potentiam dicam*, *qui illi acquiescere volent sine evidentia ulla*, *si hæc hypothesis congruere posse cum sapientia*, *& justitia perfecta*, *id agere poterunt*.

§. VI. Atque hoc est formidabile systema, quod Epistolarum Auctor Deistis nondum judicio suo satis a quovis alio devictis opponit; systema, inquam, quod ille putat (*Let. I. p. 9. & seq.*) *esse verum Religionis fundamentum*, *causasque maximas ad homines ad recte vivendum exci- tandos complecti*. Equidem magis, magisque in hanc opinionem eo, ut credam nostræ ætatis Impios simul cum Religione etiam rectæ rationis jacturam facere. Quotus est, qui non videat, eamdem licentiam vivendi, quæ hujus Scriptoris sententia ex hypothesi Deistarum proficiscitur, ejus systemate totam, quanta est contineri? Quidni? Remittet cupiditatibus habenas omnes Deista falsa sententia ductus, *Deum sibi sufficientem* humana non curare; super humana qualibet, infinite elatum hominum sceleribus non lædi: sua felicitate contentum hominibus voluptates interdicere non posse. At nonne idem insistet impius iter, cum audierit a nostro Naturalista, *Deum* sibi sufficientem, si quicquam humana curat, id eum agere nulla ratione sui nominis habita; eum id agere nulla pœna, nullo supplicio nequam homines puniturum? Æque se impudentia, & criminibus mortalium ac eorum obsequio, ac timore se decoratum arbitrari? Et si eos monet, ne ordine exeant, nihil intendere aliud, nisi ut damna illa evitent, quæ ex hujusmodi errore derivantur? De alterius quidem vitæ pœnis loquitur Auctor; at constat, eum ita ad libidinem loqui, ut eas ridiculas faciat; adeo dubie, ut de iis asseveranter non loquatur; demum eum nolentem in Deo nisi voluntatem absolutam, universamque beandi omnes homines agnoscere, ex hominum mentibus cujuslibet supplicii metum delere, omnibusque post vitam in sceleribus gravissimis exactam gaudiis cunctis æternam refertam beatitatem polliceri. Quam, inquam, vim ad retinendum Libertinum in officio documenta hujusmodi habebunt? Quin etiam animos illi facient, ut quoties ei libuerit, tuleritque occasio, facinora atrocissima suscipiat, conficiatque. Quantum eo dolore, quem Auctor illi minitatur, naturaliter consequuturum eas voluptates, e quibus tantum percipit oblectamenti, movebitur? Quem timorem illi injicient tartara, & loca illa, recens excogitata, ubi animæ purgantur, quæ poetice conficta ab Auctore videntur; quæ si tragica narratione initio statim animum perturbant, mox eum in æternam Comœdiam versa sunt exhilaratura? Fanaticus, exempli causa, huic addictus systemati num a morte sibi consciscenda continebitur, quod facinus illud est, quod non ex *filtrationis* in nervorum succis *defectu*, ut Auctor *spiritus legum* opinatur, sed ex Religione jam eliminata tot cujusdam regionis incolæ patrant? immo Gressettus Poeta fingit, horum unum ex hoc systemate proloqui, impavidumque ferrum in se vertere:

Judex supremus tenebris me expectat in hisce,
Is natura totius pater est, & amicus.
Spiritus hic meus illius bonitate repletus
Evolat in gremio illius sine fine futurus. (a)

Aut ergo simulat, aut insanit Philosophus noster cum dicit & in principio, & in progressu suarum Epistolarum, se Spiritibus Fortibus Religionem, & honestatem eorum systemate, ut ille fatetur, victas, prostratasque, nondumque consuetis argumentis defensas velle persuadere. Mala eadem, quæ in his detestari se ait, ex ejus doctrinis consequuntur; & sicut quoad Religionem, moresque aut parvum, aut nullum discrimen est inter Athei Deum negantis, & Deistæ systemata, qui si eum agnoscit, humana tamen eum non gubernare sentit; ita quoad eamdem Religionem, moresque ab horum systematibus Naturalistæ systema nihil

(a) *Le Juge qui m'attend dans cette nuit obscure*
Est le Pere & l'ami de toute la Nature.
Rempli de sa bonté mon esprit immortel
Va tomber, sans frémir, dans son sein paternel.
Ved. *Observations sur l'Esprit des Loix*. Edit. Amstel. 1751. p. 81.

hil pene differt; qui si ait, Deum existere, hominesque curare, opinatur tamen nunquam ab illis eum decorari, aut dedecorari, neque aliud eum posse velle, nisi quocumque modo vivant, illos perfecte æternumque eum felices reddere. Quapropter dubii hæremus, & ancipites in dijudicando, num per illusionem, an per ironiam quidam ex Protestantibus Auctor (*Lettres sur les vrais principes de la Religion*. Let. I. p. 5. & seq.) loquatur, qui in harum Epistolarum confutationis initio, in quibus virus inesse & fatetur, & illud indigitat, hæc e pluribus aliis præcipue scribit; *multa pro eo facere..... eum ubique sincere hostem vitiorum, bonorumque morum patronum acrem apparere: illum Providentiam, & alteram vitam, & in illa pœnas, & supplicia agnoscere: quæ omnia Spiritus Fortes non credunt .... Eum libro toto Ethica pura, & etiam severa inculcare principia ..... in eo verum cerni consilium homines ad virtutem ducendi, & ad meliorem frugem. Verum quidem est* (inquit), *quos adhibet modos, aptissimos ad hoc opus mihi non videri*. Atqui, inquio ego, non modo non esse aptissimos, sed virtuti, & pietati consequendæ hos modos omnino adversari. Ajo, me e tenui specimine, quod duarum tantum Epistolarum dedi, & quod aliarum omnium examine augere nullo negotio possem, mihi jure concludere posse videri, vel eum cæcultasse, nisi prospiciebat, suo systemate licentiæ, & illi quidem licentiæ, quam ipse idem ex Deistarum systemate nasci fatetur, viam muniri; vel, nisi cæcutiebat, vafrum incredulum fuisse, qui voluerit incautos facere ludos, & eam licentiam, impietatemque, quam non ex animi sententia, sed simulate oppugnabat, honestatis, Religionisque larva tegere.

§. VII. Ejusdem ponderis, quod spectat ad modo relatum doctrinæ caput, esse Liberculum anno 1754. Genevensibus typis editum *Principes de Philosophie Morale* inscriptum dicere possumus. Deneganda tamen Auctori laus non est, eum compendiaria, colligataque methodo usum fuisse; notiones claras habet, quibusdam in locis eas recte connectit, easque nitide promit. Initio statim ille fatetur, (a) in sua Ethica *verbum nullum de Revelatione fecisse* (quod silentium cæteroquin, ait, *multo sibi stetisse*) *cum hæ duæ scientiæ valde inter se distent. Revelatio* (inquit) *in auctoritate nititur, Ethica in rationum inter se colligatarum serie; ego autem utile futurum esse duxi experiri quousque rationis sine auctoritatis præsidio lumen me ducere posset*. Non postulatur quidem, ut Ethicam tractaturus de Revelatione agat; & cuique licebit in rerum Moralium disputationibus rationis luminibus uti. Sed cui de Divina Revelatione, in qua clarissima, & verissima Ethices lumina sunt, persuasum est, nefas est, in suo opere (si modo veritatem inquirit) eum respuere ad illam oculos convertere; & quamquam rationis vestigia sequatur, revelationem tamen divinam negligere prorsus non debet. Ita ut si in suis sermonibus ad aliquam propositionem revelatis veritatibus adversam perveniat, sibi persuadere debeat (quod quidem valde difficile non est), rationem suam hallucinari, suaque argumenta esse paralogismos. Ita agit, qui Revelationem tenet, at qui inquit, se eam velle missam facere, statuitque interea Theoremata illi adversa, næ hic Lectorem ludos facit, verusque est, licet personatus, Naturalista. Ex hoc colore Auctoris ingenium cognoscemus.

Inquit ergo ille, quamquam leges naturales *generatim* (Chap. 8. §. 125, 126.) *& per abstractionem* loquendo nitantur causis, quæ ad earum custodiam impellere possunt, tamen *si nihil consideretur aliud, quam angusta hujus Orbis scena, vitii virtutisque consequentias adeo differre, ut plerique hominum unum alteri anteferant. Fortasse* (ita pergit) *magna pars censebit, divitias aut aliud quodcumque peculiare bonum pene tot emolumenta parere, quot rigidior innocentia parit; multoque minoris earum comparatio, conservatioque constabit. Hinc autem quæ mala in humanam societatem non redundabunt? Hæc animadversio* (inquit ib. §. 127.) *magis augetur, si considerate velimus, spem esse evitandi, ut revera sæpius evitantur, incommoda*

(a) *Je n'ai point parlé de la Revelation, & je puis dire que mon silence m'a couté .... ce sont cependant deux sciences très-distinctes. La Revelation est fondée sur l'authorité, & la Morale est une chaine de raisonnement. J'ai cru avantageux d'essayer jusqu'ou pourroit me conduire la lumiere de la raison, sans le secours de l'authorité*. Discours Prelim. pag. 9.

moda vitiorum consequentia , neque sæpe commoda , quæ virtus parit , obtineri. Hoc tandem addamus (ait §. 128.), *quoties humanum systema ad hujus vitæ spatium redigitur, iis causis illud carere sufficientibus tum , cum , ut aliquod exerceatur officium, oportet ingentia subire pericula , quale esset verbi causa , capitis discrimen . Omnia per calculos in Ethica fiunt , & quodvis opus , quod nonnisi malum agenti parit , opus est , quod morali sensu ab homine , qui recte rationes init , fieri nequit .* Ex his animadversionibus transit ad statuendam existentiam alterius vitæ, in qua est anima immortalis permansura. *Atque hic legum ordinis contemptorum statum* (ait) *magis minusve futurum molestum , eorumque conditionem , qui eas observarint , minus , magisque felicem futuram , pro utrorumque in his duobus statibus constantia.* Egregia hæc quidem. Sed pergamus porro. Si ab Auctore quæramus, in quo hæc felicitas , aut infelicitas alterius vitæ sita sit, nihil certi respondet, sed tantum reponit (§.154) *virtutem felicitatis, vitium esse miseriarum viam*; quod ut nobis persuadeat, nos *ad experientiam* provocat (§. 122.) *quæ nobis demonstrat, summam junctionem esse inter hominis felicitatem, tenoremque vitæ naturæ , & conditioni suæ convenientis , pauca esse officia illa, quorum violationem malum aliquod vel physicum vel morale non consequatur ; & quorum cultus aliquod emolumentum non afferat , licet nullum aliud esset , quam jucundus sensus , quem sentit quisque ex bene factis .* Quare, pergit ille dicere (§. 123.) *omnium aliorum hujus vitæ bonorum æqualitate posita , nihil optabilius credimus esse , quam statum hominis apprime honesti, nihil horribilius vita hominis summe improbi ; & felicitas, infelicitasque imminuuntur , quo magis utraque ab his oppositis terminis removetur .* Hoc genus ergo *felicitatis , aut infelicitatis , prout* (§. 158.) *aut violata , aut servata Naturæ jura fuerint*, quod erit in altera vita, *perfecte supplet*, inquit Auctor noster *physicam earum naturalium legum sanctionem. Quandoquidem opus virtute præstans* (§. 159.) inquit ille, *poteritne unquam homini sapienti , & speranti , se felicitatem per illud consequuturum æternam , molestum videri ? vitiumque nonne magis eum permovebis , ut illud odio habeat , quotiescumque ad ea mala , quæ in hac vita affert , illa addantur , quæ ex eo in illum in altera vita derivabuntur ?* Ne tamen quis hujus Philosophi doctrinis absterreatur , quærenti num hoc alterius vitæ malum *futurum* (§. 162.) *intolerabile , æternumque statutum sit in improbos* (*quod quidem*, ut hic dicitur, *adversaretur notionibus , quas de Deo habemus*) respondet , *hujusmodi cogitationes a systemate suo longe abesse* (§. 163.) Ideoque hujus præcipui doctrinæ capitis, immo totius hujus Philosophi Moralis disciplinæ conclusio hæc est ; improborum in altera vita infelicitatem futurum dolorem illum, qui violationem legum consequitur, at *hunc animæ sensum* (§. 164.); *se ex via felicitatis egressum , eum in illam reducturum .* Hinc tribus his Epiphonemmis, quæ totius naturalismi meta jure dici possunt, Operi finis imponitur.

I. *Beati, qui mature cognoverint , & sequuti fuerint felicitatis iter .* (a)

II. *Beati etiam qui illud cognoverint , & sequuti fuerint , quamvis sero .* (b)

III. *Beati demum mortales cuncti , ut ut in eo cognoscendo , sequendoque dissoluti fuerint ! sæcula enim eos manent , quibus eo perveniant ; natura eos irrequietos ad illud rapit , & iis æternitas superest, qua laboribus suis lætentur .* (c)

§. VIII. Hujus Auctoris, qui, ut initio dixi, nec ingenio caret , nec methodo, sensa fusius afferre placuit. Ipsamet illius verba haud nos dubitare sinunt , quasnam sententias habeat ; quæ licet perversæ sint (quoad spectat ad hæc ultima theoremata falso fulta principio , hoc est supremum rerum Dominum non duci nisi cæca , imprudentique bonitate) licet, inquam, perversæ sint , non sunt hoc tempore refellendæ. Quod unum intendimus, est, ostendere, quam fieri potest brevissime, ipsius Naturalistæ principiis, ejus systema , (quod reipsa nihil dif-

(a) §. 166. *Heureux ceux qui auront de bonne heure connu & suivi le chemin de la felicité!*

(b) §. 167. *Heureux ceux encore qui l'auront connu & suivi quelque plus tard!*

(c) §. 168. *Heureux une fois tous les hommes quelque lents qu'ils ayent été à le connoître & à le suivre, puisqu' ils ont des Siècles pour y parvenir, que leur nature les porte à y travailler sans cesse, & qu' ils ont l'eternité pour jouir de leurs succès!*

differt a modo confutato) ad licentiam ducere, & ad societatis perniciem. (a) Magna me spes tenet, fore ut sapiens Lector jam per se rem videat; inutile tamen non erit eam hoc sub aspectu proferre. Illud systema ad licentiam fert, in quo naturæ jura *sufficienti sanctione*, seu causis, ut observentur, rationes, quas major hominum pars, ut illas violet habere potest, superantibus destituuntur. Atqui in systemate modo allato naturales leges *sufficienti sanctione* carent; ergo hoc systema ad licentiam ducit. Propositio ex iis, quæ alibi diximus, patet, & ab adversario pluribus in locis repetitur, & explicatur. *Assumptionem* ita probo: in systemate modo exposito leges naturales violantibus æque ac eas colentibus æterna felicitas promittitur. Jam quis sibi persuadere potest, majorem hominum partem cupiditatibus suis non esse habenas soluturam, quovis modo divitias conquisituram, quidvis legibus vetitum patraturam, scientium post vitam hujusmodi jucundam, dissolutam, lætamque; se æternum beatos fore, ut beati innocentiæ rigidioris asseclæ sunt futuri? Jam novi, quid responderi possit, nempe in hoc systemate sæpius iterari, inculcarique, cum gaudium virtutem consequitur, tum molestiam, infelicitatemque vitium consequi. At ajo his duobus verbis, ut in hoc systemate sonant, sufficienti sanctione leges non muniri. Et primum quidem jam Auctor ipse fatetur, *si brevem hujus Orbis scenam respicimus, vitii & virtutis consequentias non adeo inter se differri, ut plerique homines impellantur ad hanc potius, quam ad illud*. Restat ergo examinandum, num hæ consequentiæ alterius vitæ ita differant, ut semper homines movere possint ad præferendam hanc illi. Dicitur in hoc systemate, improbos in altera vita esse male habendos. Sed quodnam malum erit hoc? clare, & distincte hic non describitur; ac proinde nulla datur certa ejus notio, quæ majorem hominum partem impellere possit. Dici videtur, hoc malum futurum molestiam illam, quæ ex ignorantia boni, quod in virtute sequenda consistit, proficiscitur, at dicitur etiam *malum hoc intolerabile* non futurum. Ne verbum quidem autem unum fit de ejus diuturnitate; fieri ergo potest, ut momento temporis, hoc est vix ac sensus animam docuerit, *eam a boni tramite aberravisse, felicitatis desiderium illam in eum reducat* (Vid. supra §. 164.) Denique theorema in hoc systemate certum est, animam proculdubio hujusmodi felicitatis vitam esse ingressuram, futuramque posthac æternum beatam. Jam quæro ab Auctore nostro, qui ait *omnia in Ethica per calculum fieri*, quot erunt homines, qui malum tam confusum, tam incertum, tam longinquum, tam breve, veluti oblectationibus omnium suarum cupiditatum ponderosius, & interdum gravius periculis ipsis, & morte etiam, quæ sicut ille fatetur, ut aliquod magni momenti officium præstetur, subeunda est, ad calculos reducent? Prædicet quidem, ut lubet; *excellens opus nunquam visurum esse viro sapienti molestum, qui inde æternam felicitatem expectat*. Jactitet, *vitium magis fugiendum esse, cum malis, quæ in hac vita affert, addentur ea, quæ in altera illud consequuntur*. Homines ejus systema amplexati ridebunt, & merito hæc pulchra documenta, hos sermones irridebunt. Cur, illi dicent, ferenda incommoda multa, magnaque nobis sunt, ut secundum virtutem agamus, legesque naturales custodiamus, ut felicitatem, cujus infirmam, & perobscuram notionem habemus, alterius vitæ consequamur; quæ, etiamsi aliquid magni sit, jam quamvis cupidinibus nostris obsequuti fuerimus, æternum nos est affectura? Cur cane pejus, & angue vitia fugiemus, quibus nunc ita oblectamur, si tristia alterius vitæ consequentia incerta sunt, & si quid certi habent, est brevis transitus, aliquantulum molestus, at non *intolerabilis* ad æternam beatitatem? Ad summam, consequentia virtutis, vitiique in hoc systemate quoad æternitatem sunt æque felicia; & si qua po-

(a) Dictis a nobis Tom. I. hujus Operis de animæ immortalitate agentibus, & de iis, quæ fuse diximus in secundo, jam evertuntur hujus Philosophi errores, quos recensuimus hic, ut eversionis Ethices ostenderemus causas. Qui uberius agitatam de pœnarum alterius vitæ quæstionem legere cupit, adeat doctissimum Opus Patris Vincentii Patutii præclari ex Ordine Prædic. Theologi, *De æterno impiorum fato*, ubi reperiet statutum Catholicum dogma, & labefactatos Libertinorum errores.

pœna ex vitio oritur, neque acerbitate, neque diuturnitate cum iis oblectationibus, quas possunt ex jurium naturalium læsione mortales percipere, est comparanda. *Sufficienti* ergo *sanctione* leges naturales hoc in systemate non firmantur; proinque systema istud ex ipsis Auctoris principiis ad morum corruptionem, eversionemque societatis, ducit; quod doctrinæ caput uberius prìncipe studio sequentibus in capitibus demonstrabimus.

CAPUT UNDECIMUM.

Systema Libertinorum est Societati perniciosum.

I. *Nostra propositio est necessaria hactenus dictorum consequentia: tamen a quibusdam impugnatur; præcipue a Bælio.*
II. *Ostenditur Atheismus societati infensus.*
III. *Bælii oppositio soluta.*
IV. *Confirmatur argumentum loco Puffendorfii gravissimo. Observatio in systema Deistarum, & Naturalistarum.*

§. I. EX iis, quæ hactenus de Incredulorum corruptione diximus, quam eorum de Religione dubitationum fontem esse ostendimus, & notam, qua præcipue insigniuntur, cum usque eo progressi sunt, ut impietatem profiteantur; ex iis, inquam, prudenti Lectori ita proclive erit colligere; humanæ societati maxime perniciosum esse debere eorum systema, ut huic illationi tam necessario, evidenterque ex illis propositionibus proficiscenti demonstrandæ diutius immorari supervacaneum esse videatur. Tamen quorumdam petulantia tanta est, ut rem hanc in controversiam vocare minime dubitaverint; quin etiam illam quæstionem obscuram, difficilemque dicentes tandem eo devenerint, ut per fraudes plurimas, & sophismata dijudicent, Atheismum non solum minus superstitione societati noxium esse; sed nullum illi detrimentum afferre; ita ut feliciter permanere societas posset, licet quavis religione, & fide ab ea eliminata, omnes impietatem profiterentur. Inauditum, monstrosumque hoc paradoxum fortasse videri debebit. Non erubuit tamen Petrus Bælius diuturnas, acutasque meditationes suas proferre, ut illud omnibus probaret, ut quisque videre potest in ejus *pensées diverses sur les Cometes*, in *continuation* earumdem cogitationum, in *reponses à un provincial*, variisque ejus *Dictionaire* locis. Eum sequutus est Joannes Tolandus in Dissertatione, quæ *Adeisidæmon* (hoc est homo *sine superstitione*) titulum præsefert, aliique minutuli, sed perfrictæ frontis Libertini, qui omnes a magni Rotherodamensis Sophistæ fontibus scientiam suam ut plurimum hauriunt.

§. II. Ut ergo statim ad illationem ipsam descendamus, quandoquidem illi & libris, & sermonibus nos lacessunt; ne ab illa proferenda desistamus; eoque magis, quod illa argumento erit; quantum humanum genus hujusmodi novam Philosophiam perhorrescere, quantumque curare debeat, ut ii qui Reipub. præsunt, eam exulare jubeant. Itaque primum dico, *Atheismum ita humanæ societati damnosum esse, ut ejus subsistentiæ directe adversetur*. Ut ex doctrinis superius expositis evidentissime hanc propositionem deduci ostendamus, ratiocinationis nostræ fundamentum sit doctrina, quam doctus Anglus (*a*), alia de re scribens juxe dicit,

(a) Ditton. La Relig. Chrètien. demont. par la Resur. Par. 2. Chap. 7. prop. 5. *Cette maxime, que la Societè ne sauroit subsister dans le Monde, si les hommes ne se fioient pas l' un a l' autre ..., n'est pas moins evidente, que l' axiome de Geometrie, qui dit, que si à des choses egales entre elles vous ajoutez ou ostez egalement, elles resteront toujours egales.*

tit, esse tam perspicuam, quam est Geometriæ axioma. Eccum illam.

Societas stare non potest, si mortales sibi mutuo fidem non habent. Mutuam fidem hanc habere debent Rex, Civesque; ut ne ille Tyrannus fiat, neque hi desciscant. Fidem hanc habere debent sancitis fœderibus finitimi populi: ne uni alios intercipiant inter inducias, aut pacem. Hanc demum fidem habere debent domini servis, uxori vir, civis civi; ita ut simul viventes, exercentesque commercia, aut quocumque sibi invicem opitulantes se non opprimant, prodant, defraudent, sed pacta, promissa, jura rei, famæ, vitæ servent. Si fides hæc a societate auferretur, eodem tempore quies, pax, commercium de medio tolluntur, eorumque in locum suspicio, metus, bellum ingruunt; atque hinc necessario separatio consequitur, & proinde societas corruit. Jam quænam est unquam hujus *mutuæ fidei*, quæ humanæ societatis est vinculum, causa? Nulla alia, ut mea quidem fert opinio, nisi hæc; persuasio nempe, quam quisque habet, eum, cui fidit, scire se lege obstringi, ne alium opprimat, sed datam fidem præstet, ne violet quocumque nomine alterius jura; deinde eum causas magnas habere, quæ ad hanc legem etiam sua utilitate, aut voluptate posthabita, qua ad illam lædendam posset allici, servandam illum impellant. Quò magis, minusve firma hæc principia mente de aliquo concipimus, eo minus magisve, quam in illo habemus, fiducia crescitque, decrescitque. Si ergo putaremus, esse quemquam, qui crederet, nullam dari legem, qua adstringatur, ad præstanda promissa, & ad servanda nobis jura; aut crederemus, nullam in hoc esse causam, quæ possit eum ad hanc legem custodiendam impellere; illi fidere non possemus; & proinde nemo aliis confideret, si crederet, in nemine hominum hæc duo principia, quæ fidei fundamenta sunt, inesse. Tunc autem societas, quæ secundum prædictum axioma hac fide fulcitur, non permaneret. Evidentissimis his veritatibus statutis, Libertinorum systema examinemus, conspiciemusque, eumem societatem funditus illo everti. Illi, ut de Epicuro Impiorum veterum Principe, de Hobbesio, Montanea, & Spinosa nuperorum Præceptoribus probavimus, statuunt, nihil esse natura sua justum, & honestum, injustum, aut turpe; sed ex viribus, & emolumento cujusque, honestum rectumque metiuntur. Prima igitur lex, quam in hominibus agnoscunt, est illa, quæ inter pisces viget, hoc est, ut qui alterum vi, & magnitudine superat, eum vorare possit. Hi ergo fundamentum primum mutuæ fidei, hoc est persuasionem legis, quæ ad servanda cujusque jura quemlibet obligat, ab hominibus tollunt. Dicunt illi quidem, se non asserere, hominem *exlegem* esse, & suis cupiditatibus obnoxium, nisi prius quam in societate cum aliis vivat; at societatem ingresso præstanda esse promissa, legesque civiles servandas. Quis tamen hujus sermonis sensus prorsus expertis dolum non videt? Si nihil suapte natura justum vel injustum est, cur injustum erit leges civiles lædere, promissisque non stare? jus positivum in naturali fundatur. Qui igitur hoc aufert, illud etiam quoad interiorem vim evertit. At fingamus quod alibi dedimus Bælio, Libertinos ordinem illum æternum, & immutabilem rerum naturis nixum, & a Dei voluntate pendentem posse cognoscere; & ideo justitiæ, honestatisque notiones eos habere posse. Quæ utilitas, inquio ego, in humanam societatem ex hac notitia redundat? Erit hæc mera contemplatio sterilis, infirmaque, minimeque apta, quæ vel levissimum quemvis cupiditatis impetum coerceat, qui in contrariam partem eum moveat. Ratio clara est, & perspicua. Notio hujusmodi honestatis, justitiæque in Atheo nulla est iis præsidiis, quæ sunt præcipua, & universa, quæ una cuilibet motui quo impellatur homo ad ea violanda, obstare possunt. Hæc enim, ut vidimus, sunt illa, quæ Religio una subministrat: hoc est, *Deus omnia videns, æternis præmiis virtutem, suppliciis æternis vitium afficiens.* Aliæ causæ ab Epicuro, tum a Bælio, aliisque Libertinis assignatæ, ut ostendimus, innumeris sceleribus, quæ si patrarentur, societatem omnem labefactarent, obsistere nequeunt. Maximam harum esse imperantium pœnam vidimus. At respondimus alibi, causam hanc *non complecti generatim omnes, & singulos*; plurimi siquidem, & imperantes potissimum eximu-

Numinis removeas, ubi quis propriis viribus fisus fuerit, qualibet imbecillioribus pro libitu inferet, ac honestatem, pudorem, fidem inter inania vocabula reputabit, nec ad recte faciendum aliter, quam sensu propria imbecillitatis adigetur. Porro, Religione remota, Civitatum firmitas intrinseca semper in incerto foret, nec ad cives in officio continendos haudquaquam sufficeret metus temporalis pœna, fides superioribus data, ejusque servanda gloria, & gratitudo, quod ope summi imperii a miseriis status naturalis defendantur (a). *Tunc enim revera locum haberet*, qui mori scit, cogi nescit. *Quippe, cum Deum non metuentibus nihil magis quam mors metui possit, huic contemnenda qui sufficeret, in imperantes quavis tentare posset. Ut autem id vellet, vix causa defutura foret; puta ut declinaret incommoda, qua sibi ab alterius imperio videntur incumbere, aut ut ipse potiretur commodis, qua imperii possessorem comitantur. Prasertim cum facile judicare possit, jure se id facere: vel quod qui in prasens rerum potitur, prave Remp. videatur gerere, vel quod ipse longe melius imperaturum se speret. Occasio autem ad talia tentanda facile offerri posset, Rege vitam suam non satis caute circumspiciente (& quis tali statu rerum custodes ipsos custodiet?) vel multis conspirantibus, vel bello externo ingruente, adscitis in partes hostibus. Praterea cives ad injurias mutuo inferendas, futuri essent pronissimi. Cum enim in foro civili pronuncietur secundum acta, & probata, omnia scelera, & flagitia, ex quibus provenire aptum est, si occulte patrari, & sine arbitris possent, pro dexteritate ingenii, in qua placere sibi quis posset, haberentur. Nemo quoque opera misericordia aut amicitia esset exercitaturus, nisi gloria, aut emolumenti explorata spe. Ex quo & illud consequeretur, ut dum nemo in alterius fide, remotis pœnis Divinis, solidam fiduciam collocare posset, singuli perpetuo metu, & suspicionibus anxii viverent, ne ab aliis deciperentur, aut læderentur. Sed & tam Imperantes, quam subjecti parum proclives essent ad praclara, & gloriosa opera patranda. Nam Imperantes nullo conscientia vinculo constricti omnia munia, ipsamque justitiam venalia essent habituri, & in omnibus privatum commodum quasituri cum oppressione civium, a quorum rebellione uti semper metuerent, ita suam salutem unice in eo positam intelligerent, ut illos quam maxime enerves redderent. Cives contra oppressionem Imperantium formidantes nunquam non circumspecturi forent occasionem rebellandi, nec minus tamen ipsi inter se diffisuri, seque mutuo formidantes essent: Quin & conjuges oborta vel levi querela, se invicem essent suspecturi, ne veneno, aut alio clandestino modo necarentur. Par periculum a familia immineret: cum enim sine Religione nulla quoque futura foret conscientia; non facile esset occulta ejusmodi scelera deprehendere, quippe qua per inquietudinem conscientia, & terrores in exteriora indicia erumpentes prodantur. Unde apparet, quantopere intersit generis humani, Atheismo omnes vias, ne invalescat, intercludere, simulque quanta vecordia sese agitet, qui ad opinionem prudentia politica conciliandam facere autumant, si in impietatem proclives videantur.* Hactenus Puffendorfius. Nunc admonendus tantum Lector est, quamquam & ab eo, & a nobis toto hoc in capite mentio solum Atheismi facta fuit, tamen demonstrationem nostram, animadversionesque Puffendorfii contra Naturalistarum, Deistarumque systema concludere, a quibus cum de medio tollatur mutuæ inter mortales fiduciæ vera, universaque causa, evidens etiam fit, e systemate hos omnes humani generis hostes esse, quippe qui humanæ societatis eversionem moliuntur.

(a) Credo, eruditum Lectorem in hoc, aliisque huic similibus dicendi modis advertere potuisse Hobbesianum virus a Puffendorfio imbibitum de naturali hominum statu, quem ille describit malitiæ, & infelicitatis coloribus nigerrimis in eodem Opere Lib. II. cap. I. §. 9. sed confutatur fuse a Titio, & ab aliis etiam.

CA-

CAPUT DUODECIMUM.

Legislatores Fundamentum societatis, cui leges dabant, posuerunt Religionem.

I. *Generatim mos hic Legislatorum innuitur. VVarburtonis opus, in quo de hoc argumento agitur.*
II. *Plutarchi, & Ciceronis testimonia illustria.*
III. *Observationes graves ad loca allata. Illatio pro thesi a nobis exposita.*
IV. *Belii oppositio. Contorquetur in eum & confirmatur propositio ejus principiis.*
V. *Observatio in Pyrrhonismum ejus Auctoris. Quousque Veteres dixerint Religionem necessariam societati.*

§. I. ALiud argumentum, & quidem validissimum ejus doctrinæ capitis, quod hactenus tractavimus, hoc est impietatem esse societati infensam, ex perenni universo Legislatorum, eorumque prudentium Reip. moderatorum, qui semper tamquam primum necessarium Imperii status fundamentum Religionem jecerunt, more deducitur. Nemo fortasse uberius de hoc argumento egit, quam VVarburtonus in suo opere Anglice scripto *de Divina Moysis Missione*, & quamquam, ut alibi diximus, quasdam singulares, incredibiles sententias in hoc Auctore nobis interdum offendere videmur, tamen quoad doctrinæ, quam præ manibus habemus, summam, hoc est necessitatem Religionis quoad societatem, strenue eam versat, ostendens dogma pœnarum, præmiorumque in altera vita esse illius fundamentum. Quod nimirum omnium Legislatorum, præter Moysen, iis de causis, quas alibi attulimus, instituto confirmat. Quidquid ergo ex veteribus monumentis colligi potest, eruditissime affert; demonstratque, præcipue eos istud curasse, ut Providentiæ dogma in populi mentibus semper infixum hæreret. Quod dogma aut in eodem ad suas leges prologo (Quod fecerunt in suis Zeleucus, & Carondas, quos a temporum injuriis nobis servatos tradiderunt Diodorus, & Stobæus) indicebant, aut per varias sacras Religionis cæremonias inculcabant; quarum ideo bonam partem sibi magistratus sumebant; aut veneratione dignum mysteriis significabant. Hæc mysteria, pergit ille dicere, in Ægypto inventa, & inde in Asiam, & in Europam delata nihil volebant aliud, nisi ut in hominum animis imprimerent, conservarentque notionem Moderatoris supremi bonis præmia dantis, improbosque punientis suppliciis. Putabant enim Sapientes illi, hoc unum homines in officio continere, & ad earum legum cultum, quæ in Societatis commoda rogatæ fuerant, impellere, posuisse.

§. II. Satis erit, ut est hujus operis nobis propositum consilium, duos præclaros Magistros antiquarum rerum præter alios peritissimos Plutarchum, & Ciceronem audire, quorum testimonia instar omnium erunt. Inquit ergo ille (a): *In legibus constituendis præcipua, & maxima est de Diis sententia. Quare & Lycurgus Lacedæmonios, & Numa Romanos, & Jon antiquus Athenien-*

(a) Διατάξεως τῶν νόμων πρῶτόν ἐστιν ἡ περὶ θεῶν δόξα, καὶ μέγιστον. ᾗ καὶ Λυκοῦργος Λακεδαιμονίους, καὶ Νουμᾶς Ῥωμαίους, καὶ Ἴων ὁ παλαιὸς Ἀθηναίους, καὶ Δευκαλίων Ἕλληνας ὁμοῦ τι πάντας καθωσίωσαν εὐχαῖς, καὶ ὅρκοις, καὶ μαντεύμασι, καὶ φήμαις ἐμπαθεῖς πρὸς τὰ θεῖα, δι' ἐλπίδων ἅμα καὶ φόβων καταστήσαντες. Εὕροις δ' ἂν ἐπιὼν καὶ πόλεις ἀτειχίστους, ἀγραμμάτους, ἀβασιλεύτους, ἀοίκους, ἀχρημάτους, νομίσματος μὴ δεομένας, ἀπείρους θεάτρων καὶ γυμνασίων. ἀνιέρου δὲ πόλεως καὶ ἀθέου, μὴ χρωμένης εὐχαῖς, μηδὲ ὅρκοις, μηδὲ μαντείαις, μηδὲ θυσίαις, ἐπ' ἀγαθοῖς, μηδ' ἀποτροπαῖς κακῶν, οὐδείς ἐστιν, οὐδ' ἔσται γεγονὼς θεατής. Ἀλλὰ πόλις ἄν μοι δοκεῖ μᾶλλον ἐδάφους χωρὶς ἢ πολιτεία τῆς περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασι, σύστασιν λαβεῖν, ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι. Plutar-

mansfet, *&* *Deucalion pene omnes Graecos Diis consecrarunt*; *votis*, *juramentis*, *vaticiniis*, *auguriis*, *spe*, *&* *timore eos illis subjecerunt*. *Et si terrarum Orbem pervagemur*, *invenientur urbes sine moenibus*, *sine litteris*, *sine Rege*, *sine tectis*, *sine opibus*, *sine nummis*, *a theatris*, *gymnasiisque nuda*: *at civitatem sine templis*, *sine Diis*, *qua preces non fundat*, *juret*, *oracula consulat*, *qua*, *ut commoda consequatur*, *non litet*, *&* *infortunia rebus sacris averruncare non studeat*, *nemo unquam vidit*, *aut videbit*. *Immo facilius reor*, *posse urbem sine solo adificari*, *quam vel posse construi*, *vel constructam sine Deorum persuasione posse stare*. Bælius tamen, Tolandus, Collinsius, aliique eorum asseclæ putant, se posse hujusmodi urbem construere, & efficere ut constructa stet, a qua quævis Dei notio amandetur, & in qua Atheismum cives omnes profiteantur. Præclaram enimvero urbem, dignamque, quæ hujusmodi Philosophos cives habeat! Sed Ciceronem audiamus qui Lib. II. *de Legibus*, cum elatis, rectisque cogitationibus suis ostendisset, esse originem æternam, & immutabilem Legum mentem ipsam summi Dei, verbis illis aureis: *Quamobrem lex vera*, *atque princeps apta ad jubendum*, *&* *ad vetandum ratio est recta summi Jovis*; antequam eas leges recenseat, quas ad tranquillam, beatamque civium vitam putat conducere, ait, velle se Platonem, Zeleucum, & Carondam imitari, qui legibus suis procemium vim omnem, roburque aptum ad impellendos cives ad id observandum, quod jussissent, complectens præmiserunt. Ita ille (ibid. cap. 7.). *Sit igitur hoc a principio persuasum Civibus*, *dominos esse omnium rerum*, *ac moderatores Deos*: *eaque*, *qua geruntur*, *eorum geri vi*, *ditione*, *ac numine*: *eosdemque optime de genere hominum mereri*, *&* *qualis quisque sit*, *quid agat*, *quid in se admittat*, *qua mente*, *qua pietate colat religiones*, *intueri*: *piorumque*, *&* *impiorum habere rationem*. *His enim rebus imbuta mentes haud sane abhorrebunt ab utili*, *&* *vera sententia*. *Quid enim est verius*, *quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem*, *ut in se rationem*, *&* *mentem putet inesse*, *in Cœlo*, *Mundoque non putet*? *aut ut ea*, *qua vix summa ingenii ratione comprehendat*, *nulla ratione moveri putet*... *Utiles autem esse opiniones has quis neget*? *cum intelligat quam multa firmentur jurejurando*, *quanta salutis sint fœderum religiones*, *quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit*? *quamque sancta sit societas Civium inter se ipsos*, *Diis immortalibus interpositis tum judicibus*, *tum testibus*. *Habes legis proœmium*: *sic enim hoc appellat Plato*.

§. III. Duo materiæ huic admodum accommoda in horum Auctorum testimoniis sunt observanda. I. Consensus universus Legumlatorum, eorumque qui de Rep. gerenda loquuti sunt in statuenda, veluti omnium Legum fundamentum, Religione; ex quo evidenter apparet, sapientes viros illos judicasse, insaniam esse, velle in impietate Remp. constituere. Quod si nihil societati utilius crediderunt, quam Civium animos supremæ providentiæ notione occupare: nihil proinde perniciosius, infestiusque eidem esse censuerunt, quam Libertinorum opinionem, quæ fidem ejusmodi ab illa exterminat. II. Alterum, quod notatione dignum est, præcipue in Ciceronis loco est, quorumdam bonorum, quæ ex Religione in societatem dimanant, recensio; quæ & Legislatorum sapientiam in illa inculcanda, & a nobis dictam religionis necessitatem demonstrant. *Quam multa*, (inquit Tullius) *firmantur jurejurando*? hoc, uti dicam, mutuæ hominum fidei, sine qua societas stare nequit, vas est. Hoc definiuntur lites, conventa firmantur, commercia cum longinquis exercentur, hoc illractus reconditur ensis coram hostibus, publica munera suscipiuntur, ut naviter, & æque gesta in Reip. & Civium utilitatem cadant. Undenam sit, ut hujusmodi cœremonia in homines introducta tantam vim habeat, ut tutior, validiorque & vinculis, & armis habeatur? (a), Non aliunde certe, quam ex Dei testis, judicisque promissorum crediti nomine interposito; cujus iram omnipotentem invocat jurans, quoties pejeret. Hæc persuasio effecit, ut Pœni (ne alia percenseam exempla) sinerent, M. Attilium

Re-

(a) *Nullum vinculum ad adstringendam fidem majores nostri jurejurando arctius esse voluerunt*. Cic. offi. III. c. 31.

Regulum Captivum suum Romam proficisci, cum se rediturum, re infecta, jurasset: effecitque jusjurandum hoc, ut vir ille Clarissimus Chartaginem reverteretur, quamvis sciret, quam multa amara sibi facturi essent hostes, quamque immanis mors sibi esset obeunda (a). Nunc fingamus, in Remp. per aliquam societatem Atheismum diffundi, & Principem suspicari posse, sui corporis custodes ex hac schola esse; electos a se judices ad jus populo suo dicendum esse hujusmodi; ejusmodi magnates, quibus gravissima Imperii negotia commisit; tales duces, qui res bellicas administrant, arcesque custodiunt. Hæc sciens considerat, hos omnes e systemate nullum aliud agnoscere jus, quam propriam vim, neque suorum consiliorum mensuram aliam, quam suam utilitatem. Quantum fidere his potest (quamvis sacramento se obstrinxerint) de justa Imperii gubernatione, de urbium custodia, de honestate fœderum, de se ipso? Respondet Tolandus hæc; *Non Deum profecto credit scelerum ultorem Atheus*; *non vindices inferorum exhorrescit flammas*, *nec sacra jurisjurandi religione*, *sed civili tantum promissorum reverentia cohibetur*. (Adeisedæ. §. 23.) O admirandam *civilem reverentiam*, quæ tantam in homine vim habes, qui e systemate ne Deo quidem reverentiam præstare se profitetur! Sed quis huic fidet, qui non solum palam, sed olam nullos frænos accipit?

Alia emolumentorum Religionis in Societatem a Legislatoribus inculcatæ recensio a Cicerone facta latius patet: *quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit*. Videbant Reip. Moderatores, Principem plurimas criminosorum, criminumque species ulcisci non posse; at sciebant, alte Dei cuncta videntis, cunctos, cunctaque punientis notionem in hominum animis esse infixam. Ideo timore hoc utebantur, ut earum Legum, quibus conservatur Societas, cultum consequerentur. Hinc Cicero ipse cum primam Legem esset effatus: *Ad Divos adsunto caste; pietatem adhibento, opes amovento:* statim addit: *Qui secus faxit, Deus ipse vindex erit*. (Lib. II. de Leg. c. 8.) Quod felix semper Societati fuit; *quam multi enim sunt, quos divini supplicii metus a scelere revocavit?* Probe scio, etiam Religione proposita, creditaque, & innumera præteritis temporibus fuisse scelera, & nunc innumera ab hominibus committi; probe novi, homines non semper agere (atque hoc est quod Bælio arridet quam maxime) secundum hęc principia; at nemo negare poterit, principia præcipua Religionis, hoc est Deum bonis præmia, malis supplicia impertientem, quovis tempore, quovis in populo saltem servili metu, aut utilitate ab iis facinoribus, quæ Societatis labes sunt, homines revocasse. Quod quidem emolumentum ab Atheorum Societate nemo speraverit; immo systema ipsum ad contrariam partem impellit. Si enim hoc jaciatur fundamentum, nullum esse Numen, quod humana judicet, regatque; omnia interire morte; vitiorum, virtutisque discrimen esse commentitium; conscientiam esse educationis unius præjudicium, quis est, qui non videat, corrupto homini calcaria acutissima addi, ut quacumque ruat, fas, deque omnia misceat, quodvis perficiat malefactum, quo credat suas cupiditates explere in vita hac, una cognita, una amata, frustra reclamantibus Legibus, quarum nullam vim agnoscit, frustra reclamantibus mortalibus, quorum jura contemnit? *Dicamus* (inquit Barbeyraccus) *quod revera est*, *Athei impietate admissa*, *non valde a recta ratione hic aberraret*, *si voces naturæ sequeretur*, *quæ*, *Balii sententia*, *sunt*, *manducandum esse*, *& bibendum ad libidinem*, *obsequendum sensuum omnium oblectamentis; alienis sua commoda anteferenda*, *conquirendum quod creditur se decere*, *potius inferre*, *quam pati injuriam*, *suosque hostes probe ulcisci* (b). Civium ita sentientium, ita agentium, hujusque Ethicæ discipulo-

So-

(a) *Sed in his, quæ custodiam Religionis attinent, nescio an omnes M. Atilius Regulus præcesserit . . . , qui Carthaginem repetiit non ignarus ad quam crudeles, quamque etiam merito infestos sibi Deos reverteretur. Verum his juraverat, si captivi eorum redditi non forent, ad eos se rediturum. Potuerunt profecto Dii immortales efferatam mitigare sævitiam. Cæterum quo clarior esset Atilii gloria, Carthaginienses moribus suis usi passi sunt tertio bello Punico religiosissimi spiritus, tam crudeliter vexati, urbis eorum interitu justa exacturi piacula*. Valer. Max. Lib. I. cap. 1. n. 14.

(b) *Disons la verité; posé l'impieté d'un Athée, il n'agiroit pas trop deraisonnablement de suivre la voix de la nature, dont les sermons, selon M. Bayle* (continuat. p. 31.) *sont; qu'il faut bien* *man*,

rum Societas quamdiu stabit? An est qui non videat, Societatem hujusmodi non hominum, sed immanium belluarum esse dicendam, qui in se mutuos impetus facerent, seque ad internecionem delerent, ut præda potirentur? Legislatorum ergo perpetua, constantique consuetudine Religionem summopere commendantium, & rationibus, quibus permoti id fecerunt, perspicue confirmatur id, quod præcedenti capite statuimus, hoc est Atheismum ita Societati perniciosum esse, ut nullo modo Societas stare possit.

§. IV. Quæ, quantaque moliatur Belius, ut ostendat, Atheorum Societatem stare posse, vix est credibile. Omnium Legislatorum ætate, studiis, regionibus, facultatibus diversorum, sed Religionem cujusvis Rerump. generis fundamentum jacentium constans ratio est ita clara, ut eum a suscepto consilio revocare debuisse videatur. Secus tamen res se habet: Fatetur ille ipsos Atheos hunc Legislatorum consensum agnoscere; & mendose colligere; Religionem Polituces commentum esse, ut ejus ope intra æquitatis, & officiorum terminos quasi cancellos mortales continerentur. Tamen respondet, *hoc argumento non esse; eos credidisse, imperium sine Religione omnino stare non posse*. *Ars exquisita Politica* (pergit dicere) *non contenta est eo, quod necessario ad conservandam societatem requiritur; quoad fieri potest, id addit; quod ad faciliorem gubernationem magis conferre videtur* (a). Age, Philosophum hunc aggrediamur, qua aditus patet, undique postea eum oppugnaturi. Negat ergo Balius, credendum esse, Religionem a Legislatoribus inculcatam ut *prorsus necessariam* Societati, sed tantum ut utilem modum, aptissimumque ad eam regendam? Ita sane. Ergo saltem debet mihi concedere, Atheos esse boni communis hostes, utpote qui rationem ita humano generi utilem habitam, ut omnes Legislatores suarum legum, jussorumque omnium primam fecerint, de medio tollunt. Removeatur nunc paulisper hypothesis (quæ nunquam actu perficietur) num sine Religione possit stare Resp. Certum, exploratumque, & maxime necessarium est, Religionem, hoc est fidem in Deum, qui omnia videt, qui bonis bona æterna, malis æterna mala dabit, esse longe magis Reip. utilem, quam impietatem, & saltem hujusmodi omnes Legislatores, sapientesque illam agnoverunt, & *sana Politica*, Balio ipso fatente, eam velle debet. Ergo *sana Politica* primum quidem libros eo consilio scriptos ut hanc persuasionem infirment, ut hoc Societatis vinculum perfringant, debet flammis comburere: Debet deinde *sana Politica* tamquam perniciem Imperii eos omnes respicere, qui principia Religioni habentes adversa, illi obstant, dantque operam, ut non solum quasdam ad tempus consuetudines, sed systema ejus utilitati contrarium inducant. Quid enim? an tunc tantum expediendi sunt enses Principi, cum collatis signis id oppugnatur, sine quo suum Imperium nequit persistere? An non satis est, eos scire, quosdam machinari, ut id, quod maxime ad communem tranquillitatem, otiumque facit, quod ad legum conservationem pertinet, quod *gubernationis rationi faciliori conducit*, quod regit Societatem, perturbent, evertantque? Jam, ita iisdem Libertinis fatentibus, hoc certum est, Religionem *saltem* esse hujusmodi, & talem *saltem* eam ab omnibus legislatoribus fuisse habitam.

Sed urgeamus argumentum, & cominus iis armis, quæ nobis suppeditat hostis, illum aggrediamur. Religionem ut modum ad gubernationem aptiorem, utilioremque impietate Societati hactenus consideravimus. Pergamus quæso porro, hanc utilitatem, de qua loco memorato loquitur Balius, ponderare; ponderare, inquam, iis notionibus, quas de Atheis, piisque ille ipse alibi exponit. De Vaninio sermonem habens, ait, solam fallacis ostentationis notionem, nominisque alicujus

manger, & bien boire, bien jouir de tous les plaisirs des sens, preferer ses interets à ceux d'autrui s'accommoder de tout ce qu'on trouve à sa bienséance, faire plûtot une injure, que de la souffrir se bien venger. Barbeyr. not. sur Pufend. Droit de la Nat. Lib. II. Chap. 4. §. 3.

(a) *Ce n'est pas une preuve, qu'ils ayent cru, qu'un Etat ne pouvoit absolument se passer de Religion. La bonne Politique ne se contente point de ce qui est absolument necessaire à maintenir les Sociétès, elle y ajoute autant qu'elle peut ce qui lui semble le plus propre à rendre plus aise le gouvernement.* Repon. aux Provinc. p. 3. §. 17.

jus cupidinem eum movere potuisse, ut suam impietatem alios doceret, & ad Atheismum eos duceret. *Vaninius enim* (sunt hæc ejus verba (a)) *haud ignorare poterat, Atheum, qui sua commoda solum consectaretur, melius futurum cum piis hominibus, quam cum scelestis; probus enim vir fraudibus, dolisque non te circumveniet; tantumque abest, ut te decipiat, ut aliena bona occupet, ut malis bona sua dimittere, quam cum vire ad pejerandum parato contendere. Contra vero scelestus ultro defraudat, ultro pejerat, & quovis scelerum genere suorum competitorum consilia perturbat. Ita ut optandum Atheo suæ felicitatis cupido sit, omnes mortales probos esse; Vaninius autem toto Cælo errabat; cupiens enim ex alienis malis emolumentum percipere, Atheismum statuere satagebat. Potius laborandum illi erat, ut homines pios efficeret . . . Quid ad eum attinebat, si Christianus a voluptatibus se abstinebat? Si ad pietatem movebatur, e sui systematis cancellis egrediebatur, quod ad aliena curanda commoda non cogit.* . . .

Habemus ergo e Bælio, Atheorum ingenium esse hominum *scelestorum ad fraudes, & ad perjuria* proclivium, qui *quodvis scelerum genus* suscipiunt, ut *aliena consilia pervertant*, & in alienis ruinis suam felicitatem constituant; hominum denique se amantium unice, ita ut nihil *aliena emolumenta* curent, neque alienis ærumnis quicquam *ad pietatem* commoveantur. Contra vero ex eodem scimus, Religionis systema, quod homines *vere pios* facit, eos ad agendi rationem omnino diversam agere, ita ut qui comparare sibi has facultates vult, optandum sit, ut omnes idem systema teneant. His notionibus in confesso habitis, Bælium rogarem si inibi esset, ut veritatem fateri posset, ut definiret, quousque detrimentum pertingeret, quo Societas afficeretur, si hominibus primi generis constaret; & quousque progrederetur utilitas, quæ in eamdem redundaret, si illis expulsis, secundi generis systema introduceretur? Auderetne frigide dicere, *illorum systema* solum *minus aptum ad facilem Societatis gubernationem efficiendam videri*, cum horum ad hunc finem *aptius* videatur? Quis non videt, Societatem primis constantem futuram latronum, immo immanium ferarum, seque invicem perimentium Societatem? Horum ergo systema cum altero collatum, quod ad illorum depulsionem tendit, Societatis gubernationi minus accommodum non est appellandum, sed Societati prorsus infestum. Sana Politica igitur Religionem inducens in Societatem modum non solum ad ejus faciliorem gubernationem aptiorem, sed ad ejus conservationem apprime necessarium inducit.

§. V. Mirabitur fortasse quispiam, tam parum secum constare Bælii scripta, ita ut cum coloribus tam nigris Atheistas pinxerit, tam fuse probare velit, Atheismum in morum corruptionem nihil influere; *Atheos nonnisi ideas honestatis habere: causas cur leges æternas colant, habere posse: optimos cives esse posse, ita ut societas iis unis conflata stare possit*. Nonne assertio prima reliquas destruit? Ita sane, respondeo; Non hæc tamen una est contradictio, quæ in hujus Pyrrhonici scriptis reperitur. Qui vult in veritatem pugnare, pugnandum interdum est contra seipsum unum, idemque omnibus suis scriptis intendebat Bælius; sed modi adhibiti ad id obtinendum sese invicem destruunt. Hoc unum vult, ut Atheismus de Religione triumphet. Nihil ei hoc visum aptius est, quam ut quacumque ratione posset Atheorum Ethicam celebraret; quod facit in tot & *cogitationum*, & *continuationis* locis, & alibi. Martyr tamen, & Apostolus Atheismi erat nimis conspicua imago, quæ mysteriis Impietatis initiatos in admirationem rapit. Hæc ergo

(a) *Car Vanini ne pouvoit pas ignorer, qu'un Athée qui ne cherchoit que son utilité, trouveroit mieux son compte parmi des bons devots, que parmi des scelerats: parce qu'un bon devot ne vous supplante point par ses cabales & par ses intrigues, & a si peu de disposition à tromper ou à s'emparer du bien d'autrui, qu'il aime mieux ceder son droit, que de contester contre un homme, qu'il voit resolu à faire de faux sermens; au lieu qu'un scelerat est le premier à se servir de la fraude & du parjure, & à faire echouer les desseins de ses concurrens par toute sorte de mechansetés. De façon qu'il est de l'interêt d'un Athée qui veut faire fortune, qu'il y n'ait que de bonnes ames sur la terre; & Vanini n'y entendoit rien, s'il vouloit pêcher en eau trouble, de vouloir établir l'Atheisme. Il falloit plutôt travailler à rendre le Monde devot . . . Que lui importoit qu'un veritable Chrêtien se privat des plaisirs du Monde? Si cela lui faisoit pitié, il sortit de son systeme, qui ne l'engage à rien en faveur d'autrui.* Pens. divers. §. 182.

ergo in Vaninio pulcherrimis coloribus pingitur, licet omnia sint ad libidinem conficta, quippe quæ Historiæ repugnant. Ut tamen hæc pictura magis appareat, subobscurum quemdam colorem addidit: ut heroica virtus magis emicet, finguntur Proselyti, quos instituere debebat Atheismum prædicans hujus systematis causa sceleftissimos, & cujusque boni, alienæque utilitatis hostes; ut hinc appareat non avaritia, sed gloriæ cupiditate ad hoc opus Vaninium fuisse motum. Itaque dum vult hunc tamquam Heroem extollere, eodem tempore veluti monstra eos, quos illi similes facit, intuentium oculis objicit.

Antequam capiti huic finem impono, Lectorem admoneo præter allatas Balii cogitationis confutationes, qui Libertinos dicentes, Legislatores Religione non ut modo omnino necessario, sed ut utiliore Societatis conservationi usos inducit; admoneo, inquam, hujusmodi cogitationem per se cadere, etiamsi obiter loca Plutarchi, & Ciceronis, superius producta considerentur, ut consensum Legislatorum, aliorumque sapientium virorum in inculcando populis Religionis cultu reftentur. Plutarchus cum recensuisset clariores Resp. in hujus rei exemplum concludit, *se facilius ducere construere Urbem sine area, quam sine Deorum persuasione eam posse stare*. Cicero autem afferens tamquam a Religione in Societatem provenientia illa effecta, quæ sunt necessaria, ut ostendimus, ad constituendam hominibus eam Fidem (sine qua nulla est Societas) & ad eos permovendos ad earum Legum cultum, quæ sunt Societatis vinculum; ostendit, se quoque in Religione vim ad Rerump. statum necessarium agnoscere.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Observationes in domum Epicuri: Litterati Sinenses: & quædam nationes, quæ nullam Religionem dicuntur colere.

I. *Vanus Balii triumphus ad locum Ciceronis de amicitia, quæ erat in Epicuri domo.*

II. *Etiamsi locus valeret, nihil inserviret huic quæstioni.*

III. *Alia Balii, & Tolandi oppositio deducta ex litteratis Sinensibus. Quid nonnulli Scriptores cogitarint de horum Atheismo. Nota magni ponderis. Quænam sit eorum ostentata honestas.*

IV. *Horum litteratorum ratio nobis argumentum suppeditat contra Balium. Inepta Tolandi fraus derisa.*

V. *Responsio oppositioni desumptæ ab aliis gentibus, quæ dicuntur Religionis expertes. Animadversiones ad mores Groelandensium. Omnia propositionem nostram confirmant.*

§. I. Quamvis ex iis, quæ duobus in præcedentibus capitibus a nobis dicta sunt, persuaserit sibi Lector, perniciosissimum Societati Atheismum esse, neque sine Religione eam stare posse; quædam tamen argumenta, quæ a facto desumpta Bælius cum suis gregariis nobis opponit, ut ostendat Remp. quæ nullam Religionem habeat, posse persistere, debemus taciti nullo modo præterire. Deductum primum est ab Epicureis, *de quibus en*, inquit Bælius, *pulcherrimum Ciceronis locum*: „ de qua (*amicitia*) Epicurus quidem ita dicit, „ omnium rerum, quas ad beate vivendum sapientia comparaverit, nihil esse majus amicitia, nihil uberius, nihil jucundius. Neque vero hoc oratione „ solum, multo magis vita, & moribus „ comprobavit. Quod quam magnum fit, „ fictæ veterum fabulæ declarant, in quibus tam multis, tamque variis ab ultima

„ tima antiquitate repetitis, tria vix amicorum paria reperiuntur, ut ad Orestem pervenias profectus a Theseo. At vero Epicurus una in domo, & ea quidem angusta, quam magnos, quantaque amoris conspiratione consentientes tenuit amicorum greges? Quod fit etiam nunc ab Epicureis. „ Lib. I. de Finib. c. 20. Ad quem locum ita lætus exclamat Bælius: *dicatur quidem nunc, gentem, quæ providentiam negat, qua finem ultimum statuit voluptatem, vivere in Societate non posse: hos necessario proditores, vafros, veneficos, latrones futuros. Hac omnia hoc uno Ciceronis loco nonne refelluntur? Veritas facti, cujusmodi est hac, quam Cicero testatur, nonne plura Metaphysicarum rationum volumina confutat* (a)? Hac Dictatoria voce, hac magni Sophistæ triumphi specie Libertini novitii hærent. Pro Bælio causa est: nil est, quod reponi possit. At si diceretur, Bælii ostentationem inanem esse, eamque jactatam *facti veritatem Ciceronem* revera *non testari*? locum illum, licet in Romani Oratoris libris inveniatur, dici non posse ejus sententiam continere, confutatane forent *hoc pulcherrimo loco Metaphysicarum rationum* plurima volumina, & ab eo demonstratæ doctrinæ nostræ refellerentur? Jam hujusce rei Judicem Lectorem volo, postquam hanc meo quidem judicio non contemnendam animadversionem eidem subjecero. Lib. I. de Finibus bonorum, & malorum refert Cicero Dialogum quemdam in Cumano habitum de Epicuri Philosophia. Cicero, & L. Torquatus loquuntur, aderat etiam doctus, prudensque Juvenis Triarius nomine. Igitur L. Torquatus Epicureæ Philosophiæ peritissimus eam copiose exponit, & defendit. Cicero autem totam ejus disputationem pluribus argumentis Lib. II. refellit. Sententia ergo a Bælio relata est Torquati Epicuri propugnatoris, & ab illo dicitur ad finem sermonis sui, hoc est Lib. I. cap. XX. Quid plura? Si Bælius locum integrum attulisset, neque antecedentia verba omisisset, per se res erat perspicua. Ita incipit Periodus: *Restat locus huic disputationi vel maxime necessarius, de amicitia, quam, si voluptas summum sit bonum, affirmatis* (o Cicero, o Triari) *nullam omnino fore*. Hoc est Periodi Torquati initium, quod proxime verba a Bælio allata sequuntur *de qua Epicurus* &c. An dubitari potest, quin Bælius illud principium viderit quod Lectoribus vel minus in Ciceronis Operum Lectione versatis ostendit, ibidem disputari; rem controversiosam esse. Ita Epicureum asserere, qui summum bonum in voluptate ponit, easque personas, quas alloquebatur (erantque nimirum Cicero, & Triarius) secus sensisse? Credat in Bælio innocentiam tantam quicumque ejus colorem non novit; non ego credulus. Hoc patet, nisi illa verba prætermisisset, eum in aciem cum Ciceronis auctoritate prodire non potuisse ad *refellenda plura Metaphysicarum rationum volumina*, & ad irridendas *veritate facti* a tanto viro confirmati solidas eas doctrinas, quibus dicimus, impios (ut ejus verbis utar) *sceleftos, vafros, proditores, Latrones* &c. esse, ac proinde Societatem ex his constantem stare non posse.

§. II. Quamquam fingamus, verba illa esse Ciceronis, & inter Epicureos, quod alibi ille non negat, Societatem, amicitiamque esse posse; interrogo, quid hinc elicitur? An aliquot homines otio, aut litteris studentes libere in societatem, quam cum sibi libuerit, relinquere possunt, coeuntes una cum suis pellicibus vivere jucunde possunt, quin sibi venena parent, quin se prodant, quamvis summum bonum voluptatem, & Religionem fabulam ducant? Si hoc vult Bælius deducere, nosque, & alios æque sentientes habebit. Doctrinæ, & argumentorum Metaphysicorum volumina non de hoc societatis genere, aut aliquot curis solutorum hominum fortuito cœtu, at de populo, qui politiam habeat, commercia, conditiones, studia, artes, ordinum varietatem, jura, eventus, quæ omnia in cultioribus populis videmus, quos in Societate dicimus vivere, loquuntur. Hic est

(a) *Qu'on nous vienne dire après cela, que les gens qui nient la Providence & qui établissent pour leur derniere fin leur propre satisfaction, ne sont nullement capables de vivre en société; que ce sont nécessairement des traîtres, des fourbes, des empoisonneurs, des voleurs &c. Toutes ces belles doctrines ne sont elles pas confondues par ce seul passage de Ciceron? Une vérité de fait comme celle que Ciceron avance & atteste ne renverse-t-elle pas cent volumes de raisonnemens speculatifs?* Dict. Crit. Art. Epicurus Rem. D.

est cœtus ille, cui solidis, perspicuisque doctrinis, & argumentis non tantum Metaphysicis, sed etiam ab actu deductis ostenditur necessaria esse Religio ut coalescat in unum, & stet. Credere vivendi hilari jucundaque ratione, ut *in domo, etiam angusta Epicuri* vivebatur, posse contrarium probari, sophisma est, quod a Logicis dicitur *a particulari ad universale, immo ab uno genere ad aliud genus omnino diversum*.

§. III. Sed a Græcia transeamus ad Sinam, ubi Bælius (*contin. des pens.* §. 154.) ex Missionariorum relationibus, sectam quamdam esse, quæ Litteratorum dicitur, Atheam, eodemque tempore honestis moribus ornatam nobis narrat; argumentum novum Libertinis hoc est, quo probetur sine Religione Societatem stare posse. Bælii *antecedens* exscripsit more suo Tolandus, sed illud rationibus non confirmat, sed tam audacter immutatum, ut hoc unum satis esse nobis possit, ut horum miserorum ingenium agnoscamus. *Nulli* (inquit Philosophus hic Adeisid. §. 24.) *inveniuntur hodiedum in toto Orbe mortales, qui sint aut moribus elegantiores, aut magis honestè, aut in omnibus bonorum Civium officiis, & muneribus probatiores, & minus delinquentes, quam decantatissima illa secta, quæ apud Sinenses dicitur Litteratorum, quorum fidei, & arbitrio est a Rege mandata tota rerum civilium administratio... Quamvis nullum agnoscunt Numen a materia, & a compagine Mundi distinctum.* Nonnisi Tolandus qua est petulantia hæc scribere poterat. Ut ad Litteratorum Sinensium Atheismum accedam, scio, Auctorem *de la Bibliteque Critique* de hoc suspicatum, & opinatum fuisse, nonnullos eorum, qui in Europam has relationes mittebant, potuisse aliquid intendere, cum eos hujusmodi esse referebant; cum potius *Idololatræ*, quam *Athei* dicendi sint. Ita ille scite (*a*): *Atheismus verus, quem hi Patres Litteratorum secta adscribunt, & cui præcipue innituntur, ut probent, eorum Religionem esse mere civilem, hic, inquam, Atheismus per se corruit. Etenim quin immoremur post D. Augustinum demonstrando, Dei cognitionem ita natura in nobis esse insitam, ut nullo modo deleri possit, omnino satis habeo, si mihi concedatur, Sinenses naturam tamquam Deum colere, ut in Idololatrarum numero, etiam maxime ferendorum, sint recensendi* (*b*). Ita magnus hic Criticus

P. Valsecchi de Fund. Relig. &c.

B b scri-

(a) *Le parfait Atheisme, que ces Peres attribuent à la secte des Lettrés, sur le quel ils se fondent principalement pour soûtenir, que leur Religion n'est, que civile, se détruit enticrement de lui meme. Car sans s'arrêter à faire voir après S. Augustin, que la connoissance de Dieu nous est tellement naturelle, qu'elle ne peut être effacée en nous..... il suffit, que l'on convienne, que les Chinois adorent la nature à la place de Dieu pour qu'ils soient mis au nombre des veritables Idolatres, & meme de la maniere la plus supportable, qu'on le puisse être.* Bib. Crit. de Richard Simon t. 1. chap. 3. p. 62. Edit. 1708. Paris.

(b) Opus tamen est adversus hunc nimium rigidum Criticum fateri, etiam quasdam alias narrationes eo tempore a Sina missas, quæ in suspicionem adduci nequeunt eorum consiliorum, quæ ille putat in quibusdam detegere, Sinensium Atheismum testari. Talis est *Tractatus P. Antonii a S. Maria Ordinis S. Franc.* qui licet ritus Sinenses ut idololatricos impugnet, tamen convenit in hoc cum *P. Nicolao Longobardo*, qui alium *Tractatum* ea ætate in Europam misit, & facit Sinenses Atheos. Addidit his tractatibus notas quasdam Cl. Leibnitius, sed fusius hanc materiam tractavit in longa Epist. ad Remond. *de Philosophia Sinensi*. Leibnitii vestigiis institit *Christianus Kortholtus*, qui rursus edidit eos tractatus cum Leibnitii notis, & Epist. præmittens longam dissert. (Tom. II. Epist. Leibnit. ad Divers.) ubi ab hoc universo Atheismo Sinam vindicat. Distinguunt ergo hi duo Scriptores tres Sinensium classes: antiquissimos, quorum libri præcedunt Christi Nativitatem annis tercentis, aut quadringentis; medios, quorum libri scripti dicuntur circa XI., aut XII. sæculum; demum nuperrimos, qui numerantur a Missionariorum in illud Imperium ingressum. Veterimorum Sinensium sedulo examinantes libros a duobus Missionariis relatos, censent & Leibnitius, & Kortholtus, eos de Deo, & Spiritibus bene sensisse, & ita esse loquutos, ut solide argui possit universus consensus de capitibus præcipuis Religionis naturalis, de qua te alibi sermonem fecimus. Quoad Sinenses mediæ ætatis, qui de hac materia scripserunt, satis acute ostendit Leibnitius, neque textus, neque argumenta a Missionariis allata demonstrare eos Atheos, cum possint recta significatione explicari, ut facit Kortholtus, & prolixe probat. Tandem quod ad postremos Sinenses attinet, de quibus præcipue est quæstio, en quid Auctor hic, meo quidem judicio, docte admodum scribit:

„ Quoad opiniones nostrorum temporum Sinensium, fateri debemus, quosdam eorum dicendi modos „ relatos a P. Longobardio, & a Patre a S. Maria, ejusmodi esse, ut in quibusdam illorum Atheismus appareat. Rationes tamen non desunt, cur dubitemus, si omnes recentiores Sinenses tales sint. „ Etenim scimus, quosdam inconsiderate, & temere ex ingenio, & indole eorum, quibuscum amicitiam ineunt, perperam de omnibus ejusdem nationis, & singulis ita judicare. Fortasse ex hoc fonte derivata est PP. Longobardii, & a S. Maria opinio, qui omnes Sinenses Atheos putant. Hoc „ constat saltem, nuperos Sinenses, nimirum ut veteres, nolle apparere Atheos, dum XAM-TI Sum-

„ mum

scribebat initio hujus sæculi. Tamen Spinosismi ideæ, quæ in maximum humani generis dedecus per Europam diffusa sunt, effecerunt, ut multi Litteratorum Sinensium systema *Pantheismum* crederent, ac proinde in Atheorum album eos referrent, ut sunt omnes Spinosiani systematis discipuli, qui naturam Numen habent. Hic tamen advertendum est, Leibnitium, ut alios prætermittam, cum sedulo examinasset monumenta multa authentica e Sina missa ab hac sententia universi Spinosismi, & Atheismi longe distare; erat autem ille vir, qui posset quæstionem hanc & perpendere, & dijudicare optime (*Vid. notam antecedentem*). Quod si dicere placeat, multos eorum Litteratorum in hunc turpissimum errorem prolapsos fuisse, dicamus etiam ibi iis evenisse, quod quotidie multis Europæ doctis Viris evenit, hoc est, qui cum velint a vulgo hominum eximi, seque ab iis angoribus liberare; quos secum Religio affert, eos *evanuisse in suis cogitationibus*, sibique monstrosissimum systema efformasse, quo nisi notiones naturales, & primas Religionis delent omnino, saltem suam superbiam alunt, suisque cupiditatibus impavide obsecundant. Et sane ea virtus, honestasque, quam de Litteratis Sinensibus Bælius prædicat, Tolandusque adeo extollit, purum, putumque commentum est. Auctor *Parrhasiana* scribit (a): *Narrationes, quæ testantur, Sinenses summos loco natos neque existemtiam Divinitatis omnia regentis, neque immortalitatem animæ credere; testantur etiam, Sinenses nervos ingenii sui omnes intendere, ut alte vitia sua dissimulent*. Eadem invenimus multis in monumentorum Sinæ locis ab ipso Auctore allatorum (*Memoir. de la Chine Tom. I. Lib. V.*). Hæc eadem docent Historiæ Cardinalis de Turnonio, Diarium Vicarii Apostolici Medibarbæ, aliaque monumenta ad hanc materiam spectantia, in quibus injuriæ, impotentiæ, avaritia, immanitas, perversa, & improba politica *eorum Litteratorum, quorum Fidei, arbitrioque civica omnia negotia Rex committit*, declarantur.

§. IV. Quamquam hi iidem Litterati a Libertinis in aciem producti sua vivendi ratione argumentum invictum adversus hos nobis suppeditant. Quamvis enim ii Sinenses Mandarini sint Athei, volunt tamen, firmamque in populo Religionem patriam servant. En dilemma, ut mea fert opinio, non contemnendum. Aut Litterati illi putant Societati magis, quam impietatem, nocere Religionem, aut hujusmodi eam non putant. Si eam perniciosiorem credunt, quomodo dicendi sunt homines honesti, qui tantum auctoritatis habentes, sustinentesque partem magnam imperii, populum ab hoc jugo tam gravi, noxioque in libertatem non vindicant, neque impietatis systema multo utilius a se creditum non inducunt; sed summis opibus superstitionem augent? Nonne superius audivimus, Bælium in Vaninio notiones honestatis, & virtutis prædicantem, quod negotium hoc susceperit, & sedulo studuerit, *homines ab inferorum metu liberare, quo credebat eos præter rationem angi, & quod censuit honestum esse pro sui similibus laborare, etiam capitis sui periculo proposito*. Quid ergo de Litteratis Sinensibus dicendum erit, si cum Athei illi sint, deditos superstitionibus populos volunt? Hæc politica ars honestati adversatur. Ad alteram dilemmatis partem gradum faciamus. Sin Litterati illi patriam Religionem Societati magis noxiam, quam impietatem esse non censent, ergo refellunt unam ex maxime aridentibus Bælii propositionibus (de qua Pyrrhonicus hic adeo scripsit, & adversus quem ita strenue inter cæteros Bernardus pugnavit), hoc est, Societati magis

„ mum Cæli Imperatorem faciunt, quem & adorant, & cui sacra faciunt. Prætermitto dicere, ut „ recte advertit Leibnitius, non omnes, sed quosdam tantum dicendi modos a PP. Longobardio, & „ a S. Maria relatos suspicionem Atheismi injicere, cum alii contra, & debeant, & possint purgari. „ Neque nobis alia testimonia desunt, quæ ostendunt, e recentibus Sinensibus esse quosdam, qui Deum „ & Providentiam Divinam credunt. De qua re legi possunt & *Musæum Sinicum* Theophili Sigifridi „ Beyeri, & *Icon Regia Monarchiæ Sinarum* P. Bouvetti Jesuitæ. „ Hactenus Kortholtus *in Dissert. Proœmial. ad Tom. II. Epist. Leibnitii ad Divers.* §. 40.

(a) *Les relations de la Chine, qui nous apprennent, que les Chinois de qualité ne croient ni l'existence d'une divinité, qui gouverne toutes choses, ni l'immortalité de l'ame, nous disent aussi, que toute la vertu des Chinois ne consiste, que dans une profonde dissimulation de leurs vices*. Parrhasiana Tom. III. pag. 145. Auctor est Joannes Clericus.

gis superstitionem nocere, quam impietatem; de qua re nos etiam modo verba faciemus. Afferret fortasse quispiam pulchrum sane cogitatum, quod petulans Tolandus in initio sui *Adeisedæmon* affert, nempe multo majori detrimento esse Societati superstitionem, quam Atheismum; tamen a Reip. Moderatoribus illam ferendam esse, non vero hunc? Ex quo consequeretur, posse Sinenses, quin suæ honestatis detrimentum patiantur, in suo Imperio siuere, ut dominetur Religio, etiamsi Atheismo perniciosior ducatur. Idem Tolandus tamen cogitationem hanc incredibilem appellat; at nos eam diximus apertissimam repugnantiam; ex duobus enim malis veris nunquam prudens politia illud eligit, ex quo graviora incommoda proficiscuntur. Sed audax Atheus volebat, ut ita mortales omnes sentirent; & cum nitatur toto libérculo probare, Societati superstitionem (quo nomine etiam Religionem comprehendit) multo damnosiorem Atheismo esse, finit, ut quisque necessario concludat ejiciendam esse omnino primam, & tolerandam secundam. Quam illationem tamen, quia etiam sceleslissimis horrorem incutit, ipse initio statim non expromit, immo pueriliter oppositam exponit frigide, eam *paradoxum* vocans. Sed ut ad Litteratos Sinenses revertamur, caputque hoc concludamus, dabimus Bælio, hos aliqua saltem ex parte esse impios, non concedemus tamen, eos esse probos, multoque minus eos solos esse probos; quos iste Tolandus dicit, sed ad summum quædam turpissima facinora vafre dissimulare. Bælius tandem, Tolandusque, & quilibet eorum amicus, necesse erit, nobis dent, Litteratos Sinenses volentes, ut subditi populi patriam Religionem colant (cujus illi ipsi sollemniores ritus servant) fateri ejus necessitatem; sine qua nec populum in officio continere, nec ipsi eum dignitatis gradum, eos honores, divitiasque, quas possident, retinere possent. Ergo Atheismus probat Religionis necessitatem, exemplaque a Libertinis conquisita, quibus negant, eam Reip. quieti esse necessariam, vice versa argumenta sunt, quæ illam comprobant.

§. V. Post Sinam Increduli nostri producunt tamquam suæ sententiæ cultrices, fautricesque illas LXXXII. Insulas quæ inter Moluchas, & Maniolas antiquas jacent; aliasque desertas plagas, Africæque, Americæque oras, in quibus eorum sententia Atheismus dominatur; attamen, inquiunt illi, ibi in Societate populi vivunt. Sed quoniam alibi ostendimus, quam parva sit his narrationibus fides præstanda, quæ illarum gentium impietatem describunt, quin immo a viris peritis eodem missis, sedulis inquisitionibus peractis, pro certo haberi, nullibi Atheismum esse, ideo argumento hujusmodi amplificando supersedebimus. Satis habebimus, si advertamus, quamquam nullum populum perfectum Atheismum, hoc est omnimodam Dei ignorantiam habere possumus dicere, notio tamen hæc in quibusdam miseris offunditur tenebris, & in iis aut pauca, aut nullum Religionis argumentum cernitur. Quid tamen hinc fit? Ut eodem modo quo Religio deficit, desit etiam in ipsis Societas, vivantque aut intra privatos parietes, aut dispersi errantesque animantium brutorum instar per nemora, saltusque sine pactorum, legum, commerciorumque vinculo, quo conjungantur. Quod argumento est, Societatis fundamentum esse Religionem, & quo magis, minusve hæc floret, eam quoque minui, vel amplificari.

Operæ tamen pretium erit, ut hoc argumentum illustremus, simulque quantum Religio Societati conferat, ostendamus, quibusdam peculiaribus circumstantiis immorari, quas de Groelandensibus Andersonus refert, de quibus tum, cum de Religione universa Gentium agebamus, mentionem fecimus. Vidimus in miseris earum insularum incolis multa caligine Divinitatis notionem obrutam, & in iis nullum Religionis cultum (hujus Auctoris fidem sequuti) vidimus; nihilo tamen minus nobis inquit Andersonus (*Histoir. Natur. de l'Islande, du Groeland &c. de* Mr. D'Anderson *Tom. II. p.* 236.) *& invidiam, & odium, & simultates, & proditiones, & calumnias procul ab iis exulare. Non rixas, non latrocinia, non bella cum finitimis populis ibidem videas. Numquam inter conjuges dissidia mariti fœderis; singuli suorum bonorum agnoscunt possessionem, neque quisquam jura alterius usurpat, ac perturbat. Omnia in regione patent; nulla porta sunt, ferra nulla; nemo tamen aliena furatur; ne-*

quæ se defraudant, aut circumveniant in iis exiguarum rerum commerciis, quæ invicem exercent. Itaque Groelandenses, pergit dicere Auctor, *arcta conjunctio, amicitiaque colligat*. Et alibi, *nullo Societatis vinculo adstringuntur, tamen sociales sunt, pacifici, sibique opitulantur mutuo*.

Narratio hæc quidquid de Atheorum corruptis moribus, deque detrimento, quod ex impietate in Societatem redundat, dixi alibi, evertere videtur: nec dubito, quin Bælista hæc legens verba Magistri sui usurpaturus sit, & in nos dicturus hoc Groelandensium vivendi genus centum metaphysicarum rationum volumina refellere. Tamen quamvis huic uni Auctori fidem habeamus (a), hanc vivendi ad speciem honestam rationem evanescere videbimus; eorumque accolarum exemplum nullo modo probabit, Atheismum Societati illi, de qua cum Bælio jamdiu disputamus, non esse perniciosum.

Nos igitur certos facit Andersonus, „ Si penitius eorum silvestrium hominum „ facta examinentur, facile apparere, „ nonnisi fictitiam honestatem, eos præ- „ seferre; loca enim, tempora, circum- „ stantiæ demum omnes, in quibus ver- „ santur, sunt ejusmodi, ut eos ingra- „ tiis suis ad has virtutes apparentes „ exercendas ferant; aut verius ad vi- „ tia illis contraria vitanda. Perexigua „ notio, quam mali habent, illecebra- „ rum, pravorumque exemplorum de- „ fectus efficit, ut in rerum natura- „ li imperitia vivant. Asper Cœli tra- „ ctus, inopia rerum, difficultas ne- „ cessaria comparandi facit, ut æque „ contenti sint. Sicut hic non est illo „ doctior, sic nullam causam habet, cur „ se cæteris præponat, neque ille ut hunc „ despiciat, nemo suis viribus vitam suam „ servare potest; proinde aliorum ami- „ citiam debet quærere. Oportet, iis „ opem ferat, ut ab iisdem opem refe- „ rat; oportet æque dividant quod ve- „ natione ceperunt, aut piscatione (Hi „ sunt enim eorum reditus, hæ divitiæ) „ cum quisque pro virili parte sua au- „ xilium contulerit. Simultates in pri- „ mis, præliaque vitare debent: cito „ enim omnes interirent. Regio ita ma- „ la est, tam infrequens populus; & ita „ utriusque ratio iis rebus, quas bellum „ requirit, caret, ut nequeant Groelan- „ denses finitimos populos superare; eo- „ rumque regio nihil habet, quod alli- „ cere quempiam possit ad ea loca oc- „ cupanda. Vita aspera, ac laboriosa, „ quam ducunt, quamvis voluptatis no- „ tionem ab iis removet. Nullum potum „ qui caput tentet, habent, quo sæpius „ alii populi ad scelera abripiuntur: eo- „ rum imbecilla corporis constitutio per- „ spicue cernitur in raris admodum po- „ lygamiis, quibus nihil obstaret. Ex „ quibus omnibus illud est deducendum, „ virtutum species, quæ in Groelanden- „ sibus sunt, non, tam ex eorum animi „ rectis sensis, quam a circumstantiis, „ in quibus versantur, proficisci. „ Hactenus Andersonus; e cujus narratione, si ei velimus credere, nihil quod ea, quæ docuimus, infirmare possit, colligi posse video. Si in iis silvestribus hominibus ea scelera non sunt, quæ originem ducere suam ab impietate diximus, non eo fit, quod *principium* aliquod in illis insit, quod eorum cupiditates comprimat; sed quod harum cupiditatum irritandarum, & satiandarum illecebris carent, modisque; ceterum si occasio tulerit, eam honestatem, quam de Atheis prædicat Bælius, prorsus abjiciunt. *Haud nefas putant* (inquit Andersonus.) *Danos* (qui ad illos merces, quibus allici possunt, convehunt,) *furari, si rentur, id occultum futurum esse. Quod si Dani iis benefaciunt, nullam grati animi significationem patefaciunt*. Quid plura? *Cum eo appulisset duos annos ante deductam coloniam Dana navis, & ex navitis quemdam regionem ingressum aliquot incolæ aggressi sunt, humique stratum pluribus vulneribus confoderunt, e quibus cupide sanguinem ebiberunt*. Si itaque homines hi in iis Societatibus, de quibus cum Bælio disputantes loquimur, viverent; ubi plurima reperiuntur, quæ cupiditates provocant, ubi plurima commercia fiunt, ac proinde impotentiæ, fraudibus, præliis, contentionibus aditus innumeri pertentantur,

(a) Joannes Blævus in magno Atlante paucis ita eos describit: *Barbari cum dolosi sunt, tum feri adeo ut nec blanditiis, nec donis cicurari valeant . . . . . fœtidi sunt sordique, ac salaces. Lingua ipsis mappæ loco, ac sudariis inservit; nec obscœnum illis putatur, quod cæteris pudori esse.*

tur, ut ea bona, quibus Groelandenses carent, omnino acquirantur; proculdubio hi Religione nudi avidissime omnium in hæc prærapienda per fas, per nefas irruerent. Quare ex iis, quæ de iis incolis relata scimus, Hobbesianæ propositionis, (*De Cive Cap. X. §. I.*) postea arrogatæ a Puffendorfio (*De offic. hom. & civ. Lib. II. cap. I. §. 9.*) falsitas arguitur; hoc est, homines extra civitatem (seu, ut hi Auctores loquuntur, *in naturalis libertatis statu*) semper generatim feritatem, suspicionem, prælia exercere debere: quandoquidem advertimus, eos silvestres homines vivere quidem sine politia, & sine legibus; non ideo tamen se mutuo fugere, aut devorare. At ex Groelandensium vita deducere non possumus, fore ut in alias regiones translati, ubi commercia vigent, bonaque sunt plurima, Societatem exiguam, (*a*) quam in ea regione *inopia*, *famis*, *frigorisque* servant, essent culturi. Potest, dicique verius debet, si eorum cupiditates reperirent alibi & bona, & illecebras, & rationem iis obsecundandi, nisi illi in officio continerentur (ut nostra opinio fert) per Religionem, non permansuros eos diutius in iis Societatibus esse, quas in nostris urbibus, regnis, & Rebusp. videmus; quibus, hactenus in Bælium pugnavimus, cum nocere Atheismum, tum utilem, & necessariam Religionem esse.

(a) En specimen ex ipso Andersono. *Il vivent dès la naissance dans la liberté la plus effrénée. Ils ne sont sujets dans leur enfance à aucune discipline, ni correction de leur parens, & étant devenus grands, ils ne connoissent ni le lien des loix, ni la contrainte des supereurs. Chacun vit, comme il veut, & travaille à sa conservation comme il l'entend &c.*

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Superstitio non Atheismo pejor, nec Societati eo perniciosior.

I. *Fraus, & scopus Libertinorum declamantium in Superstitionem, quæ pessima quidem est, sed non Atheismo pejor.*

II. *Ostenditur Superstitio Societati minus perniciosa, quam Atheismus. Pyrrhonismus Bælii, ut eludat hujus argumenti vim. Confutatur apertis Antiquorum auctoritatibus.*

III. *Duo alia Bælii objecta; unum agit de malis Numinum exemplis: de expiationibus errorum, quæ adhibebantur in Religionibus superstitiosis, alterum.*

IV. *Respondetur objectis: & quid senserit Antiquitas de his capitibus duobus, ostenditur. Concluditur pro nostra propositione.*

§. I. ARgumentum ultimum, quo probare Libertini nituntur posse Remp. sine Religione stare, hoc est: Tot Resp. Regna, Imperiaque invicta, feliciaque steterunt, licet Superstitionem, seu idololatricam Religionem fuerint professa: Jam constat, Superstitionem magis Rebusp. Atheismo nocere. Ergo si felices, invictæque simul cum illa fuerunt, etiam cum hoc persistere poterunt. Dici non potest, quantum propter hoc sophisma Increduli caudam popello jactent; non quo ingens ab iis referatur victoria, si ostenderint, posse stare Imperium, quod tamen nusquam erit, nisi in eorum capitibus poeticis; sed quia declamando, exponendisque Superstitionis incommodis, de qua nunquam sane satis detrahetur, clanculum in Religionem, quam cum Superstitione confundunt, & quæ una veraque adversaria est, quam Atheismum defensando vellent etiam debellare, virus suum evomunt. Tolandi Dissertatio *Adeisidæmon* inscripta hoc unum intendit; & in Superstitionem declamare simulans, de qua purgare T. Livium se parat; ut de Religione triumphum Atheismus referat, curat Scriptor Libertinus. In Collinsii ser-

sermone idem consilium videas: idem in pluribus Epistolarum Judaicarum locis, idem in plurimis Operum Voltæri. Bælius tamen, a quo hi omnes exscripserunt, & uberrime, & validissime omnium de hac materia agit; assumptioque prædicti argumenti (hoc est Superstitionem esse pejorem, perniciosioremque Atheismo Societati) illi ansam prabet, ut intemperanter effutiat, quidquid sibi venit in buccas & in *cogitationibus diversis*, & in *continuatione* earum, & in *responsionibus ad Provincialem*. Eum tamen, ut superius diximus, inter alios Bernardu itrenue est aggressus. Nos etiam cum illo congrediamur, defendamusque, quoniam inviti lacessimur, etiam Superstitionem, nullo quidem alio consilio, nisi ut nativis coloribus depicta appareat impietas, quam Adversarii nostri propugnant, & qua Superstitionem esse minus malam nos dicimus. Hujus propositionis generatim sumptæ alibi, ubi nempe diximus, Atheismum Religioni adversari oppositione illa, quæ *contradictoria* dicitur, quæque est omnium maxima; Superstitionem autem oppositione *contraria*, quæ est prima minor, argumentum indicavimus. Advertimus, inter Religionem, & Atheismum esse oppositionem, quæ intercedit inter lucem, & tenebras: inter Religionem autem, & Superstitionem oppositionem illam, quæ inter lucem puram, lucemque confusam, permixtamque cum umbris interest. Cum enim mali mensura ex majori, minorive a bono distantia a Religione removetur, est Superstitione pejor, quæ ab eadem Religione minori distantia recedit. Hoc est argumentum ejusmodi, cui nec Bælius paralogismis omnibus, quos attulit, nec ex ejus pedissequis quisquam faciet satis.

§. II. At nunc ad singulare doctrinæ caput descendendum nobis est, malumque, quod ex Superstitione, & Atheismo in Religionem dimanat; examinandum. En ergo quod probandum proponimus. *Religio, quæcumque sit, hoc est licet idololatrica, & superstitiosa, minus nocet Societati, quam Atheismus*. Fundamentum nostræ demonstrationis sit propositio Bælii in suo Dictionario: (a) *Omnes Orbis Religiones, tum vera, cum falsæ huic principio nituntur: Esse judicem, qui oculorum obtutum fugit, qui post vitam hanc punit, & remunerat opera cum exteriora, tum interiora. Atque hoc illud est, ex quo utilitas præcipua Religionis derivari creditur.*

Jam hoc principium, quod nos alibi ostendimus esse hominibus sicut acutissimum ad virtutem stimulum, ita verum solumque fundamentum mutuæ fidei, quæ Societatem regit, hoc principium, inquam, quod in quavis Religione reperitur, in Atheismo non est.

Ergo Atheismus est Societati magis perniciosus, quam quævis alia Religio. Hujus argumenti vim Bælius ipse in *responsis ad Provincialem* sensit; neque aliud habuit, quod opponeret, nisi Pyrrhonismum. Non constat, inquit ille, gentium Sacerdotes Populum docuisse, esse in altera vita præmia, suppliciaque colentibus, lædentibusque moralia officia; & non potius tradidisse, illa omnia affectura eos, qui servabant, aut contemnebant Religionis cæremonias, ibidem esse. Hoc ipsum perfugium desperatissimum, quo Bælius tanti ingenii vir utitur, nonne satis aperte ostendit, eum ipsum vidisse susceptæ a se causæ falsitatem? Supersedebo hic Lectorem monere, ab eo generatim propositionem allatam, qua fassus est, *omnium Religionum fundamentum esse judicem invisibilem omnium hominis cum exteriorum, tum interiorum operum* (multoque magis quod sequitur) nullum huic exceptioni, aut scepticæ hæsitationi locum relinquere. Jam Impietatis patroni semper in ea fuerunt opinione, ut crederent, fas sibi esse, unam, eamdemque rem modo affirmare, modo negare ad libitum. Hoc unum dicam, quicumque in Ethnica antiquitate prorsus hospes non est, & peregrinus, hujusmodi problema irridere. An opus est, quod videtur Bælius postulare, catechismos, orationesque idololatrarum Flaminum invenire, ut sciamus

(a) *Toutes les Religions du Monde, tant la vraie, que des fausses, roulent sur ce grand point, qu'il y a un Juge invisible qui punit, & qui recompense après cette vie les actions de l'homme, tant exterieures qu'interieures. C'est de là que l'on suppose, que decoule la principale utilité de la Religion. Dict. Critiq. Art. Spinosa. Rem. E.*

mus quo sensu præmia, suppliciaque alterius vitæ explicarent, quam late essent accipienda, docerent? Nonne scimus, ut hujusmodi fidem in hominum mentibus alte infigerent, quod superius probavimus omnes Legislatores præcipue curasse; & ne unquam ex hominum deleretur mentibus, semper elaborasse magistratus, quod fuse VVarburtonus ostendit, qui de modis ideo adhibitis copiose verba facit? Jam constat inter omnes, præcipue fuisse Reip. Moderatoribus propositum hoc dogma inculcando non accendere homines ad cæremonias Religionis servandas, sed ad legum obedientiam, a quibus Rerump. felicitas bonumque Societatis proficiscebatur. Quis ergo dubitare potest, quin hæc Judicis supremi, malorum ultoris, bonis præmia dantis capita quam latissime patent populis explicata fuerint? Et sane quam persuasum esset Ethnicis, ultionem, præmiaque Judicis invisibilis non ad Religionis cæremonias solum, sed etiam præceptorum naturalium cultum respexisse (quod cum rationis luminibus adeo congruebat) ex innumeris Antiquitatis monumentis cognoscimus. Cicero, (ut alibi diximus) cum Dei existentiam, providentiamque docuisset, *utiles*, inquit, *esse autem has opiniones quis neget? cum intelligat . . . . quam multos supplicii metus a scelere revocarit; quamque sancta sit Societas Civium inter se ipsos, Diis immortalibus interpositis tum judicibus, tum testibus?* Quis hic non videt Providentiæ, & præmiorum, & suppliciorum dogma non ad Religionis ritus, sed ad *scelera*, & ad quidquid ad Societatem spectat, extendi? Scriptores præcipue Græci Tragædiarum sententiarum ad hanc rem sufficientium gravissimarum pleni sunt. Euripides in Jone vers. 440. (a)

Virtutem sequere: est enim si quis malus
Mortalis, graviter Dii illum puniunt.

Sophocles in Oedipho chorum in actu III. ita loquentem inducit.

O velint superi, sim ut usque
Felix, qualibet ut mea
Verba, qualibet ut mea
Facta pura sint, castaque,
Infixumque meo istud hæreat pectore,
Quod jura jubent æterna
In cœlo data ac edita,
Quæ dedit haud natura,
Ipse sed Deus unus:
Obliviosa Lethæ unda non hæc apprimat:
Magnus in istis Deus
Siquidem latet.
Injustitia in terris edit Tyrannum;
Quæ postquam cumulum male factorum
Ingentem jam coegit,
Illa qui omnes patrarunt,
A bono errantes tramite
Disjicit in præceps, ubi
Ærumnis pressi gravibus
Usu rerum omnium carebunt. (b)

Hos omnes præcesserunt duo antiquissimi Theologiæ Magistri Ethicæ Homerus, & Hesiodus. Ille in Odyssea ita loquentem Ulyssem inducit vers. 109. & seq.

Si quis justitiam colit, & Rex Numen adorat,
Atque viris multis leges, & fortibus isdem
Scribens est æquus, frumentaque, & horrea ...

Pro-

(a) Α'ρετὰς δίωκε. Καὶ γὰρ ὅς τις ἂν βροτῶν
Κακὸς πεφύκῃ, ζημιοῦσιν οἱ θεοί.

(b) Εἴ μοι ξυνείη φέροντι μοῖρα τὰν
Εὔσεπτον ἁγνείαν λόγων,
Ἔργων τε πάντων, ὧν νόμοι πρόκεινται
Ὑψίποδες, οὐρανίαν δι' αἰθέρα
Τεκνωθέντες. ὧν Ὄλυμπος
Πατὴρ μόνος, οὐδέ νιν θνατὰ
Φύσις ἀνέρων ἔτικτεν, οὐδὲ
Μήν ποτε λάθα κατακοιμάσει,
Μέγας ἐν τούτοις θεός,
Οὐδὲ γηράσκει.
Ὕβρις φυτεύει τύραννον. Ὕβρις, εἰ
Πολλῶν ὑπερπλησθῇ μάταν
Ἃ μὴ 'πίκαιρα, μηδὲ συμφέροντα,
Α'κροτάταν εἰσαναβᾶσ' ἀπότομον,
Ὤρουσεν εἰς ἀνάγκαν,

Producit, pendet plurefque ex arbore fructus,
Ac armenta ferunt fua diftenta ubera, pifces
Et mare alit latum, populique fub ipfo
Virtutem exercent . . . . (a)

Sed multo clarior, & multo illuftrior eft Hefiodi locus in Opere infcripto Oper. & Dies. ver. 246.

Vos etiam, o Reges, animum hanc advertite caufam,
Inter mortales verfantia Numina cernunt
Qui pravis furantur judiciis aliena
Nil formidantes aterni vindicis iram.
Numina millia multa. Jovis Aula, miniftri
In terris infunt rimantes facta virorum
Cunctorum, aereoque induti corpore eorum
Judicia advertunt, & fingula qua male fiunt.
Juftitia eft Virgo, aterna ortum qua ab Jove ducit,
Augufta, & veneranda Diis, qui funt in Olympo.
Si quis eam lædit, lateri ut Jovis affidet illa
Saturno geniti, vocem extollit male facta
Incufans hominum, querulis & vocibus inftans
Efficit, ut populum plectat pro crimine Regum;
Regum, dum quorum prava eft fententia mentis,
Judicia a recto deflectunt tramite juris.
Corrigite at mentem Reges, qui munera tantum
Refpicitis, jufta & populo vos dicite jura.
Ipfe nocet fibi ferre aliis vafre mala tentans.
Ipfi prava nocent Auctori confilia; atque
Cuncta videns, ferutanfque animos quoque, fi velit, ille
Judicium ftudeant, quod Cives dicere, novit. (b)

Quamquam nihil factu facilius effet, quam talibus veterum Scriptorum teftimoniis pagellas implere, qui univerfum omnium gentium de pœnis, præmiifque a Deo colentibus, lædentibufque naturalia jura diftributis confenfum demonftrant: Quapropter nedum Poeticum Commentum, habendum potius eft ut communis Religionis doctrina id quod de fuppliciis, quibus in inferis fcelera puniuntur, Virgilius fcribit, etiamfi fabulis veritatem involvat. Ibidem præter Gigantes, & Salmoneum, qui ut impii, & omnis religionis inimici æternis fuppliciis deputantur, Sibylla nobis indigitat (*Lib. VI. Æneid. v.* 603.

Hi, quibus invifi fratres, dum vita manebat,
Pulfatufque parens, & fraus innexa clienti:
Aut qui divitiis folis incubuere repertis,
Nec partem pofuere fuis (quæ maxima turba eft)

. . . .

Qui-

Οὐδ' ἐν ποδὶ χρησίμῳ χρῆται.

(a) Ὥς τέ τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅς τε θεουδὴς
Ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι, καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων,
Εὐδικίας ἀνέχῃσι. φέρησι δὲ γαῖα μέλαινα
Πυροὺς, καὶ κριθὰς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ·
Τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχῃ ἰχθῦς.
Ἐξ εὐηγεσίης, ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ.

(b) Ὦ βασιλῆες, ὑμεῖς δὲ καταφράζεσθε καὶ αὐτοὶ
Τήνδε δίκην. ἐγγὺς γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἐόντες
Ἀθάνατοι λεύσσουσιν ὅσοι σκοτιῇσι δίκῃσι
Ἀλλήλους τρίβουσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.
Τρὶς γὰρ μύριοι εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ἀθάνατοι Ζηνὸς, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.
Οἵ ῥα φυλάσσουσίν τε δίκας, καὶ σχέτλια ἔργα,
Ἠέρα ἑσσάμενοι, πάντῃ φοιτῶντες ἐπ' αἶαν.
Ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη, Διὸς ἐκγεγαυῖα,
Κυδρή τ' αἰδοίη τε θεοῖς, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν.
Καί ῥ' ὁπότ' ἄν τίς μιν βλάπτῃ σκολιῶς ὀνοτάζων
Αὐτίκα πὰρ Διὶ πατρὶ καθεζομένη Κρονίωνι
Γηρύετ' ἀνθρώπων ἄδικον νόον, ὄφρ' ἀποτίσῃ
Δῆμος ἀτασθαλίας βασιλέων, οἳ λυγρὰ νοεῦντες
Ἄλλῃ παρκλίνουσι δίκας, σκολιῶς ἐνέποντες.
Ταῦτα φυλασσόμενοι βασιλῆες ἰθύνετε μύθους,
Δωροφάγοι, σκολιῶν δὲ δικῶν ἐπιπάγχυ λάθεσθε.
Οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας
Καί νυ τάδ' αἴκ' ἐθέλησ' ἐπιδέρκεται, οὐδέ ἑ λήθει
Οἵην δὴ καὶ τήνδε δίκην πόλις ἐντὸς ἐέργει.

Quique ob adulterium cæsi: quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras;
Inclusi pœnam expectant . . . . .
. . . .
. . . . . Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per umbras:
Discite justitiam moniti, & non temnere divos.
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit; fixit leges pretio, atque refixit.
Hic thalamum invasit natæ, vetitosque Hymenaeos:
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.

Hactenus Virgilius. Elegantissime reorum pœnas in Inferis describit Seneca in Hercule furente, ubi Actu III. (v. 727. & 735.) inducitur Amphitrio ita Thesea interrogans:

Amphitr. *Verane est fama, inferis*
Tam sera reddi jura, & oblitos sui
Sceleris nocentes debitas pœnas dare?
Respondet Theseus: *Quod quisque fecit patitur: auctorem scelus*
Repetit, suoque premitur exemplo nocens.

Pergit hic Theseus recensere varia supplicia ibidem inflicta a supremo Judice scelestis hominibus, qui naturalia jura violant. Præmia itidem in Elysiis, & in Cælo eadem jura colentibus parata cum Seneca eodem loco, tum Virgilius Lib. VIII. describit. Vel ergo Idololatræ Flamines præmiorum, pœnarumque doctrinam, quam late patet, explicarent, vel ad violationem tantum, cultumque Religionis cæremoniarum (quod cæteroquin Bælius nunquam probabit) restringerent; constat, generatim populum credidisse hoc, legum naturæ violationem, hoc est crudelitatem, adulteria, furta, perjuria, proditiones crimina fuisse, atque his a Superis infligi supplicia; pietati autem, caritati in patriam, auxilio miseris lato, honestati, justitiæ Provisorem supremum daturum fuisse præmia. Hoc posteri a majoribus acceperant; hoc inculcari sibi Legibus omnium Regum audiebant populi; hoc in scena agi videbant, hoc in omnibus Religionis ritibus inspiciebant. Tot enim inferiora Numina quid aliud erant ex maxima parte, nisi viri, qui propter quædam egregia facinora pro patria, & Societate gesta crediti erant in Cælos relati suorum factorum præmia laturi? Ideo, inquit Cicero, aræ, templaque iis dedicabantur, ut videntes mortales præmiis virtutem affectam, ad eos imitandos accenderentur. Maneat ergo firmum, quod superius diximus; hoc est doctrinam Judicis non conspecti, malos, bonosque præmiis, pœnisque afficientis in Religionibus Superstitioni, & Idololatriæ deditis licet errorum umbris involutam vulgo promulgatam, creditamque fuisse.

§. III. His tamen Bælius non acquiescit. Docuerint quidem, inquit ille, quam late patet, doctrinam hanc populos Sacerdotes; quod inde emolumentum percipere poterant, si quod ex parte evertebant, ex parte construebant? Id autem ita eveniebat. Primum enim Deos quovis scelerum genere fœdatos dicebant. Quantum autem hujusmodi exemplis moveri mortales debebant, ut eas leges violarent, quas a Numinibus ipsis læsas videbant? Deinde vero cum populos erigerent in spem, se facile cujusque criminis veniam consequuturos per quasdam purificationes, expiationesque (quarum ad id incredibilem numerum excogitarant) aut per alias cæremonias in honorem Numinum, & præcipue in Sacerdotum utilitatem exercitas. Quod timorem quemlibet excutiens cupiditatibus efficiebat, ut æternorum præmiorum, suppliciorumque doctrina prorsus esset inutilis; quandoquidem exiguum pretium eorum reatum delebat viamque ad has sternebat. Dogma ergo, de quo est sermo, in causa esse non poterat, cur Superstitio, seu Idololatrica Religio non esset Societati æque, ac Atheismus, perniciosa.

§. IV. Non inficias iverim, quod fatetur etiam D. Augustinus, malo exemplo esse potuisse hominibus, tot infanda fabulosa scelera, quæ Poetæ, & etiam Sacerdotes fortasse de Diis narrabant. Scimus, Socratem, ut est apud Platonem, voluisse, exulare a Rep. Homerum, quod tot obscœna, & turpia de Numinibus scripserat. Hoc Deorum exemplo abutitur Adolescens ille apud Terentium.

tium in *Eunucho* (*Actor. III. Scen. V. verſ. 24.*)

At quem Deum? Qui templa Cœli ſummo ſonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? Ego illud vero feci, ac lubens.

Reſpondeo tamen, quod me alibi etiam dixiſſe memini, quicumque quicquam ſapit, ſcire, ea turpia facta, ut ea appellat Cicero (*a*), *fuiſſe plena futilitatis*, *ſummæque levitatis*, quæ nullo modo in Divinitate locum habere poterant. Et ſane præterquamquod repugnat, hos errores, immo hæc turpia, & indecora facinora Divinæ perfectæ naturæ tribuere, probe Idololatræ videbant, omnes ſapientes, omneſque prudentiſſimos Legiſlatores ea ſcelera, quæ de Numinibus canebant Poetæ, vetare & ſeveriſſime punire. Quænam ergo magis naturæ conſentanea illatio poterat cujuſcumque menti objici, quam ut ea ceu fabuloſa, & falſa, aut ſaltem, ut aliqua ænigmata, & ad ſignificandas res longe diverſas inventa, haberentur? Ita quidem non modo ſeveriores Philoſophi, ſed etiam ipſi Poetæ, quum fabuloſe non loquebantur, ſentiebant (*b*). Quid clarius verbis iis, quæ Hercules apud Euripidem uſurpat (*Herc. Fur. v. 1351. & ſeq.*) (*c*)?

Ego quidem Deos non amare credo, quos Jus vetat amplexari, ſe aut vincire vinculis.
Hoc eos dedecere credo; nec jam reor;
Hos illis inferiores eſſe: nam Deus
Verus, ut conſtat, non eſt ullius indigus.
Sunt iſta vatum ſomnia, & deliria.

Eodem modo loquentem Poeta inducit Iphigeniam (*Iphig. in Taur. v. 386. & ſeq.*) (*d*).

Quam Tantalus Superis menſam appoſuit
Incredibilem reor, ut natum ederent,
Credo, ſed incolas hos cum homicidium
Volunt patrare, Dii fecerunt, dicere.
Namque credo, Numinum nullum eſſe malum.

Sed qui cupit correctam, larvaque detracta veluti indignam, vanamque inſaniam Poetarum de Numinibus detrahentium licentiam videre, eruditiſſimum Plutarchi *de audiendis Poetis* Opuſculum legat; qui turpibus nonnullorum narrationibus aliorum ſapientes ſenteatias opponens oſtendit, Antiquitatem omnem, cujus erat procul dubio rectus æſtimator, Mythologiam totam, quanta eſt, fabuloſam narrationem habuiſſe; quamvis ne illa quidem ſyſtema aliquod Theologiæ, Ethicæque veræ, ſanæque haberet, quod iis fabulis opponeret. Iraque ne hoc quidem perfugium a noſtri argumenti vi Bælium ſubducit.

Sed veniamus ad id, quod tertio objicit, nempe ad innumeras expiationes, & purificationes, per quas Idololatræ Sacerdotes cujuſcumque ſceleris veniam populo dabant; ac proinde, inquit, præmiorum, pœnarumque in altera vita dogma erat

(a) *Quæ res genuit falſas opiniones, erroreſque turbulentos, & ſuperſtitiones pene aniles. Et forma enim nobis Deorum, & ætates, & veſtitus, ornatuſque noti ſunt: genera præterea, conjugia, cognationes, omniaque traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanæ. Nam & perturbatis animis inducuntur, accipimus enim Deorum cupiditates, ægritudines, iracundias; nec vero, ut fabulæ ferunt, Dii bellis, præliiſque caruerunt: nec ſolum, apud ut Homerum, cum duos exercitus contrarios alii Dii ex alia parte defenderent, ſed etiam ut cum Titanis, ut cum Gigantibus ſua propria bella geſſerunt. Hæc dicuntur, & creduntur ſtultiſſime, & plena ſunt futilitatis, ſummaque levitatis.* Lib. II. De Nat. Deor. cap. 28.

(b) Vid. Ezechiel Spanhem. in Hymnum Callimachi in Jovem verbo, & Adnot. J. Jensii in Prometh. Luciani n. 16. edit. Amſtel.

(c) Ἐγὼ δὲ τοὺς θεοὺς οὔτε λέκτρ᾽, ἃ μὴ θέμις,
Στέργειν νομίζω, δεσμά τ᾽ ἐξάπτειν χεροῖν.
Οὔτ᾽ ἠξίωσα πώποτ᾽, οὔτε πείσομαι,
Οὐδ᾽ ἄλλον ἄλλου δεσπότην πεφυκέναι.
Δεῖται γὰρ ὁ θεὸς, εἴπερ ἔστ᾽ ὄντως θεὸς,
Οὐδενός. ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι.

(d) . . . Ἐγὼ μὲν οὖν
Τὰ Ταντάλου θεοῖσιν ἑστιάματα
Ἄπιστα κρίνω, παιδὸς ἡσθῆναι βορᾷ.
Τοὺς δ᾽ ἐνθάδ᾽, αὐτοὺς ὄντας ἀνθρωποκτόνους,
Ἐς τὴν θεὸν τὸ φαῦλον ἀναφέρειν δοκῶ.
Οὐδένα γὰρ οἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν.

erat inutile. Scimus, innumeris artibus avaros illos superstitiosos Ministros usos fuisse, ut Religionis nomine tributa, & oblationes a nimium credulis populis perciperent; neque negabimus, plures e populo in fraudem incidisse, & ut suorum criminum veniam consequerentur, plurimas inanes, stultasque cæremonias exercuisse, & interdum magnam auri vim, magnasque oblationes obtulisse. Tamen primum ajo, hoc primum probare, quod Bælius voleoat nuper dubium facere; hoc est eos omnes credidisse Judicem esse, qui reos puniet, qui præmia bonis dabit, cujus cum iram sceleribus suis irritassent, & pœnas meruissent, iis oblationibus ut eam mitigarent, operam dabant. Deinde dico, sicut turpes Deorum casus, ita harum expiationum vim ad crimina delenda idololatras ipsos, qui prorsus stupidi, stultique non erant, irrisisse. Plautus in Rudentis prologo (v. 9.) Stellam Arcturum, Sidus simul, & Semideum his versibus ad rem nostram facientibus loquentem inducit.

Qui est Imperator Divum, atque hominum Jupiter,
Is nos per gentis alium alia gente disparat,
Hominum qui facta, mores, pietatem, & fidem
Noscamus, ut quemque adjuvat opulentia:
Qui falsas lites falsis testimoniis
Petunt, quique in jure abjurant pecuniam,
Eorum referimus nomina exscripta ad Jovem.
Cotidie ille scit, quis hic quærat malum.
Qui hic litem adipisci postulant perjurio,
Mali res falsas qui impetrant apud Judicem:
Iterum ille eam rem judicatam judicat,
Majore multa multat, quam litem auferunt.
Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.
Atque hoc scelesti illi in animum inducunt suum,
Jovem se placare posse donis, hostiis:
Et operam, & sumptum perdunt: id eo fit, quia
Nihil ei acceptum est a perjuris supplicii.
Facilius, si quis pius est, a Diis supplicans,
Quam qui scelestus est, inveniet veniam sibi.

Prologus hic Plauti cum Hesiodi loco superius in hoc capite allato comparetur, fortasse fons, unde Latinus Comicus hæc exhauserit, detegetur. Alia huic similia testimonia ex antiquis Scriptoribus (a) possemus deducere, e quibus arguitur, Idololatras ipsos cognovisse, & irrisisse insaniam & fatuitatem inventarum cæremoniarum, & expiationum ad delenda crimina, qui naturæ jura, ejusque supremum Auctorem læserint. Legatur quod in hanc rem Lib. II. hujus Operis scripsimus. Ea quæ specimina attulimus sufficiant; concludamusque in Bælium; I. Idololatras universos Judicem invisibilem, qui æqua lance demerita perpenderet, credidisse. II. Narrationes facinorum indignorum Numinum, & plurimas expiationes ad delenda crimina vulgus, saltem sapientes rejecisse. III. Licet negari non possit, infinita & innumera Idololatras patrasse crimina cujusque generis, tamen neque Bælius, neque quisquam alius negare poterit, hoc dogma sin minus semper, saltem ut plurimum vim magnam habuisse, & nisi ad magnas virtutes impulerit, a multis criminibus tamen homines revocasse, & ad plura officia, quæ in Societatis utilitatem redundabant, eos permovisse. Quæ ex Atheorum systemate cum nullo modo sperari possint, sequitur id, quod initio probandum suscepimus, magis Atheismum, quam Religionem superstitiosam Societati nocere; ac proinde ex eo quod plures Societates Superstitiosæ steterint, nullo modo colligi posse, etiam Atheorum Societatem stabilem, firmamque esse permansuram.

CA-

(a) *Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis Fluminea tolli posse putatis aqua.* Ovid. Fast. 2. 45.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Mala Superſtitioni adſcripta non probant, eſſe illi præferendum Atheiſmum.

I. *Proponitur quod Libertini objiciunt.*

II. *Conceditur, peſſima mala naſci debuiſſe ex Superſtitione, quia eſt peſſima: non ideo tamen erat Atheiſmo pejor.*

III. *Nomine Religionis tegebantur cupiditates, quibus omnibus Atheiſmus favet. Reſpondetur Bælii cogitationi. Quid cogitaſſet Spinoſa, ſi Neroni fuiſſet a conſiliis.*

IV. *Injuria Voltærus appellat bella Religionis furorem Chriſtianorum peculiarem ab Idololatris ignoratum.*

V. *Crimina aliquot Religionis Miniſtrorum non probant, illi eſſe Atheiſmum anteponendum.*

§. I. Sophiſma demum, quod ut Religionem inviſam, pejoremque Atheiſmo, & Societati pernicioſorem oſtendant, uſque ab antiquis temporibus in campum Libertini produxerunt, & quotidie cum in libris, tum in cœtibus minutuli noſtræ ætatis Philoſophi ad ravim uſque inculcant, non eſt ſilentio prætereundum. Ad quæ, quamque immania, ſceleſtaque (inquiunt illi) & ſuſcipienda, & patranda homines quovis tempore Religio non inflammavit? Crudelia humanarum victimarum ſacrificia Idololatrica altaria fœdarunt: perſecutionibus immitiſſimis in Chriſtianum nomen motis, Chriſtianorum ſanguine omnia loca redundarunt. Imprudens Religionis propagandæ, propagatæque defendendæ ſtudium in cauſa fuit, cur Provinciæ regnaque ferro, & igne devaſtarentur, & Cives, & Propinqui in ſe arma verterent, & ad internecionem pugnarent. Ad hæc ſimulatio, avaritia, otium, comeſſatio, inertia accedant, quæ tot negligentes, & improbos etiam Religionis Miniſtros inficiunt, tolerantur tamen, & prope in honore habentur. Jam malorum adeo Societati infeſtorum cumulus hic nunquam ab Atheiſtico ſyſtemate proficiſceretur. Religio ergo Societati magis Atheiſmo noxia eſt cenſenda. Qua valet eloquentiæ vi, jaculatur imbelle hoc telum Bælius (*Repon. aux queſt. d' un Provinc. III. par. chap. 19.*), & Tollandus (*Adeiſidæm. pag. 68. & ſeq.*); dicique poteſt locus unus ex iis fontibus, qui maxime impietatis Magiſtrorum pediſſequis arrideat. Judaicarum Epiſtolarum Scriptor, & Voltærus ſæpe hoc argumentum repetunt, eoque præcipue contra Chriſtianam Religionem utuntur. Horum omnium Anteſignanus Lucretius fuit, quo loco crudele Iphigeniæ a Patre immolatæ ſacrificium deſcribit; celebri illo Epiphonemate concludens (*Lib. I. verſ. 102.*)

Tantum Religio potuit ſuadere malorum.

§. II. Ludus eſt homini non hebeti, telum retundere; quod ita facimus. I. Falſa Religione, ſeu Superſtitione ad ſceleſta, & infanda peragenda fuiſſe homines motos, concedimus, noſque etiam lubentes fatemur, eſſe Superſtitionem malam in ſe, ac proinde malorum peſſimorum radicem. Sed non de hoc certamen nobis eſt cum Libertinis. Inquirendum eſt, num Superſtitio ſit pejorum, & plurium malorum fons iis, quæ ex Atheiſmo derivarentur, ſi in Orbe regnaret. Hoc eſt illud quod negamus. Superſtitio poteſt ad quædam ſcelera homines impellere; at a nonnullis eos revocat. Atheiſmus ſuapte natura, & e ſyſtemate comprobat quodvis graviſſimum crimen, & ad illud hominem accendit, nec habet, quo ab illo revocet: nullum itaque malum eſt, quod nequeat Atheus committere, modo impune poſſit. Jam componantur inter ſe hæ duæ Societates hu-

hujusmodi hominibus constantes, utra pejor erit?

§. III. Criminibus a superstitiosis commissis ut plurimum involvuntur humani cordis cupiditates effrænatæ, quæ Religionis nomine abutuntur, ut specie Religionis studii impune omnia scelesta admittant. Primus, immanissimusque Christiani nominis insectator procul dubio Nero fuit. Interrogo, fuitne Religionis amor, studiumque suorum Numinum gloria, quod illum ad tantum sanguinis effundendum impulit? Nihil sane minus. Vafra Politia, ut ab infamia, odioque, quod sibi subeundum erat, quia Romam incenderat, se purgaret, effecit, ut in innoxios Christianos culpam transferret. Crudelitas, ad quam præ cæteris vitiis ferebatur, aditum hunc quæsivit, qua erumperet, ut eos sævissimis cruciatibus afficeret. Locum Taciti producamus (*Annal. Lib. XV. cap.* 44.): *Ergo abolendo rumori* (hoc est, Neronem incendisse Romam) *subdidit reos & quæsitissimis pœnis, quos per flagitia* (ita tunc de Christianis sentiebatur vulgo) *invisos vulgus Christianos appellabat . . . Unde quanquam adversus sontes, & novissima exempla meritos miseratio oriebatur; tanquam non utilitate publica, sed in sævitiam unius absumerentur.* Advertatur primum ex hoc loco, odium Ethnicorum in Christianos non semper natum fuisse e suæ Religionis studio, sed ex eo quod credebantur *genus hominum superstitionis novæ, ac maleficæ*, ut inquit Svetonius *in Neron. cap.* 16. *& crudelibus caniis, & infandis commerciis* temerati; legimus in Apologistis nostris Tertulliano, Athenagora, aliisque, qui ab his criminibus eos purgant. Præterea ex eo Taciti loco colligimus, efferatas Neronis cupiditates tantum, nullumque publicum emolumentum, quale Patriæ Religionis defensio fuisset, hujus in innocentes *Persequutionis* fontem fuisse. Quod facile conspici potest in aliis Christianorum *Persequutoribus*, quibus avaritia, crudelitas, libido, & præcipue suspicio, dominandique (*a*) cupiditas vera fuerunt principia tot bella in nostros inferendi; Religionis nomine persecutoribus iniquissima consilia tegentibus, & perficientibus (*b*). Quamquam negandum non est, quosdam Religione ad eas cædes edendas fuisse actos. Dicat nunc Bælius (*c*), *Religionem animos Ethnicis fecisse, ut crudeliter agerent, animos tamen non eam facturam Atheis . . . . Quod si Gentiles, qui tot injurias Christianis intulerunt, nonnisi naturæ lumina, quæ Spinosa alicujus causæ constitutus Judex fuisset sequutus, consuluissent, nunquam illos fuisse interfecturos, in vincula conjecturos, affecturosque suppliciis, expulsuros, exterminaturos aliis cruciatibus innocentes homines pene innumerabiles.* Hæc pura, putaque verba sunt, quæ per se corruunt. Si Nero Spinosista fuisset, e systemate ea fecisset, quæ cupiditatis æstu actus peregit. Quid ni? Lumina, quæ Spinosa electus Judex fuisset sequutus, essent, (*d*) *jus in vi consistere; & sicut pisces magni moventur a natura ad vorandos parvos, jusque habent id faciendi; ita cujusque singularis hominis jus tantum aliis præstare, quantum vires, industriaque a natura illi datæ præstant; non esse rationis regere; sed cupiditatis, & virium cujusque.* Nunc jam postulo, an non hujusmodi principiis debebat Spinosa Neronis rationem approbare, qui ut dedecus se incendisse Romam effugeret, & illa pericula, quæ sibi imminere poterant, vitaret, calumniam hanc miseris Christianis affixit, eosque suæ utilitatis, suarumque cupiditatum ergo *quæsitissimis pœnis affecit*? Postulo, num his principiis non debebat ani-

(a) In consilio dato a Mecænate Augusto, quod præcepta exquisitissimæ politiæ continet, quod fuse refertur a Dione Lib. LII. quoad rem nostram ita legitur. *Odio habebis, punitisque exterarum Religionum Auctores non solum quoad Deos, quorum contemptor nihil egregie aget, sed præcipue quia qui nova Numina inducunt, multos trahunt in exterarum legum cultum: inde oriuntur conjurationes, societates, conventicula, quibus nihil Imperio infensius.* Hæc fuit unum ex præcipuis insectandi Christianam Religionem inceptis, in quo nullam, aut parvam Superstitio partem habebat

(b) Vid. Theodor. Ruinart. *in præfat. General. ad acta Martyr.* §. 4. ubi loquitur de causis Christianos persequendi.

(c) *La religion encourageroit les Payens à commettre les cruautés, & n'y encourageroit pas les Athées . . . Si les Payens qui exercèrent tant d'injustices contre les Chrètiens, n'avoient consulté que les lumieres naturelles, que Spinosa constitué juge d'un procès auroit suivies, ils n'auroient pas mis à mort, emprisonné, torturé, banni, ou ruiné par des emendes une infinité d'innocentes.* Bayle Reponf. aux quest. d'un Prov. p. III. chap. 10.

(d) Vid. supra cap. IV. ubi Ethica Spinosæ explicatur.

animos addere omnibus Idololatricis Sacerdotibus ad excitandos Reges in Religionem, qua invecta, eorum emolumenta peritura erant, eorum auctoritas imminuenda, claudendaque eorum Templa? Hæc quidem eventura timebant Sacerdotes Romani, ut testatur Lampridius, si Romæ constitutum fuisset Templum, quod volebat Alexander Severus (*a*): ac proinde ab iis prohibitus fuit. Postulo, num his principiis Spinosa illius Romæ Præfecti (idemque de pluribus aliis aliarum Urbium Præsidibus dicatur) agendi rationem approbare (*b*), non debebat, qui cum crederet, servari communi Christianorum in ærario, magnam auri, argentique, & pretiosorum vasum vim, adversus illius custodem Laurentium, ut tam locupletis prædæ potiretur, omnes technas, cruciatusque expedivit? Omnes hæ, aliæque innumeræ, neque ab Idololatris fortasse unquam adhibitæ, inauditæ rationes, impotentiæ, insectationes, immanitates, nonne e Spinosæ Ethica, & omnium Atheorum systemate necessario consequuntur? Qui ergo audet Bælius hos his anteferre; si quæ illi cupiditatis impetu fortasse abrepti egere, & ea & multo etiam majora hi e systemate comprobant?

§. IV. Animadverti tamen præcipue debet, quo hoc argumenti genere progrediantur Increduli. Jam satis liquet, eos Superstitionis simulatione veram Religionem, quæ sola est Christiana, semper, ut superius diximus, spectare; quondam tamen pudor quidam, aut politica ratio eos ab illa nominanda absterruisse videtur. Nostra tamen ætate frons effertur, & clara voce, elataque nominatur; & crudelitate, insectationibus, stragibusque non solum cum Idololatria comparatur, sed etiam antefertur. Voltærus ita scribit (*c*). *Horret animus, cum legimus, Christianam Ecclesiam semper suis concertationibus laceratam fuisse, & a tot sæculis ab iis, qui Deum pacis gestant, tantum effusum fuisse sanguinis. Furor hic Gentilitati ignotus fuit. Tenebras quidem terris offundebat, at nonnisi victimarum sanguine eas conspergebat.* Priusque dixerat (*d*), *bella Religionis esse furorem peculiarem Christianorum Idololatris ignotum.* Enimvero id a fide abhorret, hoc quo vivimus Sæculo, ita docto, & ab eo, qui se jactitat omnia scire, hæc scribi posse. Quid enim? An dicetur, rixas, furoremque ab ea Religione, quæ in caritate, & pace constituitur, & quæ suis sectatoribus patientiam, veniamque, tamquam peculiarem insignem notam indicit, originem trahere? Contentiones, intestinaque bella ab hominum cupiditatibus oriuntur, qui nimirum a suæ Sanctæ Religionis principiis recedunt. Qui ergo Ecclesiæ Christianæ adscribit id, quod e superbia, & ab invidia degenerata natorum proficiscitur, injuria illi criminatur. Affirmare autem, *hujusmodi furorem ignotum Gentilitati fuisse, eumque tenebras quidem terris obduxisse, non vero sanguine, nisi victimarum eas conspersisse*, est summæ impudentiæ. Cæcus aut malitiosus prorsus sit, oportet, qui quid per tria, & amplius sæcula in toto terrarum Orbe acciderit, non videt, aut se non videre simulat, ut Prudentius (ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝ. *Hym. XI. v. 5.*) canit,

Tan-

(a) *Christo Templum facere voluit* (Alexander) *eumque inter Deos recipere, quod & Adrianus cogitasse fertur... Sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, & Templa reliqua deserenda.* Lamprid. in Alex. Sev. c. 43.

(b) *Versat famem pecuniæ*

Præfectus Urbis Regiæ,
Minister insani Ducis,
Exactor auri, & sanguinis:
Qui ut latentes eruat
Nummos, operta existimans
Talenta sub sacrariis,
Cumulosque congestos tegi
Laurentium sibi jubet &c.

Pruden. Περὶ ΣΤΕΦΑΝΟΥ. Hym. II. v. 45.

(c) *Il est affreux sans doute, que l'Eglise Chrètienne ait toûjours été dechirée par ses querelles: & que le sang ait été coulé pendant tant de siécles par des mains, qui portoient le Dieu de la paix.* Le siecle de Louis XIV. chap. 32.

(d) *Tous les états Chrètiens saignent encore des playes, qu'ils avoient reçues de tant de guerres de Religion, fureur particulier aux Chrètiens ignoré des Idolâtres.* ib. Tom. I. etat de l'Allemagne.

Tantos justorum populos furor impius hausit,
Quum coleret patrios Troia Roma Deos.

Ne limina quidem Historiæ veteris salutavit, qui ignorat, etiam publicis inscriptionibus marmore incisis (Vid. *sup. Lib. II. cap.* 14. *n.* 5.), laudatum fuisse Diocletianum, quod igne, ferroque per totum Romanum Imperium persequutus fuerit, & *deleverit* (ut falso sibi Idololatræ persuaserant) *Christianam Religionem, Deorumque cultum propagarit*. Qui hæc, & his similia, inquam, primorum Ecclesiæ sæculorum monumenta penitus ignoraret, scribere fortasse posset, *Religionis bella esse peculiarem Christianorum furorem Gentilibus ignoratum*. At quicumque legit, hæc Voltærum scribere, non potest quin commiserescat hominem, qui ut hanc persecutionis crudelitatisque criminationem Ecclesiæ Catholicæ affingat (quod in innumeris suorum Operum locis facit) hæc se nescire tam turpiter simulat. Quod si Voltærus, ejusque amici loqui vellent de illa vi, qua *summæ potestates* in Christiana Rep. petulantiam, licentiamque omnis Religionis hostium, quorum in numero sunt Athei, Deistæ, & Naturalistæ ipsi, coercent; ajo, vim hanc, si nulla alia eos ad sanam frugem revocandi, contagionemque continendi, ratio adsit, non modo salutarem esse, sed etiam necessariam; ut Mecœnas quoque Augusto auctor fuit celebri suo consilio, *neque Atheum, neque præstigiatorem in urbe vivere sines* (a). Quod fusius ostensuri modo sumus. Quod si dum hoc ita æquum munus peragitur, delinquitur, & vel Religionis, vel Societatis defendendæ specie alia consilia conficiantur, hoc haud Religioni, quæ hæc scelera damnat, sed hominum malitiæ, quæ quidquid sancti, sacrique est, abutitur, est adscribendum.

§. V. Denique ut ei, quod ultimo loco objectum fuit, respondeam, ego quoque fateor, miserum esse, acerbumque, in terrarum Orbe, & præsertim in vera Religione quosdam ejus Ministros otio, desidiæ, gulæ, avaritiæ, aliisque cupiditatibus, quibus malum exemplum, & incommoda Societati afferunt, se dedere. Ajo tamen, quicumque hinc colligere vellet, eidem Societati ideo Atheismum futurum esse minus perniciosum, quam Religionem, eum tam recte argumentari, quam argumentaretur, qui furta, quibus tot connjubialia lædunt, fraudes, quibus tot commerciorum conventis non stant, Judicum iniquitates, impotentias, acerbasque exactiones Principum amplificans, minora incommoda ex Imperio omnino exlege, sine judicibus controversiarum, sine commerciis mutuis, sine conjugiis, sine ulla Societate in homines esse redundatura, quia in hujusmodi ditione ea non essent mala, quæ in vita civili, politicaque accidere sæpissime videmus, vellet concludere. Quis hujus argumenti infirmitatem non videt? Jam simile est hoc Libertinorum nostrorum, quod tamen adeo ostentant: congerentes suos in libros quæcumque monstrosa, quæcumque absurda in Religionis Ministros obtrectatio excogitare potest, ut ostendant incautis, eam execrandam esse, & longe multum Atheismum, Deismum, & Naturalismum, ceu innocentiæ statum illi præstare. Crimina in nonnullis Religionis Ministris sunt, sicut in quibuslibet hominum generibus, & præcipue in Atheis sunt; hoc tamen interest discrimen, quod in illis, si mali aliqui sunt, etiam honesti, castique aliqui sunt, malosque ipsos Religio, quam profitentur, damnat, & ex parte cohibet. At Impii omnes corrupti sunt, eorumque systema eos defendit, fovetque. Sed argumentum hoc de Religionis Ministris, quod Libertini tanta cum acerbitate torquent, alibi versabimus.

CA-

(a) Dio *Lib. LII.* Μήτ' ἀθέῳ τινί, μήτε γόητι συγχωρήσῃς εἶναι.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Publicæ Rei Moderatores non debent sufferre publicos Religioni Adversarios.

I. *Hujusmodi est celeberrimorum Protestantium sententia.*
II. *Pœnæ statutæ ab Atheniensibus in Religionis perturbatores.*
III. *Sententia quorumdam Hæreticorum contraria.*
IV. *Propositio nostra probatur.*
V. *Infelix elogium, quod Voltærus facit de libertate cogitandi Anglorum.*
VI. *Funestæ consequentiæ hujusmodi libertatis a Voodvvardo prospectæ, & nuper ab Episcopo Londinensi probatæ.*
VII. *Argumenta Zimmermani de tolerandis Atheis proponuntur, & dissolvuntur.*
VIII. *Observatio in causam, cur Scriptor hic faveat tolerandis hostibus cujusque Religionis. Consequitur ex defensa a Protestantibus tolerantia. Locus insignis Papini.*

§. I. CApite præcedenti diximus, æquum esse, eorum audaciam refellere, qui Religionem omnem evertere aggrediuntur, & cuivis regi consilium a Mecœnate Augusto datum sequendum esse, *& Atheum, & præstigiatorem ferendum nullibi esse.* Quod quidem meo judicio evidens est, & ejusmodi visum est plurimis ex iis, qui summa ope *tolerantiam* defendunt; quales sunt Eterodoxi nostrorum temporum, qui Catholicorum studium prohibentium, & si opus sit, etiam punientium quicumque errores nostris dogmatibus adversos docet, crudelitatem, dicunt, ac tyrannidem. Hi iidem, inquam, docent aperte, Atheos, & Deistas tolerandos non esse, sed quovis modo esse reprimendos, ejiciendos, puniendosque. Joannes Albertus Fabricius in duobus e multis suis Operibus caput hoc tractat (a), probatque, non solum necesse esse Reipub. sese contra cujusque Religionis hostes tutari, eos expellere, & si occasio ferat, eos etiam pœnis afficere. Hujus sententiæ est etiam Christianus VVolfius, cujus auctoritatem fuse Teuthonico sermone Fabricius ipse exscribit (b). Pluresque alii cum Theologi, tum Jurisconsulti ab eo nominati. (b) Grotius (*de Jure B. & P Lib. II. cap.* 20. §. 46.) & Puffendorfius; duo insignes Juris Magistri idem sentiunt. Puffendorfius autem præcipue hæc scribit (*de offi. Hom. & Civ. cap.* 4. §. 2.) *Omnium eorum, qui istam* (de cultu Numinis persuasionem) *convellere quocumque modo aggrediuntur, impietas maxime est detestanda, & gravissimis pœnis coercenda*, Epistolam *de tolerantia* relatam legimus a Clerico *Bibliot. Univers. Tom. XV.* citatutque etiam a Barbeyracco in notis ad Puffendorfium (*Droit de la Nat. &c. Lib. VII. cap.* 4. §. *II. n.* 2. *Nota.*) Ubi ejusdem Auctor Lockius fuisse dicitur. In hac epistola hujus doctrinæ caput probatur, adimiturque Principibus facultas Impios toleran-

(a) Primum horum Operum inscribitur *Delectus argumentorum, & Syllabus Scriptorum, qui veritatem Relig. Christianæ asseruerunt, cap.* 14. Secundum, *Salutaris lux Evangelii cap.* 27. ubi ait: *Eversores Religionis omnis, hancque irreligiositatem suam professos, & alios, ut secum similiter infaniant, auctores, non modo licet, sed docet, & oportet etiam reprimere, & jubere procul esse, nisi graviorem animadversionem etiam insolentia sua sibi in caput suum contraxerint.*

(b) In primo Opere modo citato.

(c) Tales sunt Christianus Thomasius, Jo. Hemmingius, Bohemerus, Fridericus Schelidius, aliique apud Fabricium in Opere secundo.

lerandi, Impiisque jus postulandi, ut tolerentur. (a)

§. II. Hunc veteribus cum Græcis, tum Romanis morem fuisse ex pluribus exemplis passim a nobis allatis constat. Vidimus ab Atheniensibus exilium Prothagoræ, a Romanis & Messeniis Epicureis indictum. His eadem pœna, ut Suidas narrat, inflicta fuit a Lyctis. En ejus verba, *voce* Ἐπίκουροι: *Epicurei sapientiæ effeminatæ, & degeneris, ac turpis inventores, Diisque invisi per præconis vocem Lycto* (erat urbs Cretæ Insulæ) *excedere jubentor. Et si quis eorum contempta lege in posterum huc venire ausus fuerit, prope Prætorium per viginti dies nervo vincitor, nudusque lacte, & melle perfunditor, ut apes, & muscas pascat, & intra dictum tempus ab illis consumator. Si vero post tempus illud adhuc superstes fuerit, muliebri veste indutus de rupe præcipitator.* (b) Legatur totus *Lib.* X. Platonis *de legibus*, ubi Atheorum, & Deistarum impietas describitur, tum rationibus confutatur, demum severissimæ statuuntur pœnæ horum insaniæ nequitiæque accommodatæ; præterea etiam in Magistratus, qui eas leges exequi negligerent, ut in munus suum delinquentes, communisque boni hostes pœnæ sanciuntur. Etiam Aristoteles idem sensit (*Topicor. Lib. I. cap.* 5.) Hæc Seneca quoque (*Lib. III. de Benef. cap.* 6.) scribit: *Violatarum Religionum alicubi, atque alicubi diversa pœna est, sed ubique aliqua.* Neque solum in Auctores, sed in Opera ipsa, quæ de Religione detrahebant, antiqui Sapientes illi multa decreverunt. Alibi diximus Tullii testimonio Prothagoræ libros, in quibus Divinitatis existentia in dubium revocabatur, ex Atheniensium decreto publice fuisse combustos. Valerius Maximus hæc scribit (*Lib. I. cap. I. n.* 12.) *Græcos* (libros) *quia aliqua ex parte ad solvendam Religionem pertinere existimabantur, L. Petilius Prætor Urbanus ex auctoritate Senatus per Victimarios igne facto, in conspectu populi cremavit. Noluerunt enim prisci viri quicquam in hac asservari Civitate, quo animi hominum a Deorum cultu averterentur.* Quare mirum non est, si Christiani Imperatores Constantinus (*apud Socrat. Lib. I. cap.* 9.), & Theodosius (*in Actis Synodi Ephes. A. C.* 435. *Tom. I. Collect. Harduini pag.* 1720.) Magnus Opera Impii Porphyrii, aliaque similia Religioni adversa comburenda jusserint; & Theodosius Junior hanc legem sanxerit; *eum, qui servum, sive ingenuum, invitum, seu suasione plectenda ex cultu Christianæ Religionis in nefandam sectam, ritumve transduxerit, cum dispendio fortunarum capite puniendum esse censemus.* L. 5. C. Justin. de Apostat. tit. 7. Lib. I. Quam legem ab Justiniano renovatam nuper commentario doctissimo (*Dissert. Nomica, seu Commentar. ad Novellam Imper. Theod. Junior. Tit. III. &c. Veronæ* 1752.) illustravit Dominicus Carlini ex eruditissimis nostræ ætatis Jurisconsulti, qui vastissimam scientiam summa cum suavitate morum conjungit.

§. III. Quare magnopere miramur esse Scriptores, neque solum ex Impiorum numero (hi enim necessario humanum genus, a quo tamquam hostes existimantur, rogare debent, ut tolerentur), sed qui Religionem profitentur, qui opinantur, & Atheos & Deistas, & Naturalistas tolerandos esse, neque esse puniendos. Gerardus Tizius observat. XCV. in §. 2. Cap. 4. Lib. I. De offic. Hom. & Civ. Puffendorfii a sententia sui Auctoris recedit, & hæc inquit: *Detestabilem esse Atheismum concedi debet, sed ideo gravissimis pœnis eum coercendum esse non sequitur.* Et Joannes Jacobus Zimmermanus Protestans Professor Tiguri in XII. parte *suarum meditationum de incredulitatis nostræ ætatis caussis* hoc argumentum copiose tractat, *utrum Athei pœna civili, vel etiam supplicio capitis affici possint . . . . Ubi monemus non agi hic de homine . . . qui aut per tempus de existentia Dei dubitat, vel amicis quibusdam secretum animi aperit, sed de eo, qui non solum se talem profitetur, sed & libere animi sui cogitata præsentibus aliis aperit, & publicis scriptis defendit, num.* 7. Et quamvis testetur, velle se in utramque partem argumenta afferre, Lectoribus sol-

(a) *Les Princeps n'en doivent supporter dogmes, qui soient contraires a la societè civile, quels qu'ils puissent être . . . . Les Athèes ne peuvent pas demander, qu'on les tolere: parce que n'ayant point de Religion, ils ne font conscience de rien, que de ce que les loix civiles punissent*. Biblioth. Univer. Tom. XV.

(b) Advertit Ladolphus Kusterus in notis ad hunc Suidæ locum, cum hanc narrationem eruisse ab Æliani Opere nunc deperdito *de Providentia*.

vendi problema potestatem faciens, ostendit tamen, se potius tolerantiæ favere, contrariis siquidem argumentis, licet parum prospere, facere satis conatur, controversiæque finem imponit longis Fleischeri, & Sackii auctoritatibus, eumdem errorem defendentium.

§. IV. Nisi noster nos fallit amor, sperare juvat, ex iis, quæ hoc in Opere probavimus, recte controversiam hanc Lectorem posse dijudicare. Nihil pretiosius, graviusque vera Religione in Societate est, cum quoad Deum, in quo colendo primum hominis consistit officium; tum quoad hominem, in quem ex hoc Religionis aut cultu, aut contemptu bona, & mala infinita, quia sunt æterna, redundant. Veritas Religionis & Naturalis, & Revelatæ, qualis est Christiana, a nobis demonstrata fuit; talemque eam agnoscunt, fatenturque, qui maximo cum emolumento eam profitentur. Jam Athei, Deistæ, Naturalistæ errores suos disseminando auferunt ab hominibus tantum bonum, eosque removendo a cultu illo, quem sibi præstari Deus vult, in æterna illa mala eos detrudunt, quæ ex Religionis contemptu derivantur. Sunt ergo hi, quos quidem habere possit Societas, hostes maximi. Ab illius igitur Moderatoribus tolerandi non sunt, sed coercendi, puniendique, nisi ad eam revertantur.

At quod magis sub sensus cadat, afferamus. Atheorum, Deistarumque Systema, quod nullam aliam æquitatis regulam, quam vim, & voluptatem statuit, aut si quam aliam agnoscit, causas tamen universas, efficacesque, quas Religio in sui cultum proponit, de medio tollit: hoc, inquam, systema, in quod (ut vidimus) Naturalimus redit, directe Societati adversatur, cum mutuam fidem auferat, quod est Societatis vinculum, omnibus enim fraudibus, & sceleribus viam sternit, quotiescumque hujusmodi systematis assecla id exequi impune possit. Si potest ergo, debetque Princeps eum punire, qui peculiari aliquo crimine Societatem perturbat, qui non poterit, immo non debebit potiori jure in eos animadvertere, qui sus deque eamdem Societatem permiscere student systema docentes, a quo omnia crimina in illam dimanant; ac proinde detrimentum nullum est, exitium nullum, quod ab hoc systemate non sit illi timendum?

Et sane qui deberet, aut posset esse indifferens, dissolutusque Rex sciens, spargi in vulgus, furtum esse industriam, fraudem sagacitatem, homicidium jus, jusjurandum insaniam, leges omnes sanctissimas nonnisi imbecillos homines, timidosque obligare, & quotiescumque sors se obtulerit, arripiendam esse ab homine prudenti, adimendumque etiam Imperanti Regnum? Jam omnia hæc ex Atheorum, & Deistarum systemate consequuntur; Rexque poterit hæc non punire? Quid aliud hoc erit, nisi velle, ut contagio serpat, nisi seipsum, Societatemque, cujus custos esse debet, & propugnator, gravissimo capitis, exitiique discrimini objicere?

§. V. Quapropter nimis miserum est elogium illud, quo Voltærus severa lege, qua cohibentur in Catholicis regionibus Libertini, motus Angliam laudat Epitaphio tumulo illius celebris Comœdæ Lutetiæ Parisiorum humatæ inscripto. (a)

Quid? num, ubi mortales audent, est Anglia
tantum,
Promere sensa animi?
Felix Europæ exemplum Anglia, ut ausa Ty-
rannos
Pellere in exilium es;
Mentis sic audes errores demere, nobis
Qui mala bella movent.

Cujusmodi sit, & quam late se extendat *audacia illa cogitandi*, quam Voltærus admiratur, Anglisque invidet, novit quicumque hujus Libertini Poetæ legit opera; & ille ipse, præter innumera alia

(a) Epitaphe de Mademois. Lecoureur
Quoi! n'est-ce donc qu'en Angleterre.
Que les mortels osent penser?
Exemple de l'Europe, ô Londre heureuse terre!
Ainsi que vos Tyrans, vous avez scu chasser
Des préjugés honteux, qui nous livrent la guerre.

lia loca, in quibus Catholicam disciplinam tamquam in immanem credulitatem invehitur, aperte id dicit versiculis illis (*a*)

Mens mea, quo vellet, nequit ira coercita freno
Gallo; Angli, Graecique hac libertate fruuntur.
Omnia Popius inquit, egoque silentia rodo.

Cum Voltaero consentiunt alii ejusdem farinae homines, ut Scriptor Epistolarum Judaicarum (*Let.* 159.) Auctor Libercculi Gallici (*b*) qui nationem Anglam ceu omnium nationum felicissimam judicat ex hac cogitandi libertate non coercita, ut fit alibi, aut ab *Aula*, inquiunt ipsi, aut a *Sacerdotibus*, sed ad Sanctuarium usque, Soliumque protenta.

§. VI. Ut judicemus tamen ex eo, quod Popius, & Libertini Angli facultatem quidquid in mentem sibi venit, dicendi habent, non esse dicendum Regnum illud felix; immo potius timenda illi esse gravissima infortunia, satis erit audire, quod hujusce saeculi incepto ejusdem Nationis praeclarus Vir, hoc est VVoodvvardus in quodam Londini habito sermone an. MDCC. de Cathedra a Boylio constituta, dicebat, *Cum Impietas*, inquit (*c*) ille, *in publicam prodit elata fronte, quin dedecus & supplicium subeat, immo plausibus excipitur, praemiaque accipit, quis unquam ejus insolentiam, & propagationem demirabitur? In Populum, in quo Magnates Principesque liberis conversiculis fruuntur, in quo Religionis contemptus perjuriorum non ponitur; in quo civiles Magistratus nullam vim, auctoritatemque in apertos Religionis hostes habent; in quo Ecclesiastica disciplina infirma est, ac pene extincta, quid est hinc necessario redundaturum nisi Deismus, & Atheismus, & quevis impietas? Respondebitur, Regni Leges non esse Leges Ecclesiae, Regnique emolumentum requirere, ne nimia auctoritas Sanctuarii Ministris detur. At hujus capitis examine praetermisso, hoc tantum mihi dicere liceat, maxime deplorandum esse, in Christiano Regno contentionem de jurisdictione semper eorumdem utilitati cedere, qui timorem Dei de medio tollentes ipsius Regis Solii fundamenta convellunt*. Hactenus VVoodvvardus. Num haec hujus docti Angli praesagia eventu confirmata fuerint, funestaque facta, quae profectura ex hac licentia Libertinorum perhorrescebat, evenerint, non dicam ego, sed locum Hedmondi Gibsoni Londinensis Episcopi afferam, qui Pastorali Epistola narrat id, cujus ille, populusque, quem epistola sua alloquitur, oculatus testis esse potest. *Revocate*, inquit ille, *in mentem, Fratres mei dilectissimi, quod oculis vestris jam vidistis; infandos Libros, quorum vel solum nomen horrorem incutit, quique per summum dedecus atate hac ita litteris exculta publicam lucem aspexerunt. Quae retia innocentiae parata! quae infanda convicia in Deum dicta! Quae disputationes certissimis Religionis capitibus! quo sale, mordacique aceto Revelatio ipsa perfusa! Ne singula minutatim examinemus: praetereamusque silentio infanda haec, praecipue cum jam illa probe tenetis. Utinam tamen malum in Auctores ipsos tantum recidisset. At studium, quo hujusmodi Libri perquiruntur, voluptas, qua excepti fuerunt, plausus illi facti satis aperte, ut dissimulari non possit quid in hac re sentiant omnes, in-*

(a) Discour. VI. sur l'homme
Mon esprit resserré sous le compas François
N'a point la liberté des Grecs & des Anglois.
Pope a droit de tout dire, & moi je dois me taire.

(b) *Essai sur la Liberté de produire ses sentimens. Dedicace a la Nation Angloise. Au pays libre pour le bien public.* 1749. De hoc libro fuse loquemur cap. ult. hujus libri.

(c) *Quand l'impiété marche en public la tête levée: lorsqu'elle n'expose ni aux fletrissures, ni aux chatimens; où lors meme qu'elle est applaudie ou recompensée, peut-on s'étonner de son audace, ou de sa multiplication? Dans une Nation où les Grands & les Princeps se plaisent aux Conversations libertines, où le jeu de la Religion dans le parjure demeure impuni: où les Tribunaux Civils sont sans force où sans activité contre les Ennemis declarés de la Religion; & où la Discipline Ecclesiastique est affoiblie, & meme anneantie, & a quoi doit-on naturéllement s'attendre, qu'a une inondation de Deïsme, d'Atheïsme, & de toutes sortes d'horreux? On dit que les Loix de l'Etat ne sont point celles de l'Eglise, & qu'il importe même au Magistrat de ne pas laisser trop de pouvoir aux Ministres; sans entrer dans cette discussion, qu'il me soit permis de le dire; c'est une chose bien deplorable, que dans un Etat Chrétien, le conflit de Jurisdiction soit tout à l'avantage de ceux-là meme, qui en detruisant la crainte de Dieu, sappent par les fondemens le Throne du Souverain.* Serm. VI. in Collect. Burneti *Desense de la Relig.* Tom. IV.

dicant. Ars adhibita, ut hujusmodi Libri in Regni viscera ipsa & in vicinos populos irreperent, ut Coloniae nostras inficerent, quo magna copia fuerint deportati, ita intestinum in Evangelium ejusque Auctorem sanctissimum odium significant, ut vix in Regionibus nomini Christiano infensissimis aequo animo id ferri possit. Hoc malo commercii genere caeteris Urbibus hac Urbs praestare, emporiumque impietatis esse videtur, ubi ars mores corrumpendi execrabilis auro emitur.

Gallus tamen, Catholicusque, qualem se Voltaerus jactitabat, exclamare audet,

Felix Europae exemplum, Anglia.

At audiamus ut adtemperate ad rem nostram Episcopus dicere pergat.

At non opus est magna perspicacitate, ut oritura consequentia ex artibus adhibitis, ut quodvis Religionis principium evellatur, cerni possint. Nimis finitima sunt impietas, & morum corruptio, ut cito non conjungi simul possint. At his Spiritibus Fortibus ea relinquamus animi sensa, quae illis cordis corruptio suggerit. Experientia quovis sermone superior nobis demonstrat sine alterius vitae timore viventes, qui conscientiae stimulis agitentur, scelestissimis cupiditatibus obsecundare; nullamque hominum rationem haberi, ex quo initum consilium est Deus contemnendi. Judicet ex hoc quicumque aequus est rerum aestimator, & ex ea, quod videre, & intelligere potest, si nobiscum vivit, num status hic, quem exposui, sit ille, in quo haec infelicissima Insula jacet .... Jam nulla vobis admirandi causa erit, homines suis cupiditatibus ita obsequentes jam paratos esse ad qualibet facinora suscipienda, & ad publicam tranquillitatem perturbandam. Civitas sine Religione fuitne unquam Societatis asylum? At nequitia nostra (Londinensis Episcopus sequitur) *nondum metam pertigerat. Nimis infirma, ut cordis nostri corruptioni mederi possit, esse natura videtur. Criminibus ipsa animantia bruta aequamus .... parcito dolori illi, quem haec inaudita scelera, quae nos pudore suffundunt, mente revolvens percipio maximum. Satis publicae Ephemerides haec indigna narrarunt. Pergamus porro.*

Non solum se corrumpere, sed dare operam, ut corrumpantur alii, hoc est agere ita malitiose, ut nihil supra. Vos ipsos testes appello. Num puduit, vulgi oculis subjicere turpissima illa libidinum genera publicis in balneis patrata tabulis maxime lascivis, & ad libidinem incitantibus? Annon editae sunt Historiae Urbium libidinosissimarum, scenaeque indignissimae incontinentiae? Repagula pudoris perfringere, insultare rationi, pessundare audacter leges, juraque Imperii (bone Deus!) suntne haec praecepta illa, quae Cives efforment? Quo animi ardore empti sunt hi Libri, hac tabula ab hominibus qui se Christianos jactant? Quodnam infelicissimi temporis, quo vivimus, nostrorumque morum corruptela luctuosius exemplum? (a)

Placuit longum hunc locum (cui plures

(a) *Rappellez vous, mes chers Freres, ce qui s'est passé sous vos yeux; ces livres infames, dont le nom seul fait horreur; & qu'on n'a point rougi d'offrir à un siecle aussi eclairé que le notre. Que des pieges tendus à l'innocence, que des blasphemes vomis contre la divinité! que des disputes sur les verités les plus certaines de la Religion! quel ridicule même n'a-t-on pas voulu jetter sur la Revelation? N'entrons dans aucun detail, & jettons un voile sur toutes ces abominations, qui ne vous sont que trop connues. Plût à Dieu, que le mal n'eût rejailli que sur eux, qui en sont les Auteurs! Mais l'empressement avec le quel on a recherché ces livres, le plaisir, avec le quel on le a reçus, l'approbation, qu'on leur a donnée, sont des indices trop sensibles du gout general pour pouvoir le dissimuler; l'industrie, qu'on a mise en usage pour repandre ces livres dans l'interieur du Royaume, & chez nos voisins, pour en infecter même nos colonies, où l'on en a transporté un grand nombre, sont des preuves d'une haine si decidée contre l'Evangile, & son Saint Auteur, qu'on la souffriroit à peine dans les nations les plus ennemies du nom Chretien. Il semble que cette grande Ville l'emporte sur toutes les autres dans cette branche odieuse du commerce, & qu'elle est devenue comme la place publique de l'irreligion, où l'on achete à prix d'argent l'art execrable de corrompre les moeurs.*

Il ne faut pas beaucoup de penetration pour prevoir les consequences, qui doivent naitre des soins, que l'on se donne pour anéantir tout principe de Religion. Il regne entre l'impieté, & la debauche une nuance trop imperceptible pour ne point unir bien tôt ces deux vices. Laissons aux pretendus Esprits Forts les sentimens, que leur dicte la corruption de coeur, l'experience plus forte, que les raisonnemens ne nous apprend que trop, que ceux qui vivent sans crainte d'un avenir s'abandonent sans remords aux passions les plus criminelles, & qu'on n'a aucun regard pour les hommes, dès qu'on a une fois appris à n'en point avoir pour Dieu.

Que tout homme juge par ce qu'il voit, & par ce qu'il entend, & par ce qu'il doit voir, & entendre, s'il vit parmi nous, si la situation, que je viens de depeindre, est celle de notre Isle infortunée ... Vous ne vous etonnerez plus, que des personnes ainsi abandonnées soient dans la disposition de

res similes afferri possunt (in medium proferre, non ut Fratribus nostris, quamvis illius Matris, a cujus sinu desciverunt, acerrimi sunt hostes, insultem, sed ut *hac veritate facti*) quæ, ut Bælii verbis utar (*vid. sup. cap. 13. n. 1.*) *plura Metaphysicarum volumina refellit*) confirmarem, impietatem mentis, cordisque corruptionem, ut hactenus hoc Libro probavimus, amice conjurare; & ut ostenderem evidentibus facinoribus, ad quæ impellit tolerata Impietas, Moderatoribus Societatis quacumque ratione cohibendum esse, qui aut voce, aut scriptis eam in vulgus spargere conatur. Quare hinc erubescat Libertinus ille Poeta, qui injuste queritur, severe in Catholica Religione hanc dicendi scribendique licentiam reprimi; & quadam invidiæ specie vocem extollens *Gallo fræno coercitus* exclamat:

Felix Europa exemplum Anglia!

Ipsa fortasse poterit exemplo esse earum turbarum, quæ excitarentur, nisi in officio continerentur Libertini; turbarum, quarum licet quasdam in Civitatibus nostris videamus, tamen in immensum tunc excrescerent. Si enim nunc excitantur clanculum, pedetentim, & ex impetu cupiditatis, quæ puniri possunt; Impietate grassante, publice, & e systemate fierent, cui remedium nullum inveniretur.

§. VII. Quare hujusmodi argumentis cum a jure, tum a facto desumptis nihil est infirmius quam quod Zimmermannus pro Impiis tolerandis opponit. Ait ergo (*Medit. de causis incred. par. XII. n. 8.*) a Reip. Moderatoribus non esse multandum *Atheum, suam sententiam in medium preferentem, non turbare Remp. vel Cives: ratiocinari enim eum dumtaxat, neque ad assensum quemquam invitum pertrahere posse. In potestate enim auditorum situm esse vel argumenta ipsius missa facere, vel expendere serio, atque adeo rejicere, vel non rejicere... Quod si quidem antea jam ad incredulitatem propendentes forte hac ratione excitentur, Athei rationibus album calculum adjiciendo, id non tam argumentis Athei, sed inclinationi pravæ hominum esse attribuendum.* Quis infirmissimus ratiocinandi modus est hic? Quis dixit unquam, Atheum uncos adhibere, aut funes, ut homines in suam opinionem invitos trahat? Ille tantum sermocinatur, & ut cuique arridet, assentire potest; ita sane. Num ideo ut Reip., & Civibus pestifer habendus non erit; & proinde a Reip. Principibus in commune bonum non erit comprimendus? Si Paterfamilias adverteret, Litteratum quemdam importune domum suam adire, convenire uxorem suam, filiasque, iisque non solum Decameronis lectione, aut similibus narratiunculis animum relaxare, sed etiam omnem ingenii aciem intendere, ut iis probet, jura fidei, honestatisque esse commenta; versutia opus esse, ut ea negligantur impune, & hinc eas suis cupiditatibus subjicere illum conari; an posset Pater ille, quin infamiam turpissimam subiret, dissimulare, & sinere, hæc domi suæ doceri, hæc fieri, hac una de causa, quod ille nihil aliud agit, quam argumenta sua proponere; vim in mulieres eum non adhibere, & in earum potestate esse situm rationes illas vel admittere, vel repudiare? Eritne nobis fortasse longo verborum apparatu ostendendum Zimmermanno, vel iis, a quibus stat, quasi novum quid, obscurumque, pravis sermonibus mores corrumpi? Ver-

de commettre toutes les violences, qui peuvent troubler la tranquillité publique: une Ville sans Religion fut elle jamais l'asile de la Société?

Mais notre malice n'etoit point encore à son comble. Il sembloit, que la nature étoit devenue trop foible pour fournir à toute la depravation de nos coeurs; on est allé jusqu'à la brutalité... Epargnez à ma douleur le recit de ces crimes inouis, qui vous couvrent d'opprobres; les relations publiques vous en ont assez dit... allons plus loin.

Ne pas se contenter de se corrompre soi même, mais s'efforcer de corrompre les autres, c'est agir avec la malice la plus reflechie, & la plus outrageante... j'en appelle à votre temoignage. A-t-on rougi d'exposer aux yeux du peuples les abominations des bains publics par les peintures les plus lascives, & les plus lubriques? N'a-t-on pas publiés les histoires des plus Villes prostituées, & les scenes les plus execrables de debauche?.... Franchir les bornes de la pudeur, insulter à la raison, braver les loix, & les constitutions d'un Etat, grand Dieu! sont cela les preceptes, qui doivent former des Citoyens? Quel debit n'ont point eu ces livres, & ces peintures parmi des hommes, qu'on honore du nom de Chrétiens? Quel exemple plus triste de la situation deplorable, où nous nous trouvons, & des dispositions corrompues des nos cœurs?

ba esse vincula fortissima, quæ quo volunt ut plurimum homines pertrahunt? Et etiam paradoxa prorsus inaudita Sophistarum artibus involuta, impurisque cupiditatibus jucunda populi animos haud dubie in perniciem impellere? At si id accidat, reponit ille, *non tam argumentis Athei, sed inclinationi pravæ hominum esse adtribuendum*. Ast ego non gravate concedam, hanc sane pravam inclinationem eorum, qui impietatem amplectuntur, antecedere; sed etiam ille dare debebit, esse hos impios concionatores, qui stantes in præcipiti impellunt, ut corruant, suisque sermonibus frænum illud, quo Religio eos regebat, detrahunt; ita ut n antea crimina pavidi, cautique patrabant, ea postea imperterriti, elatique committant; si prius impetu quodam in illa rapiebantur, sibi jus esse ea posthac e systemate faciendi arbitrentur. Nunc requiro, num id a bonis Societatis custodibus, quam directe in exitum ratio hujusmodi impellit, dissimulandum sit, nec puniendum? At non est ita, Zimmermannus inquit (*ibidem*), (en autem aliud argumentum pro tolerantia). *Atheum leges divinas non admittentem non tamen propterea in omnia scelera statim ruiturum: homines non semper agere convenienter suis principiis . . . . . Atheum vi. temperamenti, amore tranquillitatis, metu pœnarum &c. impediri posse, quominus fræna laxet his, vel illis vitiis. Quod si proximum lædat, aut talia præstet, quæ Legi civili contraria sunt, posse ipsum æque ac cæteros Cives pro delictorum gravitate puniri*. Haud indiget Lector, ut hoc sophisma, quod Helvetus Auctor a Bælio desumpsit, rursus confutem, cum id alibi luculenter præstiterim, ubi ostendi, & quando credi possit, hominem aut acturum, aut non acturum esse secundum sua principia, & quam allatæ causæ ad retinendos in officio eos, qui æternitatem, providentiam, Deumque negant, sint infirmæ. Quod autem ille dicit, tunc puniendos, coercendosque Atheos esse, cum Cives suos lædunt, Legesque civiles violant, respondeo, cæcum prorsus esse, qui non videt, hos gravissimam Civibus suis injuriam inferre, cum in impietatem eos pertrahunt, maximumque Reip. detrimentum afferre conari, cum Religionem, quæ est & Imperii, & Solii, & legum fundamentum unum, de medio tollere student. Cur ergo, si punitur qui alium contumelia afficit, aut maledice de Rege loquitur, tolerandi erunt hi, de quibus jure dici potest, quod de Epicuro ajebat Cicero (*de Natur. Deor. Lib. II. cap. 41.*) quod, *nec manibus, ut Xerses, sed rationibus Deorum immortalium Templa, & Aras everterit Epicurus*; hoc est qui verbis ea maxima mala pariunt, quæ opere patrare possint scelesti.

At pergit dicere (*ibid.*) Zimmermannus, *non negandum, Atheismum esse gravissimum errorem, sed errorem tamen, undecumque ortus sit, esse intellectus; hic vero adhibenda remedia non coactiva, sed naturæ erroris consentanea dumtaxat, idest argumenta gravissima: errores non pœnis eximi erranti, sed meliora monstrando*.

Ego quoque censeo, aptissimas rationes omnes adhibendas esse, ut ab horum miserorum mentibus error dematur. Verum si illi ex contumaci nequitia ad sanam frugem redire nolunt, immo deridere, & ludos quidquid augustissimum, sanctissimumque Religio habet, facere, virusque incautis propinare, Religionem, ut uno verbo dicam, publice & dictis, & scriptis pessundare pergunt; quis crudelitatem, ac non potius prudentem agendi rationem dicet modum in eos adhibitum, qui in furentes (quo in genere sunt impii) adhibetur? Cur ab alieno commercio removendi non erunt, non coercendi, non continendi, ut saltem aliis nocere nequeant, adhibendo omnia remedia non modo mitia, sed valida, & præsentia ad obstinatam insaniam superandam, quæ licet intellectum teneat, a voluntate tamen pervicaci, perversaque originem trahit? Cur demum modi omnes adhibendi non erunt aptissimi *ad dandum intellectum* iis, qui non bona fide, sed ex cordis corruptione profitentur, ostenduntque, se illo carere?

§. VIII. Cætera Zimmermanni sophismata pro Atheis tolerandis allata prudens prætereo; sunt etenim omnia ejusdem furfuris, nec in iis dissipandis tempus est terendum. Est quidem operæ pretium, causam Lectori patefacere, cur Scriptor hic (qui cæteroquin in opere suo se favere Religioni simulat, & investigat, & luculenter modos ne impietas augeatur, aptissimos indigitat) adeo se pro-

pen-

pensum ad tolerandos impios ostendat; cum alii & Lutherani, & Calvinistæ, quos supra nominavimus, inquirendam, puniendamque improbam hanc gentem esse dicant. Causam ille idem pluribus in locis (a) significat. Probe novit, plura ex iis argumentis, quæ demonstrant, a Societatibus Religiosis Atheos, Deistas, & Naturalistas ferendos non esse, etiam probare (ad rem controversam accommodata) ne Hæreticos quidem ab Orthodoxa Societate esse tolerandos. Ne ergo cogatur concedere æquitatem Ecclesiæ Catholicæ, quæ ferre non vult Hæreticos, quod quidem illi ceu immanem tyrannidem sibilis, & conviciis proscindunt; etiam æquitatem non tolerandi Impios carpit, & præter sanam rationem eos tolerandos, neque refrænandos, & puniendos esse ait. Atque hæc est labes illa ultima (ut obiter id hic dicam), quo adeo jactata Novatorum tolerantia progreditur; hoc est ferendi in Christiana Societate publicos hostes, irrisoresque omnis Religionis. Quod prudentiores Protestantes horrent, non tamen Zimmermannus, ejusque fautores, quos, dicendum est, id agnoscere, id ut e suo systemate necessario consequens admittere. Hujusmodi sane illud agnovit Celebris Papinus Ecclesiæ Anglicanæ jam Sacerdos; sed qui vi hujus horrendæ consequentiæ motus, hujus systematis, quod ad hæc exitia impellit, falsitatem vidit, Deoque opitulante ad Ecclesiam Catholicam rediit. Ejus verba afferre placet: *Ita (b) me constrictum teneri vidi, ut si Protestantes vel minimum tolerantiæ partes deserebant, vincerentur a Catholicis, nisi eas deserebant, ab Hæreticis, Infidelibusque, quibus arma ad se protegendum suppeditabant, superarentur. Non poterant efficere, ut omnes defenderent, & ut omnibus credendi, docendique libere quod sibi libuisset, facultatem concederent. Rationes, cur Tolerantes probare volunt, omnes esse tolerandos, qui Scripturam ducem, regulamque habent, quicumque intellectus ei subjiciatur; non minus probant ferendos esse omnes Infideles, generatimque eos, qui dicere possent, se bona fide esse, licet Atheismum profiterentur (c). Rationesque, cur hostes Christiani nomine tolerandos esse negant, evincunt, eos omnes ferendos non esse, quos tolerari vellent.* Hactenus Papinus. Sed de hoc tolerantiæ Protestantium capite dicemus alibi locupletius. Hoc ergo rationibus a nobis allatis in Zimmermannum, aut in eos, quorum ille partes sustinet, concludatur, nullo modo Atheos, vel Deistas, cum venenum suum disseminant, esse tolerandos, sed a Rerump. Moderatoribus cohibendos, multandosque. Quod si argumenta illa, quæ ad id impellunt (ut fatentur Protestantes sapientissimi, noverunt que semper excultæ nationes) materiæ accommodata tolerantiæ Novatorum systema labefactant, non video, quid causæ esse possit, nisi insita jam ante menti opinio obstinata, qua fit, ut potius quam falsitas hujus systematis agnoscatur, earum rejiciatur evidentia rationum, & potius quam æquitas Catholicorum approbetur, etiam Atheos, Deistasque tolerandos esse, dicatur.

(a) Vid. Zimmer. loco dicto supra in arg. a. 8. & 9. pro tolerantia; quibus in locis cum vellt respondere argumentis, quæ a propugnatoribus contrariæ opinionis fuerant allata, ait, illa argumenta nihil probare, quia nimis probant, quandoquidem inde sequeretur; etiam Pontificios juste agere, si nollent Protestantes tolerare.

(b) *Je me trouvai ainsi convaincu, que si les Protestans quitoient le moins du Monde le parti de la Tolerance, ils etoient pris par les Catoliques; & que s'ils ne le quitoient point, ils etoient pris par les heretiques, & par les Infideles, à qui ils furnissent des armes defensives. Ils ne pourront se dispenser de les sauver tous, & de leur accorder à tous une entiere libertè de croire, & d'enseigner publiquement ce qu'il lui plaira. Les raisons, par les quelles les Tolerans veulent prouver, que l'on doit supporter tous ceux, qui prennent la Sainte Ecriture pour regle, quelque explication qu'on lui donne, ne sont pas moins fortes pour obliger à supporter tous les Infideles, & generalement tous ceux, qui pourront se vanter d'être de bonne foi, fissent-ils profession d'Athèisme. Et les raisons, par les quelles ils veulent exclure de leur tolerance les ennemis du Christianisme, rendent indignes de support tous ceux, à qu'ils voudroient, qu'on l'accordat.* Les Deux voies opposèes en matiere de Religion par M. Papin. Seconde part. sect. I. n. 13.

(c) Mihi videtur Zimmermannus non difficulter agnoscere hunc *Atheum bonæ Fidei*, cum eo loci scribat argumento 7. hæc: *Atheum posse existimare, Religionem superstitionis, & multorum malorum causam esse; amorem igitur proximi postulare, ut homines meliora edoceantur. Accedit, quod saltem existimare possit, argumenta sua fortiora esse iis, quæ pro existentia Dei adferuntur.*

PARS SECUNDA.

De Secundo Impietatis Fonte.

CAPUT PRIMUM

Rationis perturbatio.

I. *Sicut Fons primus Impietatis est in corde, ita secundus est in Spiritu, proprieque consistit in perversitate rationis.*

II. *Ostenditur id de omnibus Libertinis. Quomodo transeant hi a Religione ad Impietatem. Quam sit eorum ratio sana menti absona. Quomodo eos Paschalis describat.*

III. *Horum insania putantium, se hominum existimationem sibi conciliare Impietatem profitendo. Alius Paschalii locus illustris.*

IV. *De Libertinis studio deditis. Præcipue gloriantur de recto sensu, & ratione; sed eorum sensus est corruptus, & ratio perversa: Methodus, qua hæc probabuntur.*

§. I. Licet Fons primus, unde in homines Religionis contemptus dimanat, sit cordis corruptio, ut hactenus probavimus satis, superque: tamen cum error tamquam in sede sua in intellectu resideat, opus est investigare, qui facultas hæc, ut impuri cordis pravis cupiditatibus morem gerat, neglectis luminibus iis veritatis vividissimis, quæ illi primum Supremum Ens, aliaque præcipua Religionis cum naturalis, tum revelatæ capita patefaciunt, eo progredi possit, ut Impietatem, id est mendaciorum, errorumque acervum, complectatur. Hæc inquisitio, ad probe Impiorum ingenium internoscendum juvabit. Sicut enim ex primo fonte comperto in iis *perversitatem cordis* summam vidimus, ita ex hoc secundo *rationis* perturbationem singularem, & luctuosissimam detegemus. Color sane hic omnino alius est ab eo, quem illi se præferre dicunt, se reputantes, volentesque sapientissimos, prudentissimosque mortalium omnium haberi, utpote qui præjudiciis, & fide soluti norunt ratione uti, & acumine, vique ratiocinandi omnium errorem vident, & deliramenta comperiunt esse illa, quæ humanum genus ceu veritates colit. Ideoque *Liberos cogitantes* & *Spiritus Fortes* κατ' ἐξοχὴν se dicunt. Ego autem ad ostendendum me paro, eos esse *ingenia perversa*, & *insana*, in quibus summa cæcitas inest, maxima rerum naturæ inscitia, spiritus, qui communis sensus notiones pervertit, qui sibi ratiocinandi modum rationi rectæ adversum effingit. Quapropter non Spiritus Fortes, sed vecordes appellandi sunt, ut eos nimirum Aristoteles vocat illustri illo in Magnis Moralibus effato alibi recitato a nobis (*a*). *Si quis adeo temerarius sit, ut Deos etiam contemnat, non erit hic vir Fortis, sed Fatuus.*

§. II. Atque ut initio statim de maxima parte, seu de Libertinis generatim loquamur, illud constat, non longam theoriarum, & sophismatum seriem, per quæ veluti totidem gradus ad Impietatem pervenerint, esse in illis inquirendam. Atheismus, aut Deismus magis suis cupiditatibus, quam Religio, & Evangelium, inventus consentaneus, demonstratio fuit, qua fuere convicti. Accidit in his, quod recens Auctor nihil Romanæ Ecclesiæ favens verissime dicit, accidisse de credita Novatorum Reformatione. *Si nos*, inquit ille, (*b*) *Reformationis progressus ad principia simplicia redigere velimus*,

(a) *Magn. Moral. Lib. I. cap. 5.* Ἐάν τινα ποιῶσι ἄφοβον, ὥστε μήτε θεούς, φοβεῖσθαι, οὐκ ἀνδρεῖος, ἀλλὰ μαινόμενος. Vid. etiam Platonem in X. Legum, ubi plures impios stultos dicit.

(b) *Si donc on veut réduire les causes des progrès de la Reforme à des principes simples, on verra, qu'en*

mus, perspicitemus, utilitate tam fuisse invectam in Germaniam, cupidine in Angliam, novitate, & fortasse cantiuncula in Galliam. Hoc idem de Impietate dicatur; in Ministros, in Politicos, in Aulicos ex avaritia proficiscitur. Exemplum piscis ingentis, cui jus est parvum edendi, est iis argumento quavis exceptione majori, ita ut Machiavelli, Spinosæque systema sequendum sibi arbitreutur, & tamquam falsum quod Salomon, quod Evangelium docuit, repudient. Libido, & fortasse cantiuncula in hominibus rebus Venereis addictis eam peperit; sufficiunt quibusdam ii versiculi (*a*):

Si peccare adeo est suave, verum
Non peccare adeo necesse, nostra heu
Natura aspera, qua legi repugnat,
Heu lex aspera, qua nimis gravas nos.

Hæc, inquam sunt argumenta illa, quæ primum quidem efficiunt, ut illi dubitent, tum ut placita Epicuri, Petroniique omnino amplectantur. Demum in ardelionibus, & in ambitiosis Impietas oritur ex cupiditate nomen ingeniorum acutorum, & præjudiciis liberorum in cœtubus sibi comparandi. *Putant hi*, inquit Bælius (*b*), qui eos probe norat, *e singularibus, audacibusque quibusdam sententiis se famam magnorum virorum sibi esse conciliatures . . . Itaque paullatim in eam consuetudinem abeunt, ut impios sermones habeant, quod si etiam libido ad hanc gloriæ cupiditatem accedat, velocius iter conficiunt:* paulloque post, *doctrinarum capita non versarunt, quædam tantum objecta didicerunt, obstrepuntque in conventubus loquunturque ex ostentatione.* Quænam autem ratio magis a sana mente abhorrens dari potest? Postulo enim: vel hi modis his omnino ex animo Religionem delent, & Athei, aut Deistæ revera fiunt, quia ita sibi persuadent; aut cupiunt quidem esse, conanturque id sermonibus demonstrare improbeque agunt; quasi crederent, neque æternitatem, neque Deum esse; sed hæsitant, dubitantque tantum de his capitibus. Si vere Athei sunt, qui homines unquam magis illis insipiunt, qui rationibus tam infirmis moti systema illud deserunt, quod, ut ignorare nequeunt, fundamentis adeo firmis nititur, ut ea concutere nequeant, aliudque amplectuntur, quod plura habet, quæ inter se repugnant, quin ea possint componere? Si vero tales esse avent, quinam ergo homines iis sunt infeliciores, si dubitatione æstuantes eam eligunt sententiam, e qua certo sciunt æterna, & funestissima consequentia esse profectura; contrariamque deserunt, eujus evidentiam ex animo suo removere prorsus nequeunt, & summa ex ea emolumenta redundantia cognoscunt? Ergo quocumque Libertini, de quibus loquimur, suntque maxima hujusce Scholæ pars, se vertant, se homines sana mente carentes produnt. Quoniam pars secunda dilemmatis a nobis allati verior est; vulgaresque hi Athei, Deistæque, nonnisi dubitant, vel cæcultant, vel malitiose ignorant, placet apertius hanc infelicem stupiditatem in quam incidunt, coloribus quibus illam præclarus Blasius Paschalius in primo suarum sublimium cogitationum de Religione pingit, oculis subjicere. *Horum tranquillitas in sua ignorantia est quid monstrosi, & cuius opus est insolentiam, stupiditatemque iis ipsis ostendere, qui ita vivunt, objiciendo eorum oculis, quod in ipsis accidit, ut sua infirmitatis conspecta erubescant. En enim quomodo ratiocinentur homines, cum in hac sui ipsius ignorantia*

qu'en Allemagne ce fut l'ouvrage de l'interêt en. Angleterre celui de l'Amour, & en France celui de la nouveautè, ou peut-être d'une chanson. Memoir. pour servir à l'Histoir. de Brandburg. pag. 37. par. 1.

(a) *Se 'l peccar è si dolce,*
E 'l non peccar sì necessario e troppo
Imperfetta natura,
Che ripugni alla Legge!
O troppo dura Legge,
Che la natura offendi!

Guarinus in *Pastor Fido*. at. 3. sc. 3. ver. 19.

(b) *Ils s'imaginent, que la singularitè, & l'hardiesse des sentimens, qu'ils soutiendrent, leur procurera la reputation de grands Esprits . . . . Ils se font donc peu à peu une habitude de tenir des discours impies, & si la vie voluptueuse se joint à leur vanitè, ils marchent encore plus vîte dans ce chemin . . . . Ils n'ont guerre examinè, ils ont appris quelques objections, ils en etourdissent le Monde, ils parlent par un principe de fanfaronnerie.* Dict. Crit. art. des Barreaux. Rem. F.

rantia vivere constituunt (dictumque intelligatur id de quovis dubio, & cæcitate de præcipuis Capitibus) *quin quærant, ut illuminentur.*

Ignoro, quis me crearis (inquiunt hi), *& quid sit mundus, & quid ego, in omnium rerum ignorantia summa versor. Nescio quid sit meum corpus, quid mei sensus, quid anima mea; & hac ipsa mei portio, quæ cogitat, quod dico, quæ advertit quodlibet, & se ipsam quoque, nihilo magis se cognoscit quam reliqua entia. Video immensum hoc Universi spatium, quod me complectitur, meque adhærentem comperio parti uni hujus latissimæ quoquoversum extensionis, quin sciam, cur potius hoc in loco, quam in alio collocatus fuerim; quin sciam cur exiguum hujus vitæ spatium datum mihi fuerit hoc potius tempore, quam ullo alio totius æternitatis, quæ præteriit, aut quæ futura est. Quocumque oculos converto nonnisi infinita conspicio, quæ me ut atomum, aut umbram absorbent, quæ momento temporis perdurat, nec revertitur. Quod novi, hoc est, cito moriendum mihi esse; at quod minus novi, est mors hac eadem, quam nequeo effugere; sicut autem me latet, unde venerim, ita me latet, quo iturus sim; & hoc unum scio, me ex hac vita decedentem aut in nihilum casurum, aut in manus Dei irati, quin tamen norim, utra harum conditionum æternum obventura mihi sit. En meus status miseriarum, infirmitatis, inscitiæque plenus. Et hoc colligo, ita, donec vixero, mihi vivendum esse, ut nihil cogitem id, quod accidere mihi debet; mihi obsequendum esse cupiditatibus meis, quin quicquam advertam, quin quicquam perturbor, omnia peragens, ut æternum peream, si quod* (a Religione) *dicitur, verum sit. Forsitan possem has tenebras discutere; at nolo tantum mihi incommodi sumere, & ne latum quidem unguem progredi, ut lumen inquiram; contemnentique eos, qui hoc sibi negotium comparant, mihi in animo est, obviam ire, quin considerem, aut pavescam, casui tam ingenti, & æquo animo mortem subire incertum de futuri mei status æternitate.* Hactenus Paschalius. Ludus erit Lectori non hebeti detorquere id, quod ille ait, ad omnes hos ardeliones Libertinos, qui mortales contagione inficiunt, quique nihil intentatum relinquunt, ut eo tandem deveniant, ut de Religione dubitent. Si de Impietate, aut Deismo iis persuasum non est, ut revera non est, sed tantum dubitant, ambigunt, suspensi sunt, anxiique; jam illi ita pergentes vivere homines omnium, qui usquam sint, mortalium insanissimi, & maxime efferi sunt. Et audebunt adhuc sibi plaudere, se Spiritus Fortes dicere, & non potius imbecillos, & furentes?

§. III. Alium tamen horum insaniæ colorem nobis Auctor modo laudatus in oculis ponit, illa eadem vestigia indigitans, quibus hi, ut famam Spirituum magnorum, sapientiumque sibi concilient, insistunt; scilicet cum diligentiam affectant, ut in cœtubus vere Impietatem profiteri criminosas in Religionem orationes habentes videantur, ostendentesque ut Philosophos acutos, subtilesque se illam parvi facere, longeque aliter ac vulgus, quod illam plurimi ducit, sentire. Hic quoque ejus verba recitemus.

Si ergo Libertinorum pars maxima consideretur aut in impietatem prolapsorum ineptissimis motorum caussis, aut ita in sua obstinatione permanentium dubiorum, anxiorum, ancipitiumque, aut putantium, se auram famæ, decorisque captaturos, quin fortasse quicquam aliud habeant ex se, nisi ut veluti servile pecus alicujus insignis Libertini sermones imitentur, ex his omnibus, inquam, si eos consideremus, quotquot in terris sunt mortalium insanissimi omnium detegentur.

Audierunt hi, elegantes Sæculi mores in hoc esse positos, ut ostentetur Impietas. Hoc est id, quod illi dicunt jugum excussisse, eorumque pars maxima nisi ut alios imitetur, id facit. An si in his restat adhuc communis sensus unciola, difficile non erit iis ostendere, quam parum sapiant, dum hoc modo existimationem sibi comparare student. Eam sibi conciliandi ratio hac non est, ne ab justis quidem rerum æstimatoribus, & ab iis, qui norunt rationem unam, qua fama acquiratur, esse hanc, honestatem, fidem, æquitatem colere, commoda amicis præstare; quandoquidem homines ut plurimum nonnisi propter utilitatem alios amant. Jam quod emolumentum possumus percipere ab homine, qui gloriatur se excussisse jugum, se non credere, Deum esse, qui opera nostra scrutetur, se suorum factorum esse dominum, eorumque sibi tantum se redditurum esse rationem? Putatne fortasse hic hujusmodi sermonibus se efficere, ut sibi fidem habeamus, ut ab se auxilium, consilium, opem-

opemque in calamitatibus speremus? Arbitraturne, gratissima se nobis nuntiasse, cum dicit, se dubitare, num anima nostra sit quidquam aliud, quam fumus, vaporque, idque elata fronte, tumidoque ore dicit? Estne hoc late dicendum, annon potius mœsta fronte, dimissisque oculis ceu omnium luctuosissimum? Si attente id hi considerent, videbunt, esse hoc ita turpe, adeo rationi absonum, sic honestati infestum, tamque ab ea fama, quam aucupari student, remotum, ut nihil magis iis contemptum, odiumque hominum conciliare, eosque ignorantes insipientesque magis ostendere possit. Et sane si interrogentur, cur ita impie sentiant, cur de Religione dubitent, rationes tam infirmas, tam ineptas afferent, ut potius contrarium sint probatura. Hoc est, quod iis quodam die satis apte quidam dicebat: si vos, ajebat hic, pergitis hoc modo loqui, enimvero ad sanitatem redibitis. Et merito quidem. Quis enim non horresceret, se ulla sentire, quæ homines ita contemnendi, abjectique sentiunt? Hæc doctus Gallus.

§. IV. At poteritne fortasse hoc idem de Atheis, aut Deistis e systemate dici, qui se doctos jactitant, scriptisque Religionem oppugnant? Nihil sane ii magis ingratum audire possunt, sed nihil æquius potest illis adscribi. Nihil plures in eorum scriptis offenditur, quam verba *rationis rectique sensus*; nihilque magis ab iis abest, quam ratio, rectusque sensus. His telis se unos instructos credunt, hisque rentur, se tot relaturos triumphos, quot ore rotundo sophismata expromunt. Eorum ratione omnia edomita, victaque corruere debent. Objiciturne iis sua cum auctoritate Religio? Commentum est. Cum suis Operibus Patres? superstitiosi sunt: suis cum argumentis Philosophi? Minus sapiunt; suo cum vivendi modo boni? fanatico morbo laborant; cum suo universo consensu genus mortalium totum? slævum est. Ipsi, ipsi uni recte prospiciunt ratione sua, suoque sensu. His in lancibus divina, humanaque, Historiam, Scientias, Theologiam, Politicam, Sacerdotium, & Imperium suspendunt. Idque unum debet esse verum, aut justum: aut existit, aut existere nequit, quod iis videtur. Aggrediamur nunc examinare, quam vim, quemve usum in rebus ad Religionem spectantibus hæc ostentata eorum *ratio* habere debeat, videbimusque, eam rectæ scilicet rationi esse contrariam. Sperare enim nos juvat, fore ut demonstrare possimus, cum Atheos, tum Deistas, & Naturalistas *rejicere Religionis, & Naturalis, & Revelatæ dogmata propter eas difficultates, quæ hominem sapientem removere non debent ab iis sequendis; eos deinde amplecti systemata, quæ longe majoribus, immo prorsus insolubilibus difficultatibus urgentur*. Tenor hujusmodi ex pluribus exemplis passim allatis cerni potuit; nunc placet quædam simul conjuncta proferre, ut uno intuitu clarius unusquisque videre possit, nostrorum temporum Libertinis, non modo Spirituum excellentium, & recte videntium nomen illis non convenire, sed potius Spiritus lævos, & perversos jure ac merito esse dicendos.



C A-

rantia vivere constituunt (dictumque intelligatur id de quovis dubio , & cæcitate de præcipuis Capitibus) *quin quærant , ut illuminentur .*

Ignoro , quis me crearit (inquiunt hi), *& quid sit mundus , & quid ego , in omnium rerum ignorantia summa versor . Nescio quid sit meum corpus , quid mei sensus , quid anima mea ; & hæc ipsa mei portio , quæ cogitat , quod dico , quæ advertit quodlibet , & se ipsam quoque , nihilo magis se cognoscit quam reliqua entia . Video immensum hoc Universi spatium , quod me complectitur , meque adhærentem comperio parti uni hujus latissima quoquoversum extensionis , quin sciam , cur potius hoc in loco , quam in alio collocatus fuerim ; quin sciam cur exiguum hujus vitæ spatium datum mihi fuerit hoc potius tempore , quam ullo alio totius æternitatis , quæ præteriit , aut quæ futura est. Quocumque oculos converto nonnisi infinita conspicio , quæ me ut atomum , aut umbram absorbent , quæ momento temporis perdurat , nec revertitur . Quod novi , hoc est , cito moriendum mihi esse ; at quod minus novi , est mors hæc eadem , quam nequeo effugere ; sicut autem me latet , unde venerim , ita me latet , quo iturus sim ; & hoc unum scio , me ex hac vita decedentem aut in nihilum casurum , aut in manus Dei irati , quin tamen norim , utra harum conditionum æternum obventura mihi sit . En meus status miseriarum , infirmitatis , inscitiæque plenus . Et hoc colligo , ita , donec vixero , mihi vivendum esse , ut nihil cogitem id , quod accidere mihi debet ; mihi obsequendum esse cupiditatibus meis , quin quicquam advertam , quin quicquam perturber , omnia peragens , ut æternum peream , si quod* (a Religione) *dicitur , verum sit . Forsitan possem has tenebras discutere ; at nolo tantum mihi incommodi sumere , & ne latum quidem unguem progredi , ut lumen inquiram ; contemnentique eos , qui hoc sibi negotium comparant , mihi in animo est , obviam ire , quin considerem , aut pavescam , casui tam ingenti , & æquo animo mortem subire incertum de futuri mei status æternitate .* Hactenus Paschalius . Ludus erit Lectori non hebeti detorquere id , quod ille ait , ad omnes hos ardeliones Libertinos , qui mortales contagione inficiunt , quique nihil intentatum relinquunt , ut eo tandem deveniant , ut de Religione dubitent . Si de Impietate , aut Deismo iis persuasum non est , ut revera non est , sed tantum dubitant , ambigunt , suspensi sunt , anxiique ; jam illi ita pergentes vivere homines omnium , qui usquam sint , mortalium insanissimi , & maxime efferi sunt . Et audebunt adhuc sibi plaudere , se Spiritus Fortes dicere , & non potius imbecillos , & furentes ?

§. III. Alium tamen horum insaniæ colorem nobis Auctor modo laudatus in oculis ponit , illa eadem vestigia indigitans , quibus hi , ut famam Spirituum magnorum , sapientiumque sibi concilient , insistunt ; scilicet cum diligentiam affectant , ut in cœtubus vere Impietatem profiteri criminosas in Religionem orationes habentes videantur , ostendentesque ut Philosophos acutos , subtilesque se illam parvi facere , longeque aliter ac vulgus , quod illam plurimi ducit , sentire . Hic quoque ejus verba recitemus.

Si ergo Libertinorum pars maxima consideretur aut in impietatem prolapsorum ineptissimis motorum causis , aut ita in sua obstinatione permanentium dubiorum , anxiorum , ancipitiumque , aut putantium , se auram famæ , decorisque capturos , quin fortasse quicquam aliud habeant ex se , nisi ut veluti servile pecus alicujus insignis Libertini sermones imitentur , ex his omnibus , inquam , si eos consideremus , quotquot in terris sunt mortalium insanissimi omnium detegentur,

Audierunt hi , elegantes Sæculi mores in hoc esse positos , ut ostentetur Impietas . Hoc est id , quod illi dicunt jugum excussisse , eorumque pars maxima nisi ut alios imitetur , id facit . An si in his restat adhuc communis sensus unciola , difficile non erit iis ostendere , quam parum sapiant , dum hoc modo existimationem sibi comparare student . Eam sibi conciliandi ratio hæc non est , ne ab justis quidem rerum æstimatoribus , & ab iis , qui norunt rationem unam , qua fama acquiratur , esse hanc , honestatem , fidem , æquitatem colere , commoda amicis præstare ; quandoquidem homines ut plurimum nonnisi propter utilitatem alios amant . Jam quod emolumentum possumus percipere ab homine , qui gloriatur se excussisse jugum , se non credere , Deum esse , qui opera nostra scrutetur , se suorum factorum esse dominum , eorumque sibi tantum se redditurum esse rationem ? Putatne fortasse hic hujusmodi sermonibus se efficere , ut sibi fidem habeamus , ut ab se auxilium , consilium ,

opem-

opemque in calamitatibus speremus? Arbitraturne, gratissima se nobis nuntiasse, cum dicit, se dubitare, num anima nostra sit quidquam aliud, quam fumus, vaporque, idque elata fronte, tumidoque ore dicit? Estne hoc late dicendum, annon potius mæsta fronte, demissisque oculis ceu omnium luctuosissimum? Si attente id hi considerent, videbunt, esse hoc ita turpe, adeo rationi absonum, sic honestati infestum, tamque ab ea fama, quam aucupari student, remotum, ut nihil magis iis contemptum, odiumque hominum conciliare, eosque ignorantes insipientesque magis ostendere possit. Et sane si interrogentur, cur ita impie sentiant, cur de Religione dubitent, rationes tam infirmas, tam ineptas afferent, ut potius contrarium sint probatura. Hoc est, quod iis quodam die satis apte quidam dicebat: si vos, ajebat hic, pergitis hoc modo loqui, enimvero ad sanitatem redibitis. Et merito quidem. Quis enim non horresceret, se ulla sentire, quæ homines ita contemnendi, abjectique sentiunt? Hæc doctus Gallus.

§. IV. At poteritne fortasse hoc idem de Atheis, aut Deistis e systemate dici, qui se doctos jactitant, scriptisque Religionem oppugnant? Nihil sane ii magis ingratum audire possunt, sed nihil æquius potest illis adscribi. Nihil pluries in eorum scriptis offenditur, quam verba *rationis rectique sensus*; nihilque magis ab iis abest, quam ratio, rectusque sensus. His telis se unos instructos credunt, hisque reantur, se tot relaturos triumphos, quot ore rotundo sophismata expromunt. Eorum ratione omnia edomita, victaque corruere debent. Objiciturne iis sua cum auctoritate Religio? Commentum est: Cum suis Operibus Patres? superstitiosi sunt: suis cum argumentis Philosophi? Minus sapiunt; suo cum vivendi modo boni? fanatico morbo laborant; cum suo universo consensu genus mortalium totum? delirum est. Ipsi, ipsi uni recte prospiciunt ratione sua, suoque sensu. His in lancibus divina, humanaque, Historiam, Scientias, Theologiam, Politicam, Sacerdotium, & Imperium suspendunt. Idque unum debet esse verum, aut justum: aut existit, aut existere nequit, quod iis videtur. Aggrediamur nunc examinare, quam vim, quemve usum in rebus ad Religionem spectantibus hæc ostentata eorum *ratio* habere debeat, videbimusque, eam rectæ scilicet rationi esse contrariam. Sperare enim nos juvat, fore ut demonstrare possimus, cum Atheos, tum Deistas, & Naturalistas *rejicere Religionis, & Naturalis, & Revelatæ dogmata propter eas difficultates, quæ hominem sapientem removere non debent ab iis sequendis; eos deinde amplecti systemata, quæ longe majoribus, immo prorsus insolubilibus difficultatibus urgentur.* Tenor hujusmodi ex pluribus exemplis passim allatis cerni potuit; nunc placet quædam simul conjuncta proferre, ut uno intuitu clarius unusquisque videre possit, nostrorum temporum Libertinis, non modo Spirituum excellentium, & recte videntium nomen illis non convenire, sed potius Spiritus lævos, & perversos jure ac merito esse dicendos.



C A-

CAPUT SECUNDUM.

Specimen perversæ cogitandi rationis Libertinorum de Dei existentia; & creatione.

I. *Ratio humana habet terminos suos, suasque leges. Id non curant Libertini.*
II. *Criterium, quo utuntur Athei, ut de medio tollant Dei existentiam; ostenditur quam sit falsum.*
III. *Eorum insania clarius elucet, si comparentur cum relicta veritate repugnantia systemata, quæ sequi debent. Specimen Epicuri Systematis.*
IV. *Monstrosa Systematis Spinosæ, & Pantheistarum perversitas.*
V. *Infelix responsum horum dicentium, systema suum non intelligi.*
VI. *Oppositio antiqua impiorum in Creationem*, ex nihilo nihil fit. *Proponitur Bælii verbis.*
VII. *Detegitur ambigue dictum. Vera creationis notio. Solvitur oppositio.*
VIII. *Specimen modi cogitandi Marchionis d' Argens in hac materia.*
IX. *Idem principium adhibetur contra Atheos. Inviti fateri debent, ex nihilo aliquid fieri, cum non possit indicari in Natura ulla motus causa.*
X. *Quid cogitarit de hoc argumento Rouffojus.*

§. I. Rationem esse præstantissimum lumen homini dono datum, ut verum investigaret, detegeret, certissime constat; at constat etiam, hujus rationis vires concludi intra suos terminos, ejusdemque usum legibus esse regendum. Si homo id non curat, neque modum ullum suæ cogitationi prescribere, neque leges ullas aut in ratiocinando, aut in judicando servare vult, sua ratione abutitur, ratione caret, & insanit; duxque hic illi datus, ut per eum ad veritatem perveniret, equi instar, qui nec aurigæ paret, nec frænum sentit, per invia illum vehens, & præter metam, eum in turpissimos errores ducet. Ejusmodi sunt Spiritus Fortes, qui veluti Phaetontes (*a*) aventes vias ignotas, immensasque percurrere, se rationis impetu, æstuque abripi sinunt; nullamque aliam legem audientes, quam superbiam, aut libidinem, nihilque vi sui intellectus inaccessum judicantes, quæcumque non intelligunt, ut falsa rejiciunt, & de intellectis turpiter, & perverse ratiocinantur (*b*). Probemus id exemplis.

§. II. Primum, præcipuumque argumentum, quo Deum verum, quem colimus, de medio se tollere arbitrantur, hoc est: quoad nos, Numen hoc esse substantiam prorsus spiritalem, & infinitam. Jam hæc substantia extensione carens, & infinita, non potest, inquiunt illi, concipi: quidquid enim a nobis concipitur, extensum, & finitum est. Ergo Numen hoc, quod Christiani adorant, non est. Quis non videt, quam recte ratiocinentur? tam recte nempe, quam recte ratiocinabatur Lucretius (*Lib. IV. & V.*) qui negabat veram, ingentem Solis magnitudinem, quia oculus ibi non videt, nisi orbem paucas ulnas patentem. Hic

(a) Valde accommode explicari posse ratio cogitandi horum Libertinorum mihi videtur illis Ovidii Versibus, quibus describit audaciam, & lapsum Phaetontis Solis filii *Metam. Lib. II. v. 200.*

Mentis inops, gelida formidine lora remisit:
Quæ postquam summo sensere jacentia tergo,
Expatiantur equi, nulloque inhibente, per auras
Ignotæ regionis eunt: quaque impetus egit,
Hac sine lege ruunt, altoque sub æthere fixis
Incursant stellis, rapiuntque per avia currum.
Et modo summa petunt, modo per declive, viasque
Præcipites spatio terræ propiore feruntur.

(b) *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant: quæcumque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Epist. Judæ Apost. v. 10.

Hic sensibus omnia metiebatur; Athei omnia metiuntur phantasia. Hic negabat, in Sole eam inesse magnitudinem, quam oculis non cernebat; Athei eam substantiam existere negant, quam phantasia non concipiunt. Errant & ille, & hi ita sentientes. Præter sensus enim, & phantasiam in homine, quod brutum animal non est, quotus est quisque qui nesciat, esse facultatem, vimque ratiocinandi, quæ *intelligentia pura* appellatur, per quam ea, ad quæ nec sensus, nec phantasia perveniunt, evidenter, & perspicue cognoscit. Itaque hac facultate, inita ratione distantiæ, conspectæque Solis magnitudinis, deducit, cognoscitque, eum revera amplitudine sua millies, & amplius terræ magnitudinem superare, licet oculus id non videat, neque vero videre possit unquam. Hac facultate, (ut aliud exemplum proferam) concipitur natura, supputanturque *Chiliogoni*, seu mille laterum figuræ proprietates; figuræ, quam phantasia nequit concipere. Hac demum facultate cognoscitur tam magnæ, tamque aptæ dispositæ molis, qualis mundus est, cum nulla ratio adæquata reperiri possit, nisi in Ente infinite sapienti, potentique; cumque præterea noscatur, Ens hoc infinite sapiens, & infinite potens esse non posse nec lapidem, nec arborem, nec quodcumque aliud extensum corpus, utcumque tenui, fluida, solidave, aut alia quacumque ratione figuratum sit; hinc, inquam, cognoscitur notitia illa, quæ *consequutiva* dicitur; ergo Ens hoc infinite sapiens, infinite potens esse substantiam extensione, & materia carentem, quæ potest cogitare, velle, nosse ita, ut phantasia hæc imaginari nequeat; & hujusmodi substantiam Deum esse dicimus (a). Jam requiro, num hac veritate proposita, cujus evidentia mihi videtur permovendus esse quicumque, modo mens læva illi non sit, possit quin risus teneatur, & ut insanæ mentis fœtus petulans illud stultumque entymemma audiri: *mens mea non concipit nisi extensionem finitam*; *ergo spiritus infinitus non existit*?

§. III. Cogitandi autem Atheorum ratio magis distorta videbitur, si cum veritate hac quam rejiciunt hac una de causa, quia eam non concipiunt, conferantur ea systemata contraria, quæ velut a se intellecta, & de quibus certi sint, se sequi profitentur. De medio Ente infinite sapiente, infinite potente Creatore, & Moderatore Universi sublato, coguntur aut dicere cum Epicuro, totum Mundum hunc tam affabre elaboratum, & dispositum esse sine ulla causa, quæ illum crearit, & gubernet; aut affirmare cum Spinosa, hanc causam, seu Deum ab hac mundi materia non esse distinctam. Prima cogitatio est adeo stulta, & rationi tam absona, quantum erraret, qui diceret *nihil facere aliquid*. Nemo esse potest, nisi qui prorsus communem sensum repudiavit, qui possit sibi persuadere, opus, quod & in se toto, & in singulis suis partibus demonstrat consilium, rationemque, esse sine causa cretum. Si quis excellentem Tabulam cernens, aut horarium Instrumentum, potius quam sibi persuaderet esse utrumque peritissimorum artificum opus, diceret, illam esse fortuitam colorum permixtionem, hoc ex liquefactis in fornace metallis forte confectum, jure insanis adnumeraretur. Epicureus autem, qui ita de toto mundo sentit, & ita sentit, quia dicit, se in Mundo artificem sapientissimum, & potentissimum, qualem Deum esse nos dicimus, concipere non posse, quo nomine erit appellandus? (b)

§. IV. At consideremus, num rectius Libertini ratione utantur, Religionis systemati, ut illi inquiunt, menti adversanti Spinosianum præferentes. Hujus sententia, ut alibi diximus, una tantum est substantia necessaria, & individua ab Universo. Hæc substantia cogitatione, & extensione prædita est; omnia

(a) Agit egregie de hoc capite Præclarus Petrus Gassendus Philis. *Sect. I. Lib. IV. cap.* 3. cujus hic est titulus, *Ut sentiendum de forma sit, qua Deum apprehendimus*, quem adeat Lector, ut fusius explicatum legat quod opus est ad refellendos Libertinos, eorumque errores detegendos.

(b) *Hic ego non mirer esse quemquam, qui sibi persuadeat, corpora quædam solida, atque individua vi, & gravitate ferri: mundumque effici ornatissimum & pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita! Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius, & viginti formæ litterarum, vel aureæ, vel quales libet, aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici &c.* Cic. de Nat. Deor. Lib. II. cap. 37.

nia corpora sunt hujus substantiæ, quatenus est extensa, modificationes; omnes mentes hujus substantiæ, quatenus cogitat, modificationes sunt. Hæc una, solaque substantia, quæ necessario, & perpetuo parit, continetque in se hujusmodi omnes modificationes, hoc est, hanc rerum universitatem, Deus est. Nolumus hic systema hoc quoad singulas ejus partes confutare, jam alias, superis bene juvantibus, oppugnatum undique, eversumque; requirimus tantum ab iis, qui quicquam sapiunt, num sine fastidio audiri possit, qui dicens, se non posse concipere Religionis de Dei natura notiones, potest hunc tam ingentem contradictionum acervum concoquere? *una tum, solaque substantia est in hac rerum universitate*. Ergo Socrates, Galilæus, Balaami Jumentum, & Benedictus Spinosa & Urbs Amstelodamum, & Lunæ globus nonnisi una, eademque substantia individua sunt? Nonne hoc clarissime concipitur?

Hæc sola una substantia duas habet modificationes, cogitationem, extensionemque. Ergo duæ modificationes *primo diversæ* poterunt simul esse in una eademque re. Ergo multo magis in illa inesse poterunt duæ *differentes*, & eadem substantia poterit esse simul quadrata, & rotunda, se movere, & quiescere; multiplicatis enim, variatisque modis, numquam una substantia multiplicari potest. Hæc etiam dicenda erit evidens veritas?

Omnia corpora hujus substantiæ quatenus est extensa, modificationes sunt: omnes mentes sunt hujus substantiæ, quatenus est cogitans, modificationes.

Ergo corpora, & mentes infinitæ erunt substantia una: corpora & mentes, quæ quovis temporis puncto mutantur, erunt substantia æterna, ac proinde immutabilis. Hoc est axioma?

Totusque hic corporum, mentiumque cumulus Deus est.

Ergo Deus est mens, & extensio, homo brutumque animal simul, bonus, & malus, justus, & impius: unus est, at omnibus divisionibus obnoxius: est felix, & miserrimus: est sanctus, & maxime improbus. Hæccine sunt notiones evidentissimæ, & magis rationi consonæ notionibus, quas de illo Numine nobis Religio subjicit? Judicet prudens Lector num possit, quin mente prorsus sit captus, quisquam hoc systema sequi, de quo vel Bælius ipse scripsit, *esse deformem supra quam credibile sit hypothesim, esse inauditam, esse maxime notionibus nostræ mentis adversam?* (a)

§. V. Non me latet, Spinosæ servum pecus, quoties tot, tamque absurdas contradictiones in propatulo positas videt, dicere, ejus systema non satis intelligi. Ita Bælio, qui illud validius impugnavit (b) objectum fuit, ut ille in suo Diction. & in Epistola CCIV. *suarum selectarum Epistolar.* testatur; & ego etiam hoc idem a nescio quo eruditulo homine audivi. Sed id mirum non est. Siquidem priscis quoque temporibus hæc fraus fuit, hoc impiorum pertugium, cum se convictos, & pudore suffusos videbant. Ita de Epicureis Cicero loquitur (*Lib. II. de finib. cap. 4.*): *Itaque hoc frequenter dici solet a vobis, non intelligere nos, quam dicat Epicurus voluptatem. Quod quidem mihi si quando dictum est (est autem dictum non parum sæpe) etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. Egone non intelligo, quid sit ἡδονὴ Græce, Latine voluptas? utram tandem linguam nescio? Deinde qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes quicumque Epicurei esse voluerunt?* Idem respondendum est Spinosæ disci-

(a) *C'est la plus monstrueuse hypothese, qui se puisse imaginer, la plus absurde, & la plus diametralement opposée aux notions les plus evidentes de notre esprit.* Diction. Art. Spinosa.

(b) Loquens Leibnitius in *Theodicée* §. 174. de quadam confutatione, quam Bælius in Spinosam facit, inquit: *on peut dire de M. Bayle* ubi bene, nemo melius; *quoiqu'on ne puisse pas dire de lui ce qu'on disoit d'Origene*, ubi male nemo pejus. Fortasse quispiam contra hæc diceret; & Bælio hæc postrema verba adscriberet. Sed doctus Germanus nimis connivebat, quod etiam apparet in ioco illo celebri in fine *du discours de la conformité de la foi avec la raison*. Negandum non est, Bælium validissime non impugnare in suo Diction. Spinosæ systema, ostendendo aperte antilegomena, sophismata, consequentia perniciosa. In eodem tamen articulo virus latet; Pyrrhonismus est, principia insunt, quæ Atheismo *generatim* favent, ut etiam advertit Franciscus *Buddeus Traité de l'Atheisme & de la Superstition*. Chap. I. §. 25.

discipulis, cum jure dicere possimus, nos probe tenere, quid sibi velint verba *substantiæ*, *modificationis*, *extensionis*, *cogitationis*, *&* *unitatis*, quæ simul conjuncta constituunt monstrosum hoc systema. Quod autem ad *Dei* vocabulum pertinet, videmus, eum illo fuisse abusum, ut incautos deciperet, suumque verum Atheismum tegeret. Si vero fortasse aliis verbis aliam significationem ab ea, quam omnes homines intelligunt, ne intelligeretur, subjecit, chartæ parcere poterat; & dum ejus pedisequi *arcanum hoc lexicon* in lucem proferent, jus nobis erit, eos, illorumque præceptorem, non solum ut impios, sed impios omnium absurdissimos, monstrosissimosque habendi.

§. VI. Sed pergamus alia specimina acuminis nostrorum Metaphysicorum afferre, qui Religionem accusant, eamque irrident, quod ea doceat, quæ cum subtili ingenii acumine, quo sunt prædìti, non conveniant.

Materia (sunt Bælii verba, qui in eodem articulo, in quo Spinosæ Atheismum impugnat, universi Atheismi defensionem suscepit) *Materia* (a) *creata ex nihilo concipi non potest, quacumque vis fiat, ut actus voluntatis idea efformetur, qua in veram substantiam id convertat, quod prius nihil erat. Principium hoc veterum*, Ex nihilo nihil fit, *statim nostra Phantasia objicitur*. Ergo (colligunt Athei) dicimus, mundum semper fuisse; neque necessum est, ut Numen hoc, quod illum creavit, illumque regit, cognoscamus.

Hoc est sophisma quavis ætate a Libertinis repetitum, quo instructi neque se superari, neque se cogi ad alia argumenta pro causa sua afferenda, arbitrantur. Videamus, num ita sit.

§. VII. *Hoc principium*, inquit Bælius, ex nihilo fit nihil, *objicitur statim nostra phantasia*. At eritne ergo *phantasia nostra* supremus hujus controversiæ Judex? Lubens fateor, *nostram phantasiam, utcumque conetur, numquam posse concipere materiam ex nihilo creatam*, quotiescumque imaginetur esse debere creationem hanc (ut loquitur Bælius ipse) voluntatis actum, *qua convertat nihilum in veram substantiam*, eo prorsus modo quo lac in butyrum, aut in caseum convertitur. Hic axioma locum habet, & hucusque frustra omnes phantasiæ, rationisque ipsius, quæ hanc ex nihilo conversionem concipere nunquam potest, vires sese extendunt. At hæc non est Creatio, quæ est actus efficax, quæ *non convertit* (quæ vox significat aliquid quod antea existat) sed efficit, ut *sit id quod prius nullo modo erat*. Et quia fortasse in hoc præcipue ambiguitas consistit, quæ quidem puerilis est; & licet clara, distinctaque sit creationis idea, quam paucis attulimus, placet nihilominus exscribere ex Clarkio (*de l'existence de Dieu Tom. I. Chap. XI.*) quædam, quæ magis hæc, quæ diximus, illustrant. *Quid unquam repugnat, cum dicimus rem, quæ antea non erat, incæpisse esse postea? Multum interest inter illum dicendi modum, & hunc :* aliquid eodem tempore existit, & non existit. *In ultimo hoc est aperta contradictio, directaque; at in primo nulla contradictio est neque directa, neque aperta: verum quidem est, cum soleamus nos non videre nisi res, quæ per generationem fiunt, aut alias, quæ per corruptionem pereunt, & cum creationem nullam viderimus, consuescere creationis notionem similem omnino generationis nobis effingere. Quapropter imaginamur, sicut qualibet generatio supponit materiam, quæ prius existat, ita nos reputare, etiam in creatione, licet in ea non sit, aliquam materiam ante existere, ex qua tamquam ex vera materia res creatæ erutæ sint. Concedo, hanc sane notionem præseferre speciem magnam contradictionis; an quis non videt, nihil aliud esse hanc, nisi puram, putamque notionum confusionem? Accidit in hac re, quod pueris accidit, qui putant, tenebras esse quid, quod exoriens lux expellat, quodque in lucem commutetur. Ut vera Creationis habeatur notio, non oportet eam sibi effingere* (quod faciunt Athei, faciebatque Bælius) *tamquam generationem alicujus rei erutæ ex nihilo considerato ut materia; creare est existentiam dare rei, quæ prius illam non habebat, hoc est efficere, ut existat res, quæ prius non existebat. Quemcumque appello, ut* mihi

(a) *Une matiere crèe de rien n' est concevable, quelque effort que l'on veuille faire pour se former une idèe d'un acte de volontè, qui convertisse en une substance relle, ce qui n'etoit rien auparavant. Le principe des Anciens* ex nihilo nihil fit, *rien ne se fait de rien, se presente incessamment à notre imagination.* Dict. Crit. Art. Spinosa. Rem. O.

mihi in hac notione contradictionem ostendat. Hactenus Clarkius. Itaque cum explicaverimus, quid Creatio significet, ad respondendum jactato axiomati descendimus, cui certe satisfacturi Libertini non erunt. *Ex nihilo non fit;* hoc est aliquid non eruitur ex nihilo, tamquam ex causa *materiali* & præjacente, hoc verissimum est. *Ex nihilo non fit aliquid*, hoc est non potest effici, ut existat id, quod prius non existebat; hoc quoque verissimum est, si loquamur de Agente, cujus vires finitæ sint; at falsissimum est, si sermo habeatur de Agente, cujus potestas sit infinita, qualis Deus est. Legatur D. Thomas in III. *Quæst. Disput. art.* 1. *& seq.*, ubi materia hæc non minus subtilibus, quam claris notionibus explicatur, & hoc celebre Libertinorum Sophisma omnino confutatur. Ut ergo in viam redeamus, inquio, hujusmodi effectum, hoc est ens hoc finitum, ut est Mundus, non superat, immo infinite abest ab æquanda potentia, & vi Agentis infiniti, qui unus habet in se *rationem* adæquatam & existentiæ suæ, ac proinde est necessarius, unus, infinitus; & aliorum omnium entium, quæ proinde sunt contingentia, dependentia, finita. Quapropter duobus modis rectæ rationi objicitur hæc ex nihilo Creatio, quam se non posse *concipere intellectu* Libertini dicunt. Primum ex parte materiæ, Mundique totius, qui cum nullam in se *rationem adæquatam* habeat & suæ existentiæ, & suæ conservationis (ut alibi ostendimus) necessario nos ducit ad principium, a quo & existentiam semel habuerit, & conservationem semper habeat. Deinde ex parte hujus principii, seu Dei, quod cum debeat esse & necessario existens *per se ipsum*, a Mundo prorsus diversum, ac proinde omnibus bonis perfectissime ornatum, habet potestatem infinitam, ideoque potest infinitas substantias creare. In Mundo contingente, dependente, finito Creationis necessitatem videmus; in Deo necessario, absoluto, infinito virtutem, quæ potest Creare, invenimus, quam quidem Creationem ex necessaria consequutione negare non possumus, quin veritatem impugnemus.

§. VIII. Non sit grave Lectori, si nunc nos de secundo impietatis fonte, quem esse diximus *rationis perturbationem*, agentes afferimus in hanc materiam, nimirum Creationis, non obscurum specimen desumptum ex libro, qui pulcherrimum titulum, *La Philosophie du bon-sens* inscriptum præfert. Libri Auctor est Marchio d'Argens. Ingenium, color, casus Auctoris hujus Reip. Litterariæ patent. Ergo de Creatione Mundi loquens, *eam* (*a*) *opinioni probabiliori adversari*, ait; *si putamus Mundum creatum esse ex nihilo, & omnia ex nihilo esse facta, fides una est, quæ nos ad id credendum cogit; & quæ spiritum nostrum paratum jam ad respuendas ideas captivat, quæ illas ei examinanti falsæ videntur*. Videt per se Lector horum puerile artificium, qui se Fidem venerari simulant cum eam irrident, illam acerrime cum ratione pugnantem ostendentes. Quam sit a veritate alienum, Creationis ex nihilo notiones debere falsas, repugnantesque videri spiritui illas examinanti, modo vidimus. At Scriptor hic id dicit post longum sermonem, quo antiquorum Philosophorum de Mundi Creatione sententias proferens, hoc asserit: (*b*) *Fieri non potuisse, ut Philosophi antiqui Revelatione carentes materiam increatam non crederent. Quamvis enim quidam ex iis essent, qui principium intelligens ponerent, id, quod luminis naturalis vi facere poterant, erat, ut una cum materia illud æternum dicerent*. Ut autem probet id, hoc est invitum humanum spiritum concipere materiæ ex nihilo Creationem, molestam intricatamque sophismatum farraginem affert, quibus refellendis supersedeo, ne Lectoris patientia intemperanter abuti videar; cum satis

(a) Reflex. III. §. 7. *Elle est meme contraire à l'opinion la plus probable: & si nous pensons, que le Monde ait èté tiré du néant, & que de riens toutes choses aient èté faites, c'est la foi seule, qui nous y contraint, & qui tient notre esprit captif, prêt à se revolter contre les idées, qui lui paroissent fausses, lorsqu'il veut les examiner.*

(b) §. 11. *Il etoit donc impossible, que les Philosophes anciens privès de la Revèlation ne crussent pas la matiere increè. Car quoiqu'il y en eu entre eux, qui admissent un premier principe intelligent, tout ce qu'ils pouvoient faire par le secours de la lumiere naturelle ètoit de le regarder comme eternel avec la matiere.*

satis habeam, si confutem sententiam hujus Philosophi hunc locum afferendo: *Estne quicquam, quod ita imbecillam nostram rationem avertat, quam cogitare, ex nihilo aliquid fieri posse? Tamen non solum Religio, sed etiam sana Philosophia docet, materiam debuisse a Deo creari. Si enim esset aeterna aque ac Deus, ab illo non penderet, quandoquidem nec illa creationem suam ei acceptam referre deberet, nec ille posset eam destruere. Deus tunc non esset omnipotens. Esset ens ita antiquum ut ille est, quod cum illo nullam haberet relationem. Divinitas non esset infinita; haberet sua potentia terminos; infinitum autem debet esse in omnibus suis attributis infinitum. Materia esset Divinitas, quæ cum prima decertaret. Quæ absurda ex hoc systemate non deurivant quod materiam simul cum Deo aeternam facit? Cum velimus ratione nostra uti, oportet, Deum omnia entia ex nihilo condidisse, fateamur* (*a*). Divinaretne Lector, quis auctor ita scribat? Locus hic est desumptus ab Auctore *Epistolarum Judaicarum*, qui etiam est Auctor, ut vulgo fertur *de la Philosophie du bon-sens*; ubi contra omnino sentire videtur, ut vidimus, & ut ex aliis innumeris locis apparet (Vid. §. 4.). At qui hoc fieri potuit, inquiet aliquis? Ita habete paucis. Cum fictus *Judaeus* Philosophus *boni sensus* factus est, desiit *recta ratione uti*. Et sane argumenta, quæ in loco modo allato reperiuntur, suntque magna ex parte illa, quibus Patres errorem *de materia increata* (ut dicemus *cap. penult. hujus libri.*) confutant, ostendunt, hujusmodi materiam cum respectu sui, tum respectu Dei Geometrice, & Metaphysice repugnare. At vero idea Creationis, utcumque difficilis captu dicatur, certe (ut vidimus) nihil repugnat. Cum ergo Libertini, Creatione rejecta, quam Religio, & sana Philosophia nobis proponit, vel defendunt, vel favent materiæ æternæ, & increatæ, quid aliud ostendunt, nisi luctuosissimam mentis perturbationem?

§. IX. Sed ad propositum orationis institutum revertamur, & ut clariori in lumine perversam cogitandi horum hominum rationem ponamus, juvabit animadvertere, celebre axioma *ex nihilo quid non fieri*, quod illi frustra contorquent, ut Creationem funditus tollant, hoc axioma, inquam, eorum intellectu captum confutatum evidenter in suo systemate reperiri, cum invictis illationibus fateri cogantur *ex nihilo quid fieri* (*b*). Adverte animum, quam dilucide id demonstretur. In Mundo datur motus; motus hic non est nihil, at est quid. Jam inquit, in Atheorum systemate motus hic est ex nihilo; vel, quod in idem redit, nihil est motus causa. Id probemus delibantes summis labiis, ut dicitur, quod luculenter Libro I. tractavimus. Nihil aliud de origine hujus motus dici potest, nisi aut esse illum materiæ de essentia, aut unius corporis motum ex alio corpore derivari, & motum hujus ex alio corpore, & ita usque in infinitum, aut demum extra hanc rerum universitatem esse Ens, quod non sit corpus, a quo motus hic, ac proinde quodvis aliud ens proficiscatur. Responsio hæc postrema, quæ vera est, quæ nobis in Deo ostendit solam *rationem adæquatam*, quæ *ex nihilo facit omnia*, quæque est & motus, & quidquid movetur principium, in Atheorum systemate locum non habet. Restat ergo, ne dicere cogantur, *nihil parere motum*, ut unam ex propositis partibus eligant. Quid? dicentne ergo, motum nasci ex materia, hoc est in illa eum ex essentia inesse? Ita nimirum opinatur Tolandus (*vid. ejus Epist. 4. & 5. ad Serenam*), ejusque fautores, qui cum dicant, nequire se concipere Religionis veritates, hanc absur-

(a) *Est-il rien, qui revolte d'avantage notre foible raison, que de penser, que de rien on puisse faire quelque chose? Cependant non seulement la Religion, mais la saine Philosophie nous apprend, que Dieu doit avoir creè la matiere. Car si elle etoit coeternelle avec Dieu, elle feroit independante de lui, puisqu'elle ne lui devroit point sa creation, & qu'il ne pourroit la detruire. Dieu alors ne feroit tout-puissant. Il y auroit un Etre aussi ancien que lui, qui n'en feroit point dependant. La Divinitè ne feroit plus infinie. Elle feroit bornèe dans son pouvoir, & l'infini doit etre infini dans tous ses attributs. La matiere feroit une Divinitè rivale de la premiere. Quelles absurditès ne s'en suit-il pas du systeme, qui admet la coeternitè de la matiere avec Dieu? Dès qu'on veut faire usage de sa raison, on est forcè d'avoüer, que Dieu a crèe de rien tous les etres.* Let. 84.

(b) Hic non accipimus verbum *quid* simpliciter quatenus opponitur *nihilo*, non ut significet Ens completum, aut per se existens.

surdissimam sententiam concipere se dicunt. Et sane idea corporis, aut materiæ substantiam quidem extensam, impenetrabilem, dividuam, mobilemque nobis subjicit; at motus in hoc, in illo corpore ut extranea affectio cernitur. *Extensio, & durities* (testem hujusce rei volo Bælium ipsum) *in mentibus nostris atomi notionem efformant. Vis sese movendi* (saltem ex se ipsa se excutiens, se determinans) *non continetur. Hoc est quid, quod respectu corporis, extensionisque extraneum, externumque esse comperimus* (a). Quid ad hæc respondet Tolandus? Rem enimvero dignam, quam valde considerent præsertim laudatores horum Philosophorum, ut detegamus, in quo turpissimo ambigue dicto systema capitis doctrinæ tanti momenti collocet. *Communis sententia*, inquit ille (b), *materiæ divisibilitatis est argumentum epidicticum, eam sine motu concipi non posse: siquidem motus est ille, qui eam diversam facit, & dividuam*. Argumentum Epidicticum sane, sed erroris illius, qui illud affert. Quis non videt hic confundi *divisibilitatem* cum *divisione*, & facultatem motum accipiendi cum motu ipso? Nullum corpus dividi sine motu, verissimum est; at corpus, ut habeat facultatem posse dividi, ideo esse in motu, hoc falsissimum est. Sive, divisio materiæ non potest concipi sine motu, concedo: divisibilitas materiæ concipi nequit sine motu, nego. Materia est divisibilis; ergo illa est mobilis; hoc unum consequitur, at non motus. At reponit Tolandus, materiam totam perpetuo in motu esse. Ego primum quidem respondere possem, motum hunc perpetuum universum probari nunquam posse, immo eum non immerito paradoxum posse nobis videri. Et sane respectu corporum majorum, ad refellendos Philosophos contra sentientes, sensus nostri sufficere videntur. Quod si ad partes corporum insensiles se convertant, quas illi perenni agitari motu dicunt, explicent, quæso, qui cum hoc perpetuo motu soliditas maxima, duritiesque tot corporum stare possit? Sed utcumque sit, hoc satis habemus, æque motum, quiescensque concipi corpus posse, ut certo certius esse dicamus, motum non esse de essentia corporis, sed esse extraneum, hoc est ab exteriori impulsione, quæ ejus inertiam superet, & aliquo illud dirigat. Sine hoc impulsu, & directione concipio corpus quieturum, positumque in centro plurimarum viarum, qua æque moveri possit, futurum immotum, neque unquam movendum esse. (Vid. Georg. Keine *principia Philosophica Relig. Natur. cap. III. §. 4. & seq.*) Ergo motus non est de essentia materiæ, sed aliunde in eam dimanat. Eritne igitur fortasse vera altera sententia, quæ sola Libertinis reliqua est, hoc est propagatio æterna motus per infinita corpora, ita ut corpus hoc moveatur ab alio, & hoc ab alio, & sic in infinitum, quin ad motorem primum unquam perveniatur (c)? At hoc est miserum sophisma (ut prætereamus etiam alia responsa) quod ex iis, quæ dicta a nobis sunt, per se corruit; si enim motus non est de essentia materiei, sed aliunde ei accidit, nihil ideo juvat usque in infinitum corpora multiplicare; siquidem hæc infinita corporum series semper, æternumque iners fuisset, nisi extranea vis illum motum, quem per se non habet, ei dedisset. Argumentum *a divisivo ad collectivum* (ut scholæ loquuntur) hac in re optime concludit, cum non agatur hic *de attributo quantitativo*, quod augetur, multiplicaturque prout Entia multiplicantur, sed *de attributo essentiali*, quod licet corpora multiplicentur, aut decrescant, non mutatur. Legatur id, quod in hac re Lib. I. diximus, cum sufficiat hic monere cum Anglo Scriptore (*Brampton Gurdon. L'incredulitè sans excuse*. In col-

(a) *L'étendue, & la dureté remplissent dans nos idées toute la nature d'un atome. La force de se mouvoir n'y est pas comprise: c'est un objet, que nos idées trouvent étranger, & extrinsèque à l'egard du Corps & de l'étendue.* Dict. Crit. Art. Leucippe. Rem. E.

(b) *Le sentiment commun de la divisibilité de la matiere est un argument incontestable, qu'on ne peut la concevoir sans mouvement; puisque c'est le mouvement, qui la diversifie, ou qui la divise.* Tolandus in Epist. ad Serenam. Vid. Bernardum *Nouvel. de la Rep. des let.* Decem. 1705.

(c) Hoc est Sophisma vetus sæpius confutatum repetitum a Spinosa. *Corpus motum vel quiescens ad motum determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum vel quietem determinatum fuit ab alio, & illud iterum ab alio, & sic in infinitum.* Eth. par. II. prop. 13. Lim. 3.

collectione *Burneti defense de la Religion Tom. V. pag. 409.*), *oppositionem esse ita magnam, ut Spinosa negotium de hoc capite amicis suis respondendi sibi sumere ausus non fuerit, qui sæpius ab eo requirebant, unde motus esset, si de essentia materiæ non erat, & nisi ab extranea causa non derivabatur, ut legi potest in ejus operibus posthumis*, Ep. LXIII. & seq. *Hujus Athei institutum, ne de hac re dubitemus, non sinit. Quare Tolandus* Epist. IV. ad Serenam, *fassus est, Spinosianum systema ex hac parte defendi non posse: quare ut sese ex hoc negotio expediat statuit dicere, materiam esse actuosam, & de essentia se per se moveri.* Sed quam infeliciter, & modo vidimus, & alibi copiose ostendimus.

Quod si ita est, cum motus de essentia materiæ non sit, neque hic haberi possit, etiamsi corpora motui apta infinita concipiantur, quænam alia hujus motus causa, nisi ens ab omni natura corporea diversum, eaque superius, omnipotensque poterit inveniri? Ita est, nos dicimus; & hoc principium, hæc causa, nempe Deus est rerum omnium Creator. Verum Deum hunc Creatorem nolunt Libertini agnoscere, quod dicunt, se intelligere non posse, eum Omnipotentem *ex nihilo posse quid facere*. Ergo, repono ego, hoc scilicet fateri vel ingratiis suis debent, *nihili, & ex nihilo quid fieri*; siquidem cum motus causam ullam afferre non possint, motusque existat, dicere necessario debent, hujusmodi motum ex nihilo nasci, ac proinde axioma illud ita ab iis jactatum, *ex nihilo nihil fit*, tam esse falsum, quam quod falsissimum. Judicet Lector, num vero sit id, quod dicimus, neminem Atheum fieri posse, quin ejus ratio omnino perturbetur.

§. X. At nullo modo temperare mihi possum, quin aliqua de celebri Roussojo dicam, qui id, quod hactenus probavimus, exemplo suo magis confirmabit. Hic quoque a fide Creationem abhorrere dicit. Leget qui vult hanc ejus sententiam in Epistola ad Episcopum Belmontium (*pag. 52. & seq.*). Asserere non audet, eam dari non posse, sed omnia sophismata, quæ ratio, quæ auctoritas suppeditat, in aperto ponit, ut opinionem ejusmodi possit Lectoribus obtrudere; inter cætera inquit (*a*), *tot homines, & Philosophos, qui quavis ætate meditati sunt Creationem, omnes consensisse eam dari non posse, si paucissimos excipias, qui rationem auctoritati sincere subjecisse videntur. Candor tamen est hic* (dicere Philosophus pergit) *quem utilitas, securitas, & quies valde suspectum reddunt, neque certo cognosci ille poterit, donec aliquid pro veritate dicenda subeundum discrimen erit.* Roussojus sit oportet, ut hæc scribantur, mortalesque omnes tantæ simulationis, & tanti erroris simul incusentur, qui Religionem funditus evertit. Nolo tamen hic immorari; sicut etiam sophismata hujus Philosophi in hac re refellendo supersedeo, quorum partem multis in hujus Operis locis confutavimus, partem sequentibus in capitibus labefacturi sumus, ubi præcipue Ecclesiæ Patres ab injusta criminatione, quam ille iis affigit, eos materiam increatam credidisse defendemus. Hoc unum nunc probare in animo mihi est, Philosophum hunc ipsum, qui tantum a Creatione se abhorrere ostendit, secundum sua principia eam admittere, ut eam quin in plurimos gravissimos errores incidat, negare nequeat. Primum dicam, eum in suo Æmilio ex motu, & ordine, sive harmonia, quæ in hac rerum universitate elucet, sicut alibi innuimus, Dei existentiam probare. Jam si hæc probant Deum (quod perspicue demonstravimus), evidens est, Mundum fuisse creatum; si enim creatus non esset, ens esset a se, a Deo non pendens, neque nos ad Dei Creatoris, motoris, moderatorisque cognitionem duceret. Aut igitur Creationem Roussojus credere debet, aut fateri, argumentum suum (quod quidem omnium hominum argumentum fuit, unde Deum agnoscerent), esse verborum ludum, & pudendam simulatio-

(a) *Tant d'hommes, & de Philosophes, qui dans tous les tems ont medité sur ce sujet, ont tous unanimement rejetté la possibilité de la creation, excepté peut-etre un très-petit nombre, qui paroissent avoir sincerement ou sommis leur raison à l'autorité: sincerité, que les motifs de leur interêt, de leur sureté, de leur repos rendent fort suspecte, & dont il sera toujours impossible de s'assurer, tant que l'on risquera quelque chose à parler vrai.* Pag. 53.

tionem. Legatur Libri I. caput III. ubi fuse hæc exposuimus. Ostendamus nunc, Auctorem hunc idem Creationis dogma alio modo fateri. Animas humanas substantias spiritales esse dicit; atque ut id probet affert, præcipue *in sermone de hominum æqualitate* præclarum illud argumentum deductum *ex libertate*, cujus omnes intimum sensum habemus, quodque nisi Enti Spiritali potest convenire, argumentum a nobis ipsius iisdem verbis Capite IV. Lib. I. relatum. Quid plura? Ipse Philosophus non negat, hanc animam Deo supremo Legislatori, supremoque Judici, a quo aut præmia, aut supplicia in altera vita est habitura, subjici. Quædam ejus verba ab Æmilio sumpta recitemus (a). *Quod maxime scire interest, hoc est, esse Arbitrum Mortalium fatorum . . . qui nos justos esse jubet, nos invicem diligere . . . praterea post præsentem vitam alteram esse, in qua supremum Ens bonos præmiis, malos suppliciis afficiet*. Hactenus Roussojus. Interim ab eo requiritur, undenam originem suam trahant, aut qui existant hæ animæ humanæ? Egressæne sunt e materiæ sinu? Minime vero gentium. Sunt enim substantiæ Spiritales. Num non sunt creatæ? At si ejusmodi essent, Entia essent perfectissima, & infinita. Hinc autem iterum requiritur, quomodo illæ ab Ente supremo, a quo neque existentiam accepissent, neque conservarentur, penderent? Quomodo illud posset leges in hac vita dare, & præmia, & pœnas in altera distribuere substantiis, quas illud non crearit, & proinde in quas nullum jus habet, utpote quæ per se, & e se subsistunt? solum Creationis nomen potest hac jura statuere. Debet ergo Roussojus aut negare quidquid de anima humana, & de potestate summi Entis scripsit, & in innumeros errores, & turpissimos, & repugnantes prolabi, aut Creationem admittere. Quomodo Philosophus sapiens, honestusque se se ex his angustiis extricare possit, non video. Atque id confirmet, quod diximus, Libertinos a Religionis dogmatibus recedentes, tamquam suæ rationi adversantibus, in sententias absurdissimas, & insanas misere prolabi:

(a) *Ce qui m'interesse, moi, & tous mes semblables, c'est que chacun sache, qu'il existe un Arbitre du sort des humains . . . qui nous prescrit à tous d'être justes, de nous aimer les uns les autres . . . que l'apparent bonheur de cette vie n'est rien; qu'il en est une autre après elle, dans laquelle cet Etre supreme sera le remunerateur des bons, & le juge des mechans*. Emile Tom. IV. p. 85. & seq.

CAPUT TERTIUM.

Inanis Libertinorum triumphus contra systema Religionis de Mali Origine.

I. *Oppositio generalis Epicuri deducta ab origine mali. Impiæ consequutiones, quas hinc Religionis hostes deduxerunt.*

II. *Imago, quæ viam ad solvendam oppositionem sternit.*

III. *Imago aptatur. Oppositionis defectus ostenditur; ex quo ipsa per se cadit.*

IV. *Scimus evidenter, esse in Deo rationes, quæ illius modum rectissimum ostendunt esse.*

V. *Examinatur argumentum deductum ex jactatis defectibus naturæ, solviturque.*

VI. *Confirmat Bælius oppositionem, eam fulciens malis physicis, moralibusque hominis. Respondetur, & vera horum malorum origine indigitata, non solum defenditur, sed etiam exaltatur Providentia.*

VII. *Deistarum argumento quam maximum robur additur. Ejus imbecillitas ostenditur, triumphusque evanescit.*

§. I. Unum e celeberrimis, antiquissimisque sophismatibus, quod usurpatum fuerit, usurpaturque a Libertinis, & quo arbitrentur Religionem oppugna-

pugnare; illud est, quod a malis cum physicis, tum moralibus, quæ in hoc terrarum Orbe sunt, desumitur. Hæc mala, inquiunt illi, cum infinitis Dei perfectionibus, qualem nos veneramur, rerum omnium Creatorem, Moderatoremque, nullo modo possunt convenire. *Deus enim, inquit Epicurus* (apud Lactantium de ira Dei cap. 13.) *aut vult tollere mala, & non potest; aut potest, & non vult; aut neque vult, neque potest; aut vult, & potest. Si vult, & non potest, imbecillis est; quod in Deum non cadit: si potest, & non vult, invidus; quod æque alienum a Deo; si neque vult, neque potest, & invidus, & imbecillis; ideoque neque Deus: si vult, & potest, quod solum Deo convenit; unde ergo sunt mala, aut cur illa non tollit?* Itaque ex hac propositione deducunt nonnulli cum eodem Epicuro, Deum res mortalium non curare; hi autem sunt Deistæ illi, qui Providentiam de medio tollunt. Alii cum Zoroastro, & cum Manichæis opinantur, systema duorum principiorum æternorum, non pendentium ab alio principio, infinitorum; unius boni, alterius mali, illius bonorum Auctoris, hujus omnium malorum fontis, solum posse nodum hunc dissolvere; & horum nimirum summa vi in Dictionario suo (*Art. Manichèens Rem. D.*) Petrus Bælius causam agit. Qui etiam eodem sophismate utitur, ut Pyrrhonismus triumphet (*ibid. art. Pyrrhon. Rem. B.*), ostendens Religionem cum recta ratione pugnare; illa siquidem nos docet omnia a Dei infinite potentis, infinite boni providentia regi; hæc, ejus sententia, permissionem mali cum illis attributis simul stare non posse demonstrat. Omnes hos vultus mutant, induuntque Religionis nostræ adversarii, & modo tumida voce, modo ridicula amplificantes malitiam, & ærumnas, quibus mortales affliguntur, interdum sunt Deistæ, interdum Dualistæ, nunc Pyrrhonici, Atheistæ denique, hoc uno enimvero epidictico argumento ducti, rationem suam hæc mala cum divinis attributis non posse componere.

§. II. Si quod sentio, exprimendum mihi est ajo, nullum fortasse argumentum quam hoc clarius esse, quo Libertini sui intellectus perturbationem, seu distortam, perversamque cogitandi rationem ostendant, quam tamquam suæ impietatis fontem hoc libro demonstrandam suscepimus. Liceat mihi iis theoriis, quibus paralogismus hic difflabitur modo, imaginem hanc præmittere. Objiciamus menti nostræ Hierosolymam Salomonis ætate, & iis diebus nempe, quibus in eam ingressæ Reginæ Sabæ, reclusit Rex ille Templum, aulicos omnes disposuit, ornavitque, & singula atria, aulas, penetralia, hortos palatii sui ostendit, tum Sacerdotum conclavia, victimarum quantitatem, qualitatemque, ministrorum servorumque diversas classes, omnia demum loca, omnemque supellectilem, quæcumque demum, & aulæ suæ ornamento, & Religionis cultui quoquo modo inserviunt. Quænam horum omnium causæ essent, quænam distinctio, relatio ita prudens, & accommodata cujusque rei usui, ut Regina hæc intuens maxime admirata fuerit, indicavit. Eja age, fingamus nunc eo temporis imperitum, barbarumque quemdam aut desertæ Lybiæ, aut gelidæ Lalandæ incolam assuetum inter feras versari, & in antris degere Hierosolymam petiisse. Hæret quidem hic obtutu primo præ stupore immobilis, defixusque, tot rerum magnificentia, splendore, & varietate captus, neque facere aliter potest, ut non assentiatur iis, quæ a populo, a consentiente fama prædicari audit, hoc est, esse eum, qui tam pulchra, tam magna, & ita pretiosa invenit, disposuitque multo maximum, multoque potentissimum Regem. Fingamus tamen, hunc in illo ingenti Palatio aliquam culinam cum foco, igne, & ollis superpositis operto, fumo tinctam, aut fœtidum, fimoque turpe stabulum; alibi scalam angustam, occultamque, angustaque & occulta diverticula, quæ per palatium sunt dispoſita intuitu horum omnium conspectu læsum coarguere opus, & de inventoris, dispositorisque potentia, sapientiaque dubitare. Quid plura? Fingamus cernentis catervatim agnos, taurosque mactari, comburique igne, plurimos viros vestibus diversis indutos; alios stantes ante Solium otiosos, alios abjecta exercentes munera, gemere alios in vinculis, aut virgis cæsos, hujus barbari advenæ mentem, licet infinita illa sapientiæ, munificentiæ, absolutissimæque virtutis testimonia ejus oculis obversarentur, commoveri, & hujusmodi rerum con-

conſpectu graviter offendi; quapropter res hujuſmodi nullo pacto cum ingenio potentiſſimi, & optimi Regis poſſe convenire ratum Epicuri, & Deiſtarum argumentum repetere, aut poterat Salomon a quavis immunditia culinas, & ſtabula purgare, & ea loca ornare pretioſa ſupellectili, non ſecus ac triclinia, & cubicula, ſcalas omnes æque amplas, marmoreaſque conſtruere, & diverticula ampliora efficere, popello tot combuſtas victimas diſtribuere, veſtibus auratis lixas, caloneſque induere, carceres recludere, retentiſque libertatem, vitaque uſum dare: uno verbo, aut ille poterat ab aula ſua, & urbe tot mala, tot ærumnas arcere, & noluit; aut voluit, non tamen potuit. Si voluit id efficere, neque potuit, non eſt Rex adeo potens, ut vulgo fertur; ſi potuit, nec voluit; certe non eſt Rex ille optimus, qui bene audit. Ex his igitur barbarus hic concluderet; vel in hac urbe præter locupletem, bonumque Salomonem pulchrarum, magnificarumque rerum auctorem alius tyrannus eſt immanis, malique ingenii, a quo turbæ, mala, cæteraque infortunia proficiſcuntur, aut hic Salomon, de quo magna rumor prædicat, hæc, & civitatem hanc non curat, neque eſt, ut dicitur. Jam ſi quis imperitum hunc audiſſet, & reſpondere huic tam ſtulto ſermoni voluiſſet, vah vecordem! dixiſſet: enimvero tuam ignorantiam ſimul, tuamque veſaniam prodis. Tu quædam hujus palatii loca eſſe anguſta, eſſe inornata dicis. At eja fare, an vidiſti diagramma totum, integrumque? intelligiſne quas leges architectura poſtulet? noſtin quos in uſus loca ſingula conſtructa ſint, quænam inter ea ſit conjunctio, quænam horum cum illis relatio, conformatioque? Nihil ſane minus. Et quin hæc omnia penitus intelligas, immo nihil ſciens blateras, & reprehendis? Scito ergo, in hoc palatio eſſe apparandas cœnas, debent igitur culinæ, foci, fumus, culinaria inſtrumenta ineſſe; ex hoc palatio egredi Rex curru debet; ergo ſtabula, equi, phaleræ debent eſſe. In membrum hoc Palatii liber non pateret aditus, niſi eſſet hic anguſtus latens trames; neque ab inferiori in ſuperius conclave tranſitus eſſet liber, niſi eſſet hæc occulta ſcala, qua eſt aſcenſus, deſcenſuſque. Pergamus porro; coarguis, quod tot agni, tot tauri igne comburantur, cum iis tot miſeri ſatiari poſſent; varietas veſtium non tibi arridet; immanitatem dicis carceres, injurias ſupplicia. Atqui ſciſne, quid Salomon intendat? Minime vero. Scito, Regem hunc animalium holocauſtis rite, ſancteque Religionem colere, quam in mente habet, cujus nomen quoque tu ignoras. Publici otii turbatores vincula illa coercent; morſque quibuſdam inflicta Civium bonum auget, conſervatque. Habes hujus Regis prudentiſſima conſilia, quæ tibi ex ignorantia minus recta videbantur. Sed quamvis his rationibus hoc tibi non perſuaſiſſem, dic, quæſo, an dubitare poteras, quin in mente Regis ita ſapientis, a quo tot mira fieri vides, hæ, & aliæ *prævalentes rationes* ineſſe potuiſſent, ut ſapienter, juſteque ageret id quod egit, quamvis has rationes tu ignorares. Ut certo aſſerere hoc poſſes, mens omnium mortalium ſapientiſſimi tibi fuiſſet comprehendenda; cognoſcendum quid hæc ſapientia illi ſuggerat, ab illo, ut homine, ut Religioſo, ut politico, ut Rege exigat, ut hinc comperias, certuſque ſis, in hujus ſummæ ſapientiæ ſinu, in his conſiliis ita prudentibus, quibus urbs hæc regitur, rationem nullam eſſe poſſe, qua hæc opera, hæc geſta, quæ tu carpis, purgari poſſint. Petulantem ergo dicacitatem comprime, tuique ſophiſmatis inſaniam lubens fatere; ſcitoque, potuiſſe quidem Salomonem, quas tu perturbationes, miſeriaſque dicis ab aula, & urbe ſua ſuſtollere; ſed ſapientia illa, quæ illius potentiam, & bonitatem regit, modoſque agendi præſcribit, hoc non patitur. Hæc enim omnium horum operum diſpoſitionem, relationemque prævidens, quod tibi perturbatum perverſumque videtur, bene diſpoſitum, aptumque eſſe conſpicit, cumque habeat conſilia, rationeſque, quæ ignorantia tuam longe ſuperant, latentque te prorſus, propter majora commoda, & bona univerſa, quæ hinc enaſcuntur, ſingularia, minoraque detrimenta, quæ advertiſti, æquiſſime ab urbe ſua non depellit.

§. III. Ad propoſitum noſtrum nunc accedamus. Tellus noſtra punctum eſt præ tota hac rerum Univerſitate ita exiguum, ut oculorum aciem pene effugiat.

Amplitudo ingens, quantitas, & distantia stellarum, quarum unaquæque Sol est, circum quas singulas fortasse aliud Planetarium systema rotatur, satis nobis demonstrant Globum hunc nostrum in hac tanta mole vix esse conspicuum. Jam in tenuissimo hujus exigui orbis puncto est Libertinus quidam, cujus mens in creatarum intelligentiarum numero vix, ac ne vix quidem internoscitur, & cujus vitæ spatium in immensa sæculorum, æternitatisque extensione pene ex oculis evanescit. Hic ergo & ex eo quod ab aliis audit, & ex eo quod e se arguit, invicte fertur ad cognoscendum, Molem hanc esse Opus perfectionibus omnibus cumulatum; cujus non solum Cœli annuntiant gloriam, sed parva tellus nostra, & res minimæ, quæ in terra sunt, sapientiam, bonitatem, potentiam, aliaque excellentissima, & maxime admiranda, & cujusvis intellectus captum magnopere excedentia, nobis patefaciunt. Admiratur ergo ille hæc, & adorat per aliquod tempus: at sui plenus, superbiaque tumens non minus stolida, quam pervicaci, ex hac terræ minima particula, in qua vivit, seipsum, resque quibus obsepitur, meditatur; & in angustissimo hoc Globo, quantum habes ejus oculorum acies videre potest, quasdam scelerum, & ærumnarum, & infortuniorum maculas cerneus audet in totum Mundi systema sententiam ferre. Ille ut imperfectum, confusum, mancumque cum dicit, neque pudet de Omnipotente detrahere, quasi vero aut potentia, aut bonitate, aut providentia careret opus suum tot malis, turbisque infici permittens. An insanius, arrogantiusque consilium excogitari potest? Attende, nam ita fit. Ut censura tua locum habeat, oportet, ut certus sis, in Deo non potuisse *rationes* dignas ejus sapientia, aliisque ejus perfectionibus esse, quæ eum ad patiendum illa mala in Mundo esse potius, quam ad illa ab eo removenda, quæ ceu non convenientia cum ejus perfectionibus damnas, rectissime impulerint. Hoc est controversiæ caput. Donec certus non eris, argumentum a te objectum locum non habet. Si enim in supremo Creatore *hæ rationes dignæ Ente sapientissimo* sint, jam *justificatur in viis suis*; Mundus, licet his malis affligetur, perfectus est, ac tu ita ratiocinans, ita arguens solemnia insanis. Progrediamur interea porro (non quod ita opus sit, sed ut majori te pudore perfundam) videamusque, num certus esse possis. Scis quid opus esset, ut certior esses? Ut comprehenderes totum exemplar, non aulæ, palatiique Salomonis, sed hujus totius Universi, in quo omnia & singula colligata sunt, arctissimeque conjuncta; opus esset, ut omnia intelligeres & in sua extensione, & in sua diuturnitate, & conjunctione, & relationibus partium inter se, earumdemque cum toto; ut nosceres, ex horum malorum peculiarium permissione nunquam majorem universam perfectionem, & pulchritudinem nunquam profecturam esse, sed universam perturbationem, confusionemque enaturam (a). Neque id totum satis est. Oporteret, ut divinæ Sapientiæ in eligendo, creando, regendoque hoc Mundo consilia teneres, & probe scires, horum malorum permissionem cum his consiliis stare simul non posse; aut hæc provisoris universi, & perfectissimi consilia nunquam rationibus tibi ignotis purgari posse. Habesne lances, habesne modulos, quibus hæc perpendas, & metiaris? Nonne stolidus prorsus est, qui ita opinatur? Si ergo ita est, præclarum illud dilemma tuum *aut poterat, & nolebat, aut volebat, neque tamen poterat Deus expellere a Mundo mala* purum sophisma est. Etenim præter potentiam, & bonitatem est in Deo sapientia, hujus consiliis infinitis, fallique nesciis omnia Dei opera reguntur. Necessum

(a) Nullus fortasse ex omnibus Doctoribus acutius, veriusque de hac materia egit D Thoma. VVolfius ipse *p. 1. Theol. Natur.* §. 498. merito laudat ejus acumen, veritatemque in hoc argumento pertractando. Ita ergo loquitur. *Bonum totius praeminet bono partis: Ad prudentem igitur gubernatorem pertinet negligere aliquem defectum bonitatis in parte, ut fiat augmentum bonitatis in toto: sicut artifex abscondit fundamentum sub terra, ut tota domus habeat firmitatem. Sed si malum a quibusdam partibus universi subtraheretur, multum deperiret perfectionis universi, cujus pulchritudo ex ordinata bonorum, & malorum adunatione consurgit, dum mala ex bonis deficientibus proveniunt, & tamen ex eis quædam bona consequuntur ex providentia gubernantis: sicut & silentii interpositio facit cantilenam esse suavem. Non igitur per divinam providentiam debuit malum a rebus excludi.* Lib. III. cont. Gent. cap. 71. Legatur totum Caput.

litas antea latebat, sedulo inquirit, & patefacit. Robertus Boylius, Josias Voodvvardus, Villelmus Derhami, Isaacus Nevvtonus, aliique Astronomiæ, Philosophiæ experimentalis, & citra, & ultra montes navi cultores sunt longissime progressi. Ut ita dicam, elementorum analysim fecerunt. Non solum naturam in terrarum superficie, sed in earumdem usque visceribus latentem perscrutati sunt, *strata* examinarunt, canales subterraneos, antra, specus, montes, valles, climata, relationes, planetarium systema totum, in quo reperiuntur hæc, fuerunt rimati; & ubique infinitæ sapientiæ in creando, conformandoque quovis membro, in utilitate, quam sibi mutuo hæc omnia membra sibi afferunt, in perfectione, & pulchritudine, quæ ex omnibus simul conjunctis in hanc rerum universitatem dimanat, latifundia repererunt. Silentio prætereo Redios, Jonstonos, Gesneros, Lesseros, Turnefortios, Vallisnerios, innumerosque alios, qui de plantis, de animalibus majoribus, & minimis agentes non solum eorum perfectam constructionem, sed etiam usus, & emolumenta nobis aperiunt, quæ tamen credere fas est, eo majora esse, quo magis Artificis consilia diligentiam eorum experimentorum, & instrumentorum subtile artificium, quibus ad ea peragenda aut usi sunt, aut utentur unquam, superant. Hæc sola tamen efficere possunt, ut hujusmodi archetypum, harmoniam tantam, tot commoda in hujus Mundi partibus, quas Philosophia examinavit, cernentes, necessaria consequentia in iis partibus, quas pertingere non possumus, aut quarum usus adhuc nos latet, hæc eadem omnia æque affabre elaborata inesse dicamus. Quapropter nonnisi stulti, cæcique homines partes has ut inutiles coarguere, vel tamquam Mundo perniciosas esse possunt censere.

§. VI. Quapropter nostræ ætatis Deistas hæc hujus Mundi credita mala in aciem saltem elata fronte proferre vehementer pudet, & alteram objecti a Lucretio argumenti partem, hoc est hominis conditionem, tempestatem intemperiei, belluarum immanitati, laboribus, incommodis, morbis, morti denique ipsi, obnoxii, eligentes, hæc omnia, atro veneno, illita eloquentia amplificant. Tum his malis physicis malum morale, seu peccata, quæ vel ex infirmitate, vel data opera homo patrat, addentes hinc se invictum argumentum contra Dei attributa eruere opinantur, cujus sub imperio hominem ita malum, ita infelicem vivere cernimus. Horum profanorum hominum Patronus maximus Bælius quomodo desperatam causam agat, audiamus. (a)

Si homo est opus unius Principii infinite boni, infinite sancti, infinite potentis, qui fieri potest, ut morbis, frigori, æstui, fami, siti, doloribus, angoribusque subjiciatur? Qui fiat, ut tot inclinationes malas in se sentiat, ut toties peccet? Summa sanctitas potestne creare aliquid quod peccet? suprema potentia potestne efficere aliquid infelix? potentia immensa simul cum immensa bonitate bonis opus suum non cumulabit, & ab eo, quidquid illud lædere, aut molestia afficere potest, non arcebit? Hæc est criminatio illa eadem ejus imperiti barbari Hierosolymæ, cum carceres, & supplicia a Salomone jussa, & ærumnas videret, quibus Cives affligebantur: quandoquidem Regi ita potenti, ita felici permittendum non esse quemquam sibi subditi populi miserum esse, & infelicem, illi videbatur. Nesciebat is, illos sibi primos hæc infortunia comparasse, & Salomoni non solum potenti, & bono, sed sapienti simul, & justo illis ea supplicia esse infligenda, quibus commune bonum, publicumque otium pareretur, & conservaretur. Dedit Deus homini Libertatem, per quam posset & ordinem servare, & ordinem lædere; in quo bonum, malumque consistit. Est ergo homo hujus mali, quod in defectu, seu privatione ordinis in suis factis servandi consistit, primus auctor, so-

(a) *Si l'homme est l'ouvrage d'un seul Principe souverainement bon, souverainement saint, souverainement puissant, peut-il être exposé aux maladies, au froid, au chaud, a la faim, a la soif, à la douleur, au chagrin? Peut-il avoir tant de mauvaises inclinations? Peut il commettre tant de crimes? La souveraine sainteté peut-elle produire une créature criminelle? La souveraine bonté peut-elle produire une créature malheureuse? La souveraine puissance jointe à une bonté infinie, ne comblera-t-elle pas de biens son ouvrage, & n'eloignera-t-elle point tout ce, qui le pourroit offenser, ou chagriner?* Dict. Crit. art. Manichéen. Rem. D.

solusque. Quid hinc fit? Deus ordinis Auctor cum Sapiens, & Justus, tum etiam bonus in hominem sua libertate turpiter abusum ea mala physica convertit, quæ hujus ordinis læsionem consequuntur, quæ quidem pœnæ, quibus Deus peccantes punit singillatim, sunt ejusmodi, ut per eos bonum Totius, seu ordinem, perfectionemque hujus mundi comparet, & custodiat. Creationis Historia, cujus veritas Libro II. hujus Operis invictis argumentis demonstrata fuit, cum his notionibus conveniens hoc doctrinæ caput minutatim nos docet. Ipsa docet, Deum creasse hominem neque *peccatorem*, neque *infelicem*, sed creasse illum rectum, lumine, vique præditum, ut officia sua cognosceret, & in ea ne delinqueret. Nos docet, in hoc felici statu eum omnibus bonis, quibus nunc caret, gavisum fuisse: fœcundum solum erat, salubris aer, animalia dicto audientia, corpus incolume, cupiditates domitæ, remoti dolores, ærumnæ, tristitia, mors: ergo ordo primus, quo fuit Mundus creatus, fuit hic, ut omnes res homini subjicerentur, & ab eo penderent, & homo subjiceretur Deo, & penderet ab illo. Liberum erat homini hunc ordinem servare; ille eum probe norat, & eum servare poterat; ille eum violavit, & a debita Deo obedientia recessit; proinde animalia omnia præstandæ homini servitutis jugum excusserunt. Homo infelix factus fuit, cum peccavit; ille perturbationes in Mundum intulit; perturbationem tamen hanc supremus Provisor ad consilia justitiæ suæ redegit, qua sancte, & jure hominem punit, qui confusionem hanc in res creatas intulerat. Descivit homo a Deo, omniaque creata desciverunt ab homine. Illa culpa fuit, hæc pœna est. En ordo post peccatum in Orbe existens. Ab hoc tamen ordine supremi Moderatoris bonitas non valde distat. Ejus sapientia inter justitiæ pœnas clementiam suam elucescere jubet. Circumseptus est homo malis, sed multo majora bona pœnas has consequuntur. Ex his multa sola ratio comperit, & quotidiana experientia indigitat; præcipua tamen, & ex iis maximum, omnium aliorum fontem, Hominem Deum reparatorem, sola Revelatio (quam existere Libro II. perspicue demonstravimus) ostendit, & ita Deum *in viis suis justificat*, ut qui divino Lumine illustratur, quales Christiani sunt, norit, appelletque *felicem* eam culpam, quæ hoc remedio sanata fuit, & felicia illa mala, quæ ex Dei clementia, sapientiaque bonum infinitum est consequutum.

§. VII. Sed prodeat in aciem ratio, audiamusque etiam, quam sapienter, quam invicte iis respondeat. Cur, nonnulli dicunt, Deus hominem sine libertate non creavit, si illa abuti debebat, & proinde tot mala subire? Ajo, hominem libertatis expertem non futurum fuisse hominem, sed brutum animal. Et si in peccatum incidere nequivisset, ne potuisset quidem mereri. At cur Deus ita illum saltem non creavit, ut peccare non posset? Respondeo, id Deum fecisse, quia ex nihilo eum creavit. Ex origine sua homo propensus erat ad peccandum, sive, ut Scholæ loquuntur, in origine sua habebat principium *inalienabile suæ defectibilitatis*. In sua creatione erat rectus; hæc tamen justitia non erat de ejus essentia. Poterat ergo & stare, & cadere, ut revera cecidit. At Deus, reponunt, prævidit hunc ejus casum, poteratque gratia efficere, ne caderet: qui ergo Pater hic (*a*) summe bonus operis sui jacturam tantam permisit? Respondeo, potentiam, & bonitatem Dei simul cum aliis Divinis attributis concorditer agere. Poterat Deus quidem hominis casum impedire; sed ejus infinita sapientia,

(a) Comparatio Patris, qui crudelitatis notam nunquam effugere posset, si cum posset malum, mortemque filii impedire, non impediret, usurpatur crebro, & affertur contra Providentiam a Deistis. At breviter respondemus, peccaturum hunc Patrem, quia cum nihil respiciat, quam conservationem peculiarem filii, non potest ejus curam relinquere. Comparatio in rerum omnium Rectorem non cadit; nec in alium hominem, qui quamvis malum impedire debeat, cum possit, v. g. mortem duorum hostium, qui simul certant; tamen si ponamus, eum esse in vigilia ut locum maxime suspectum alicujus urbis ab hoste obsessæ, custodiat, peccaret procul dubio; si loco relicto pergeret ad mortem impediendam, quam proinde permittere debet, ob *prævalentem rationem*, quæ in illo est majoris boni, suique muneris. Si ergo in Deo sint, ut reipsa sunt, licet nos lateant, rationes prævalentes majoris boni, permissio mali moralis quorumdam, in Deo justificabitur. Vid. S. Thomam I. p. q. 22. *art.* 2. *ad.* 2.

tia, quæ Universum moderatur, quæ dirigit, temperatque omnia Divinarum perfectionum opera, rationes habuit, & consilia se digna, ne sanctius, rectius, sapientiusque eum impediret.

At quænam sunt, instant Libertini, hujusmodi consilia, hæ rationes in Deo prævalentes? Dico, mentem creatam lumine suo hæc consilia, has rationes perspicue videre non posse. Ergo, colligunt illi, in Deo hæ rationes non sunt. Vah insanissimam consequentiam! hæc tamen est totius Deisticæ argumentationis metuenda consequutio. Hic, hic est nodus jactati invicti argumenti, quod ideo ex hac propositione deducitur, qua nihil ineptius, nihil magis falsum, nedum dici, sed ne concipi quidem potest, hoc est, *mens infinita, & perfectissima, cujusmodi Deus est, non potest videre, nec scire quicquam amplius eo quod possit cognoscere mens finita, maxime circumscripta, maxime ignorans, qualis nimirum est omnium horum Libertinorum mens*. Vertant se quocumque velint, hoc est sui argumenti fundamentum, quo fulti ex permissione mali argumentum in Dei Providentiam desumere volunt. Si enim in Deo hæ rationes sunt, quibus totum Mundi ordinem, dispositionemque comprehendit, recte, sancteque debuit permittere, in eo mala esse, nedum illa impediret; patet eum ab hac sua permissione purgari. Jam ut dicamus, Deum hujusmodi rationes habere, demonstratione sumpta ex eventu a Baelio ipso, ut superius dixi, invicta cognita planum feci. Sic illam paucis Libertini habeant. Ens perfectissimum, quale Deus est, permittit peccatum; ergo habuit rationes dignas se, ut illud permitteret, quin infinitarum suarum perfectionum aliquam læderet. Libertini autem huic demonstrationi, quam negare nullo modo possunt, nihil aliud habent, quod opponant, nisi inscitiam suam, quæ distincte non comprehendit, cujusmodi sint hæ rationes, quæ cæteroquin ostenduntur in illo existentes. Jam quinam ratiocinandi modus magis absurdus esse potest? ex eo quod non comprehenditur id, quod est obscurum, & comprehendi nequit, negare quod est evidens? Existere corpora in Mundo, ita physice mihi persuasum est, ut dubitare non possim. Si quisquam a me postulet, quænam sint principia componentia corporum, aqua mihi hæret. Si interroget, num quatenus est extensum, componatur corpus ex punctis, an ex partibus, quo modo me extricem nescio; si enim dico ex punctis extensione carentibus, urgeor argumento ineluctabili, qui multa non extensa quid extensum componere possunt? si dico, ex partibus extensis, ac proinde dividuis usque in infinitum, incido in scyllam, cupiens vitare charybdim; qui unquam in exiguo globo inerunt infinita extensa, qui tamen extensionem infinitam componant? *Incommensurabiles*, quæ in partes ut libet minimas divisæ nunquam mensuram communem habebunt; & *Asymptotæ Apollonianæ*, quæ semper mutuo ad se accedunt, nunquam tamen se tangent, ex hac extensione hujusmodi necessario consequuntur. Jam licet tot tenebris compositio corporum obvolvatur, quas nemo hactenus dissipavit, totque nodis adstringatur, qui solvi non possunt, num ideo, inquio, evidentiæ adversabor, & corpora existere negabo? Non me fugit, fuisse quosdam mortales adeo abnormes in cogitando, ut id simularint, negantes corpora existere; sed sperare me juvat, me nunquam eo dementiæ esse perventurum; eorumque insania haud digna est, quam imiter. Si igitur mens nostra, cum quotidie quam hebes sua sit acies, experiatur, præcipue ubi ad infinitum deveniat (ut in Matemathicis scientiis in singulos dies cernit,) id non negat, quod evidenter cognoscit, ex eo quod quasdam relationes, aut consequutiones explicare nequit; non potest nisi perturbatio mentis efficere, ut Deistæ in materia, quam præ manibus habemus, eo modo disputent. Cum negare nequeant, Deum esse Ens perfectissimum, & infinitum, unde generatim sanctitas, æquitasque omnium ejus consiliorum in hac rerum universitate regenda evidenter deducitur, eas tamen in dubium revocare volunt, & de iis detrahere hac una de causa, quod horum operum rationes, scopumque ignorant. Hæ tamen rationes, hæc consilia in eo sunt, qui unus hujus molis dispositionem, regimenque comprehendit, in qua omnia sunt arcte conjuncta, omnia in ordinem digesta, tendentia omnia ad optimum finem illum, qui nisi ab eo, qui illa omnia,

nia, & singula tenet, probe cognosci non potest: quæ cuncta cum perspiciat, videt ordinem eorum membrorum, quæ alia sub luce conspecta, hoc est separata, & ordine, & perfectione carere videntur. Atque ita visui nostro brevissimo accidit. At finem huic capiti faciamus, defessumque Lectorem paullulum recreemus egregiis carminibus, quæ in hanc rem in suo Anti-Lucretio habet Cardinalis de Poliniaco Lib. IX. v. 772. & seq.

Ast Auctorem operum tantorum, & cuncta regentem
Quo jure insimulas? Tu ne illum vincere posse
Consilio speras, faber ipse peritior Orbis;
A quo, nil in te est, quod non acceperis; immo
Quo sine, quæ versas animo, versare nequires?
Utrum ego crediderim, bene se gessisse creantem,
Omnia qui potuit; melius ne creanda fuisse,
Si tu vilis homo, qui nil potes, illa creasses!
O ratio humana mentis, quam cæca superbis!
Hæc in mente Dei, si quondam carcere rupto
(Atque utinam!) aspiceres, proh! quam tibi justa repente
Cuncta viderentur, quæ nunc male cognita damnas?
Nonne vides incompositas aliquando figuras
Depingi plana in tabula; nec forma, nec ordo est,
Nec sibi respondent partes, temere omnis in arcum
Linea curvari, seriem nec habere putatur:
Lævis at in medio steterit cum forte cylindrus,
Tunc tersam in faciem confusos arte colores
Colligit, & vultus reddunt vaga monstra decoros.

CAPUT QUARTUM.

Examen systematum Libertinorum de origine mali est evidenti indicio eorum rationis perversitatis.

I. *Libertini, Religionis de origine mali systemate relicto, sequuntur hypotheses repugnantes, & ineptas.*
II. *Prima hypothesis. Destruitur eodem principio, quo statuitur.*
III. *Altera hypothesis, hoc est* duo principia. *Dari non potest. Inanis Balii opinio refutatur. Dualistarum hypothesis non solum est falsa, sed inepta ad explicanda phænomena.*
IV. *Tertia hypothesis, quæ adimit Deo Providentiam, repugnat, reciditque in Atheismum. Fatua notio, quam Deistæ sibi de Providentia effingunt. Recta, dignaque Deo notio a ratione data.*
V. *Mala, quæ sunt in Orbe, Providentiam probant.*
VI. *Oppositio sumpta ex rebus prosperis malorum & infelicibus bonorum solvitur.*
VII. Corollarium. *Ex Libertinorum tenore de origine mali evidenter colligitur, rationis perversitatem esse fontem eorum impietatis.*

§. I. SYstema de origine mali a Religione propositum nemo sanæ mentis rejicere potest. Innititur illud evidentiæ existentiæ, & perfectionum Dei. Tantumque abest, ut ignorantia nostra in perquirendis rationibus, consiliisque illius supremi Moderatoris possit horum dogmatum fidem imminuere, ut etiam cuicumque prudenti illam magis confirmet; ita nimirum, & non aliter res evenire debet. Quandoquidem estne mirum, mentem finitam, angustamque Infiniti Entis Consilia omnia non complecti? Digni fortasse aliqua excusatione Libertini hujusmodi systema repudiantes viderentur, eorumque rationis perversitas tole-

tolerabilior foret, si ut explicent ingens phœnomenum hoc, & ut sese ab iis omnibus difficultatibus expediant, quas in hoc argumento amplificant, aliquam hypotesim saltem specie ferendam, neque tot nodis implicitam in medium afferrent. At hic nimirum eorum summa cæcitas apparet. Ab ea parte desciscentes, quam quisque sapiens sequi debet quam maxime rationi, communique sensui repugnantia, & implicita, & absurdissima systemata amplectuntur.

§. II. Eos audiamus. Nonnulli se uno ictu nondum hunc egregie solvere arbitrati sunt. Suntne, inquiunt illi, tot mala Physica, & Moralia in Mundo? Ergo Deus hic sapiens, omnipotens, bonus, infinitus non est. Ita quidam palam effutiverunt; egoque puto, non valde me a veritate aberraturum, si dixero, huc omnes nostrorum Deistarum involutos sermones tendere; quamquam horrendam consequentiam aperte efferre eos pudeat. At audiant, ut D. Thomas Aquinas (*Lib. III. cont. Gente cap. 71.*) loquatur de hac cogitatione, experianturque, num illi respondere possint. *Boetius in primo de Consolatione* (Prosa 4. ultra medium) *introducit quemdam Philosophorum quærentem: si Deus est, unde malum est?* (Respondet S. Doctor), *esset autem arguendum e contrario: si malum est, Deus est. Non enim esset malum, sublato ordine boni, cujus privatio est malum: hic autem ordo non esset, si Deus non esset*. Demonstratio est ita brevis, ita dilucida, ut explicatione non indigeat.

§. III. Ad aliud Libertinorum systema transeamus. Hoc est illud *de duobus principiis*, quod a Manichæis mutuantur, & quod Bælius fuse explicat, & amplificat in suo Dictionario. Ponatur, dicunt illi, duo principia æque æterna, & suprema: unum e sua essentia bonum, alterum e sua essentia malum. Hæc inter se divisum Universum habeant. In principio bono omnium bonorum, omniumque felicitatum, quæ in hoc Orbe sunt, originem habebis; in principio malo autem omnium scelerum, omnium miseriarum, hoc est malorum physicorum, & moralium, quæ in Orbem ingruere videmus, origo reperietur. Error nec magis repugnans, nec magis insanus fingi potest. Pluribus rationibus potest is oppugnari. Nos tamen ita breviter dicemus.

Hoc principium (*a*), quod est malum summum, nullum bonum in se continere debet: sicut principium, quod est summum bonum, nihil debet in se habere mali. Jam cum malum sit pura, simplexque privatio, malum summum erit privatio summa, hoc est summum nihil. Et hoc summum nihil erit supremum Numen, quod Universi cum summo Deo, veroque Imperium habebit divisum? An fortasse dicetur, esse hoc principium malum aliquam quidem Naturam, sed propter mala consilia, malaque opera improbam, malamque effectam, ut dicitur esse Diabolus; atque ita omnium malorum esse illam causam? Sed (præterquamquod id non esset amplius malum summum) hæc Natura, inquio ego, quæ est Ens, ac proinde bonum, non potest proficisci, etiam in Manichæorum hypothesi, quam a principio bono, causa, & origine omnis boni. (Nam si *e se existeret*, necessario esset Ens perfectissimum, ut Deus est). Si ergo hæc Natura a principio bono derivatur, pendere debet cum quoad suam existentiam, tum quoad sua opera a Deo. Ergo omnium malorum, quæ in orbe sunt, origo ultima erit a principio bono derivanda, quod per hoc principium malum aut volet, aut permittet, ea fieri. Hæ demonstrationes ita mihi videntur perspicuæ, ut iis responderi non possit; simulque Bælii futilem dicacitatem refellunt; qui contentionem inter Zoroastrum duorum principio-

(a) Confutat D. Thomas pluribus locis suorum Operum hæc duo Manichæorum principia. Afferemus duo tantum argumenta, quæ ille affert contra *summum malum principium omnium malorum*, unde deduximus strictim argumentum supradictum. *Lib. III. cont. Gent. cap. 15. Summum malum oportet esse absque consortio omnis boni; sicut & summum bonum est, quod est omnino separatum a malo. Non potest autem esse aliquid malum omnino separatum a bono: cum ostensum sit, quod malum fundatur in bono; ergo nihil est summe malum.*

Adhuc: si aliquid est summe malum, oportet, quod per essentiam suam sit malum: sicut & summe bonum est, quod per suam essentiam bonum est. Hoc autem est impossibile: cum malum non habeat aliquam essentiam . . . Impossibile est igitur ponere summum malum quod sit malorum principium. Leg. idem D. Thom. eod. Lib. cap. 7. & seq.

cipiorum fautorem, & Melissum, qui unum tantum admittit, fingens, ita primum colloquentem cum altero inducit (*a*). *Tu quidem notionum pulchritudine, & rationibus* a priori *me vincis*: (ille enim ipse fatetur, argumentis desumptis ex notionibus Entis perfectissimi, quale Deus est, sicut demonstrari ejus unitatem, ita repugnantiam alterius principii non dependentis, & æque æterni, cujusmodi fingebatur a Manichæis.) *Ego autem rationibus* a posteriori, *& phænomenorum* (hoc est malorum tam physicorum, quam moralium) *explicatione tibi præsto. Et quoniam boni systematis color hic est, ut possit experimentorum rationem reddere, quæ nisi explicare possit, dicendum est, hypothesim non esse rectam, utcumque pulchra appareat; conveniat inter nos, me duo principia ponentem non aberrare a vero, teque unum tantum esse principium putantem aberrare.* En quomodo Philosophus hic turpiter veritatis, Religionisque causam prodit. Ineptus tamen, impiusque sermo hic allatis argumentis refellitur. Et sane systemate unius principii malum physicum, & morale explicari usque eo posse, quo mens circumscripta, ac finita, cum agitur de Entis infiniti consiliis pervenire potest; nisi noster nos fallit amor, superius luculenter ostendisse arbitramur. Præterea systema ipsum, quod hostes ipsi fatentur, seipsum *a priori* verum prodit. Quid ulterius postulant, ut illud admittant? Quid? Zoroastri systema *a priori* est falsum, hoc est rationibus evidentibus, & internis ostenditur dari non posse. Nunc a Bælio requiro; a qua unquam Logica dicit, systema (etiamsi feliciter phœnomena explicet) admitti posse, ne ut hypothesim quidem, cum ostenditur repugnantia in se continere? Non opus est, fateor quidem, ut vera hypothesis sit; sed tamen oportet, ut dari possit. Jam tale est duorum principiorum systema. Qua ergo honestate Zoroastrum concludentem inducit, *se duo principia ponentem a veritate non aberrare, aberrare vero* Melissum, qui unum facit? Id unum Manichæorum patronum confutat. Sed propius etiam congrediamur. Zoroastri hypothesis, quæ rationibus *a priori* falsa ostenditur, est præterea incepta omnino (ob argumenta a nobis modo allata) quæ hæc phœnomena explicet. Quidni? En quam evidenter id demonstro. Vel hoc principium malum est purum, summumque malum, vel est Natura ex nequitia prava, & corrupta. Si est purum, summumque malum, est purum, summumque nihil. Qui ergo voluntates hominum impellere, perturbare spiritus, & corpora, denique omnia mala, quæ in Orbe sunt, parere poterit? Quis unquam audivit *nihil* tot, taliaque posse? Si vero dicatur esse Natura prava & corrupta, non potest tamen non pendere a principio bono, a quo, quod boni habet scilicet Naturam, necessario derivatur; ac proinde omnia mala physica, & moralia, quæ illud afferet, ab ejus permissione tandem pendebunt. Patet ergo hinc, nihil hujusmodi principii commentum prodesse ad explicanda ea phœnomena, quorum tandem origo, non secus ac in systemate nostro a principio bono, hoc est a summo, veroque Deo, est petenda, dicendumque hic etiam est, quod Homerus cecinit (*b*):

..... Post aliud Deus unum
Juppiter omne bonum, atque malum dat; cuncta potest is.

Silentio præterire placet alia deformia, & absurdissima consequentia, quæ ex duorum principiorum systemate derivantur, & quæ *a posteriori* etiam illud esse falsum & nullo modo defendi posse ostendunt. Quod diximus, satis superque Bælii malam fidem, fraudemque cuique patefacit qui in pluribus suorum operum locis hoc systema, quasi triumphum agens in lucem pro-

(a) *Vous me surpassez dans la beauté des Idées, & dans les raisons* a priori, *& je vous surpasse dans l'explication des phenomenes, & dans les raisons* a posteriori. *Et puisque le principal caractere d'un bon systeme est d'être capable de donner raison des experiences, & que la seule incapacité de les expliquer est une preuve, qu'une Hypothese n'est point bonne, quelque belle qu'elle paroisse d'ailleurs, demeurez d'accord, que je frappe au bout en admettant deux principes, & que vous n'y frappez pas, vous qui n'en admettez qu'un.* Dict. Crit. Art. Manicheens. Rem. D.

(b) ... Θεὸς ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλῳ.
Ζεὺς ἀγαθόν τε κακόν τε διδοῖ, δύναται γὰρ ἅπαντα, Odyss. Δ. ver. 236.

profert, quod omnem radicitus Religionem evellit. A Deo enim essentiam Dei adimit ab illo unitatem adimens, & essentiam hominis ab homine libertatem adimens, ita ut necessario agat; ac proinde virtutis, meriti, criminisque expertem, supplicio, præmioque indignum eum facit. Hoc tamen impium systema Bælius vult, ut ajebam, ut ita triumphet, ut ab eo quodlibet argumentum superetur, & Religio eruatur. Et ita rem esse, fraudulentis declamationibus, artibusque subdolis hujusce ingeniosi Sceptici capti imperiti Lectores scientia, & acumine carentes, quo sophismatum detegant vim, sibi persuadent. Magna tamen nos spes tenet, fore ut quilibet sanæ mentis ex rebus hactenus dictis colligere possit, rationis tantum perversitatem, perturbationemque efficere posse, ut hoc Religionis de Providentia, & mali origine systema deseratur, ut *Dualismus*, seu hypothesis duorum principiorum repugnantia continens, minusque apta ad phœnomena explicanda eligatur sequenda.

§. IV. Sed tertiam hypothesim, quam alii Religionis hostes amplexati sunt, audiamus. Multi neque cum primis Dei existentiam negare, neque cum secundis duo rerum principia summa admittere volentes, media quædam via institerunt, ut Numen quidem supremum agnoscerent, at eum humana curare negarent. Nimis magnus est, inquiunt illi, Deus, ut nos respiciat, ut minuta hæc sedulus inquirat, regatque. Fruitur ille, quoniam est *Ens perfectissimum sibi sufficiens*, in se ipso pace summa; neque nequitia nostra movetur ad iram, neque flectitur precibus. Hinc fit, ut malis sæpe bona & bonis mala adveniant, quod non fieret, si Deus potens, & justus, & bonus humana moderaretur. Hinc mala moralia, & physica mortales angunt, quæ non evenirent, si supremus ille Provisor hunc rerum cursum respiceret. Deus ergo a nobis quam longissime distans nos nihil omnino curans in Cœlis æterna pace fruitur; hic autem omnia casu, fato, fortuna reguntur.

Ita illi, qui proprie Deistæ dicuntur; Atheis, & Dualistis superius dictis nisi pejores, nihilo tamen minus cæci, delirantesque: quinam enim Deus, quem talem sibi fingunt, erit hic? Hic est Epicuri Deus, quem omnes sapientes derisui habuerunt, quique a Lucretio ita nimirum describitur (Lib. II. ver. 645.)

Omnis enim per se Divum natura necesse est
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus, sejunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Tu denique, o Epicure (ita venuste Seneca Lib. IV. de Benefic. cap. 19.) *Deum inermem facis. Omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam, & ne cuiquam metuendus esset, projecisti illum extra Mundum. Hunc igitur inseptum ingenti quodam, & inexplicabili muro, divisumque a contactu, & conspectu mortalium, non habes quare verearis; nulla illi nec tribuendi, nec nocendi materia est.* Requiro nunc a benigno Lectore num aliud, quam intellectus perturbatio, rapere possit hominem, ut ita de Deo sentiat? Et num Religionis systema, quod hi Philosophi increduli deserunt, nodum ullum contineat, qui cum hoc pugnantium secum notionum acervo, quæ insunt in tam perversa opinione, comparari possit? Si aliter a Deistis opinantes Deum hi agnoscunt; ergo Ens infinite perfectum, unum, & primum principium cujuslibet rei, a nullo creatum, & a quo omnia creata sunt, agnoscere debent. Mundus ejus manuum opus est; solum enim Artifex infinite sapiens, infinite potens hujus Molis tam ingentis, ordinisque, qui in illa est, adeo miri *adæquatam rationem* continet. Ergo Mundus hic, & omnia, quæ illo continentur, cum in se ne momentum quidem ullum temporis suæ existentiæ, sui motus, suæ essentiæ (quandoquidem hæc omnia contingentia sunt, non vero necessaria) *sufficientem rationem* habeant, opus habent, ut a causa suprema quovis momento conserventur. Eo prorsus modo, quo cum natura sua latissimi aeris campi tenebricosi sint, & nonnisi a Solis radiis lucem mutuentur, oportet, ut semper aut centrifugo motu, aut materiæ ætheреæ influxu hic illos illuminet, ita ut vel si tantillum se occultat (hoc est lucem suam, quacumque ea demum sit, retrahat), in nativas atras tenebras recidat (*Vid. D. Thom.*

Thom. 1. *p. q.* 8. *art.* 1. *&* 3.) cum igitur hujus primi principii, quod Deus eſt, vis neceſſario extendi debeat uſque ad intimos cujuſcumque rei receſſus, hoc eſt ad id, quod aut ad eſſentiam, aut ad eſſentiæ modos quacumque ratione pertinet; quæ ſtolidior, quæ abſurdior dari unquam ſententia poteſt, quam Deiſtæ opinio, qui ex una quidem parte Deum ſe agnoſcere fatetur, & negat ex alia res omnes, quæ ne uno quidem momento temporis aut eſſe, aut moveri ſine illo poſſunt, ab eo regi? (Vid. *D. Thom.* 1. *p. q.* 22. *art.* 2.) At nimium ingens Deus eſt, inquiunt, ut hæc minuta reſpiciat; felix nimium, ut tot, tamque varia, adeoque turpia, quæ a mortalibus fiunt, quæque noſtra quidem ſententia ad eum referuntur, curet. Hoc tamen eſt illud, quod objicitur argumentum, ſeu verius delirium, quod interdum quidam proferunt, quodque in Præfatione *Telliamedi* præfixa, de quo libro alibi mentionem fecimus, grandiloquus Auctor amplificat. *Putat Philoſophus hic* (utar doctiſſimi Galliæ Epiſcopi verbis), *ſe vidiſſe in Univerſo, & in globorum illud componentium quolibet vitæ principium, ſpiritum vitalem, ut germen, cujus ope globi hi poſt quamdam temporum ſucceſſionem ſe ipſos rurſus gignent, renaſcenturque e ſe ipſis, ſicut per ſe ipſos ſe conſervant, quin Dei potentia eos conſervet. Auctor Præfationis, quæ præfigitur huic Romanenſi Philoſophico libro, opinatur, in hoc ſyſtemate Providentiam illuſtrius, modoque magis Deo digno micare: tumidaque voce interrogat*: „ num credatur, „ honorem Deo præſtari, eum curæ reſpectu ſui ita exiguæ, cujuſmodi eſt „ Mundi conſervatio, ſtudiiſque tam moleſtis, perpetuiſque ſubjiciendo. “ *Impia verba, quæ nos, præ horrore refugienti ſanguine exſcribimus, quæ Omnipotentis Dei tamquam hominis imbecilli notionem in nobis excitant, quem ſtudium conſervandi, reficiendique opus ſuum, urget, & defatigat, qui quidem purus, putuſque eſt Atheiſmus* (a). Et ſane Philoſophus hic, Deiſtæque Deum, ceu Principem hominem, quem varietas negotiorum opprimit, tenetque ſollicitum, & anxium, concipiunt; qui temporum intervallis indiget, ut negotiorum multitudinem cognoſcat, neque iis vacare poteſt, quin quietis, otii, oblectamentorum jacturam faciat. Si reſpectu infinitæ Dei ſapientiæ (quæ eſt Deus ipſe) Mundus, reſque, & viciſſitudines omnes, quæ in Mundo ſunt, conſiderentur, ſunt inſtar puncti. Molem hanc omnem ab æternitatis diebus uſque inter alias innumeras, quæ eſſe poterant, Deus in ſemetipſo vidit, tamquam in idea Archetypa, ſeu omnium exemplari (*b*): ipſe eam elegit, & potentiæ æternæ ſimpliciſſimæ voluntatis illius exiſtentia, conſervatio, directio, motus, vices, opera tum quoad tempus, tum quoad æternitatem rerum omnium reſponderunt. Hic res omnes mutantur, prætérlabuntur, corrumpuntur, hoc Deus, Moderator ille infinitus proſpexit, voluitque actu ſimpliciſſimo; quin tamen *in illo ſit mutatio, aut viciſſitudinis obumbratio*; ac proinde quin æterna ſumma pax, beatitaſque, qua perfruitur, quicquam perturbetur. Hæc eſt notio, quam quicumque Deum ſe agnoſcere dicit, Dei debet habere.

§. V. Quod vero attinet ad mala, quæ ſunt in Mundo, e quibus Deiſtæ argumentum deſumere volunt, ut a Dei regimine res has ſubducant, jam ſatis diſputavimus, oſtendimuſque, quomodo eorum

(a) *Il pretend avoir vu dans l' Univers, & dans chacun des globes, qui les compoſent, un principe de vie, un eſprit vital, un germe, en vertu du quel ces globes, aprés une certaine ſucceſſion de tems, ſe reproduiront & renaitront d' eux-memes, comme ils ſe conſervent, ſans que la puiſſance de Dieu y intervienne pour rien. L' Auteur de la Prèface, qui eſt à la tête de ce Roman Philoſophique, ſoutient, que dans ce Syſtème la Providence ſe montre avec plus d' éclat, & d' une maniere bien plus digne de Dieu: & il demande avec un air inſultant*, „ ſi on croit honorer le Createur, en l'aſſu„ jettiſſant pour un deſſein auſſi petit par rapport à lui, que la conſervation de cet univers, à des „ attentions ſi penibles, & ſi continuelles. “ *Paroles impies, que nous ne traſerivons qu' avec horreur, & qui donnent du Tout-puiſſant l' idée d' un homme foible, que l' attention à conſerver, ou à reparer ſon ouvrage laſſe & fatigue; ce qui eſt . . . un veritable Athèiſme.* M. d' Auxerre *dans l' Inſtruction Paſtorale ſur la veritè & la ſaintetè de la Religion*: Contra Thebm. Ab. Pradeſii defenſam in domo Sorbonæ XVIII. Nov. 1751. *Trotſiem Par. n.* 3.

(b) . . . . *Tu cuncta ſuperno*
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique in imagine formans. Boet. Lib. III. de Conſ.

rum permissio cum attributis illius supremi Numinis convenire possit. Tamen ut eos omnino convincamus, efficiamusque, ut vel ingratiis suis fateantur, hæc mala confirmare, divinam Providentiam dari, argumentum D. Thomæ superius adversus Atheistas allatum in mentem est revocandum. En illud. Sunt mala in Mundo: ergo est Providentia suprema, quæ Mundum regit. Ita consequentia probatur: Malum nihil aliud est, quam privatio, seu perturbatio ordinis boni: Ordo boni non esset, nisi esset supremus Provisor, cujusque boni fons, & ordinis causa una. Ergo si mala sunt in Mundo, necessum est, ut in Mundo Moderator, Ordinatorque sit.

§. VI. Magis tamen alii superius memorato sophismati, hoc est rebus secundis sceleftos, infelicibus bonos affici, quod evenire sub Moderatore æquissimo, ac potentissimo minime deberet, fidere adversarii videntur. Illustria sunt ad hanc rem Ovidii, Claudianique, immo plurium sapientium, & sanctitate vitæ commendatorum hominum testimonia, quos malorum felicitas eo movit, ut de Dei Providentia dubitarent. Jactanter in scenam Libertini illa proferunt; Scepticorumque signifer Petrus Bælius (*Dict. Crit. Art. Rufin. Rem. C.*) omnibus impietatibus conviciisque hominum Divinam Providentiam proscindentium, a qua se male habitos putabant, in unum congestis, causam hanc perorat. Opinatur ille, humanam rationem Divinæ Providentiæ tenorem defendere non posse, nisi confugiat tamquam in vallum ad divina attributa, e quibus nihil potest proficisci nisi rectum, seque Divini verbi fallere nescii auctoritate tutetur, ac protegat. Si hæc a quovis alio, quam a Bælio scriberentur, fortasse nihil haberem, quod reponerem. Sed Bælius omnibus, quibus notus est, suspicionem movet; quippe qui sciunt, quoties rationem cum auctoritate pugnantem inducit, aut hanc ludos facit, aut Pyrrhonismo triumphum parat. Constat inter omnes, Dei notionem tanquam Entis perfectissimi posse purgare ejus agendi modos, etiamsi rationes, consiliaque nos latent. Atque id (si in mentem revocetur, quod hactenus diximus) Deistam hunc elinguem reddere potest. Auctoritas vero, seu Revelatio, argumenta multa nobis suppeditat, quæ modos, quibus Deus homines regit, & æquos, & misericordes esse demonstrant. Dico tamen, etiam rationem & posse & debere in causa hac habere locum, quæ ostendit, temere, & inconsiderate contra Providentiam a Deistis hoc argumentum afferri. Quid ni? Dicant, quæso, adversarii, habetne illi, habetque mortalium quisquam lancem æquam, qua hominum status perpendatur, detegaturque eorum scelerum, aut benefactorum pondus? Sit ille quidem sceleftissimus. At quis certo affirmare poterit, eum nihil honeste, & secundum virtutem egisse, quod Deus temporario præmio rependat; eumque probum hominem nulla patrasse peccata, quæ Deus juste puniat? Præterea, quis judicare jure potest, circumstantiis omnibus, consequentiis, relationibus pensitatis, num revera infortunia sint illa, quæ ita dicantur, bonisque eveniunt; num felicitates solidæ illæ sint, quibus improbi fruuntur? Quid? quis est adeo bonus, ut jure queri possit, meritis suis minora bona, & majora mala sua improbitate se accepisse? Quod si in malos vult interdum Deus sua clementia uti iis modis, iis de causis rectissimis, quas ille unus novit, quæque nos latent, quis id illi crimini dabit? At fingamus demum vere bonos affligi, quamvis semper bene egerint, malosque beari, eaque supplicia, quæ divina justitia, licet tarda, identidem edidit, prætermittamus, quid hinc deducendum est? En id, quod ratio nos docet, cum homo animam spiritualem, & ideo immortalem habeat, soluta a corporis vinculis per mortem, esse locum, ubi immortalis vivat, & ubi a Deo justo judice pro meritis suis, suisve criminibus ea præmia, aut illa supplicia, quæ in terris non habuit, percipiat.

§. VII. Ita ratiocinor, ita ratiocinati sunt Sapientes omnes, & hoc, ut judico, contra Bælium demonstrat, argumentum a vicissitudinibus Mundi sumptum non esse telum illud adeo invictum, ut contra illud ne mutire quidem audeamus. Nunc itaque prudens Lector has rectissimas animadversiones, Religionis theoremata de hoc gravissimo doctrinæ capite superius allata cum Libertinorum theorematibus conferat. Illi ex malis,

quæ in Orbe eveniunt, de quibus ejusmodi rationes attulimus, (quæ nullo modo exceptionem patiuntur) veluti systemate magis naturæ consono, colligunt, aut Deum non esse, aut duo esse principia, unum bonum, alterum malum, utrumque summum, aut Deum denique humana non curare. Jam hæ tres hypotheses pugnantia continent. Prima præterquamquod repugnat in terminis, principio, a quo deducitur, adversatur; quoniam si malum est in Orbe, in Orbe est bonum. Si est bonum, est Deus; ergo si est malum, est Deus. Altera se ipsam destruit; quandoquidem summum malum est summum nihil, cui cujusquam rei ratio physica adscribi nequit. Quod si hoc principium ut Ens malum concipio, necessario pendet a bono summo, ad cujus permissionem, ut explicentur phænomena, est confugiendum. Hypothesis tertia implicat contradictionem in terminis, subducere enim a divina Providentia Orbem, idem est ac Deo notam primi principii, ac proinde Ens ipsum Dei adimere. Jam in systemate Religionis ad summum quidam offenduntur nodi, quos intellectus nequit omnino solvere; sed in illis nulla reperitur contradictio; nodique ipsi satis expediuntur cum rationibus a priori, quæ evidenter systematis veritatem demonstrant; tum animadvertionibus in rerum naturam, quæ a Dei infiniti consiliis dependent; quæ necessario intellectus finiti aciem effugiunt. Ergo cum hæc sint verissima, quicumque Religionis systema deserit, ut aliquam ex memoratis hypothesim sequatur, aperte rationis, sensusque communis luminibus adversatur. Ergo in Libertinis, qui ita se gerunt, nedum ingenii acumen, & cogitandi perspicacia, rationis perversitas, perturbatioque, verus eorum impietatis fons cernitur.



C A3

CAPUT QUINTUM.

Examen objectorum Naturalistarum; & præcipue Jacobi Roussoji adversus Revelationem.

I. *Naturalistæ rationis laudatores, & Revelationis hostes. Solita eorum ars, ut hanc dubiam reddant.*
II. *Potest dari divina Revelatio. Coarctatur demonstratio, qua probatur existentia ejusdem.*
III. *Naturalistæ directe respondere nequeunt; id autem probat, eorum opinionem nasci ex rationis perversitate.*
IV. *Deo loquenti omnes subjicere mentes suas debent. Locus* Epistolarum Judaicarum, *ubi id confirmatur.*
V. *Hinc colligitur impietas, & vesania Naturalistarum objectorum contra veritates Revelatas. Primum specimen ex Opere Roussoji inscripto* Æmilius *sive* de educatione *sumptum.*
VI. *Dubia hujus Philosophi de doctrina Revelata proposita. Solvuntur.*
VII. *Ejusdem sophisma contra Miracula, & Prophetias. Solvitur.*
VIII. *Dubia ab illo ficta, & aucta quoad cognitionem Revelationis.*
IX. *Retorquentur exaggerationes in ipsum.*
X. *Respondetur directe argumento.*
XI. *Aliud Roussoji sophisma* in obligationem *sequendi solam Religionem Revelatam. Ineptum ostenditur.*
XII. *Ultimus nostri Philosophi error putantis, omnes Religiones esse* bonas, *&* salutiferas *homini: demonstratur impietas, & horror.*
XIII. *Vera* intollerantiæ *Catholicæ notio: est necessaria consequutio veritatis Religionis nostræ. Potest conjungi cum civili tolerantia.*
XIV. *Capitis Conclusio. Ingenium hujus celebris Philosophi.*

§. I. HActenus in Atheis, Deistisque velut colorem eorum ingenii, aut, ut verius dicam, veluti fontem eorum deliramentorum perturbationem *rationis* luctuosissimam indigitavimus. Num idem ostendi poterit in Naturalistis, qui sunt maxima Incredulorum portio, quæ nostra ætate terras inficit? Si illorum tantum verba advertimus, nihil sane audimus, nisi a bono sensu, & ratione profectum. Perspicacia theoremata de Divinitate & anima, moralesque doctrinæ castissimæ ad regendos mores ex eorum mente profluunt, & ab illorum Religione docentur. Ratio una oraculum est, quo se duci sinunt. Quidquid proxime ex *hac docta Minerva*, ita eam appellant, non dimanat, Superstitio est, & insania. Itaque seduli suorum luminum custodes, quasi vero extinguenda forent, si illius splendoribus, qui unus omnia novit, unus omnia potest, subjicerentur; si cum illis de Revelatione, & de Mysteriis verba fiant, commoventur; & eorum nonnulli aperte ea rejiciunt, nonnulli fraudulenter illa irrident. Modum hunc convenientem summopere rectæ rationi dicunt, sed ab una sanæ rationis perturbatione eum derivari, hoc est, quod demonstrandum hoc capite suscipimus.

Ita ergo Naturalistæ ratiocinantur. Quid aliud terras erroribus infecit, nisi Revelationis nomen? Ejus nomine nationibus opiniones stultissimæ, consuetudinesque infandæ, turpissimæque traditæ sunt, imbibitæque. Quælibet Religio *ostentat jactanter oracula sua* (a). Judæi, Christiani, Mahumedani dicunt doctrinas

 suas

(a) Vid. *Thesis Pradesii*, & Mandement Archiep. Parisiensis, *Instructio Pastoralis* Reverendiss. d'Auxerre in ipsam.

suas esse revelatas. Duæ saltem harum sectarum sunt simulatæ; quæcumque autem eligatur, certum est, rationem, præclarum datum divinitus mortalibus munus fieri homini inutile, cum homo inhibeatur, quominus id ad examen revocet, quod revelatum dicitur, etiamsi rationi ipsi, communique sensui aperte adversatur. Cum ergo tot vias sibi propositas videat, quæ omnes fortasse ad exitium ducunt, rationis viam insistamus, quæ est una, quæ est prima, quæ simplex, quæ falli nequit.

Hæc est vulgarior ars, quæ in Operibus nuperorum Naturalistarum offenditur (ut novit, quicumque illa vel cursim legit), ut semper *Religionem*, *Superstitionemque* confundant: ut unam eandemque causam *Mahumedis*, *Christique* faciant, ut in eadem classe *Evangelium*, *Thalmud*, *Alcoranumque* ponant, ut hæc omnia rideant, & omnia simul repudient. Epistolæ Persæ, Turcicæ, Judaicæ, Opera Voltæri, Marchionis d'Argens hujusmodi deliriis scatent. Jam a Lectore requiro, num hoc sapientia, an vesania pepererit. Hic certe stultior error est, quam ejus, qui cum sciat fuisse quosdam, qui adulterinos nummos percusserint, nummos omnes ut adulterinos projiceret. Sed rem per partes singulas examinemus.

§. II. Deum O. M. hominibus Religionem veritates theoricas naturalibus viribus superiores, & moralia præcepta jubentia cultum, quo velit a nobis sibi honorem præstari, continentem revelare potuisse, ille unus negare potest, qui audet Deum negare, ut alibi demonstravimus. Quapropter Deum revera hujusmodi Religionem revelasse, & hanc Christianam esse, hoc est totius controversiæ caput; & huc omnes ingenii nervos, huc artes omnes, si quid consequi volunt, intendere Naturalistæ debent. Legatur, perpendaturque quod in secundo hujus Operis Libro dixi, ubi ajo, hanc veritatem facti demonstrari eo quidem demonstrationis genere, quo proposita materia probari potest, sed quæ tamen efficit, ut nullo modo de illa dubitare possimus. Ibidem ergo iis ostenditur Christiana doctrina earum notarum cumulo fulta, quarum unaquæque ad eam divinam demonstrandam sufficit; sed quæ omnes ita inter se colligantur, & tamquam cum adæquato, soloque suo principio, quod Deus est, connectuntur ita, ut illo hujus Religionis Auctore posito, omnes explicentur; & intelligantur, eo sublato, non habeant, quo sustineantur, neque amplius sit, aut esse possit *ratio sufficiens*, quæ eas explicet, nec simplex caussa, quæ illas pariat. Et sane vidimus, causam hanc debere quibuslibet temporibus, mentibus omnibus, omnibus cordibus, totique naturæ dominari. Siquidem in centro, ut ita dicam, horum phænomenorum *Christum a mortuis excitatum* vidimus; factumque hoc omnium, quotquot Historiæ narrant, certissimum demonstravimus. Sancitum in illo novum fœdus, gentesque ad Dei cognitionem vocatas vidimus; vidimus ejus doctrinam iteratis certissimis miraculis confirmatam, defensamque plurium Heroum millium sanguine, ejusque nomen usque ad ultimos fines terrarum propagatum. Opus per se difficillimum erat quippe quod cordis corruptioni, mentibusque infestissimum. Summa erant obstacula, modi ad eam disseminandam, si humana ratione considerentur, erant omnium ineptissimi; tamen ita felix, perennisque eventus fuit, ut nos ipsi illius testes locupletissimi esse possimus. Sed quod mirum est, hoc est, horum eventuum complexus etiam minimas circumstantias quadraginta sæculis ante prædictas fuisse; & hæc oracula in voluminibus ab acerrimis Religionis nostræ hostibus servantur, permanentque adhuc. Est itaque hoc phænomenorum non solum admirabilium in se ipsis, sed etiam simul devinctorum, connexorumque systema. Ergo causa & omnipotens, & simplex, quæ illa explicet, explicetque & conjuncta, & separata, requiritur. Causa hæc unus Deus esse potest: Religio Christiana igitur his insignita notis est a Deo Revelata.

§. III. En hujus facti demonstratio paucis exposita. Quid ergo faciendum Naturalistis est, si nobiscum cogrediendi iis est libido? horum alterutrum; aut demonstrandum, etiam superstitionem Mahumedanam, aut alias, quas cum Religione Christi perfracte componere audent, iisdem esse insignibus ornatas, quibus nostra est conspicua; aut substituendam Deo causam simplicem, quæ molem hanc sustentet, integrumque harum, & phæno-

me-

menorum, quæ mira in se, & simul unita, sicut mutuo conjurant, ita separari invicem non possunt, systema explicet, a qua proinde sola causa explicari potest. Caput ultimum Libri II. legatur. Huc omnia adversariorum tela tendere debent. Innumera in Religionem volumina exquisito studio elaborata, eruditionisque plena, nisi hoc probent, ineptiæ sunt, nugæque. Jam certo certius est, utcumque scripserint, scribantque in dies singulos Naturalistæ, nunquam aut probasse, Mahumedismum, aut aliam Sectam iis notis, quibus insignitur Religio nostra, splendescere; aut causam simplicem præter Deum se invenisse, quæ totum systema, immo ne unam quidem notarum, quibus Religio nostra decoratur, explicaret. Religio ergo nostra a Deo revelata invicte demonstratur, ejusque auctoritas ne minimum quidem a suorum hostium impetu concutitur.

Hac veritate posita, quænam major *rationis perturbatio* esse fingive potest, quam, ut Christiana Revelatio rejiciatur, dicere, Revelationem Superstitionibus mortales infecisse? dicere, quamvis Religionem *oracula sua ostentare jactanter*? simulque conferre Evangelium cum Alcorano? & Mahumedis specie venenata tela in Religionem Christi jacere? Legantur tamen memorati Naturalistarum Libelli, nominatimque quædam Voltæri loca; & hujusmodi audacia deprehendetur.

§. IV. Pergamus porro. Cum perspicue sit demonstratum, Deum loquutum esse, eumque dogmata cum Theorica, tum moralia Christianæ Religionis dedisse, homo se subjicere debet; & si is criminatur, maxime rationem suam perturbari ostendit. Audiamus hoc nostræ Religionis hostem *Litterarum Judaicarum* Auctorem confirmantem. *Examinari potest*, ita ille (a) *num res fuerit reipsa revelata: sed cum constat, eam revelatam esse, in dubium revocari non potest amplius, nec fas est, credere, eam intelligi posse* .... paulloque post. *Si Judæus dubitet de quibusdam factis, quæ in sacris Libris extant, sicut ille de illorum Revelatione non dubitat, se se subjicere debet; credere, neque conari humanis rationibus divina mysteria plana facere*. Si ergo ita est, omnia Libertinorum dicteria in augusta Christianæ Religionis mysteria, omnes eorum censuræ in utriusque Testamenti Historias, convicia demum omnia, in præcepta ad cultum, & ad mores iisdem Libris contenta spectantia, omnia; inquam, hæc inutilia sunt, neque aliud quicquam significant, nisi eorum rationis perturbationem. Nos enim hos Libros a Deo revelatos esse ostendimus; & huic demonstrationi quid respondeant, Naturalistæ non habent. Jam Dei loquentis voci *se se homo submittere debet pie, casteque*: quod quidem Naturalistæ ipsi fatentur. Omnes ergo eorum Libercùli his censuris, conviciis, criminationibus, satyris, dicteriis in Religionem Christianam referti pura, putaque deliria sunt. Eorum ergo questus, *præstantissimo Cœli munere, quod ratio est*, cui examinare quod Revelatum est, interdicitur, se uti non posse, pueriles sunt, injustique. Etenim licet quidem ratione uti in perpendendis argumentis, quæ Christianæ Revelationis existentiam demonstrant; sed recta ratio vetat, ea, quæ revelata a Deo scimus, trutina castigare severa; quæ quidem revelatæ veritates, licet arcanæ, & impenetrabiles, nunquam tamen rectæ rationi aut esse, aut demonstrari adversæ possunt.

§. V. Veritas adeo patet, ut non possit, cuicumque mens læva omnino non est, non commovere. Hinc fit, ut recentiores Naturalistæ in aciem elata fronte prodire, nostramque Religionem aggredi impudentia illa, qua Spinosa, Tindalius, Collinsius, VVolstonus, Sanctus Evremondus (si modo hic est impii Libelli *Examen de la Religion* Auctor) oppugnarunt, erubescere videantur. Quibusdam insistunt viis, quæ obscuriores quidem, eodem tamen ducunt; ex quibus tamen quantum a recto rationis tramite aberrent, arguere licet. Jacobus Roussojus

(a) *Il doit être permis d'examiner, si une chose a été veritablement revelée; mais qu'il ne doit plus être permis d'en douter, ni de vouloir l'eclaircir, dès qu'il est sûr qu'elle l'a été .... S'il est en doute sur quelques faits, qui sont dans les Livres Sacrés, comme il connoit l'autenticité de leur revelation, il faut qu'il s'humilie, qu'il croye aveuglement, qu'il n'aille pas chercher à expliquer par des raisons humaines des mysteres divins*. Lettr. 138.

jus in suo *Æmilio* (qui quidem Liber in suum Auctorem omnium prudentium ho minum indignationem convertit, & merito ab utraque potestate damnatus fuit) narrationem quandam Ecclesiastici Apostatæ contexit, inducensque illum professionem quamdam *fidei*, quam verius *impietatis* dixeris, emittentem sub hac larva in divinam Revelationem venenata sua sophismata evomit. Nos eum præeuntem sequemur; ingenio enim, & eloquentia pollet; quibus quidem rebus imperitis suspecta fieri, sed falsa prorsus veritas demonstrari nequit. Initium hoc facit, necesse non esse, ut Religio ulla sit Naturali superior, *cum nullum dogma homini utile, Auctorique suo decorum ostendi possit, quod recto rationis usu cognosci nequeat* (a). Sed quam necessaria homini corrupto sit suprema Revelatio tum ob dogmata, quæ ratio per se investigare potest, tum etiam, multoque magis ob ea, quæ rationi impenetrabilia remedium malis nostris unum, & unam beatitatis nostræ viam nobis indigitant, luculenter ostendimus libro II. (Vid. *cap. I. II. III. IV. & V.*), & Impiorum dicteria ab hoc Philosopho memorata ibidem refutavimus.

Videamus ergo id, quod de Revelationis existentia scribit (b). *Aut*, inquit ille, *omnes Religiones sunt bonæ, & Deo gratæ; aut si aliqua est, quam hominibus præscribat, eosque puniat, ni eam custodiant, quibusdam notis certis, manifestisque, quibus distinguatur, cognoscaturque sola vera, eum illam insignivisse, dicendum est*. Nempe nos respondemus; & hujusmodi est Christiana; notæque certissimæ, manifestæ, quibus illa vera apparet, eo signorum complexu continentur, quæ in Libro II. ubertim explicuimus, & defendimus; ejusmodi sunt sanctimonia, & præstantia doctrinæ cum theoricæ, tum moralis: morum integritas per eam in Orbem invecta, admiranda ejus propagatio per plurima obstacula humana vi majora; vita, mors, prodigia, Resurrectioque Christi omnia prænuntiata etiam quoad minimas circumstantias, Oraculorum longa serie, & ab innumeris Martyribus sanguine confirmata. Hæ, aliæque similes sunt notæ illæ, quarum singulæ etiam per se, multoque magis omnes simul conjunctæ ita, ut se se mutuo illustrent, & confirmentur, solam Christianam Religionem esse veram, & divinam, evidenter demonstrant.

Quid ergo Roussojus dicet, qui sibi proponit in præstanti *Educatione* sua hoc, ut Alumnus suus hujusmodi Revelatam Religionem effugiat, fiatque Naturalista? Num conatur has notas impugnare, quibus Christiana Religio micat, aut ostendendo *falsa facta*, aut demonstrando, *aliunde, quam a Deo, esse eas posse?* Hic est scopus ille, in quem sua tela jacienda erant, si quod animo intendebat, consequi volebat. At nimis acutus Philosophus est, ut non agnoscat, hoc desperandum esse, quoties in æquum certamen descendere voluisset. Quapropter ad consuetas artes confugit, indignas enimvero honesto, & ratione prædito homine, ineptissimas autem ad causam nostram infirmandam, sed quæ fortasse imperitos movere possunt.

Primum quidem quasdam notas divinæ Revelationis superius memoratas suspectas reddit. Tum amplificat, quam arduum sit, veram Revelationem cognoscere, eamque a falsis distinguere. Inde ait non adstringi hominem ad hanc Revelationem cognoscendam; quandoquidem ejus sententia obligatio hæc Dei justitiæ convenire non potest. Ex quo demum colligit, quamlibet Religionem bonam esse, & unumquemque eam sequi debere, in qua vivit, quin timeat, ne pereat. Ad hæc quatuor capita totus hic redigitur in Revelatam Religionem sermo, quem Parochum quemdam Allobrogem habere fingit; hæc enim est larva, qua de Incredulorum more utitur, ut errores disseminet. Singula hæc capita examinabo; clare eorum ostendam fallaciam, demonstraboque Lectori, sermonem totum hujus ingeniosi Philosophi cum

(a) *Quelle pureté de morale, quel dogme utile à l'homme, & honorable à son Auteur, puis-je tirer d'une doctrine positive, que je ne puisse tirer sans elle du bon usage de mes facultés?* Emile Tom. III. pag. 122.

(b) *Ou toutes les religions sont bonnes, & agréables à Dieu, ou s'il est une, qu'il prescrive aux hommes, & qu'il les punisse de meconnoitre, il lui a donné des signes certaines, & manifestes, pour être distingué, & connue pour la seule veritable*. Ibid. pag. 128.

cum erroribus scatere, tum ratiocinativum minime esse.

§. VI. Atque ut a capite primo initium faciam, capita, quæ in dubium vocat, sunt *Doctrina*, *Miracula*, & *Prophetia*. Alia non attingit. Hæc tamen dubia nullo aut novo, aut valido argumento confirmantur; sed puris, putisque verbis, quæ eadem facilitate, qua dicuntur, etiam negantur; aut quædam clanculum sophismata afferuntur, quæ, ubi opportunum fuit, examinavimus, perpendimus, refutavimusque. Doctrina nostra hujus illustris Philosophi judicio non docet nisi *absurda*, & *rationi absona*. Miracula, quæ proferimus, nec ille, nec nos vidimus. Prophetias nos non audivimus, earum complementum non vidimus, nec, si adimpletæ fuerunt, certi sumus, non fuisse casu adimpletas. Hi summatim sunt ictus illi gravissimi, quibus argumenta, quæ Divinam Revelationem probant, impetit. Sed quia ille ipse videt, quam sint imbecilli, infirmique, aliquod iis robur addere tentat fingendo (Luciani more, quem postea Bælius, aliique Libertini imitati) Dialogum, Loquentesque sunt *divino Numine Afflatus*, quo nomine Magistrum veræ Fidei intelligit, & *Ratiocinans*, hoc est Libertinus. Ille ergo, qui est Auctor unus Dialogi totius, Loquentesque ad libitum suum inducit, ut probet, *nostram doctrinam nonnisi absurda, & rationi absona docere*, ita *Afflatum* loqui fingit (*a*): *Ratio te docet, totum esse majus sua parte, at ego ita divino Numine afflatus te doceo, partem esse majorem toto*; exsibilat doctrinam hanc *Ratiocinans* (*b*), *qui es, ut dicere mihi audeas, Deum sibi contradicere? Utri potius credam? Illi, qui me per rationem veritates æternas docet, an tibi, qui ejus nomine absurdum denuntias?* Hic autem cachinnos e Lectoribus excutit. An non hic est scribendi mirandus candor, visque demonstrandi invicta? At ubinam in Christana doctrina hæc fatuitas reperitur, quam a Ministro nostro effutiri fingis? Constat, te Evangelii mysteria animo intendere, qui putas aperte cum ratione pugnare? Sed hæc tua opinio, quæ omnibus incredulis est communis, ex eo nascitur, quod aut non vis, aut nescis internoscere discrimen, quod interest inter dogma *ratione superius*, & dogma *rationi contrarium*. Hoc non jam *rationale*, sed verissimum discrimen alibi (*Lib. II. Cap. VI.*) clare, & luculenter in Petrum Bælium explicavimus, & tutati sumus. Ibi ostendimus, ejusmodi quidem esse nostra Mysteria, ut mens nostra eorumdem *modum*, *connexum*, & *rationem* intelligere non possit; sed nunquam tamen ejusmodi, ut ostendi possit, ea contradictionem involvere. Animadvertimus, cum agitur de natura, de attributis, de consiliis Dei infiniti, hominem tantum rationis expertem admirari posse, se arcana Mysteria intellectum suum superantia offendere; & rejicere velle doctrinam, quæ perspicue demonstratur revelata, hac una tantum de causa, quod ineffabilia arcana continet, est summæ amentiæ. Præterea advertimus, hujusmodi dogmata humana ratione superiora, & *incomprehensibilia* non solum in Religione Revelata inveniri, sed etiam in naturali (quam tamen sequendam ducis), immo in iisdem naturalibus scientiis, quin quisquam sapiens hinc dicat, ea falsa esse, aut rationi contraria. Falsa ergo criminatio, honestoque Scriptore indigna Christiano Ministro est affícta, eum nomine Dei indicere, ut contradictio credatur, cum ille Mysteria proponit, quæ nec Roussojus, nec omnes ejus socii aut potuerunt, aut poterunt rationi pugnantia ostendere (*c*)? Atque hoc est omnium, quibus Revelatam Religionem oppugnat, argumentum validissimum. Scio, paullo ante quam Dialogum in scenam producat, invehi contra

 Re-

(a) L'inspirè.
La raison vous apprend, que le tout est plus grand, que sa partie: mais moi je vous apprends de la part de Dieu, que c'est la partie, qui est plus grande que le tout. pag. 139.

(b) Le Raisonneur.
Et qui êtes vous pour m'oser dire, que Dieu se contredit? Et à qui croirai-je par préference? à lui qui m'apprend par la raison les verités eternelles, ou à vous qui m'annoncez de sa part un' absurdité? pag. 140.

(c) Non me fugit, Philosophum hunc in responsione ad Archiep. Parisiensem pag. 129. credere, se posse ostendere repugnantiam, quæ est inter axioma, *totum est majus sua parte*, & unum ex nostris My-

Revelationem, *quæ nonnisi odium in suos similes*, *terroremque in seipsos inspirat*, *quæ semper nobis Deum sub oculos objicit iratum*, *punitorem*, *amantem*, *odio habentem homines*; *Deum belli*, *& præliorum*, diruentem, fulmina jacientem, *crepantem supplicia*, *& cruciatus*, *gloriantem*, *se innoxios quoque punire* (ib. pag. 137.). At hic Roussojus aut loquitur de Revelatione, quæ non existit nisi in ejus fervida phantasia; nosque eum cum suis cogitationibus missum facimus; aut putat, eas blasphemias in Christiana Religione reperiri; nosque ut criminationem falsam eam prætermittimus, indignum rati, qui eam pluribus verbis refutemus. Scimus, quicumque vel mediocriter in Sacris Litteris versatus est, non ignorare, quam in ipsis omnia divina Attributa maximopere splendeant, bonitatem tamen, clementiam, & Misericordiæ Dei in hominem viscera in quovis pene versiculo legi, pingique ita majestate affluentem, ut exemplar ipsum cernatur. Quod vero dicitur, Revelatam Religionem, *nobis odium in suos similes inspirare*, cum nobis imperat, ut inimicos etiam diligamus, hoc est novum argumentum æquitatis, fideique, qua Philosophi hi Religionem impugnant.

§. VII. At tempus est videndi, quomodo aggrediatur *demonstrationem spiritus*, *& virtutis*, hoc est miracula, & Prophetias, quæ nostræ Religionis originem confirmant. Ita *Afflatum* de iis sermonem habere fingit; *argumentis meis nihil responderi potest . . . ordinis naturæ mutationes*, *miracula*, *ostenta cujuscumque generis sunt* (*a*). Jam quomodo *Ratiocinans* his rationibus, quarum vim ignorare Roussojus nequit, respondet? En. *Prodigia*, *miracula! Nihil horum ego vidi unquam* (*b*). Formidabilem enimvero confutationem! Eodem modo responsum dat Prophetiis. *Sicut ego nunquam vidi miracula*, *ita nunquam ego Prophetias audivi*. *Etiam illud addo*, *nullam Prophetiam apud me nullum pondus habere* (*c*). Ad hæc verba Auctor *Afflatum* hæc verba digna Scriptore dicentem fingit (*d*): *heu! Dæmonis satelles*, *cur nullum pondus apud te Prophetia habent?* Reponit *Ratiocinans*. *Quia ad hoc tria requirerentur*, *quæ fieri non potest*, *ut simul sint*; *hoc est*, *ut ego testis Prophetiæ fuissem*, *ut testis miraculi*, *ut mihi persuaderetur hujusmodi portentum fortuito non potuisse simul cum Prophetia convenire* (*e*). Hæc exscribens prævideo, sapientem Lectorem jure mihi indignaturum, quod hujusmodi ineptiis, de-

Mysteriis, h. e. *Transubstantiationem*; *quandoquidem*, inquit ille, *si Christus in ultima cœna panem frangens manu sua tenuit corpus suum*, *quod distribuit discipulis suis*, *en aperte*, *en præcise partem toto majorem*. Hoc sophisma, quod Roussojus a Balio sumpsit, est antiquum Calvinistarum contra Catholicos sophisma, quod non continet nisi falsum *suppositum*. Supponit, nos credere, in Eucharistia Corpus Christi *modo naturali* subsistere, & quo subsistebat in terra. In hoc casu locum habere posset Roussoji argumentum; sed hujusmodi suppositio est adeo falsa, quantum patet ex omnibus nostris Synodis, & ex aliis nostræ Fidei monumentis nos credere, vere, & realiter esse, & subsistere in Eucharistia Corpus Christi, sed *modo supernaturali*, & diverso omnino ab illo, quo naturaliter in terris vivebat, qui proinde *Sacramentaliter* a nobis dicitur. Hac doctrina præjacta, argumentum Roussoji per se corruit; quoniam axioma, *totum est sua parte majus* supponit & illud, & hanc naturali modo subsistere: quod hic falsum est. Quid ergo deberet, ut hoc sophisma defenderet? Ostendere, Deum non posse Corpori dare existendi modum diversum a naturali; & Sacramentalem præsentiam, quam nos credimus, non solum esse ineffabilem, nostroque captu superiorem, sed etiam ipsam Metaphysice repugnare. At in hoc capite elaboret, ut libet Roussojus cum amicis suis, nunquam quod intendunt, consequentur. Locus vetat, me plura loqui. Legantur nostri Controversistæ. Interim advertatur, num ob hoc sophisma vetus, ineptumque debuerit Roussojus aggredi tam inurbane Episcopum Belmontium; *patet*, *te incedere per hunc articulum ceu per ignem suppositum: vix audes consistere*. *Quare coger te parumper remorari in hoc tristi statu*. *Curabo tamen tempus hoc contrahere quoad potero*. Quæ procacitas? Malum, quæ audaciam?

(a) L'Inspirè.

Mes preuves sont sans replique: elles sont d'un ordre surnaturel . . . . Des changemens dans l'ordre de la nature, *des Propheties*, *des miracles*, *des prodiges de toute espece*. Pag. 142.

(b) Le Raisonneur.

Des prodiges, *des miracles! Je n'ai jamais rien vu de tout cela*. Pag. 143.

(c) Le Raisonneur.

Je dis premierement, *que je n'ai pas plus entendu des Propheties*, *que je n'ai vu des miracles*. *Je dis de plus*, *qu'aucune Prophetie ne sçauroit faire autorité pour moi*. Pag. 144.

(d) L'Inspirè.

Satellite du Demon! Et pourquoi les Propheties ne font pas autorité pour vous! Ibid.

(e) Le Raisonneur.

Parce que pour qu'elles la fissent, *il faudroit tres choses*, *dont le concours est impossible: savoir*, *que j'eusse été temoin de la Prophetie*, *que je fusse temoin de l'evenement*, *& qu'il me fût demontré*, *que cet evenement n'a pu quadrer fortuitement avec la Prophetie*. Ibid.

deridendis cuicumque in scientiis, & hujusmodi gravissimo argumento quicquam versato, se detineam. Et sane quid unquam infirmius responderi Miraculis, & Prophetiis nostris potest, quam dicere se illa non vidisse, has non audisse? Quis nostrum est, qui innumera facta & multi temporis diuturnitate, & longinquitate locorum distantia, neque oculis nostris, auribusque subjecta cum evenerunt, certo non credat? Jam hujus *factorum evidentiæ*, quæ *moralis* dicitur, nos alibi vim ostendimus, principiumque firmissimum, cui insistit, deteximus; tum hoc idem principium *factis* aptantes, quibus divina Revelatio ornatur, ea majora quavis exceptione demonstravimus. Vidimus exempli gratia Christi Resurrectionem, quod est systematis nostri centrum, & gravissimum, splendidissimumque miraculum, testimoniis ejusmodi innixam, quibus nec majora, nec æqualia ullum Historiis relatum factum habet; ac proinde evidentia hujusmodi probatam, ut nefas sit de illa dubitare. Hoc idem proportione habita de Moysis, Apostolorumque miraculis vidimus; hoc de Oraculis Genti Hebrææ prænuntiatis ante Christi Nativitatem. Quidquid Ars critica exquisitissima requirere potest, abunde veritatem singulorum horum factorum demonstrat. At quod singulare in hac materia est, & maxime argumentum nostrum confirmat, est relatio, complexus, conjunctioque, quam inter se habent phænomena ipsa, ita ut unum efficientia systema invicem sese defendant, & amice conjurent. Resurrectio Christi, quæ Deum illum ostendit, probat Moysis missionem a Christo ipso sæpius laudatam, confirmatamque, vera miracula ab illo patrata, Prophetarum Oracula certissima. Hierosolymæ eversio, Hebræorum dispersio, Martyrum sanguis, Evangelii propagatio, omnia ad Christum Deum referuntur, omnia ejus characterem confirmant, omnia Prophetias adimpletas ostendunt. Ita ut & præterita, & consequentia, veluti lineæ in centrum, in Christum desinant, ut illum Dei Filium comprobent; ipse autem omnia vaticinia, & miracula per prædicationem suam luce perfundens, omnia adimpleat, omnibus pondus addat, omnia confirmet; Religionemque suam his omnibus fultam veram, divinamque perspicue demonstret. Jam ut hujusmodi evertatur systema a nobis alibi fuse explicatum, probatumque, quid amplius requiritur, quam Dialogus Luciani stylo contextus, scatens scurrilitatibus, & dubitatione plusquam Pyrrhonica; quid amplius requiritur, ut hæc moles labefactetur; quam ut dicatur, *ego hæc Miracula non conspexi*, *has Prophetias non audivi*. Illorum, harumque veritas argumentis testimonio sensuum majoribus probatur; effecta autem complementumque utrorumque pene oculis nostris subjiciuntur, si modo dicere nolimus, ita esse conspicua, ut inter cacumina montium cernitur Atlas. Quid amplius requiritur, quam ut dicatur in omnibus Orbis regionibus pro miraculis creditos fuisse dolos (Tom. III. pag. 134.), quasi vero ex eo quod in Orbe mendacia fuerunt, probari possit, nunquam veritatem fuisse; aut producantur Magorum Pharaonis miracula, ut probetur, Dæmones Dei opera imitari potuisse (ibid. pag. 135.); quasi vero nulla certa regula sit, qua ab illis distinguantur, & quin *circulus vitiosus* fiat; probari miraculis doctrina, & per doctrinam detegi fons nequeat, unde proficiscuntur miracula (a). Quid amplius denique requiritur, quam ut dicatur, posse eventum fortuito cum Prophetia convenire. Hic non agitur de eventu uno, de Oraculo uno; series hominum profertur, qui uni aliis succedentes, diversique ætate, regionibus, charactere prænuntiant separatim, seriem eventuum non solum liberorum, & contingentium, sed ex Dei unius dispositionibus pendentium, horum eventuum tempora, loca, mutationes, minimasque circumstantias indigitantium; qui quidem eventus separatim prædicti, simul colliguntur, conveniunt, & in eo, de quo sunt enuntiati, adimplentur ad unguem. Jam dicere, hunc casum esse, unus Dialogista noster audere potest; nemo tamen, cui sana mens sit.

(a) Vid. Lib. nostrum II. cap. XVI. ubi hæc vetera objecta indicata a Roussæo, & omnibus Libertinis communia examinantur, & refelluntur.

fit ab illo stabit. Nolo in hoc primo orationis hujus Philosophi capite, quo nititur quasdam Revelationis notas in dubitationem adducere, frustra tempus terere. Adeat ergo, si placet, Benignus Lector Libri II. hujus Operis capita, in quibus cum agatur de Miraculis, & Prophetiis, objecta ipsa ab hoc Libertino allata, praoccupantur, & dissolvuntur.

§. VIII. Dicendum nunc est de capite secundo, ubi Auctor totus in eo est, ut angustias illas exaggeret, in quibus homo esset, quoties e multis sola vera, divinaque Revelatio esset eligenda. Hic enimvero peculiari modo sibi Roussojana actio triumphare videtur. Non Dialogo, sed vivida, eloquentique declamatione rem ille peragit. Ejus verba afferam; (*a*) *e tot Religionibus diversis, quæ sese excludunt mutuo, una tantum vera est, si modo est. Ut ea cognoscatur, non satis est unam solum examinare, omnes examinandæ sunt; & de quacumque re agatur, sententia danda non est, priusquam omnia audiantur. Objecta cum probationibus sunt conferenda; scire oportet, quid quisque aliis opponat, & quid illis respondeat.* Confirmat, illustratque doctrinam hanc erudita nota ad calcem paginæ apposita, quam exscribam (*b*). *Refert Plutarchus, Stoicos inter alia inaudita Paradoxa dicere solitos fuisse, in caussis contra aliquem susceptis inutile esse alterum, reumque audire. Namque, ajebant illi, vel actor quod intenderat probavit, vel non probavit; omnia prolata sunt, reusque damnandus est; si non probavit, omnia prolata sunt, reusque damnandus est; si non probavit, causa cadit, estque rejiciendus. Methodus eorum omnium, qui exclusoriam aliquam Revelationem admittunt, similis valde est horum Stoicorum methodo. Cum quisque putat, se posse eligere e pluribus partibus unam, opus est, ut omnes audiat; secus est injustus.* Post argumentum hoc, quod dicere possumus *ab oppositis*, in viam redit pergitque porro scribere ita (*c*): *quo magis sententia aliqua demonstrata creditur, eo magis inquirendum nobis est, quibus rationibus moveantur homines tot, nec illam ejusmodi inveniant . . . . Visne e libris Religionem addiscere? Quæ eruditionis supellex comparanda est, quot linguæ cognoscendæ, quot Bibliothecæ volutandæ, quot volumina legenda! . . . . Difficile in ea regione contrariæ partis Libri meliores reperientur, multo vero difficilius omnium partium volumina; si reperirentur, confutarentur statim . . . ex altera vero parte nihil magis decipit, quam Libri, nec recte eorum sententias, qui scripserunt, produnt . . . . ut de Religione aliqua bene judicetur, e libris ejus sectatorum haud est haurienda, sed addiscenda est in eorum regione.* Hoc enim vero est formidandum edictum. Parendum est: siquidem aliquanto post ita dicit (*d*): *Hinc sequitur,*

(a) *Parmi tant de Religions diverses, qui se proscrivent, & s'excluent mutuellement, une seule est la bonne, si tant est, qu'une le soit. Pour la reconnoitre, il ne suffit pas d'en examiner une; il faut les examiner toutes, & dans quelque matiere, que ce soit, on ne doit point condamner sans entendre; il faut comparer les objections aux preuves, il faut sçavoir ce que chacun oppose aux autres, & ce qu'il leur repond.* Pag. 146.

(b) *Plutarque rapporte, que les Stoiciens entre autres bizarres paradoxes soutenoient, que dans un jugement contradictoire, il etoit inutile d'entendre les deux parties: car, disoient-ils, ou le primier a prouvé son dire, ou il ne l'a pas prouvé. S'il l'a prouvé, tout est dit, & la partie adverse doit être condamnée: s'il ne l'a pas prouvé, il a tort, & doit être debouté. Je trouve, que la methode de tous ceux, qui admettent une revelation exclusive ressemble beaucoup à celle des Stoiciens. Si-tôt, que chacun pretend avoir seul raison pour choisir entre tant de partis, il les faut tous ecouter, ou l'on est injuste.* ibid.

(c) *Plus un sentiment nous paroit demontré, plus nous devons chercher sur quoi tant d'hommes se fondent pour ne pas le trouver tel. Voulez vous instruire dans les livres? quelle erudition il faut acquerir, que de langues il faut apprendre, que de Bibliotheques il faut feuilleter, quelle immense lecture il faut faire? Difficilement trouvera-t-on dans un pays les meilleurs livres du parti contraire, à plus fort raison ceux de tous les partis; quand on les trouveroit, il seroient bientôt refutés... D'ailleurs souvent n'est plus trompeur, que les livres; & ne rend moins fidelement les sentimens de ceux, qui les ont ecrits... Pour bien juger d'une Religion, il ne faut pas l'étudier dans les livres de ses sectateurs, il faut aller l'apprendre chez eux.*

(d) *D'où il suit, que s'il n'y a, qu'une Religion veritable, & que tout homme soit obligé de la suivre sous peine de damnation, il faut passer sa vie à les étudier toutes, à les approfondir, à les comparer, à parcourir les pays, où elles sont établies:... La terre entiere ne sera couverte que de pelerins, allans à grands frais, & avec des longues fatigues a verifier, comparer, examiner par eux memes les cultes divers, qu'on y suit. Alors adieu les métiers, les arts, les sciences humaines, & tous les occupations civiles; il ne peut plus y avoir d'autre etude, que celle de Religion: à gran peine celui, qui aura joui de la santé la plus robuste, le mieux employé son tems, le mieux usé de sa raison, vecu le plus d'années, sçaura-t-il dans sa vieillesse à quoi s'en tenir; & ce sera beaucoup s'il apprend avant sa mort dans quel culte il auroit dû vivre.* Pag. 160.

tur, *nisi una vera est Religio*, *quam quisque sequi*, *ne damnetur*, *tentatur*, *opus esse*, *in omnibus addiscendis*, *penitusque cognoscendis*, *in iis invicem comparandis*, *in percurrendis regionibus*, *in quibus illa excoluntur*, *vitam transigere* . . . *Si ita est*, *jam terrarum Orbis hominum peregrinantium magnis impensis*, *summisque laboribus*, *ut certiores fiant*, *ut conferant*, *ut examinent per seipsos diversos cultus*, *qui ibidem fiunt*, *plenus erit*. *Tunc vero muniis*, *artibus*, *scientiis humanis*, *omnibusque civilibus officiis posthabitis*, *nullum aliud studium esse potest*, *quam Religionis*; *&* *per summum laborem*, *qui valentissima gavisus fuerit valetudine*, *optime tempus insumpserit*, *rectissime sua ratione fuerit usus*, *plures annos vixerit*; *vix senex sciet*, *quid sequi debeat*, *percipietque suorum laborum magnum fructum*, *si priusquam moriatur*, *noverit*, *qua in Religione sibi vivendum fuisset*. Ex hac vehementi peroratione, seu potius exaggeratione immodica quid Roussojus colligit? Nimirum hoc: Mahumedanum, Christianumque, & quemcumque alium (Catholicis exceptis, quos hoc munere privat propter *Intolerantiæ* dogma) debere patriam Religionem sequi, & mordicus tenere; ille vero cum suo Æmilio Religione naturali, quam didicit, & hausit a Naturæ Libro, vult esse contentus.

§. IX. Suspiciunt, & fortasse etiam permoventur, Libertini Philosophi tam petulantem sermonem imperiti Lectores, eumque velut novam, invictamque demonstrationem jactitant increduli adolescentes. Ego tamen eos precor, ut attento animo sint, & advertant, quæ sum dicturus: magna siquidem me spes tenet, fore ut iis ostendam ex hoc nimirum textu, cujus generis sint hæc tela ita ostentata, quibus instructus nos Genevensis Scriptor aggreditur, & in quos putidissimos errores, quicumque vult veritatem impugnare, misere prolabatur. Ego itaque eum sic alloquor: Alumnus ille tuus, qui præceptis tuis maxime docilem se præbet, jam inibi est, ut Revelationem omnem abjuret, tecumque ita eleganter explicatam modo a te Naturalem Religionem amplectatur. Sed audit, præstantissimos Europæ viros, cultioresque nationes a te dissentire; se agnoscere Revelationem divinam, damnare ceu falsam, & impiam sententiam tuam. Audit præterea per octo & decem sæcula in Orientali, & Occidentali plagis viros moribus, ingenio, doctrina adeo excellentes, ut tu præ illis non valde magnus videare, ita sensisse. Jam a te requiro, Æmilius hic tuus debetne in verbis tuis, quin illa examinet, acquiescere, eamque partem, quam hoc in Libro sequendam proponis, eligere? At si ita ageret, contra præcepta a te statuta ageret; hoc est *in quavis materia oportere componere cum probationibus objecta*; *oportere scire id*, *quod quisque aliis opponit*, *quodque illis respondet*. Esset hoc agere Stoicorum instar, qui in judicio, ubi reus, actorque sunt, partem unam tantum audiebant, alteriusque partis argumenta respuebant, quæ quidem methodus a te maximopere reprehenditur. Itaque discipulus tuus prudens tuum documentum sequutus: *quo magis sententia aliqua demonstrata videtur*, *eo magis inquirenda nobis sunt rationum momenta*, *quibus impelluntur homines ad credendum*, *eam non esse ejusmodi*, debet in hac trutina rationes castigare, cur tot homines & hac ætate, & sæculis præteritis Revelationem divinam, quam sequerentur, & impiam execrabilemque *indifferentiam* quoad Religionem esse crediderint. Vin', e libris quid de hac controversia sentiendum sit, addiscat? *At quæ eruditionis supellex* tuo judicio, *comparanda sibi non erit*, *quot linguæ intelligendæ*, *quot volumina evolvenda*? Quamquam librorum studium, tuo judicio, non sufficit, ut adolescens hic tuus Religionem calleat; eundum est in regiones, in quibus hæc Revelata Religio (a te non necessaria habita) vulgo excolitur. Jam Æmilius tuus iter ingressus est, immo una cum illo iter peragunt alii Rousojii discipuli *jam peregrini*, *itinerantesque*, *magnis impensis*, *magnisque laboribus*, *ut certiores fiant*, *ut comparent*, *ut examinent diversos cultus*, ut noriat, num verum sit id, quod tu doces, omnes Religiones excoli posse, neque ullam esse, quæ aliis sit anteferenda. Tum discipuli tui *munia*, *artes*, *munera omnia civilia repudiabunt*, sequenturque luctuosissima illa consequentia, quæ tam eleganter describis, Quid inquis, celeberrime vir? Nonne vides eodem te laqueo, quem nobis immerito parasti, teneri, suspendique? Nonne vides, si quidquam nos exaggerationes tuæ urgerent, systema Libertinorum quod ad Religionem

nem spectat, esse eversuras? Dices fortasse, te nullum systema habere definitum; & ut hæc absurda evites omnia, te dicere, quamvis Religionem bonam esse, proinde te asserere neminem cogi, hanc præ omnibus aliis Religionem sequi, æterni supplicii pœna intentata. Verum quo ingenio polles, vides nos eodem redire; id ab invictissimo argumento te non tutari, hæc enim est propositio, quæ in controversiam venit: num qualibet Religio sit bona, an Revelatio divina sit, quam nisi quis sequatur, sit æternis pœnis puniendus; primam propositionem concedis, secundam negas. Italia, Hispania, Gallia, Anglia, Belgium, Orientalis, Occidentalisque plaga aliter sentiunt, semperque retroactis sæculis, aliter senserunt. Ergo secundum principia tua discipulus hic tuus inquirere causas debet, quibus tot homines impellantur, impulsique sint ad dissentiendum a te. At ad examen hoc, si Libris fiat, eruditione, libris, linguis, bibliothecis, & plurima lectione opus est; immo ne Libri quidem, tua sententia, cum huic examini sufficiant, requiruntur præterea itinera, peregrinationes, quæ omnia totum hominem quoad vivit, sollicitum tenent, quin fortasse scire unquam possit, quid sibi eligendum sit. Vel ergo hæc tua præcepta, eloquentesque exaggerationes, ut demonstres, nullam esse *Revelationem exclusoriam*, ut eam appellas, commentitiæ sunt, falsæque; vel si quicquam probarent, sicut revera nihil probant, non solum eam impugnarent, sed quod dicis, everterent, immo suapte natura in Atheismum, universumque Pyrrhonismum impellerent. Et sane te Religionem naturalem sequi gloriaris, teque respondens Parisiensi Archiepiscopo jactas præcipua Theoremata explicasse, & probavisse. Jam licet profitearis, te scientiam hanc præclaram e Naturæ Libris didicisse, non ignoras tamen, & nunc esse, & præteritis temporibus Atheos, Deistas, Materialistas, aliosque dogmatum cum theoricorum, tum moralium hujus ejusdem Revelationis hostes fuisse, qui opinantur, naturam contra omnino docere; non es nescius, quot, qualiaque volumina variis linguis hinc, & inde de his quæstionibus edita in lucem fuerint. Demum non te latet, Bælium, aliosque ejus amicos arbitratos fuisse, in plagis sub polis jacentibus, in Africæ oris, variis in Americæ partibus, in insulis inter Molucas, & Maniolas sitis, aliisque remotissimis terris gentes moribus, & Religione carentes, & exleges, si iis credendum est, lætas, & peculiari modo virtute ornatas, probasque vitam degere. Si ergo judicio tuo, certo sciri sententia nequit, licet demonstrata satis videatur, nisi prius rationum momenta pensitentur, cur homines eam ejusmodi non ducant; id autem, ut tu judicas, sciri nequit, nisi omnes linguæ addiscantur, nisi omnia volumina versentur, nisi omnes Bibliothecæ pervolutentur, nisi omnes terrarum anguli invisantur, in quibus aliter sentiatur, contrariumque systema vigeat; in hoc autem insumendæ sunt cogitationes omnes, & vita, priusquam omnia comprobentur, conferantur, confirmenturque; eja, dic, quandonam Æmilius tuus, iique omnes, qui luctuoso suo fato, stulteve te audire vellent, naturalem Religionem tuto profiteri possent?

Sed tempus est nos ex hoc Sceptico Labyrintho egredi, ubi demonstraturi Lectoribus ejus venenati sermonis vim, quo Philosophus hic, ut nos impugnet, in se ipsum pugnat, simulque ostensuri illi, & cuicumque illum legenti, admirantique, magnique facienti, consequutionum insaniam, principiorumque fallaciam, quam arte tanta, ac magniloquentia tractat, paulisper morati sumus.

§. X. Ergo hujusmodi distortis ideis sepositis, omnium sapientium ore (quibus Pyrrhonicus tantum, hoc est vere vecors potest adversari) dicimus, quasdam veritates *juris*, *&* *facti* certissima evidentia sciri posse, quin illo linguarum apparatu, libris, Bibliothecis, itineribus, diuturnisque examinibus, quam diuturna est hominis vita, quæ omnia, ut Revelationem divinam inveniri non posse ostendat, Roussojus præter modum exaggerat. Dicimus, hujusmodi demonstrationem, sicut nos de veritate demonstrata certiores facit, ita probare, illi nonnisi paralogysmos, & sophismata objici posse; dicimus, sicut dogmata præcipua Religionis Naturalis, ita divinæ Revelationis existentiam a nobis veris demon-

monstrationibus, licet genere diversis, quoniam diversæ sunt veritates demonstratæ, confirmari. Prima, quæ sunt *juris*, demonstrationibus Mataphysicis probantur, secunda, quæ est *facti*, demonstratione *morali*, quæ ideo tamen haud illis ad persuadendum est infirmior. Itaque hæc moralis demonstratio, quæ divinæ Revelationis varias notas complectitur, quoties eo modo, quo tot præclaros Magistros sequuti in secundo Libro fecimus, homini prudenti, unamque veritatem quærenti exponatur, evidenter illi persuadet, Deum loquutum esse, Religionemque Christianam vere opus ejus esse. Qua quidem veritate cognita, haud opus est Japoniam, Septentrionalesque plagas ultimas petere, ut earum gentium superstitiones examinentur. Non est opus Arabam linguam, aut Græcam, aut Sinensem discere; omnes Libros legere, omnes Bibliothecas perscrutari, ut Religiones, aut opiniones exteræ cognoscantur, perpendantur, examinentur, & cum nostra conferantur. Sicut invicta argumenta ab hoc prudenti viro audita, & veritatem Christianæ Religionis confirmantia ab his minutis, aut magnis inquisitionibus vim non habent, ita potest ille certior esse, omnes eas inquisitiones demonstrare non posse aliunde, quam a Deo, Christianam Religionem derivari. Eodem modo (habita tamen ratione, quæ inter theorematum genera esse debet) quo sicut ad Dei ab hac mole diversi, rerumque omnium Creatoris, & Moderatoris existentiam cognoscendam, non oportet Ethicæ Spinosæ navasse Operam, examinasse antiquorum, nuperorumque Dualistarum sophismata, Hobbesii Libros nocturna versasse manu, versasse diurna, Ottentotorum, aut Irochesium percurrisse regiones, quandoquidem earum veritatum demonstrationes studiis, & inquisitionibus hujusmodi superiores sunt; ita ex iisdem demonstrationibus certissimi sumus, inquisitiones, studia, itinera, aut lectiones posse quidem imbecillam mentem, & ad hæc controversiarum genera minime instructam perturbare, sed nunquam a recto tramite deducere, & efficere, ne illis theorematibus assentiatur. Concludamus ergo, ingentem illum difficultatum apparatum, quas Philosophus noster exaggerat, ut ostendat, Revelatæ Religionis cognitionem haberi non posse, esse Pyrrhonismum, quia si quid valeret, systema suimet Auctoris everteret, ac destrueret; deinde vero quia certissimæ, perspicuæque divinæ Revelationis probationes quibuslibet inquisitionibus superiores sunt. Itaque hæc & cognosci potest, & cognoscitur revera evidenter, non dicam jam quin ullæ observationes, & examina fiant, sed quin illa inquisitionum farrago ejusmodi ut imbecillam tantum mentem, non vero hominem prudentem, doctumque commoveant, necessario sit adhibenda.

Quamquam in veritatis decus, & in ejusdem hostium dedecus dicere audacter possumus, quæcumque argumenta potuerunt ex iis deduci fontibus, quos Roussojus indigitavit, utcumque examinentur Libri, quæcumque notitia ex antiquis monumentis haberi possit, quæcumque auxilia suppeditare potest exterarum linguarum cognitio, quot ex itineribus inquisitiones, observationesque in Religiones omnes terrarum fieri possunt, quidquid demum ab Ortu Solis ad Occasum usquam est, quod ad hanc Revelatæ Religionis controversiam quovis modo pertinere possit, omnia, & singula severa in trutina castigata sunt, perpensa, examinata; quandoquidem ut sæpius diximus, nec provocari timet, nec examinari recusat; & nedum argumentum, quod illam labefactet, hinc deducatur, omnia immo eam confirmare ostendimus. Conviciis, dicacitate, scurrilitate, petulantia, usi sunt, utunturque adversarii nostri; hæc illorum arma sunt validissima, argumentum vehemens, perspicuumque, quod Revelationem divinam evertat, quamvis tot fontes, e quibus illud eruere possint, se habere dicant, nec hactenus protulerunt, nec unquam in aciem producent.

§. XI. Ergo modo ad tertium Roussojanæ accusationis Religionis Revelatæ afflictæ caput transeamus; speroque, ejusdem, ac reliqua capita, hoc quoque roboris, me esse ostensurum. Postquam ergo ille quasdam divinæ Revelationis notas dubias reddidit; postquam quam difficile sit eam invenire, exaggeravit, putat, se posse inferre jure, homines ad eam sequendam non obligari, ac proinde posse quemque ad libitum eam Religionem, quæ

quæ sibi potius arriserit, amplecti. Nos tamen contra arbitramur jure argumentari ita posse: Dubitationes tuæ insanæ sunt, difficultates ad artem auctæ, nec illæ, nec hæ vel separatæ, vel conjunctæ divinæ Revelationis existentiæ demonstrationem evertunt, aut quidquam infirmant. Ergo illa vera est: ergo (audi consequentiam alteram) illa una necessario colenda est. At quomodo probatur, inquies, hæc consequutio a me negata. Eccum tibi illum. Hæc divina Revelatio, cujus existentia a nobis demonstrata est, & *argumentis ejusmodi* est demonstrata, quæ tu ipse *impugnare te non posse fateris* (*pag.* 164.); hæc, inquam, perspicue nos docet, *non esse in alio aliquo salutem; nec enim aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oportent nos salvos fieri*. Act. IV. 12. Nos docet, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvum futurum, qui vero non crediderit, condemnatum iri*. Marc. XVI. 16. Nos docet *sine fide impossibile esse placere Deo*. Hebr. XI. 6. Nos Docet, *qui credit in eum, non judicandum, qui autem non credit, jam judicatum esse, quia non credidit in nomine Unigeniti Filii Dei*. Joan. III. 18. Ergo illa ipsa invicta argumenta, quæ nobis divinam Revelationem veram ostendunt, ostendunt etiam divina auctoritate fallere nescia illam unam esse sequendam. Quid ais? quid respondes? *Nego solum* (sunt hæc ejus verba) *teneri homines ad eam agnoscendam*; *hæc enim obligatio cum Dei æquitate stare nequit* (*a*). Tu ergo es ille, qui audes Deo respondere, & definire, quod ille aperte jubet, cum justitiæ legibus congruere non posse? at quem ducem sequeris, ut ita judices? Rationem meam, inquis, quæ est Dei donum. Pulchre quidem; sed dono hoc, repono, putasne, te divina consilia comprehendere, & de illius judiciis judicare posse? Potes quidem, debesque ratione inquirere, num sit loquutus, num jusserit; at nec potes, nec vero debes sine maxima cum impietate, tum vesania ad examen vocare, multoque vero minus damnare id, quod ille dicit, quod ille jubet. Quamquam audiamus, quæso, sublimia theoremata illa, quibus contra ac Deus imperat, acutus Censor hic putat, obligationem divinam Revelationem agnoscendi congruere cum divina justitia non posse. *Hæc* (inquit ille) *ne dum obstacula ad salutem removeret, ea multiplicasset* (*b*). Verum ita loqui potest ille unus, qui non intelligit, quid significet *homo*, quid significet *Salus*, quid significet *Christiana Religio*. Alibi demonstravimus, non posse hominem rationis suæ lumine nec omnia officia sua cognoscere, nec gravissimorum malorum remedia detegere, nec modum, quo ad beatitatem suam perveniat, reperire. Ostendimus, lumine supremo ad hæc omnia consequenda opus esse, quod solum potest homini hæc suppeditare præsidia; talisque, ut probavimus, est Christiana Religio. Jam qui ait, quicumque hominem adstringit, ut hanc Religionem agnoscat, in qua una potest salutem suam & invenire, & consequi, eum eidem homini ad salutem obstacula multiplicare, ea cogitat, ea dicit, quæ Libertini nostri, aut illi omnes, qui in Epicuri hortis, aut in Mahumedis Paradiso beatitatem collocant, & cogitant, & dicunt. Urget nos tamen Roussojus, explicatque confirmatque cogitationem suam, argumento illo, quod ut patet, ille invictum putat. Ergo postquam dixit, hanc divinæ Revelationis agnoscendæ necessitatem, potius quam obstacula ad salutem tollat, multiplicaturam ea fuisse, pergit e vestigio dicere, eam *maximæ humani generis parti illa insuperabilia fuisse effecturam* (*c*). Hic illegentes Silvestres spectat, quæ aut idololatriæ, aut Maumedismi erroribus involvuntur, quibus Evangelium non est annunciatum. Has ille fuse percenset (*pag.* 135.) & ex *insuperabili* earum ignorantia demonstrationem quamdam deducere arbitratur, qua ostendat Religionis Revelatæ cognitionem sub æternæ damnationis pœna non esse justam, id enim, ejus judicio, nullo pacto cum Dei justitia

(a) *Je rejette seulement l'obligation de la reconnoître, parce que cette obligation prétendue est incompatible avec la justice de Dieu*. p. 164.

(b) *Cette obligation prétendue . . . . . loin de lever par-là les obstacles au salut, il les eut multipliés*. ibid.

(c) *Il les eut rendus insurmontables pour la plus grande partie du genre humain*. Ibid.

tia congruere posset. Hic enim vero se triumphare putat, nosque etiam ultro lacessit, ut argumento respondeamus, quo nos opprimere confidit; scilicet nos nostro systemate Deum, crudelem, & absque misericordia facere. Ita nimirum scribitur, cum aut non intelliguntur, aut intelligi nolunt quæstiones, de quibus scribitur. Nos dicimus, immo Evangelium ipsum id dicit, neminem extra Catholicam Religionem salvari. At non dicimus (neque nos Roussojus insimulare potest) quemquam Ethnicum hac una de causa damnari, quod Evangelium ignoraverit. Damnantur Idololatræ, damnantur Mahumedani, aliæque tot infideles nationes propter sua infanda scelera, quibus rationis præcepta lædunt, legesque ipsas naturæ violant, damnantur. Jam sicut his gravissimis criminibus jure damnationem merentur, ita jure eos modos subduci a se merentur, quos Deus, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*, iis dedisset, ut Jesum Christum cognoscerent, quod est solum *nomen sub Cœlo datum hominibus*, in quo divinitus æterna salus haberi potest (a). Quid habes, quod his opponas, Roussoj? Estne hoc Deum crudelem facere, aut injustum, quod nobis immerito objicis? Atque ita responsum volumus illi tuæ terrificæ quæstioni, cui *ad respondendum omnes totius Orbis Intolerantes lacessis*, quia id est, *si Christiani filius bene agit, cum haud magno examine habito, Patris sui Religionem sequitur, an Turca filius male aget eodem modo Parentis sui Religionem colens?* (b). Respondemus, primum quidem bene agere, quia in patria Religione præterquamquod nihil videt, quod rectæ rationi naturæque legibus repugnet, in illa jam Christum fontem unum, Auctoremque salutis agnoscit. Male alter agit, quia in patria Religione, multa sibi vel jubentur, vel permittuntur rectæ rationi, naturæque adversantia, neque in illa Auctoris unius fontisque salutis, qui est Christus Jesus, notitia ulla habetur. Ideo autem eum non cognoscit propter obicem, quem divinæ Clementiæ ponit, qua si pro virili parte sua hic naturæ leges sequi conaretur, Deus etiam singulari modo, si opus fuisset, eum illuminasset (c). Ita argumentum solvimus; hæc doctrina nostra est. Scio, te insolitum modum hunc, quo dicunt Theologi, Deum etiam per Angelum, si opus esset, Ethnicum illuminaturum, si ageret quantum vires suæ patiantur, ut rationis sequeretur lumina, irridere; scio, inquam, te solutis cachinnis irridere (*pag.* 162.): at non satis est ridere, mi Roussoj, ostendere oportet, id nullo modo fieri posse, ut inde inferas, necessitatem divinam Revelationem agnoscendi stare simul cum Dei justitia non posse; nosque facere Deum crudelem, cum Mahumedanum, qui Religionem patriam excolit, quia illam examinet, damnari dicimus. Ex eo ipso fonte, unde necessariam ad salutem Christi agnitionem dicimus, deducimus culpa sua eum ignorantes damnari; Deum etiam modis miris usum fuisse non semel, ut Ethnicos e tenebris ad admirabile lumen suum vocaret. Legat Censor Capita X. & XVI. Actorum Apostolicorum, risusque sui se pudebit.

§. XII. Atque ita aggressionem tertiam, qua oppugnare Revelatam Religionem conatus est Æmilii Auctor, refellimus. Aliquid dicendum esset de eo, quod quarto loco objicit; hoc est omnem Religionem esse bonam, & unumquem-

(a) Egregie breviter rem exponit D. Thomas ad Cap. X. Epist. ad Romanos Lectione III. *Numquid ergo illi, ad quos non pervenit* (prædicatio Evangelii) *utpote si fuerint nutriti in silvis, excusationem habent de peccato infidelitatis? Ad hoc dicendum est, quod secundum sententiam Domini, quæ habetur Jo. 17. illi qui loquentem Dominum per se, vel per ejus discipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis, non tamen beneficium Dei consequentur, ut scilicet justificentur ab aliis peccatis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel male vivendo addiderunt: & pro his merito damnantur. Si qui tamen eorum fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis prædicatorem Fidei, sicut Petrum Cornelio, Actor. 10. & Paulum Macedonibus, ut habetur Act. 16.*

(b) *Si le fils d'un Chrétien fait bien de suivre sans un examen profond & impartial la Religion de son pere, pourquoi le fils d'un Turc feroit-il mal de suivre de même la Religion du sien? Je défie tous les intolérans du monde de répondre à cela, rien qui contente un homme sensé.* p. 161.

(c) *Postquam mysterium Christi completum est, & corporaliter, & visibiliter prædicatum, omnes tenentur ad explicite credendum: & si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex sua culpa remaneret.* S. Thomas in III. Sent. Dist. 25. quæst. XI. art. 2. quæstiunc. 2.

quemque eam sequi posse, in qua est, modo *Intolerantiæ*, aut quodvis aliud mori oppositum dogma non profiteatur. Sed hæc propositio ex confutatis erroribus derivata cum a nobis jam confutata fuerit, impietatem horroremque ejus jam Lector novit. Si Deus Religionem revelavit, interminatusque est omnibus æterna supplicia, nisi eam sequerentur; indifferentia quoad Religionem jam sublata est, quique hanc non colit, jam periit (a). Jam dari hanc Religionem Revelatam ejusmodi argumentorum genere, quæ Roussojus ipse fatetur, se *refellere* non posse, probavimus (b). Objecta autem quibus ait se *nescire facere satis*, circa quæ indifferens esse vult (hoc est summe incredulus): hæc, inquam, deducta sunt e *dubiis*, in quæ quasdam Revelationis notas vocat, a *difficultatibus*, quas ille exaggerat, demum a repugnantia, quam ille putat esse inter necessitatem ejus sequendæ, & *Dei justitiam*; hæc objecta, inquam, quæ magna ex parte *Roussojanam actionem* componunt, nisi meus me fallit amor, omnino dissolvimus. Ergo hæc una Religio a Deo Revelata colenda est, ut salus habeatur, & quæcumque alia ut superstitiosa, ut letifera est fugienda.

Ne grave sit Lectori paullisper etiam hujus Philosophi doctrinam considerare. Etenim clarius cognoscet, quod demonstramus; nempe mirandam, luctuosissimamque Incredulorum nostrorum rationis perturbationem esse. Itaque Roussojus *omnes Religiones peculiares veluti salubria instituta, quæ in quavis regione modum concordem, publico cultu Dei colendi præscribunt, habet. Eas omnes bonas putat, cum Deo convenienter servitur; essentialis cultus*, inquit ille, *est cultus cordis; Deusque nunquam ejus tributum respuit, cum est sincerum, quocumque modo sibi præstetur* (c). Hinc vult, æque bene *filium Christiani ac filium Turcæ agere sequentem utrumque suorum majorum Religionem*.

Hæc, ut neminem latet, est propositio illa, quæ summopere Bælio arridet, valde Pyrrhonismo universo accommoda; pro qua pluribus in locis copiose disputat. Ille multitudinem Religionum modo cum artium varietate, quæ & pulchritudini, & utilitati Civitati sunt, comparat; modo multitudini vocum, instrumentorumque, quæ varietate sonorum, modorumque concentum ita gratum efficiunt, ut una vox videatur. Vestigiis Roterodamensis magni Pyrrhonici insistunt minutili Philosophi Libertini, Voltærus, Marchio d' Argens, Auctores Morum, Epistolarum Persicarum, Peruvianarum, aliique tales de hac re idem sentientes; eumque cum in aliis capitibus superius expensis, tum etiam in hoc Roussojus sequitur. Quamquam sententia quascumque religiones bonas, salutiferasque dicendi nova non est; sed etiam ab antiquis Philosophis quibusdam recepta fuit, & hæc nimirum erat eorum erroris, immo pestiferi deliramenti perspicua nota. Et sane opus est diuturna seriaque meditatione, ut colligatur, opinionem hanc directe impugnare, immo de medio Deum ipsum tollere, quem coli omnibus in Religionibus dicunt? Quis enim Deus erit unquam hic, cui tantæ, tamque absurdæ superstitiones arridere possint? Si Deus est, est ens quovis perfectionum genere infinitum. Non potest ergo ille veritatem non amare; non potest non abhorrere mendacium. Jam sicut veritas est una tantum, una etiam, solaque potest esse Religio verax, mendacesque erunt aliæ omnes huic adversæ, infestæque. Illa ergo, quæ vera est, una, solaque esse Deo grata potest; Alias omnes ille odit, detestaturque. Quod si ita est, qui poterunt esse, *& bonæ*, *& salutiferæ* homini, si Deo salutis Auctori, distributorique odio sunt? Scripserunt quidem Philosophi ejusmodi, ut iis libet, Epistolas, Specimina, Dialogos, Commentarios; at his argumentis, quæ æque eorum errorem; contuma-

ciam-

(a) *Qui non est mecum contra me est*. Matth. 12. 30.

(b) *Si je vois en sa faveur* (de la Revelation) *que je ne puis combattre; je vois aussi contr'elle des objections, que je ne puis resoudre*. p. 164.

(c) *Je regarde toutes les Religions particulieres comme autant d'institutions salutaires, qui prescrivent dans chaque pays une maniere uniforme d'honorer Dieu par un culte public.... Je les crois toutes bonnes, quand' on y sert Dieu convenablement. Le culte essentiel est celui du cœur. Dieu n'en rejette point l'hommage, quand il est sincere, sous quelque forme, qu'il lui soit offert*. p. 189.

etiamque patefaciunt respondere non poterunt.

§. XIII. Facile porro hic erit cognoscere, *Intolerantia* notam tantopere adversariis nostris invisam, peculiarem Catholicæ Religionis notam nostræ fidei esse maximæ gloriæ, laudique, utpote quæ ejus veritatis necessaria, & illustrissima est consequutio. Sicut contra *Tolerantia*, quam aliæ Religiones admittunt, est eorum falsitatis epidicticum argumentum. Non enim potest esse conventio inter lucem & tenebras, inter Christum & Belial. Id cognoverunt, ut docemur a Lampridio, etiam idololatræ Sacerdotes, tum cum Imperatori Alexandro etiam Christo, sicut & aliis Numinibus, Romæ extruere Templum volenti, id fieri non posse, dixerunt; quandoquidem Christianorum Deus cum aliis Diis societatem inire non vult, sed vult coli solus. Quapropter si Romæ ejus cultum statuis, nulla alia Religio hic esse poterit, quam Christiana; Templaque, Deorumque Romanorum cultus deserentur (*a*). Insignis nota hæc, & ex essentia Deo conveniens ejus Religionis etiam nota esse debet. Nos ergo *Intolerantes* sumus. Ita; & nempe tales sumus, quia scimus, nos Religionem a Deo Revelatam profiteri, & in Ecclesia Christi Jesu columen veritatis esse. *Religiosum* fœdus cum quavis alia secta inire non possumus, quin aut de veritate nostrę dubitemus, aut veritatem, mendaciumque simul componamus. Scimus nos insistere viam unam, munitamque ad salutem. Debemus ergo & credere, & iis omnibus, qui hunc cursum non currunt, æternum exitium indicere. Non odium, aut furoris impetus nos agit, quod nobis adversarii nostri objiciunt, sed spiritus veritatis. Et sane hac *Intolerantia*, quæ dicitur, & est *Religiosa* damnamus quidem quemlibet errorem doctrinæ, quam profitemur, adversum: at non odio habemus errantes; immo eos amamus, & per nos non stabit, quominus eorum salutem curemus. Hinc est, quod hæc eadem *intolerantia religiosa*, nota individua, & de essentia veræ fidei potest stare simul, & reipsa stat cum *tolerantia civili*, cujus usus a Reip. Moderatoribus temperatur. Quapropter omnino ejurarit, oportet, honestatem, pudoremque Philosophus noster, qui Bælium sequutus hæc audet scribere (*b*): *intolerantia dogma esse horriferum dogma; quod homines unos in alios excitat, quod humanique generis hostes efficit: distinctionemque tolerantia civilis a tolerantia Theologica, esse puerilem, & nugatoriam; has duas tolerantias a se invicem separari non posse, neque unam sine alia admitti posse; & fore, ut spiritus ipsi beati pace non fruerentur viventes cum iis hominibus, quos viderent Dei inimicos*. Unus ex his locis satis, superque ingenium nostrorum adversariorum, eorumque desperatam causam patefacere mihi videtur. Non vacat hic principe studio caput hoc pertractare, quod quidem & contra hos petulantes Philosophos, & contra Protestantes strenue, & feliciter facere possemus. Videt, quicumque in meridiana luce non cæcutit, indolem, principia, finesque tolerantiæ utriusque. Videt *intolerantiam Religiosam* in intellectu consistere, qui cum constanter credat fidei dogmata, non potest quocumque modo errores contrarios non reprobare, & non damnare. At vero *civilis tolerantia* ex voluntate nascitur; eosdemque errantes, & humanitatis, societatisque in eos officia respicit. Jam ut sciamus num cum Religiosa tolerantia componi possit tolerantia civilis (modo adversarii in partem contrariam nos non impellant) haud opus babemus ad Angelos confugere. Ad prima Ecclesiæ sæcula oculos convertamus, quibus acerrime eos Christianos damnasse omnes Ethnicas superstitiones, & simul esse veneratos Reges, & omnia officia civilia idololatris civibus præstitisse

(*a*) In vita Cap. XLIII. *Christo Templum facere voluit Alexander Severus, eumque, inter Deos recipere. Sed prohibitus est ab his, qui consulentes sacra, repererant, omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, & templa reliqua deserenda.*

(b) *C' est ce dogme* (de l' intolerance) *horrible, qui arme les hommes les uns contre les autres, & les rend tous ennemis du genre humain. La distinction entre la tolerance civile, & la tolerance Théologique est puerile, & vaine. Ces deux tolerances sont inseparables, & l' on ne peut admettre l' autre. Des Anges même ne vivroient pas en paix avec des hommes qu' ils regarderoient comme les ennemis de Dieu, pag. 172.*

tisse videbimus. Hinc ad omnia Ecclesiæ sæcula transeamus, & innumera exempla detegemus.

§. XIV. Ut autem ad institutum iter redeamus, dicimus, sententiam hujus Philosophi, hoc est *omnes Religiones esse bonas, & salutiferas, & unumquemque posse sequi sectam patriam*, esse falsam, impiamque, cum damnetur ab Evangelio, cujus divinitatem jam demonstravimus. Dicimus præterea, etiamsi Revelatio jussum Religionem unam tantum sequendi nos non docuisset, tamen Dei cognitionem Sanctissimi, & Sapientissimi hanc opinionem falsitatis, & insaniæ arguere. Cum enim suapte natura instituta Religio sit, ut honor, cultusque supremæ illi majestati præstetur, oportet, eam præclarissimis attributis nudare, ut dicamus, æque per veritatem, & mendacium, per vitium, virtutemque honorem illi fieri. Neque dicere prodest quicquam, *cultus essentiam esse in corde, Deum nunquam rejicere tributum, cum est sincerum, quocumque modo illi offeratur*. Nugæ, itaque meræ. *Cordis cultus necessario* intellectus sensis dirigendus est: ex his aut castis, aut improbis castus ille est, malusve. Si intellectus sensa sunt justa, veraque, cordis tributum, quod Deo datur, sanctum est, integrumque; si sint distorta, falsaque, etiam tributum superstitiosum est, ac deforme. Sicut ergo mentis veritas una est, unum potest esse cordis tributum Deo gratum. Utcumque ergo Hebræus, Mahumedanus, & Idololatra quicumque in amoris effectus, cultumque se effundat, irrita sunt omnia; quin immo omnia Deus odit, detestaturque, quippe quæ omnia mendacio, sententiisque falsis aut de Divina Natura, aut de ejus Unitate, aut Veracitate, aut Sanctitate, aut Potestate, aut aliis attributis diriguntur. Quod si ita est, ex hactenus dictis Lector colligat, si Roussojus fatens, se objecta divinæ Revelationi adversa solvere nescire, prodit, ut moderatius loquar, sui intellectus infirmitatem; intendentem omnes Religiones *bonas, salutiferasque* ostendere, rationis suæ luctuosissimam perversitatem in aperto ponere. (a)

(a) Examinandum esset elogium, quo cum illa scripsisset in Revelationem Roussojus, laudat Evangelium: sed adeat Lector partem tertiam hujus Libri, ubi de hoc Philosopho loquemur.



CAPUT SEXTUM.

Alia objecta Naturalistarum examinata, & soluta.

I. *Specimen Criticæ Philosophi boni sensus de Historia Moysis.*
II. *Aliud specimen Ethicæ Evangelicæ ex* Epistolis Judaicis *sumptum. Roussojus cogitat æque bene.*
III. *Naturalistar. censura in ritus Christ. Relig.*
IV. *Digressio, qua confutatur Epistola Middletonis Angli Hæretici de similitudine inter Cæremonias Ecclesiæ Catholicæ, & ritus Ethnicorum.*

§. I. Cum objecta, quæ velut pestiferum virus celebris Philosophus Jacobus Roussojus in notas divinæ Revelationis diffundit, ut, si qua ratione fieri posset, eam imperitis dubiam faceret, ac in suspicionem adduceret, dissipaverimus, opportune ad examen revocare alios errores, fraudesque, quibus eodem consilio alii Increduli Scriptores utuntur, nobis posse videmur. Possent hi jure ac merito Prothei, Vertumnive dici, tot vultus mutant in hoc certamine. Simulant interdum Sacrorum Voluminum Revelationem se venerari; at quasdam difficultates, quas *Inconciliabiles*, & *Insuperabiles* dicunt, more suo exaggerant, sacrisque Litteris objiciunt. Interdum, idque sæpius, in moralem Religionis Christianæ disciplinam invehuntur; interdum sale, acetoque Italo ejus cultum perfundunt,

dunt, modo acerbe disciplinam insimulant, modo dicteriis, convitiisque ejus Ministros proscindunt. Quæ omnia ridicule exposita, intermixta malignis fabellis demonstrant, Scriptores hosce in divinam Revelationem plusquam hostili odio rapi. Aliquod specimen afferamus. Auctor Philosophiæ *boni sensus* in §. 4. ostendere sibi proponit, *quam incerta sit in suis principiis historia*, (*a*) aitque: *nos eorum, quæ usque ad Diluvium evenerunt, nullam notionem habere aliunde, quam a Moysis libris. Nam si alios historicos consulere volumus, qui antiqua tempora nobis tradunt, si Sinensium, aut Ægyptiorum annales admittere velimus, Genesim ut librum apocryphum rejicere debemus; etenim hujus nationis Scriptores principium historiæ a pluribus annorum millibus ante Mundi creationem capiunt. Vetat Fides, & Religio curiosius quæstionem hanc investigare.* Pulchre mehercule dictum, & sapienter. Sed interim ad paginæ calcem, & in textus progressu ore rotundo illa affert, quæcumque sua sententia Moysem quoad Creationis Mundi Epocham ad Diluvii inundationem, quanta fuerit, ad primos terrarum incolas, ad Imperiorum institutiones, refellere possunt. Itaque profert longa venenata loca Lengleti desumpta ex celeberrimis ejus scriptis a Beyero conservatis, alia *Exploratoris Turcæ*, alia Auctoris *Epistolarum Judaicarum* (hoc est sui ipsius) qui omnes sacros libros dubiæ fidei faciunt. Præcipue vero de Israelitarum ex Ægypto exitu, de eorumdem siti restincta, loca Taciti refert. cujus, inquit ille, *auctoritas est magni ponderis*, ut ab Hebræo Scriptore narrata prodigia de medio tollat. Ita autem ille per contemptum concludit, (*b*) *Auctores Judæi nos certos faciunt de factis ab Ægyptiis aliter narratis. Specie tenus hi vera narrare videntur, at Religio ab aliis stat*; etiam qui non norunt quid distent æra lupinis, vident, quo intendat qui ita scribit. Quid aliud animo intendit, nisi efficere, ut mulier, quam alloquitur, aliique ejusdem ingenii Lectores, dubitent de Sacri textus auctoritate? At respondeat hic *boni sensus Philosophus*: An sibi persuadet, Moysis Libros esse divinitus revelatos, necne? Si putat revelatos esse, ergo omnia monumenta, quæ affert, nullam habent auctoritatem: Deus loquutus est. *Ille unus est verax, & omnis homo mendax.* Ergo Annales Sinenses, Ægyptiique cum Moysi contradicunt, fabulas narrant; delirat Maneto, errat Tacitus, Lengletus comminiscitur, Irrisor est *Epistolarum Judaicarum* Scriptor, omnesque eorum difficultatum nodi contra Dei vocem sophismata sunt, & deliramenta prorsus indigna; quæ audiantur. Hæc omnia consequentia necessaria sunt, quæ ex illa propositione recta ratio colligit. Ergo magno cum pondere afferre contra Sacram Scripturam superius dictas ineptias nihil aliud est, quam magno conatu magnas nugas agere.

Sin autem Philosophus noster *boni sensus* per jocum tantum appellat *Sanctos* Sacræ Scripturæ Libros, semetipsum mendacii arguit, cum dicit, (*c*) *standum esse eorum auctoritati*, quandoquidem eos non Revelatos dicit; tunc autem respondere cogitur primum clarissimæ demonstrationi, qua probatum a nobis fuit, divinam Revelationem dari, causam unam proferendo, quæ eorum phænomenorum, quibus Sanctorum Librorum doctrina confirmatur, complexum explicet: Quod ille nec præstitit, nec præstare unquam poterit. Quod si quispiam diceret, objectis a se propositis intendere Philosophum hunc divinæ Revelationis argumenta confutare, respondeo, hujusmodi ejus consilium ejus perversitatem rationis confirma-

 re.

(a) Reflex. I. §. 4. *Incertitude de l'Historie dans ses commencements. Nous n'avons jusque au deluge, aucune idée de ce qui est arrivé, que dans les livres de Moise; car si nous voulons consulter les autres Historiens, qui peuvent nous instruire des tems plus eloignés, & si nous nous arretions aux annales des Chinois, ou des Egyptiens, nous serions obligés de rejetter la Genese comme un Livre apocryphe, puisque les Ecrivains de cette nation font remonter les commencemens de leur Histoire à plusieurs milliers d'années avant la Création du Monde. La Foi, & la Religion nous obligent à ne point approfondir cette question.*

(b) *Les Auteurs Juifs nous assurent des faits dementis par les Egyptiens. L'apparence semble être pour ces derniers: mais la Religion parle en faveur des autres.* ibid.

(c) *La seule soumission, que nous devons aux Livres Saints, peut autoriser cette opinion* (de novis populis post diluvium) *qui s'accorde peu avec la raison, quoiqu'elle ne la heurte pas demonstrativement.* ibid.

re. Etsi enim contrarias conjecturas, speciesve, ut ille loquitur, allatas refellere nesciret, interrogo, ecquis sane mentis est, qui demonstrationis vim non sentiat, aut clarissimum lumen Revelationis divinæ, quæ in Sacris libris effulget, negare audeat? Quamquam quis est in litteris tam parum versatus, qui nesciat, objecta ab hoc Philosopho arte tanta prolata innumeris Catholicorum, & Protestantium libris, ceu misertimas ineptias jam confutatas fuisse & perspicue, & strenue? Quis nescit, antiquas Ægypti Dynastias (*sibi succedentes, & non laterales*) hac ætate ab impiis ipsis earum futilitatem sentientibus inter aniles fabellas rejici? Quis ignorat, Sinensium annales, quos Libertini nunquam magni æstimassent, nisi Revelatas veritates iis impugnari posse speravissent, fuisse examinatos attente (neque enim Religio timet, ut *hæc quæstio sedulo perpendatur*) a Viris doctissimis, & præcipue peritissimis Matemathicis, a Cassinio, ab Hirio, VVosthono, Frereto, & aliis; ostensamque iis observationibus, quas *Lib. I. cap. 3. n. V.* produximus in lucem, illius argumenti infirmitatem, quod ex iis antiquitatibus, ut earum Epochis ultra Diluvium, immo ut ultra Mundi Creationem progrediantur, adversarii nostri deducunt? Quis nescit contra universum Diluvium, contra Terrarum novos incolas objecta in suppressis Lengleti paginis expolita, scurrilique procacitate ab Auctore Epistolarum Judaicarum iterum in lucem producta a Natali Alexandro (*Hist. L. Mundi Ætat. Disser. X. art. 4.*) ab Augustino Calmeto (*in Comment. in Genes.*) ut Bayerus ipse (*a*) hujus MS. custos fatetur, sæpius refutata fuisse? Quis nescit, Spenceri, & Marshami de Hebraicis ritibus eorum judicio ex Ægypto derivatis, sententiam a Philosopho nostro plausibus exceptam ab eodem Alexandro (*Hist. IV. Mund. Ætat. dissert. III.*), a VVistio (*in Ægyptiacis*), a Menkenio (*in præfat. ad Lipsiensem Marsh. Editionem*) & ab aliis bene multis funditus everti? Quis demum risum tenere potest, cum legit, Philosophum nostrum Moysi scribenti, quæ ipse in Ægypto, & in Arabiæ desertis locis, quorumque ipse pars maxima fuit, poteratque ab iis, qui eum audiebant, refelli, suismet oculis viderat, opponere Tacitum, qui Domitiano Imperante Romæ scribebat, & cujus errores de Hebraicis Antiquitatibus vel minutulis litteratis patent, & præcipue a VVormio (*de corruptis Antiquitat. Hebraor. apud Tacitum & Martial. vestigiis. Lib. II.*), & a Kirchmajero (*exercit. ad C. C. Taciti histor. Lib. V. De rebus, moribusque Judæor.*) collecti, & confutati fuerunt? Vel ergo noster *Boni sensus Philosophus* credat Sacros Libros divinitus afflatos, aut impie eos derideat, ejus scribendi ratio cuilibet bono sensui adversatur, & luctuosissimam rationis perturbationem declarat. Licet ergo imperitis nimium Credulis fucum facere possit, prudentes, sapientesque ejus commiserentur, ejusque dicta, scriptaque ut veritatis Fidei trophæum ducunt.

§. II. Aliquod tamen aliud *Boni* Naturalistarum *sensus* specimen afferamus, Evangelicam morum disciplinam, tamquam a Divino Legislatore datam nos veneramur; & quamvis alicujus præceptorum, consiliorumque rationem cognoscere non possemus (quod tamen longe secus est) imperantis auctoritas sufficere deberet, ut nos illi subjiceremur: neque Libertini ea carpendi jus aliquod haberent, nisi ostenderent, revelationis notas illis deesse; quod nec fecerunt, nec procul dubio unquam facient. Quid ergo tot eorum dicteria in odium sui, in amorem paupertatis, in fugam a sæculi voluptatibus gloriaque, in custodiam Virginitatis, & cœlibatus, & in alia Evangelica documenta, ac præcepta valent? *Epistolarum Judaicarum* Scriptor, ut quod res est vere dicam, licet ultra quam credibile est, temerarius sit, quibusdam in locis merito Christianam disciplinam laudat, & ita loquitur (*b*). *Doctores primi Na-*

(a) *Notas, & animadversiones meas simul adjicere constitueram profanam Lengleti, quam passim explicuit, mentem detestatus: verum enimvero . . . commentationi peculiari easdem reservavi. Nec unquam credidi, novi quidquam a Gallo novaturienti excogitatum: easdem hypotheses enim a multis dudum propositas, & a pluribus solide refutatas fuisse, nonnisi harum rerum incuriosi nesciunt.* Memor. Histor-Crit. Libror. rarior. §. 65. pag. 168.

(b) *Les premiers docteurs Nazaréens ont preché une doctrine si conforme à l'equité, & si utile à la societé, que leurs plus grands adversaires conviennent aujourd'hui, que leurs preceptes moraux sont ins-*

Nazaræi doctrinam æquitati consonam, & societati tantopere utilem prædicarunt, ut acerrimi eorum hostes dicant, eorum moralia præcepta infinite sapientissimorum totius antiquitatis Philosophorum præceptis præstare . . . Disciplina nostra (Hebræa) *nescio quid ferocis habet; eorum doctrina morum divinitus tradita videtur. Bona Fides, candor, inimicorum venia, cæteraque virtutes, quæ possunt & cor, & mentem ornare, severe iis præcipiuntur. Verus Nazaræus est numeris omnibus perfectissimus Philosophus.*

Quænam nostræ disciplinæ magnificentior laus? At quomodo cum hoc elogio tot censuræ, tot satyræ, quibus Judaicæ Epistolæ in Christianam disciplinam scatent, convenire possunt? Et sane audiamus ejusdem Auctoris & hunc locum. *Ipsa* (Religio Nazaræna) *nonnisi nullius animi homines efficere posse videtur. Ejus Doctores nihil aliud quam contemptum injuriarum, paupertatisque amorem magis inculcant; amorem præterea inimicorum, & illorum, qui eos persequuntur, imperant. Hæc præcepta gloriæ notionibus, quæ vult, ut ultio injuriæ acceptæ palam fiat, omnino adversatur.* (a) Quo abiit os illud divinum, quod hanc legem ita æquitati consonam, ita societati utilem tradidit, inter cujus præcepta *hostium venia* recensetur? En loci Nazaræus, qui injurias remittit; est *perfectus Philosophus*; hic Nazaræus, qui publicam ultionem non sumit, est *animi abjecti*. Sed ejusdem Auctoris hunc etiam locum audiamus, qui cum de Alcorano, quo Mahumedes jubet, ut injuriæ condonentur, quædam dixisset, ait: *existimo, Turcam ea præcepta, quæ hoc loco continentur, exequi: nonne erit vir honestus, virtute præditus, pius, dignusque, quem omnes suspiciant? Estne ulla purior morum disciplina, quam illa, quæ imperat stipem, injuriarum veniam, quæque Dei misericordiam harum virtutum usu mortales consequi docet?* (b) Nos itaque ex uno, eodemque Auctore, in uno eodemque Libro habemus Alcorani jubentis *injuriarum veniam disciplinam integerrimam*; Legem Christianam, quæ *amorem inimicorum* imperat, *nonnisi pusillanimes homines alere*; Turcam ignoscentem *dignum esse, qui ab omnibus suspiciatur*; Christianum ignoscentem *omnes gloriæ notiones repudiari*; demum verum Christianum, injuriarum obliviscentem esse *Philosophum perfectum*. Archimedes ipse acutissimus ille Geometra, qui ajebat se terrarum globum parvo momento libraturum esse, opinor, has propositiones ita discordes nunquam inter se concordes facere potuisset. Adeo verum est, *rationis perversitatem* Religionem impugnantium esse notam veram; & ut veritatem quis impugnet, opus esse, ut sibi contradicat. Tenorem hujusmodi cogitandi in celebri Philosopho Roussojo invenies, qui tamen gloriatur, se unam veritatem inquirere, & *verissime mortalium omnium hujusce sæculi aliorumque etiam eam proferre*. Primum quidem ille in suo *Æmilio* copiose Evangelium commendat; quod quidem elogium tertia Parte hujus Libri examinabimus, & inter alia dicit, se *majestate Scripturarum opprimi, Evangeliique sanctitatem ad cor suum loqui*. Addit, *nunquam Scriptores Hebræos neque stylum hunc, neque hanc disciplinam inventuros fuisse*. At has, aliasque laudes, quæ Librum divinum decent, quid consequitur? *Hoc idem Evangelium res ejusmodi continere, quas sanus homo concipere, & approbare nequit*. Neque satis habet hæc generatim dicere: sed in Epistola ad Archiepiscopum Parisiensem (*pag. 77.*) invehitur contra omnia Evangelica præcepta, & consilia præcipue *Cælibatus, & Matrimonii*, petulantissime appellans illa, *noxia, sceptra ferrea, leges insanas*. Jam ex iis, quæ pluribus in locis diximus, quæque dicemus, hæc

infiniment au dessus des plus sages Philosophes de l'antiquité . . . Notre Morale a quelque chose de farouche; la leur semble dictée par la bouche divine: la bonne Foi, le pardon des ennemis, toutes les vertus, que le cœur, & l'esprit peuvent embrasser, leur sont étroitement commandées. Un veritable Nazaré n'est un Philosophe parfait. Let. 140.

(a) *Elle semble n'être propre qu'à faire des lâches. Leurs Docteurs leurs inspirent le mépris des injures, & l'amour de la pauvreté; ils leur ordonnent même d'aimer leurs ennemis, & ceux, qui les persequutent. Ces préceptes sont directement opposés aux idées de la gloire, qui veut, que l'on se vange avec éclat d'un affront, qu'on a reçu aux yeux du public.* Let. 48.

(b) *Je suppose, qu'un Turc suive les preceptes contenus dans ce passage: ne sera-t-il pas honnête homme, vertueux, pieux, & digne de l'estime de tout l'univers? Est-il quelque Morale plus pure, que celle, qui recommande l'aumône, & le pardon des offenses, & qui fonde la miséricorde de Dieu sur l'exercice de ces vertus?* Let. 84.

dicteria, conviciaque prorsus confutantur, Hic a nobis recensentur tantum, ut idearum mira consensio, methodusque omnino insolita horum Philosophorum appareat, qui eo sunt progressi, ut in mente hoc systema habeant, in quo *affirmatio*, & *negatio de eadem re*, *Sanctitas*, & *improbitas*, *divinitas*, & *insania* simul colligata continentur. Fierine potest, ut quidam horum Librorum, vel potius adversariorum impietate, vesaniaque permixtorum decus verum non videant?

§. III. In quæ vero ingenii sui nervos omnes Naturalistæ intendunt, cultus, disciplina, ministrique Christianæ Religionis sunt. *Fortasse Deo*, (inquit (*a*) unus eorum) *non minus diversi cultus displicent, qui sibi diversis in Religionibus præstantur, quam ille qui est in Romana Ecclesia, in qua quidam Religiosi viri noctis concubio, quidam diluculo, alii canunt, alii recitant matutinas horas.* Novum recte cogitandi rationis horum Philosophorum argumentum est hoc. Tributa, seu *cultus exterior est professio quædam cultus interioris, quo Deus colitur Fide, Spe, & Caritate* (*S. Thomas 2. 2. q. 93. art. 2.*) hoc est sensorum, affectuumque, quos homo in Deum habet. Si hi (ut ostendimus capite præcedenti, & alibi) veri sunt, innocuique, cultus rectus est; sin falsi, malique, cultus est superstitiosus. Jam quomodo potest æquis oculis Deus respicere cultuum differentiam, qui illi in diversis Religionibus habentur, si omnes præter unum falsa sensa animi, pravosque affectus in Divinitatem testantur? Cum igitur probavimus, quod sane fecimus, unam Christianam Religionem a Deo esse revelatam, dicteria, conviciaque omnium Naturalistarum, & impiorum in nostras cæremonias, ritusque, eumque exteriorum actuum complexum, qui ab Ecclesia approbati cultum nostrum constituunt, per se corruunt. Necessaria enim illatione cultus noster legitimus est, est innocens, sanctusque, cum interiorem cultum, qui verax est, quia derivatur, regiturque a Dei revelatione, profiteatur. Horum ergo cogitandi rationis fallacia perspicua est, cum mordere, & deridere corollarium velint, quin theorema illud jam demonstratum, a quo deductum fuit, audeant impugnare. Non sum nescius, eos sententiam suam confirmare, se posse credere, si nostrorum rituum cum Ethnicorum cæremoniis convenientiam exaggerent; proinque putant eos se posse jure decidere, & ut superstitiosos repudiare; Auctorque præcipue Epistolarum Judaicarum hinc sæpius eos amaris satyris proscindendi ansam arripit. Et sane Protestantes Hæretici in Catholicam Ecclesiam male animati, gloriari possunt, se Libertinis viam stravisse. Quidam Mussardus Genevensis præterito sæculo librum composuit (*b*), *ut cæremonias Romanæ Ecclesiæ esse desumptas ab Ethnicis* ostenderet. Hoc idem David Meyerus, Forbesius, Val-Kenierus, Ovvenus, Rivetus, Juræus, Zimmermannus, aliique, quos Fabricius (*c*) (*Bibliograph. Antiquar. cap. 4. n. 7.*) recensuit, qui omnes speciosissimis titulis *Papatus Ethnicismo gravidi*, *Romæ cum Ethnicismo fœderatæ*, *Ethnico-Pontificia conformatio*, aliisque similibus inscriptos libros in nos ediderunt. Inter hos quidam Olmeadus (ut refert idem Fabricius ibidem) Anglus, postquam centum & quadraginta capita, quibus *Papatus* cum *Ethnicismo* ejus sententia congruit, proferre conatus est, pergit porro, aliisque septem, & decem capitibus (o lepidum caput!) illum hoc etiam pejorem esse, probare satagit.

§. IV. Silentio hic tamen præteriri non potest Middletonus qui in Litteraria Rep. nomen ingens sibi comparavit Ciceronis vita in lucem edita. Ille in Epistola Romæ data, & in Præfatione pe-

(a) Les mœurs. I. Partie Art. II. *Peut-être Dieu n'est-il pas plus mécontent de la diversité des hommages, qu'on lui rend dans les differentes Religions, qu'il ne l'est de ce que dans l'Eglise Romaine quelques Religieux recitent les matines à minuit, & d'autres la matin; de ce que quelques-uns les chantent, & d'autres les psalmodient.*

(b) *Conformité des ceremonies modernes avec les anciennes, où l'on prouve par des autorités incontestables, que les ceremonies de l'Eglise Romaine sont empruntées des payens*, Amsterd. 1744.

(c) *Lettre ecrite de Rome, où l'on montre l'exacte conformité, qu'il y a entre le Papisme, & la Religion des Romains d'aujourd'hui derivée de leurs Ancêtres Payens.* Habeo editionem Amstelod. præ oculis, in qua hæc Epistola simul cum longa Præfatione unita est cum Opere Mussardi modo citato.

pene prolixa ac opus, ait, se illius Urbis angulos omnes perscrutatum fuisse, totamque Ethnicam antiquitatem sus deque permiscens non secus ac eruditi quidam, qui animo videre se rati, ut somniantes, aliquem illustrantes Scriptorem, eum spectasse, aut imitatum fuisse antiqua exemplaria, quæ fortasse nunquam spectare, & imitari in animo habuit, putant comperire; Middletonus, inquam, in Ethnicorum ritibus cujusque ritus nostri antiquum exemplar se reperire credit. Hinc ille se probare hoc modo posse opinatur, Romam Papisticam, reapse esse Romam Ethnicam; cæremoniasque nostras propter hanc convenientiam *superstitiosas*, *idololatricas*, & etiam *Diabolicas esse*. Hic autem constitit, quod quibus nominibus nos magis ornaret, non habebat. Hoc tamen certo certius est, omnes hos Libros eruditionis æque plenos, ac fellis, sententia eorum Auctorum, Libertinorumque, flocci esse faciendos. Doctissimi, sapientissimique Protestantium id fatentur; e quibus Fabricium, & VVarburtonum tantum nominare placet. Quidni? An magnum est refellere apparatum tantum locorum, testimoniorumque, quibus hi Scriptores nos superare putant? Liceat mihi quæso per Lectorem, hic paulisper immorari; quod inutile non fuerit. Ac primum quidem dicamus, hanc creditam similitudinem, etiamsi sit, necessario non probare ritus nostros ex Ethnicorum ritibus derivari. Quis nescit, quod sæpissime accidit, homines cum idem ingenium habeant, de rebus iisdem idem sentire, & de rebus iisdem idem cogitare, quin hi illorum notitiam habeant. Audiamus, ut loquatur Jacobus Basnagius Calvinista magni nominis de Americanis verba faciens, quorum mores cum aliquid simile Hebræorum rituum habere quibusdam viderentur, ideo judicabant ex uno eodemque fonte eos esse profectos; (a) *non satis est apud quosdam barbaros populos quædam Judaismi vestigia reperire. Sunt enim quidam ritus, qui cum Religionibus idololatricis, & Hebræis fuere communes. Qui nimium Dæmoni tribuunt, jamdiu queruntur, eum imitatum esse supremum Numen, conanturque ejus mysteria, illiusque cultum supremi Entis cultui simillimum reddere. Sed quin ex inferis Dæmonem extrahamus, cum humanus spiritus sit ejusdem ingenii, sæpe de cultu idem sentit. Non opus est, ut idololatra omnes suas cæremonias a vera Ecclesia mutuetur. Quot idololatræ quin invicem se norint, easdem sententias de Diis habuerunt, iisdemque eosdem honores præstiterunt? .... Ita Americani Judæos imitari potuerunt, etiamsi eos non cognoscerent. Altare erectum super duodecim lapidibus, oblatio primitiarum, ratio temporum inita secundum Lunæ motus ubique locorum excogitari poterant.* Hujusce docti Protestantis locus nonne Middletonis studia, laboresque omnes evertit, qui ex tot antiquitatibus collectis, simulque conjunctis Romam Catholicam esse Romam Ethnicam ostendere vult? At propius ad rem accedamus, & cum hoc Papismi acerrimo hoste armis Auctorum Pontificatui non faventium congrediamur. Joannes Albertus Fabricius de antiquis Christianis loquens ita ait (Bibliograph. Antiquar. cap. 4. n. 6.): *fuerunt jam olim, qui Christianismum ipsum tamquam ex Judaismo, & Ethnicismo conflatum traduxerunt: quibus respondet* Kortholtus Lib. I. cap. 2. seq. *Obtrectatoris Pagani*, & Joan. Filesacus Lib. II. *Electorum pag. 155. Licet vero antiquos etiam a superstitione alienissimos Veterum Christianorum ritus magnam partem a Judaicis repetitos esse non diffitemur, ut docet* Jobus Ludolphus p. 365. *Commentar. ad Historiam Æthyop. fatemur etiam in quibusdam cum Ethnicis coincidere: tamen quod ad hos attinet, haud necesse putamus Ethnicis eos imputari tamquam Auctoribus, non magis quam*

(a) Histoir. des Juifs Liv. VI. Chap. 3. *Il ne suffit pas, qu'on trouve chez ces peuples barbares quelque trace de Judaisme; car il y a beaucoup de Rites, qui ont été communs aux Religions idolatres & aux Juifs. Ceux qui donnent trop au Diable, se plaignent il y a long tems, qu'il a imité Dieu, & tachent de rendre ses mystères & son culte parfaitement semblable à celui de l'Etre Souverain. Mais sans tirer le Demon des Enfers, l'esprit humain étant d'une même trempe, a souvent les mêmes sentimens sur la matière du culte. Il n'est pas besoin, que l'Idolatre aille puiser toutes ses cérémonies dans la veritable Eglise. Combien d'Idolatres, qui ne se sont jamais connus, ont eu les mêmes idées de Dieux, & leur ont rendu à peu près les mêmes hommages! ... On a pu de même imiter les Juifs en Amerique sans avoir commerce avec eux. L'autel élevé sur douze pierres, l'oblation des primices, & le calcul par les Lunes peuvent avoir été imaginées dans tous les pays.*

Ethnicos omnia, quæ cum nostris conveniunt accepisse a Christianis, vel etiam, quos contemptissimos semper habuere, Judæis... Atque alioqui supra cap. I. pluribus disputare me memini; illam qualemcumque convenientiam ceremoniarum consuetudinumque in sacris valde incertum argumentum esse, ut hinc statim illas ab his quibuscum conspirare videntur, petitas esse colligamus. Hactenus Fabricius. Videat Middletonus, quanti facienda sit judicio hujus eruditissimi Lutherani ea prolixa Satyra, ut nos Idololatras, & Ethnicos esse probet. Perambulet nunc phantasia sua per Veneris Templum Paphi (lettre pag. 147.) ut in eo Ecclesias nostras præcipuas videat; & *Apollinis Delphis* (pag. 152.) *ut nostrorum vasorum lustralium exemplar inveniat. Hecuba Homeri* (pag. 176.) supplex prostrata ante *Minervam* erit proculdubio, mulierum Catholicarum venerationis in Dei Matrem exemplar. Imaginesque hujusce sanctissimæ Virginis ex Isidis (pag. 171.) aut etiam Proserpinæ (pag. 177.) imaginibus erunt exscriptæ. Demum ex Homero, & ex Virgilio, ex antiquitatibus Montfauconi, inscriptionibusque Gruteri ideam archetypam nostrorum rituum expiscetur, Reique publicæ Litterariæ propter hæc pulcherrima inveata erit magnus Apollo.

Quamquam quin ex Aquilonis insulis egrediamur, eumque Romam, Idololatriæ civitatem debitam perducamus, ubi tot fœda videret, & *ubi* (a) *pietatis amor eum arcebat ab invisendis sacris Apostolorum liminibus*, multoque magis *ab osculandis eorum successoris soccis* (vah scurrilitatem etiam Protestante honesto indignam!) in solo quoque patrio Exemplarium Ethnicorum vestigia Middletonis eruditio reperire poterat. Quidni? Nonne in supremo Ecclesiæ Anglicanæ capite *ἱερεὺς*, ille *βασιλεὺς*, immo illa *ἱερεῖα βασίλισσα* apud Græcos sese illi oculis objiciebat? Quod nomen primum Romæ reges gesserunt; quodque cum Pontificis Maximi titulo Augustus summopere concupivit, succedentesque alii Imperatores omnes sibi sumpserunt, quod ex nummis, & inscriptionibus docemur. Annon in sua Ecclesiastica Hierarchia videre poterat *flamines Majores*, *flaminesque Minores*; & in ordinatione suorum Episcoporum, aut Presbyterorum nonne flaminum *inaugurationem*, per Pontificem Maximum factam agnoscere poterat? Quot exemplaria Gentilis antiquitatis non comperisset ritus, quibus in sua Ecclesia matrimonium initur advertens? Anulus, qui a *Pastore* juxta rituale suum (b) sponso datur, *anulum pronubum* in memoriam illi profecto revocasset; audiensque a Pastore hunc juberi, anulum illum *in digito quarto lævæ manus* ponere in antiquis Auctoribus, præcipueque in Plinio Romanum hujus cæremoniæ exemplar legisset. Cum autem mutuo sibi dexteram sponsi dant coram Sacerdote, illum Didonis Æneæ versiculum apud Virgilium (*Lib. 4. Æn. v. 307.*) repetivisset,

Nec te noster amor, nec te data dextera quondam
. . . . tenet

Quid plura? mutuæ interrogationes, pollicitationesque sponsorum tunc factæ; effecissent ut recordaretur, similes, ut refert Boetius, ab Ethnicis in contrahendo matrimonio, quod quidem illi *coemptionem* appellabant, fuisse factas. Videns demum, secundum sui Ritualis consilium, (c) utrumque sponsum *ad sacram Anglicanam Synaxim* accedere, ex pulcherrimo Dionysii Alicarnassæi (d) loco ostendisset, ritum hunc derivari ex illis *sacris nuptiis*, quas antiqui Romani singulari nomine iniri *confarreatione* (*φαρρεία* Græce) dicebant, quandoquidem farre celebrabantur; & in *communionem*, scribit Historicus, *illius sacratissimi*, *& primi cibi* mulieres ad maritum conveniebant. At me-

(a) *Mon zèle ne m'entrainoit point à aller visiter les sacrés seuils des Apôtres, moins encore à aller baiser la pantoufle de leurs Successeur.* Lettr. p. 133.

(b) Liber publicatum precum, & administrationis Sacramentorum aliorumque rituum, & cæremoniarum Ecclesiasticarum ad usum Ecclesiæ Anglicanæ. Londini. 1685. p. 291. & seq.

(c) *Expedit sponsos accipere sacram Communionem in sponsalibus* p. 279.

(d) *Vocabant autem antiqui sacras nuptias Romana quadam appellatione rem exprimentes, confarreationem, a farris communione.... quoniam igitur uxores in sacratissimi, & primi cibi communionem.... ad maritum conveniebant, conjunctio ista a farris communione nomen accipiebat.* Lib. II. cap. 25.

me hujusmodi ineptiarum pudet, quas per jocum potius, quam serio protuli: Libri tamen Middletonis pondus ostendunt, qui hujusmodi eruditionis plenus est, qua putat tamquam invicto argumento se probare (collatis ritibus Romanorum priscorum cum cæremoniis recentium) *Papistas* Ethnicos esse, & idololatras. Tamen, (dicendum est enim, quod res est) in veritatis decus, afferam, quæ in Anglia tota de his rituum comparationibus, quas plures Scriptores Protestantes fecerunt, & Middletonus demum post suum Roma reditum iteravit, sententia fuerit. VVarburtonus in celebri opere alibi a nobis memorato *de Divina Moysis Missione*, *ut commentitiam*, *futilemque* horum Auctorum opinionem rejicit, & inter alia hæc scribit (*a*): *cum alicujus instituti origo vult investigari, cujus ignorantur causa, multo facilius est dicere, eum populum ab alio illud didicisse, quam explicare penitus, quodnam fuerit initium primum vel rationis, vel superstitionis, quod in hunc, illumve populum morem hunc invexerit. Quot docti viri, & tempus, & ingenium insumpserunt*, ut Romam Christianam a Roma Ethnica *superstitiones suas didicisse probarent? Potuerunt quidem miram similitudinem in pluribus diversorum generum exemplis ostendere. At hinc colligere, Catholicos hos ritus ab Ethnicis desumpsisse, fateor; utcumque probabilis sit consequentia, me tamen induci non posse, ut eam falsam non judicem*. Hoc domestico testimonio, tantique ponderis commotus graviter fuit Middletonus. Quare in additamento, seu postscripta ad Epistolam suam *rationem*, qua VVarburtonus probat, Catholicos ab Ethnicis revera non potuisse ritus discere, refellere aggressus est. Haud sinit suscepti operis consilium, ut hanc controversiam examinemus: (quod spectat ad VVarburtoni rationem) satis habemus si ostenderimus Middletoni, qui ait, argumento suo *benigne omnes protestantes esse* contra Papistas *usos* (pag. 280.), testimoniis doctissimorum Protestantium, Basnagii, Fabricii, VVarburtoni, quibus alii addi possent, (*b*) ejus argumentum infirmum esse, similitudinemque rituum Catholicorum, & rituum Ethnicorum, etiamsi esset, non probare, eos ab his derivatos fuisse, atque ideo ejus Epistolam prolabi, ac ruere. Et sane (id autem secundo animadverto ad hunc doctum Scriptorem), cur dicendum non erit, quandoquidem similitudinis vestigiis insistere placet, ritus catholicos potius quam ab Ethnicis, magnam partem ex Hebraicis cæremoniis fuisse desumptos, ut & Fabricius, & alii, ut modo diximus, sunt arbitrati? Cur dicemus, thus nostrum adoleri illius instar, quod Jovi Romæ adolebatur, potius quam illius instar, quod in Altari Altissimi Hierosolymæ incendebatur? Cur magna munera, oblationesque, quas Dei Ecclesiis Catholici offerunt, illas imitabuntur (*p. 175.*) quas *Romanus Consul Apollini, & Æsculapio apud Livium* fecit, non vero illas, quas toties Populus Hebræus in Tabernaculo, in Templo a Scriptura narratas obtulit? Quod si eruditus Middletonus aliquod muliebre exemplum afferre volebat, pretiosorum munerum, quæ oblata Laureratno in Templo vidit, quin ad Homerum confugeret (pag. *176.*) ut cycladem Hecubæ Minervæ datam promeret, poterat in Exodo (*cap. 38.*) legere, mulieres Hebræas in Tabernaculum tulisse ænea specula, quibus Moyses in Religionis usum magnum vas constituit. Quod quidem factum, opinor, Anglo majori esse ponderi debet, quam Homeri cyclas. Ut uno verbo dicam, si comparationibus liber contexendus est; cur ab institutis Hebræis, potius quam ab Ethnicorum cæremoniis ritus nostri non erunt deducendi? Huic argumento ita obvio, illique proposito, ut patet ex ejus

(a) Div. Legat. Vol. II. Par. I. p. 355 *Dès qu'on en veut à l'origine de quelque coutume, dont les motifs ne se présentent pas d'abord, il est beaucoup plus aisé de nous dire, qu'un tel peuple l'a tirée d'un tel autre, que de nous expliquer à fond quel a été le prèmier principe de raison, ou de superstition, qui y a donnè naissance chez l'un & l'autre de ces peuples. Combien d'habiles Ecrivains ont employè leur tems, & leur talens pour prouver, que Rome Chrètienne a empruntè ses superstitions de Rome Payenne? Ils ont à la vèritè rèussi à montrer une ressemblance surprenante dans quantitè d'exemples differens; mais d'inferer de-là, que les Catholiques ont empruntè des Payens, j'avoue, que quelque plausible que paroisse la conclusion, je ne laisse pas de la croire entièrement fausse.*

(b) Vid. Henricum VVistium *Dissert. 2. p. 92. ad Evangel. in Americ. &c.* Jacobum Saurinum *Dissert. Hist. Crit. Theol. Tom. II. p. 322.*

ejus Præfatione, in quodam Libro, quem ille per contemptum *Papistam* dicit, sed, quantum conjectura assequi possumus, præcipua, veraque capita profert, quibus ejus dicacitas refellitur, respondet Middletonus, cum hæ cæremoniæ in Ecclesiam introductæ fuerunt, Hebræum cultum fuisse abolitum, ritusque Ethnicorum vero viguisse. *Unde ergo*, inquit ille (*a*), *dicendum erit eos* (Christianos) *hujusmodi cæremonias probabiliter sumpsisse? ex Rituali Hebræo, an Ethnicorum? ex Templo longinquo, ab iis contempto, dirutoque ab iisdem Romanis; an ex Templis, & Altaribus, quæ sub oculis habebant, quæ erant in suis Urbibus, in præcipuis viis plateisque magnis?* Quanto felicior est Middletonus in exscribenda Ciceronis vita, quam in hujusmodi argumentis pertractandis. Qui futilior ratiocinandi modus? Si procul aberat, immo si æquatum solo erat Hierosolymitanum Templum, erantne Sacræ Litteræ, *Hebræorum Rituale*, quibus sciebant Christiani se in novum fœdus succedere, a Christianis remotæ, & omnino deperditæ? Cur ergo ii ritus, quos in honorem veri Dei in Ecclesias suas Christiani invexerunt, ex Templis Ethnicorum, a quibus Christiani abhorrebant quam maxime, in quorum cultus detestationem sanguinem fuderunt, dicentur sumpti; & non potius ab iis voluminibus, quæ ut Divinitus afflata venerabantur, & in quibus cultum ex origine sua Divinum agnoscebant? Quid sentiendum sit quisque videt. Præterea satis est legere Patres, & antiqua Ecclesiastica monumenta, in quibus aut explicantur, aut celebratio horum rituum jubetur, ut eos ad similitudinem rituum Hebræorum fuisse imperatos dicamus. At hic rursus telo sua quidem sententia invicto nos Middletonus aggreditur. Quamvis vobis concederem, inquit, vestros ritus derivatos esse ab Hebræo Templo, quid inde pro vobis colligeretis? *Quid? hæ omnes inutiles cæremoniæ nonne fuerunt omnes spirituali Evangelii cultu abolitæ? Nonne fuere deletæ tamquam infirmæ, & inutiles per Jesu Christi Revelationem, quæ multo est perfectior? Etiamsi igitur ego concederem, me errasse, palinodiam canerem, & pro* Cæremoniis Ethnicorum *dicerem* cæremonias Hebraicas, annon æque Judaicos ritus abhorret, detestaturque Ecclesia Christiana, cui abeodem usque in præsens tempus interdicuntur (*b*)! In Theologia Ethnica valde versatus est Middletonus, non æque in Christiana. Duo Hebraicarum cæremoniarum genera sunt distinguenda. Quædam ad mysteria Christi futura præcipue, & directe significanda jussæ erant; hujusce generis fuerunt sacrificia, & Sacramenta: aliæ vero natura sua, primaque institutione ad cultum, tributumque divinæ Majestati præstandum, aut ad augendum hujusmodi cultus decus erant imperatæ. Thura, vestes Sacerdotales, Hymnorum cantus, purificationes, oblationes, vota, & aliæ tales erant. Jam cum cæremoniæ primi generis adventu Christi evacuatæ sint, nullo modo possunt nunc observari; siquidem nunc falsi cultus symbola essent, ut scilicet sunt apud Hebræos, nunc quoque Messiam opperientes. Secundi generis ritus, tamquam ex vi antiqui fœderis vigentes, quo errore ducti eos excolunt Hebræi, exerceri nequeunt; adhiberi tamen possunt ad significandum, ornandumque cultum Christianum (*c*). Distinctio, quæ est evidentissima, quippe quæ rerum naturæ ipsi innititur, argumentum Middletonis confutat; eum tamen insequamur, urgeamusque propius. Nobis ergo dicat, nonne in Anglicana Ecclesia cæremoniæ quondam in-

(*a*) *Et d'où pourrions nous donc croire, qu'ils les ayent probablement empruntées? Seroit-ce du Rituel des Juifs, ou bien de celui des Payens? Seroit-ce d'un Temple éloigné d'eux, meprisé, & enfin detruit par les Romains mêmes; ou bien des Temples & des Autels qu'ils avoient chez eux, qu'ils pouvoient voir tous les jours, & qui étoient actuellement dans leur Ville, dans les principales rues, & dans les grandes places?* Prefac. p. 8.

(*b*) *Est ce que toutes ces vaines Cérémonies n'ont pas été aneanties par le culte spirituel de l'Evangile? N'ont-elles pas été toutes abolies à cause de leur foiblesse, & de leur inutilité, par la Révélation de Jesu-Christ, qui est beaucoup plus parfaite? Ainsi, quand je lui accorderois que je me suis trompé, quand je me retracterois, quand au lieu des Cérémonies Payennes, j'employerois le terme de Cérémonies Juifes, est-ce que les Rites Juifs ne sont pas egalement en horreur & en abomination dans l'Eglise Chrétienne, où ils sont jusqu'à ce jour expressement abolis & defendus par Dieu lui-même?* Préfac. p. 6.

(*c*) Vid. Card. Cajetanum ad D. Thomam 2. 2. q. 86. art. 2. Franciscum Silvium, Sotum, & alios Theologos Catholicos.

in Hebraica Religione excultæ usurpantur? Prætermitto Psalmorum cantum, certosque alios ritus Cleri, & hunc solum recenseo, qui legitur in suo Rituali (a) hoc titulo *Gratiarum actio a mulieribus post partum facienda*, vulgo dicitur *purificatio mulierum*. Jubetur ergo *Mulier ad Ecclesiam ire tempore consueto e puerperio egressa, atque hic genuflectetur in aliquo decenti loco, ut solet &c.* Tum præscribuntur quidam Psalmi, precesque a Sacerdote recitandæ; concludituque demum ita: *Oportet, ut mulier, quæ ad hæc gratias venit, faciat oblationem suam, ut mos est*. Jam postulo: Purificationis mulierum lex egressarum a puerperio ad templum accedendi, adeundi Ministrum, faciendi oblationem nonne est inter leges cæremoniales Hebræas? inter eas leges *inutiles, abolitas*, ut loquitur Middletonus, *cultu spirituali Evangelii, quod infirma sunt, inutilesque per Jesu Christi Revelationem*? Qui ergo in sua Ecclesia Anglicana, reformata, & pura, liberaque omni superstitione *ritus hic Judaicus servatur, quem non secus ac cæremonias Ethnicorum horrere detestarique Ecclesia Christiana debet, in qua aboletur, interdicitur que a Deo ipso*? Quid ad hæc reponere Middletonus potest? Potestne audere in Papismum venustissimam illam consequutionem repetere, (*Præfac. p. 9.*) *oportere necessario ejus cæremonias Judaicas dicere, aut ut argumentum progrediatur longissime, eas etiam Diabolicas vocare*? Neque Cicero ipse qua pollebat eloquentia ex his angustiis Scriptorem ita de se benemeritum eripere posset.

Huc autem opportune cadit, quod mihi tertio loco animadvertendum proposueram, ut omnino Epistolam Middletoni, & Mussardi Librum, omnesque alios Protestantes refellerem, qui ex hac convenientia Catholicos ritus superstitionis, idololatriaque insimulant. Etiamsi iis concedere vellemus, ritus illos vel ab Hebræis deductos esse, nihil tamen recte possent in nos concludere; cordis siquidem, quo exercentur, mutatio, illiusque Numinis ad quod diriguntur, diversitas, statim eorum colorem immutant, eosque e superstitiosis Religiosos, ex malis bonos efficiunt. Adolebatur Romæ thus Jovi, Hierosolymæ vero Deo idem adolebatur; cultus ille sacrilegus erat, hic autem sanctissimus. Cur ergo idem de his, similibusque ritibus (etiamsi prius profani fuissent) ab Ecclesia adhibitis, & in honorem veri Dei excultis dicendum non erit? Fallere ergo nos vult Mussardus, immo vero desipit ille, cum hæc inquit: *Quamvis hæ ceremoniæ natura sua indifferentes essent, hoc est neque malæ, neque bonæ; impuræ tamen ex malo usu factæ sunt.* Paulloque post subdit: *cæremonias Ethnicorum cum per consecrationem, quæ in honorem Dæmonum fiebant, infectæ fuerint, iis uti, est cum iis communicare.* (b) Quod se probare posse opinatur interdicto facto a D. Paulo Corinthiis de non edendis carnibus Idolis sacrificatis. Jam quisque, vel me tacente, videt primum quidem discrimen, quod intercedit inter rem sacrificatam, & speciem, vel quidquid eidem simile est. Deinde vero Apostolus ipse illa Epistola apertissime Hæretici sententiam refellit. Etenim capite VIII. perspicue ostendit, se, & prudentiores fideles scivisse, sicut idolum nihil erat, ita carnes illi oblatas non mutavisse naturam, ac proinde (qualibet alia circumstantia prætermissa) manducantis cor eas inquinare non potuisse. Cum tamen e Corinthiis quidam infirmi essent, ut putarent, ejusmodi sacrificio eas carnes ita temerari, ut edi impune non possent, ideo Apostolus manducantes damnat, quia edentes hos infirmos offendebant, lædebantque eorum conscientiam. Ita capite X., ex quo Mussardus textum attulit, interdicit quidem D. Paulus iis in circumstantiis, in quibus

(a) Liber publicarum precum &c. p. 101.

(b) *Quand ces cérémonies seroient d'une nature indifferentes c'est-à-dire ni bonnes, ni mauvaises, elles sont devenues impures par le mauvais usage qu'on en a fait. S. Paul nous apprend cette maxime, lorsque parlant des victimes, que les Payens offroient aux faux Dieux, & défendant aux Corinthiens de manger de leurs chairs, il en allègue cette raison, que quelque innocentes qu'elles fussent de leur nature, elles ont été souillées par l'idolatrie aiant été sacrifiées aux Demons. Qui doute que la chair de ces pauvres animaux étant une créature de Dieu, ne fût bonne? mais le mauvais usage qu'on avoit fait, les avoit souillées de sorte que l'Apôtre dit, que c'est avoir communion avec les Diables que d'en manger (1. Cor. 10.) Ne doit-on pas dire la même chose de toutes les cérémonies des Payens, qu'ayant été infectées par la consecration, qu'on en avoit fait aux Demons, c'est avoir communion avec eux que de les pratiquer?* Conform. des cérémon, Chap. 12. p. 246.

tus earum carnium esus videri possit idololatricus cultus, quem ille dicit *communionem cum Dæmoniis*, carnes Idolis sacrificatas manducare; sed postea clare docet, ex eo sacrificio carnes illas non fœdari, ac proinde posse impune a Christianis eas comedi, modo spectantes nullam inde offensam percipiant: tunc enim ne lædantur infirmi, manducandas non esse. En ejus verba: *Omnia expediunt: omnia mihi licent; sed non omnia ædificant: omne quod in macello venit, manducate; nihil interrogantes propter conscientiam: Domini est terra, & plenitudo ejus: si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam: si quis autem dixerit, hoc immolatum est Idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit, propter conscientiam; conscientiam autem non dico tuam; sed alterius, &c.* Cæcus ergo est, qui non videt quantum Muslardi opinioni adversetur Apostolus. Legatur D. Thomas in commentario ad locum hunc. Interea loci advertat Lector, quam bene contra nos hi Auctores argumententur. Quamquam in Muslardum, aliosque ejusdem sententiæ Scriptores Middletoni ipsius opinione uti placet, qui de cæremoniis Judaicis verba faciens, sententiamque Spenceri afferens, qui judicat, *jamdiu eas in usu apud Ægyptios fuisse*, se quoque non valde ab eo dissentire ostendit, immo inquit, *sacras Litteras cum illo facere* (*Præfac. p. 6.*) Hoc ergo admisso (quod tamen alibi ostendimus, esse falsum) interrogo, num dicere sint ausuri, has cæremonias, cum per tot sæcula Hebræi iis sint usi, sacrilegas, impurasque, quia iisdem antea Ægyptii abusi fuerint; ac proinde Deum in Templo suo, suoque in Populo, cultum impium jussisse? An ignorant hi Scriptores in Ethnicorum antiquitate ita versati, lotiones aquis fluminum, pelagique a superstitiosis idololatris fieri solitas ratis, criminum maculas iis purgari? (Vid. supra *Lib. II. c. 4. n. 2.*) Euripidis, Ovidii, Stobœique testimonia, quæ hunc morem testantur, ignorari ab iis non possunt. At divinus noster Legislator Jesus Christus aquæ lotionem materiam illius Sacramenti instituit, quo ab originis peccato detergimur. Audiens Middletonus a Catholico Romano pro nostræ Ecclesiæ cæremoniis Baptismatis ritum sibi opponi, infremit, & inter alia hæc dicit, (a) *excidisse proculdubio illi e mente, quam incoleret regionem, si arbitrabatur, se posse in Aglia regione Protestante tutari id, quod in regione Papistica cum laude defendere posset; hoc est institutiones Jesu Christi non inniti fundamento firmiori Pontificiis, aut Ecclesia Papistica jussis.* At, mitius quæso etiam in Anglia furens hic Censor agat. Jam Lector per se videt, propositum mihi esse hoc loco ostendere superstitionem idololatricam rerum natura abuti quidem, at eas neque corrumpere, neque immutare; ita ut tamquam veri, sanctique cultus instrumenta adhiberi non possint. Id autem perspicue ex institutione Baptismi deduci dico. Quid ergo sibi volunt hic Middletoni declamationes? Quorsum Catholicam Ecclesiam insimulat, quasi vero comparare, & conferre potestatem suam cum Christi auctoritate audeat? Nullam aliam potestatem habet, nisi quam Divinus Legislator, qui pollicitus est, *se cum illa futurum usque ad consummationem sæculi*, est illi impertitus. Hac auctoritate fulta ab Apostolicis temporibus usque, non instituit sacramenta, sed ritus in eorum administratione servandos constituit, cæremoniasque exteriores Religionis præscripsit. Cur unquam etiam in Anglia veritatem hanc audire tantopere indignatus est Middletonus? Vivebat ille in Ecclesia constituta Regis voluptuarii, & sanguinolenti *schismate*, altaque ab Regina, quæ fidem etiam, Religionemque regendi, moderandi facultatem sibi arrogavit. Ecquam, non dicam auctoritatem, sed immodicam licentiam mutandi, instituendique non solum ritus, sed sacramenta ipsa, Fidemque hæc Ecclesia sibi desumpsit? Quod per discordias, regnante Henrico, latum fuerat,

(a) *Il semble qu' ici le zele de notre Auteur l' ait transporté bien loin au-delà des bornes de sa prudence. Il a sans doute oublie, dans quel climat il habite, s'il croit pouvoir soûtenir ici en pays Protestant, ce qu'il pourroit defendre avec applaudissement en pays Papiste; que les Institutions de Jesus Christ ne sont pas appuyées sur un fondament plus assuré, que les ordres du Pape, ou du moins de l' Eglise Papiste.* Prefac. p. 15.

rat, abrogat Eduardus; rursus immutatur, Elisabetha Imperante, mutationesque hujus alias subeunt vices. Sed quod mireris hoc est, hæc omnia non fieri per Pastores, quibus Christus auctoritatem suam dedit, quosque Spiritus Sanctus posuit, ut regerent Ecclesiam suam; sed per cœtum profanum, hoc est per *Parlamentum* Regia potestate excitatum. *Cœtus hic de Hæresibus sententiam fert* (a), rejectisque Sacramentorum antiquis formulis, quæ edoctæ ab iis fuerant, qui in Regnum Fidem, Sacerdotiumque intulerant, Liber contexitur *de consecrationibus Archiepiscoporum, Episcoporumque, & de ratione ordinandorum Sacerdotum, Diaconorumque*, vim suam omnem ab auctoritate Eduardi, & a Parlamenti confirmatione habent. Middletonus autem, qui hæc sciebat, hæc norat, audebat in Catholicam Ecclesiam venenata tela immittere, quæ cum suo capite, quod sub aspectum cadit, quod est Romanus Pontifex, conjuncta perpetuam suorum Pastorum successionem, constantemque dogmatum suorum ab Apostolis usque fidem ostendit? ejus rituum Religionis, cultusque rationem carpere audebat, nolebatque in Anglia hanc potestatem nominari? At nimium abreptus erat ira; ut quid dicendum esset, sentiendumque non agnosceret. Ille tamen cum tot dicenda, tacendaque evomuisset, furorem suum, *qui non deferbuit*, inquit Anonymus (b), *nisi cum vitam finivit*, in doctos ipsos Nationis suæ convertit. At hic cursim luctuosam cæcitatem ejus Ecclesiæ, tremendumque de illa judicium Dei Lector advertat. Licentiæ amor nimius, odiumque in Caput Ecclesiæ visibile fuit una ex causis, quæ eam gentem ad defectionem excitavit, quæque in schismate, & hæresi eam confirmat. Aperte Middletonus id ait verbis his (c): *non ideo tantum removeor, vel si places, odio prosequor Pontificatum, quod hujusmodi secta Pagana sit, & Idololatra; sed quia nihil aliud molitur quam stabilire, inducere, & tueri potestatem supremam, quæ simul stare cum liberi Imperii cupiditate non posset*. Quid hinc factum fuit? Illi ipsi tam injuste agendo meritam pœnam sibi pepererunt. *Rejicientes enim* (inquit Bossuetus) *una cum antiquis Ecclesiæ suæ institutis Caput, quod Christus iis dederat, ipsique sibi* (Episcopos) *constituentes Principes suos capita a Christo ad hunc finem non institutos, ita se abjecerunt, ut acta Ecclesiastica, & illa etiam, quæ respiciunt Prædicationem, Liturgiam, Sacramenta, Fidem ipsam in Anglia tantam vim habeant, quantam iis Rex impartitur: quod quidem quidpiam magis quam Verbum, & administrationem Sacramentorum Regibus attribuit; eos siquidem utriusque supremos arbitros facit* (Hist. des Variat. Lib. X. n. 18.) Quanto igitur felicius opus Middletonus aggressus fuisset, fecissetque, si, quin mare trajiceret, veniretque in Italiam, ut Epistolam *de summa convenientia Papismi cum antiquorum Ethnicorum Religione conscriberet, sua Insula moratus volumen de maxime discrepantia systematis Ecclesiæ Anglicanæ a Spiritu Religionis Christianæ* composuisset. Non me fugit, Scriptorem hunc caudam jactare, seque bellulum credere, quod aliquas historiolas de Viris Sanctis nostræ Religionis, de Reliquiarum cultu, & de Imaginibus narrat, omniaque *Ethica, Idololatrica*, & etiam *Diabolica* esse dicit. At non vacat, quæcumque blaterat, confutare, ejusque audaciam refellere, quod quidem facillime possem. Satis habeo, si quod ad quædam *facta* ab hoc Anglo narrata attinet, jubeam, Lectorem adire id, quod Romæ scripsit Eruditus Marangonius (d), qui aperte *falsitate* Middletonum convincit; & quod ad *jus* pertinet, eum legere, non magna nostrorum Controversistarum volumina, quibus rancidæ criminationes in cultum Sanctorum, Imaginumque jactæ toties valide fuerunt confutatæ; sed *Expositio-*

(a) Vid. hæc omnia confirmata penes Bossuetum in Historia mutationum Ecclesiarum Protestantium. Lib. X.

(b) Vid. Præfationem Gallicam præmissam Dissertationi VVarburtonis de miraculo, quod impedit restaurationem Templi Hierosolym. ab Juliano inceptam.

(c) *L'éloignement, ou si l'on veut, l'aversion que j'ai contre le Papisme, n'est pas fondée uniquement sur ce que c'est une secte Payenne, & Idolatre, mais encore parce qu'elle ne tend qu'à établir, introduire, & soûtenir une Autorité despotique, & qu'elle ne sauroit convenir avec le genie d'un Gouvernement libre*. Preface p. 121.

(d) De rebus Ethnicis, & Profanis ad usus profanos, ornamentumque Ecclesiarum translatis. Cap. 44.

ſitionem Doctrinæ Catholicæ de his Capitibus a præſtantiſſimo Epiſcopo Boſsueto factam (*a*), quæ una quemcumque aliter ſentientem, modo non ſit illi omnis ejectus attrita de fronte rubor, pudore perfundere poteſt. Hæc in Religionis noſtræ defenſionem, & in furentis Epiſtolæ ſcriptæ, editæque in vulgus a Scriptore Ciceronis vitæ in cultum noſtrum, noſtroſque ritus confutationem nos dixiſse ſufficiat.

(a) Cap. 3. 4. 5. Norunt Eruditi, in lucem Opere inſcripto *expoſition de la Doctrine de l' Egliſe catholique* edito, Proteſtantes videntes, quam doctrina noſtra ſuo ſub aſpectu viſa diverſa eſſet, præcipue quoad ſpectat ad prædicta capita de cultu, ab eo, ſub quo eam Prædicantes ſub oculos legentium non aliis utentes coloribus, niſi *Idololatriæ*, *Superſtitionis*, *Paganiſmi* objiciebant, ſummopere erubuiſſe. Nullo alio modo criminationes ſuas defendere meliori putarunt, quam ſi dicerent, Boſſuetum Eccleſiæ ſuæ deſeruiſſe, aut ſaltem imminuiſſe ſententias, & præcipue quoad cultum Sanctorum, Imagineſque. Ita egerunt Noguierus, aliiique Anonymus, qui expoſitioni reſponderunt. Hoc tamen certo certius eſt, doctrinam a Boſſueto expoſitam eſſe puram, puramque Tridentini Concilii, hoc eſt univerſæ Eccleſiæ doctrinam, talemque approbatam fuiſſe ab Innocentio XI., & a primis Romanæ Aulæ proceribus, ab innumeris Prælatis, vereque dicere poſſumus, ab univerſo Fidelium cœtu, a quibus Liber ille aureus legitur, diſcitur, magnique fit. Itaque ſummatim ita dicamus: *Doctrina de cultu Sanctorum, & de imaginibus a Boſſueto edita eſt Eccleſiæ Catholicæ doctrina.* Hoc factum confirmatur a Paſtoribus, Filiiſque hujus Eccleſiæ. *Hæc doctrina ab omni Idololatriæ, Superſtitionis, Paganiſmi macula pura eſt.* Hoc quoque factum ſub aſpectum cadit, Miniſtrique Proteſtantes in ſuis reſponſionibus illud confitentur: *Ergo doctrina Catholicæ Eccleſiæ ab iis maculis, quas illi Middletonus, aliique ejus hoſtes objiciunt, eſt pura.* Hæc eſt illatio, cui pervicacia una, excuſque livor reſiſtere poſſunt. Itaque hi fontes, hoc eſt Conciliorum, explicationumque noſtrorum Paſtorum adeundi eſſent a Proteſtantibus, ut ſententias Catholicæ Eccleſiæ intelligerent, eſſentque prætereundi mores, ſeu verius abuſus, quos infirmitas, aut inſcitia privatorum interdum invexit. Quandoquidem nos etiam hæreticis noſtris, & Middletono præcipue dicemus, quod D. Auguſtinus Fauſto Manichæo hanc eamdem ſuperſtitioſi cultus notam affigenti reſpondit; *Aliud eſt quod docemus, aliud quod emendare præcipimur; & donec emendemus tolerare compellimur.* Lib. XX. cont. Fauſt. cap. 21. Legatur totum caput, & ſequens, quod eſt ad hanc materiam aptum valde.

C A P U T S E P T I M U M.

Aliæ Libertinorum cenſuræ refutatæ.

I. *Querimoniæ contra Miniſtros Religionis. Corruunt per ſe.*
II. *Satyræ amarulentæ contra ſtatum Monaſticum quam injuſtæ. Paradoxa Auctoris* Spiritus legum: *confutata.*
III. *Emolumenta, quæ redundarent in Orbem, ſi loca, & bona Monachorum darentur Libertinis.*
IV. *Aliæ criminationes in ſtatum Monaſticum labefactatæ. Locus illuſtris Equitis Marſhami.*

§. I. CUM paullulum ab inſtituto itinere diverterimus, diſputaverimuſque Capite præcedenti contra inſignem Anglum Theologum Middletonum, quod neque inutile, neque injucundum Lectori futurum ſperamus, ad rem gerendam cum Naturaliſtis redeamus; & ab eorum cenſuris in *ritus* Religionis Chriſtianæ ad examinandas eas, quas contra ejus *Miniſtros*, *Monachoſque* expediunt, tranſeamus. Nullum frequentius in eorum Libris, nullum in eorum cœtibus hoc eſt iis familiarius argumentum. Quævis ætas oſtendit livorem hunc. At ita neceſſario faciendum erat. Odium in Religionem rapit in odium eorum, qui illam peculiari ratione profitentur, excolunt, tutanturque. Cum autem ætas Impiorum uberior nulla fuit, tum Religionis Miniſtri nullo ſæculo, quam hoc plures hoſtes habere poterant. Quia vero horum omnium in Chriſti Religionem livor nullo modo tenebras ejus doctrinæ veritati obducere poteſt, ita eorum argumenta, ut ejus Miniſtros, Monachoſque de medio tollant, nihil aliud probant niſi eorum rationis perturbationem. Rem ab initio uſque repetamus. Si Religionem Chri-

stianam existere concedimus, habere debet, qui cultum in Deum exerceant, qui dogmata imperitos doceant, qui Sacramenta Fidelibus administrent, qui errantes in rectum tramitem reducant, qui ejus veritatem ab aggressoribus vindicent. Quis dubitare de hoc potest? Id & natura rei, & leges ipsius Religionis exigunt. Ita igitur ex hac hypothesi Ministrorum necessitas necessaria consequutione est demonstrata. In commune Societatis bonum operam suam conferentibus naturali jure necessaria ad vitam ducendam suppeditantur. Hoc est jus illud, ex quo fit, ut hominum generibus variis tributa, stipendia, honoresque a Societate dentur. Jam Religionis Ministri e sui ministerii charactere summo, maximoque Christianæ Societatis bono se totos dicant. Igitur naturali jure iis simul cum honoribus, tributisque necessaria ad vitam sustinendam præbenda sunt a Populis. (Vid. D. Thom. 2. 2. *quæst.* LXXXVII. *art.* I.) Quid ergo sibi volunt conviciis dicteriisque tot, talibusque in Ecclesiæ Ministros, & in Ecclesiasticos reditus Libertini? Utrique necessariæ sunt Religionis Christianæ consequentiæ. Si hæc falsa est, nocent Societati ejus Ministri, collataque iis stipendia sunt perperam, injusteque collata. Sin autem est vera, Ministri sunt necessarii, eorumque reditus jure debiti. Hic est controversiæ color. Jam Christianæ Religionis veritas evidentia quavis exceptione majori fuit ostensa; Naturalistæque, præcipue recentes, eam e fronte aggredi erubescunt. Ergo omnia dicteria, quæ aut Libris edunt, aut in cœtubus in Sacros Ministros evomunt, & incommoda, quæ ex iis in Societatem redundare dicunt, non solum a Philosophia injusta, sed etiam insana, quæ aperte eorum rationis perversitatem ostendit, proficiscuntur.

§. II. Eadem dicamus de Monastica professione. Illa tota in eo est, ut Disciplinam Evangelicam, & in majorem Dei gloriam, & ut facilius æternam animæ immortalis salutem consequatur, perfecte adimpleat. Sicut autem inter tumultus, turbasque sæculi præcepta Evangelica non tam facile adimpleri possunt, ideo quicumque hujusmodi cupiditate accensum se sentiebat, in deserta loca secedebat, se totum studio, exercitationique dabat hujus cælestis Philosophiæ, curis omnibus rerum terrenarum sepositis, quæ, vel ipso Epistolarum Judaicarum Scriptore Judice, *divinitus edocta videtur, & cujus moralia præcepta longe multumque documentis sapientissimorum omnis antiquitatis Philosophorum præstant* (Vid. supra). Quid in hujusmodi vitæ tenore est, quod reprehendi possit? Auctor *Spiritus Legum*, qui in climatum rationibus non solum rerum Physicarum, sed etiam Religionis eventuum, Ethicæque exercitationis causas se videre arbitratur, ait, *Monachismum in calidis orientalibus plagis, in quibus homines non tam ad actionem, quam ad contemplationem feruntur, ortum habuisse* (a). Dixisset fortasse quispiam, ibi natum esse Monachismum, ubi primum Evangelium incœpit. At nimis simplex erat ratio hæc, quæ quærenti insolita, & in insolentia fundamentum, quo superstrueret censuram, sufficeret. Quod ergo de Caryophyllis dicitur, ea nimirum in regionibus Indiarum calidis nasci, & de Monachis sentiendum putat (b). Sed cum Christiana Religio per omnes terrarum partes diffusa est, ita Monastica professio ubique viget. Quot Monachorum agmina non solum Italiæ, Galliæque loca, sed Aquilonares Insulas incoluerint, quotus est quisque qui ignoret? Quod tamen magis in hoc Auctore mirer, hoc est, eum modo eodem de Origine & Professione *Monachorum* loqui, quo nomine cultores puriores Jesu Christi Ethicæ veniunt, quo de *Dervisiis*, qui sunt fanatici quidam Mahumedani, loquitur. An potest præclarus Jurisperitus diversitatem

Co-

(a) *Le Monachisme est né dans les Pays chauds d'Orient, où l'on est moins porté à l'action, qu'à la speculation.* Liv. 14. chap. 7.

(b) Hujusmodi libidinosa cogitatio arrisit Moshemio, qui ita scribit: *Ardentis Solis, fervique Cæli fructus est Theologia Mystica, ejusque Filia vita Monastica. Quocirca* (advertatur hæc ratio) *nostris in terris nunquam ad maturitatem pervenire potuit: omnesque Monachorum sectæ inter nos natæ brevi tempore a primo fervore suo, legibusque conditorum defecerunt.* De rebus Christ. ante Constant. sæcul. Secund. §. XXXV. Ut itaque in Monachis exacta disciplina reviviscere, mittendi essent omnes Monachi in Zonam torridam. *Dicite io Pæan!*

Codicum, quos utraque hæc agmina sequuntur, ignorare? Si Evangelium divinum est, ut reapse est, neque Auctor ille, neque ejus discipuli nos refellere possunt, qua æquitate vivendi genus ad colenda sanctissima præcepta, & consilia institutum tamquam inertis, socordisque vitæ genus climate institutæ, vincenda legibus, quæ eam profitentibus necessaria ad vitam peragendam denegent, nobis repræsentat? At afferamus integrum Auctoris locum. (*a*) *In Asia* (inquit ille, cum ea, quæ modo attulimus, dixisset) *Dervisiorum, aut Monachorum numerus cum Cœli calore augeri videtur. India, ubi est plurimus, referta sunt: hoc idem discrimen est in Europa. Ut climatis socordia eliminaretur, oporteret, ut leges ab iis modos omnes negligenter vivendi subducerent: at in Meridionali Europæ parte contrarium omnino videas; dant illæ volentibus desidiose vivere loca ad contemplationem apta, summasque opes assignant.* Hæ sunt censuræ illæ Impiorum aliorumque ardelionum nostræ ætatis æternæ. Montesquius eo quod satyram in summam redegit, dignus est summis laudibus. Sed videamus quam feliciter id præstiterit. Si Auctor hic arbitratur, inertes esse eos omnes, qui sine labore manuum vivunt; ac proinde ceu ab gente inutili ab iis auferendam legibus esse quamvis ita vivendi rationem, fortasse inertes Monachi erunt. At videt statim quantam hominum frequentiam sociam habeant; quam tamen ille nunquam Societati inutilem dicet, immo quod summopere Societatem juvent, utilem esse, dignamque quæ existat, judicabit. At, poteстne demonstrari, inquiet aliquis, præstare revera, & præstitisse Monachos hujusmodi commoda Societati? Respondeo: Si Epicuri Religionem ac æternitatem repudiantis sequi systema velimus, fortasse ostendi non potest; hinc jure Monasteria, Ecclesiæ, Sacerdotes, Monachi desidiosa gens, & pondus inutile terræ tollantur de medio. Verum si Christi Religio vera est, quod nos demonstrasse credimus, ajo, quin manibus laborarint, laborentque Monachi in partem Ministerii assumptos, licet ex climate otiosi sint, aut mediam Europam, Asiamque incolant, cultu diu, noctuque populi nomine Deo præstito, divinum verbum enunciando, docendo; assiduis caritatis officiis Religionem, Populos, Resp. summis commodis affecisse? Nisi ullum decus aliud haberent, quam ut voce scriptisque Religionis hostes refutarent; quod procul dubio egerunt, aguntque modo (quæ fuit, estque causa prima Impiorum in eos odii), ut inutiles Societati, inertesque non esse censendi mihi videntur. Quamquam e Sanctuario egrediamur: advertit Auctor non Monachus sapienter admodum, a Rep. alia summa commoda accepta iis esse referenda; nempe *nobis ii scientias conservarunt, e barbarorum furore, qui Imperium Romanum vastarunt, tot antiqua monumenta, quæ supersunt adhuc, Græca Latinaque, subduxerunt. Ubi nunc essent* (pergit dicere) *Litteræ, nisi Monachi laborassent, nisi MSS. multiplicanda curassent, ut a temporum injuriis ea repararent? Nonne sunt Monachi, quibus quidquid Historiarum per septem, octave sæcula nobis superest, debemus? Si barbariem suorum temporum historia redolent, nihilominus nobis in pretio sunt. Nisi eas haberemus, prorsus peregrini nostris in regionibus essemus. Vix, ac ne vix quidem possemus dicere quo modo, aut quare eas incolamus. An hoc quo vivimus, præteritoque sæculo a suis majoribus degeneres Monachi fuerunt? Quos litterarios labores congregationibus S. Mauri, & S. Vennesii susceptos in hac materia non vidimus?* (*b*) Ha-

(a) *En Asie le nombre de Dervithe, ou Moines semble augmenter avec la chaleur du climat; les Indes, où elle est excessive, en sont remplies: on trouve en Europe cette même difference. Pour vaincre la paresse du climat il faudroit, que les Loix cherchassent à oter tous les moyens de vivre sans travail. Mais dans le Midi de l'Europe elles font tout le contraire; elles donnent à eux, qui veulent etre oisifs, des places propres à la vie speculative, & y attachent des richesses immenses.* Ibid.

(b) *Un service important c'est de nous avoir conservè les sciences, & d'avoir sauvè des mains des barbares, qui ravagerent l'Empire Romain, tant d'anciens monumens, qui nous restent, soit Grecs, soit Latins. Où en seroient les letteres sans les travaux des Moines, & sans l'application à multiplier les MSS. pour les mettre à couvert des injures du tems? N'est-ce pas encore aux Moines, que nous sommes redevables de ce, qui nous reste d'Histoire de l'etat de l'Europe pendant sept, ou huit cens ans? Si ces Histoires se sentent de la barbaire de leurs siecles, elles ne sont pas moins precieuses. Sans elles nous serions etrangers dans notre propre Pays. A peine pourrionsnous dire, comment, & pourquoi nous l'habitons. Dans le dernier siecle, & dans le notre les Moines ont-ils degenerè sur cette article?*

Que

ctenus Auctor Gallus; cujus animadversiones videt per se sapiens Lector quantum explicari a nobis possent, quin e veritatis, modestiæque cancellis egrederemur.

§. III. Quamvis autem hæc, aliaque plurima in Remp. bona Monachi contulerint, Auctori tamen *Spiritus Legum*, ejusque pedissequis, otiosi, & omnino tollendi Monachi videbuntur. Sit ita sane. Ejiciantur ergo Monachi ex modo recensitis officiis, & ad exercendos agros amandentur, locaque iis assignata *in plagis Europæ meridianis simul cum summis opibus* novis his Reformatoribus, humanique generis Legumlatoribus concedantur. Huc asseclæ, huc intrepretes Bælii coeant, promantque grandia volumina; Marchio d' Argens cum suis *Epistolis Judaicis*, & *Philosophia boni sensus*; cum suo *Æmilio* Roussojus, cum suo *Spiritu* Helvetius, Voltærus cum *Epistolis* suis, *Fragmentis*, *Poematibus*, *Romanensibus*, simulque hi omnes Politici novi legum Spiritus pleni, declamatoresque in Monachismum, Ecclesiamque: omnes, inquam, coeant cum Hobbesio, Spinosa, Tolando aliisque Cynicis, impiisque voluminibus. Hi enim vero maximam utilitatem Societati, suisque laboribus Orbi terrarum toti plurima, & maxima commoda afferent. Hi docebunt homines, Religionem esse Principum Politiam, ut populum in officio contineant; jus in vi consistere, & unumquemque, si possit impune aliquid patrare, non debere deesse sibi; maritum posse singulis annis cum alienis mulieribus rem habere, Legem pudoris in Mulieribus esse quid commentitii; juramentum esse vocem sensus expertem; Deum aut non esse, aut nostra non curare, & morte omnia interire. O sæculum vere aureum tunc huic rerum Universitati oriturum, cum tam sublimia, tamque utilia inventa ab his Philosophis tanto studio, & arte explicata in morales disseminabuntur! Quam tuti Principes vivent; quo otio perfruentur Familiæ; quæ fides in commerciis; quam simul conjuncta, & benevola Societatis! His dentur *omnes divitiæ, aurumque omne Potosi* (ut loquitur *Epistolarum Judaicarum* verax Auctor) quibus Monasteria, Ecclesiæque abundant. Hi viri, qui laboribus ita industriis, navisque *desidiam Climatis* a se excutiunt, superantque, qui tanta, totque mortalibus commoda comparant, hi, inquam, in omnium harum facultatum, quas tanto jure merentur, possessionem admittantur. Quos in usus, melioresque quanto illæ convertantur opes, quæ in Ecclesiasticis *languescunt, deficiuntque* (& ut ipsi loquuntur) *in paralysim incidunt*, quin ullum emolumentum in Rempub. derivetur. Illi eas offerent tributum saltatricibus, cantricibusque, dignis honore divum, altaribusque, ut de quadam cecinit Voltærus (*a*). Illi eas in epulas, immodicumque luxum insument, quarum rerum Auctor *fragmentorum fugitivorum* ex utilitate, quæ in Resp. ex iis dimanat, innocentiam probat; illi eas intemperantiæ, ludisque aleatoriis, quibus posita tota luditur arca, aliisque his similibus voluptatibus dedicabunt; quarum apologiam in celebri quodam Libro vidimus, quo hoc illustre doctrinæ caput probare intendit Auctor, *hominum corruptos mores constituisse Societates, constitutasque conservare*; quod titulo ipso indicatur, qui talis est, *La Fable des abeilles au miel, sive bonum quod ex hominum corruptione in Remp. redundat* (*b*). Opinor, opinor autem? Immo pro certo habeo, impudentiam tantam, errores hos putidissimos, infandosque honestum Lectorem perhorrescere. Tamen pro certo habeat, has Theorias, has morum doctrinas eos severiores Cato-

Que de travaux Litteraires n'a-t-on pas vu sortir des Congregations de S. Maur, & de S. Vannes, sans parler des autres, qui se sont distinguèes par cet endroit. Les Lettres Persan. convainc. d' impieté pag. 92. Auctor est Abbas Gualtierus multis Operibus editis clarus.

(a) Epitaphium Virginis Levecurii
Un objet digne des Autels
Est privé de la sepulture &c.

(b) Opus hoc vulgo tribuitur cuidam *Mandevillio* Medicinæ Doctori, cujus Operis Epilogus affertur Tom. XIII. Bibliothecæ Angliæ. In admonitione ad Epistolas Pastorales Episcopi Londinensis, a nobis alibi dictas, dicitur, *fuisse recusum ann. 1729. auctum parte secunda, in qua videtur voluisse Auctor explicare, & mollire quod in prima parte nimis acerbum erat.* At quando melle opus est!

tones tradere, qui furore perciti in Ecclesias, earumque Ministros declamant; hos esse eos Libros, e quibus quidam etiam citra Montes theoremata hauriunt, quæ in cœtubus explicant, odiumque, quo Sanctuarium respiciunt.

§. IV. Fuisse, & esse in Ministris, & in Monasteriis reprehendenda multa, non est negandum; at hæc, qualiacumque sint, in causa esse non debent, ut Ministerium, Monachismum, multo vero minus Religionem amandemus. Hoc solummodo ostendit, eos, qui Monachatum profitentur, esse homines, cujus naturalis infirmitas in omnibus hominum generibus, in omnibus hominibus & apparuit, apparebitque. Cæterum Religio hujusmodi perturbationibus, quæ interdum erum punt, obicem aliquem ponere quovis tempore curavit, legesque æquissimas, & sapientissimas sanxit, Catholicique Principes ejus Canonum propugnatores simul cum illa annixi sunt, ut abusus tollerent, ut Monasticos Ordines a primo instituto delapsos restituerent, recrearentque. Sed nec Religio, nec Principes necessum habent, habebuntve consulendi homines, qui invidia, aut impietate perciti, de Ministris detrahentes Monachisque, Religionem aggrediuntur, soliumque Regum demum concutiunt. Sunt præterea quidem in Catholica Ecclesia Ordines Religiosi occupati præcipue in veritatibus æternis contemplandis, meditandisque, & in exercendo divino cultu, quin aut litterariis laboribus, aut divini prædicatione verbi commoda populo comparent. Verum ut quis hæc pietatis domicilia dicat desidiæ receptacula, Evangelio adversetur oportet; & qui hujusmodi loca bonis a Fundatoribus piis donata, ut in iis hujusmodi vitæ genus perpetuo vigeat, privari vult, juris leges violet, oportet. Possident quidem, possidentque etiam omnia Monasteria, & Ecclesiæ bona sua saltem jure tanto, quanto quisque privatus sua tenet, & ut plurimum suos reditus ita insumunt, ut Societas, & Pauperes præcipue nullam habeant causam conquerendi (*a*).

Sed *Epistolarum Persicarum* (*Epist.* 103.) Auctor, aliique ejusdem farinæ Scriptores his non acquiescunt; expromentesque iterum lances suas, subducentesque calculos *immensum* regionum Catholicarum præ Protestantibus *detrimentum* hinc se ostendere arbitrantur. Debent eorum sententia Catholicæ plagæ Ministris, Monachisque scatentes carere populo, hinc artes minus coluntur, languescit commercium, ideoque publicæ, privatæque opes imminuuntur. Ex quo colligunt, a Reip. Moderatoribus gentem hanc esse de medio tollendam: sicut reapse sustulit (inquit Auctor idem *Spiritus Legum*) *Henricus VIII. qui cum vellet in Anglia Ecclesiam reformare, Monachos, gentem per se socordem, quæque desidiam alienam fovebat, abolevit* (*b*). Ego tamen his Politicis inquio, Principes Catholicos, qui firmissimum Regni fundamentum Religionem, pulcherrimamque sui Diadematis margaritam Fidem esse ducunt, haud hujusmodi admonitionum indigere; nec Henrici VIII. consilia, & molimenta sequuturos. *Nisi vita huic alia superest*, optime advertit, qui *Epistolas Persicas* confutavit (*pag.* 86.) *dicere non ausim, an Religio Protestantium causam meliorem Catholicorum causa efficeret. Sed quia altera vita est, elata, claraque voce dico, Religionem facere, ut Catholici mirum quantum Protestantes antecedant.* Sed etiamsi res humano modo consideretur, arbitror, si calculos suos Scriptores hi ad rem ipsam redigent, conferentque Regnum cum Regno, multoque magis Provincias ipsas, cum Catholicæ erant, & cum a Catholica Fide desciverunt, haud facile *infinitum* hoc *emolumentum* e Monachismi eversione derivatum eos probaturos. Num Gallia, ubi Clerus est, Monachique, sit incolis frequens, & hoc sæculo ab ea natione gesta acerrima bella, & in Indias Coloniæ deductæ, & Galli, qui in quovis Europæ angulo reperiuntur, satis aperte ostendunt. Num Regium ærarium sit locuples, res ipsa demonstrat: num artes ibi floreant, testes sunt nationes aliæ, quæ ejus opera suspicientes ut plurimum cum ea natione commercium, ut

(a) Vid. Abbatis Fleury *Discours IV. sur l'Histoir. Ecclesiast. n. IX.*

(b) *Henri VIII. voulant reformer l'Eglise en Angleterre detruisit les Moines, nation paresseuse par elle-même, & qui entretenoit la paresse des autres.* Liv. XXIII. Chap. 29.

ut dicunt, *passivum* exercent, & certatim aurum eo mittunt, ut nova inventa inde sibi comparent. At magnus me timor angit, ne causæ majestatem cum his politicis consiliis certans abjicere videar. Quia tamen Montesquius, qui inter Catholicos versabatur, sub aspectu Henrici VIII. consilium ponit, qui ex Anglia *desidem Monachorum gentem* expulit, grave non sit Lectori audire, quid de hac *natione*, quid de hoc *exilio* & sentiret, & scriberet præterito proxime elapso sæculo Eques Marshamus Protestans ex clarissimis Litteratis Anglis unus in longa Præfatione Monastico Anglicano præmissa, quo fundationes authenticæ, donationes, aliæque membranæ eversorum Monasteriorum, Ecclesiarumque illius Regni colliguntur. Locus prolixior est, sed quia quædam doctrinæ capita, de quibus egimus, illustrat, & cujusdam gentis verum colorem, cum qua disputavimus, objicit, integrum afferemus. ΠΡΟΠΥΛΑΙΟΝ *Joannis Marshami ad Tom. I. Monastici Anglicani* Londini impressi an. 1655. *Quemadmodum pii majores, Reges, Magnates, alii Templis construendis, Monasteriis fundandis, ditandis, immunitatibus concedendis ad miraculum usque magnifici fuerunt, eaque re in æternum honorandi, ita non defuit etiam Monachatus sua laus, quod pia cura, & sedula gratitudine collata in ipsos beneficia mandarunt litteris; adeoque de bene merentibus nominibus ipsi bene meruerunt .... Monachatus olim maxima fuit pars gentis Ecclesiasticæ: & parietes cœnobiales diu sanctitatis, & melioris litteraturæ fuerunt sepes. Ex illo Seminario prodierunt ingentia illa Christiani Orbis lumina, Beda, Alcuinus, VVillebrordus, Bonifacius, aliique ob doctrinam, & propagatam fidem impense colendi. Absque Monachis nos sane in historia patria semper essemus pueri. Sed se recipiat oratio. Jam ludum diem fatalem obierunt Monasteria nostra, nec præter semirutos parietes, & deploranda rudera supersunt nobis avitæ pietatis indicia. Minus impensa hodie cordi est Religio, & vetus dictum obtinet:*

Religentem esse oportet, Religiosum nefas.
Aul. Gel. Lib. IV. c. 9.

Videmus nos, heu videmus! augustissima Templa, & stupenda æterno dicata Deo monumenta (quibus nihil hodie spoliatius) sub specioso eruendæ superstitionis obtentu sordidissimo conspurcari vituperio, extremamque manere internecionem. Ad Altaria Christi stabulati equi, Martyrum effossæ Reliquiæ (Hieron. ad Hæliod.) *sunt quidam zelatores adeo religiose delirantes, ut Religiosos veterum ordines ἐκ τοῦ φρέατος τῆς ἀβύσσου* (Apocal. 9. 2.) *prognatos ajant. Ita licenter sibi indulget παρρησία. Neque deerunt hac, qua vivimus, ætate homunciones elephantina elficientes promuscide, qui ista, quæ jam prodeant, tamquam futilia, inutilia, & hodiernæ rerum conditioni minime congruentia damnabunt, & non tantum a Bibliothecis eliminanda sed & flammis tradenda judicabunt. Ea est novitiarum opinionum rigiditas, & ὕβρις.*

Τοῖς δὲ σχαὶ μέτεστιν.

Homer. Odyss. vers. 495.

Hactenus Marshamus Eques, Litteratus, Protestans, & Anglus. At prolixo huic argumento finem faciamus, dicamusque, Naturalistarum Satyras in Historiam, in Ethicam, in Ritus, in Ministros, in Monachos, in disciplinam omnem Christianæ Religionis in se examinatas nihil aliud continere nisi falsas criminationes, & sophismata. Dicamus præterea, has satyras ne leviter quidem tangere, nedum labefactare illa argumenta, quibus ejusdem Religionis divina origo ostenditur. Methodus ergo Impiorum in hac causa loquendi, scribendique nihil ostendit aliud, quam eorum rationis perturbationem summam.

CAPUT OCTAVUM.

De Incredulis Pyrrhonicis.

I. *Pyrrhonismus est humani intellectus postrema perversitas. Quomodo Libertini illo utantur. Pyrrhonici veteres, & nuperi.*
II. *Belius omnes prætergreditur. Ejus color. Ille est fons, unde haurit argumenta Incredulorum Schola.*
III. *Pyrrhonismi nequitia. Quò ducat.*
IV. *Quorumdam recentiorum dicterium dicentium Pyrrhonismum Religionis utilem.*
V. *Cognitio exiguarum intellectus Virium juvat, ut fideles simus. Pyrrhonismus Fidei directe adversatur cum percipiendæ, tum retinendæ.*
VI. *Hujus systematis fatuitas demonstratur. Belii sophisma, & fraus. Luciani stylum Libertini recentes imitantur.*
VII. *Alia Pyrrhonismi invicta confutatio.*
VIII. *Quousque impiorum nostrorum Pyrrhonismus progrediatur. Ex hactenus dictis deducimus, rationis perversitatem esse fontem, notamque Impietatis.*

§. I. VArias hactenus rationes vidimus, quibus in Religionem bellum Libertini movent, eorumque aggressiones perturbationem mentis semper constantem præseferre perspicue advertimus. Transeamus nunc ad hujusmodi perversitatem intuendam clarius in stratagemmate, quo eorum nonnulli utuntur, ut se tueantur, invictique quoscumque ictus repellant. Stratagemma hoc est *Pyrrhonismus*, sive dubitatio de omnibus. Res ipsæ *qua comprehendi nequeunt, sensuum fallacia, intellectus imbecillitas* sunt aggeres illi, ut ita dicam, quibus suis se in castris circumvallant; in queis delitescentes cuicumque argumento, quod nos iis opponamus, respondent, nos carere *criterio*, ut verum a falso, honestum a turpi secernamus: ideoque utcumque evidentes demonstrationes nostræ videantur, fortasse esse illas puras, purasque fallacias, umbras, demum delirantium somnia. Hæc ratiocinandi ars contraria arti cuilibet, & rationis omnis evertrix in Philosophorum Rep. magno in usu antiquitus fuit. Sophistarum ostentationi, qui se scire omnia arbitrabantur, quique omnia decidere volebant, primum quidem quorumdam sapientium modesta quædam reticentia, dubitatio, perquisitiones, difficultas in sententia de natura rerum proferenda fuerunt opposita. Cautus tamen modus hic in errorem extremum dilapsus est. In sophistas qui profitebantur, se nosse omnia, & qui proinde *Dogmatici* appellabantur, immo in eos omnes, qui in quacumque facultate sententiam suam dicebant, insurrexerunt Sophistæ, qui ajebant, se nihil scire, & qui proinde modo *Sceptici*, hoc est *consideratores*, modo *Acataleptici*, hoc est *incomprehensivi*, & demum *Pyrrhonici* nominati sunt ex ejus nomine, qui post Arsilam, quodlibet *vero, & verisimili* de medio sublato, distinctionem omnem, vel saltem quamvis notam discriminis inter verum, & falsum, inter turpe, & honestum negavit: ac propterea omnem evidentiam, & omnem scientiam a mortalibus removere est arbitratus. Molestum hoc, stultumque systema, si modo systema appellari debet humanæ rationis eversio, sæculo sexto decimo ex antiquis suis tenebris erutum fuit, clari nominis Montaneæ scriptis, alibi a nobis memoratis, de quibus (ut prætermittamus id, quod multi Scriptores dicunt, & illa ipsa satis aperte præseferunt) scire sufficiat, ausum fuisse Belium dicere, sicut alibi innuimus, *Dictionarium suum Montaneæ specimen licentiam non exæquare, sive Pyrrhonismus, sive obscœna multa in iis contenta re-*

spiciantur (a). Medio circiter sæculo prætetito valde hoc Pyrrhonismo eluxit Gallus alius, nempe Franciscus de la Mothe le Vayer, Philippi Aurelianensis Ducis præceptor. Ille suis in Operibus causam dubitandi tuetur, efficitque, *opinio veritatem* præcedat. Ejus Dialogorum turpitudines satis notæ sunt. Num ita ille scriberet pro suo Scepticismo, & quousque hic progrederetur, P. Niceronus (*Memoir. des hom. Illus. Tom. XIX.*) ex scriptorum fœditate contra bonos Auctoris mores argumentum deduci non vult, sed hoc sane paradoxum est, licet Bælius (*Diction. Hist. Critiq. Art. Vayer*) tot ineptias scribat, ut illud defendat. Ita enim causam suam agebat. Putat etiam idem Niceronus, Vayeri Pyrrhonismum ad res sacras sese non extendisse; quod quidem vix credi potest, ut alibi dicemus. Patinus, qui ætate illa vivebat, ad amicum suum scribit (b), *Vayerum incidisse in suspicionem quodam rationis vitio, quo & Diagoras, & Protagoras fuerunt infecti*. Operis Protagoræ titulum refert Cicero, aitque, etiam de Divinitate eum dubitasse. Ut hæc eadem humanæ ignorantiæ, & de omnibus dubitationis causa defenderetur, alius Liber parvus quidem eodem sæculo ultra montes in lucem prodiit; sed tantummodo an. 1723. typis editus fuit, & varias in linguas in Europa versus cum titulo *Tractatus de imbecillitate humani intellectus Episcopi Huetii* (Vid. Fabricium *de veritate Relig. Christi cap.* 23.). Num Magnus ille vir Auctor fuerit, Muratorius, qui eum confutavit, valde dubitat. Hoc unum ego dicam, si ille Auctor fuit, eum nobis hoc Opere argumentum non illius humanæ imbecillitatis, per quam de omnibus dubitandum sit, sed ejus infirmitatis, rationisque perturbationis, cui præclarissima etiam ingenia, celeberrimique litterarii viri subjiciuntur, præbuisse. Natio illa alia nobis exempla dedit, Clarusque Harduinus erit ex maxime memorandis unus. Cæterum donec Huetius vixit, Liberculus ille semper latuit: quod argumento est, eum ipsum non dubitasse, quin ex hujusmodi Opere magnam sui nominis, famæque tot Librorum immortalitate dignorum facturus esset jacturam.

§. II. Vehementissimi tamen conatus, ut hoc opinionis monstrum propugnaretur, ab eodem Bælio erant faciendi, de quo, etiam Auctor ejus elogii (c) fatetur, Litteratos omnes sensisse, *Pyrrhonismum fuisse ejus præcipuum dogma*. Et sane suorum magnorum voluminum pluribus in locis pro virili parte sua ejus principia statuere conatur; hæc autem semper asserit, vel de Historia, vel de Physica, aut de Metaphysica, aut de Religione agat. Semper diruit, & ædificat; & de qualibet pene re negat, & ait; nullus mos est adeo turpis, aut sic infandus error, quem ille non tueatur; nec veritas tam evidens, aut tam gravis est, quam in dubium non vocet. Quodvis Auctorum genus, Libertini, & pii, serii, jocosique, casti, obscœnique producuntur; demonstrationes, & sophismata, animadversiones prudentes, stolidæque afferuntur ab illo. Omnia enim æque inserviunt Scriptori, qui laudare quemque intendit, ut omnes irrideat; ut quidvis sub aspectibus omnibus objiciat videndum, ut semper hallucinetur Lector, & erret, nullique magis fidens ex ea Schola impius Pyrrhonicus factus egrediatur. Ex omnibus ergo memoratis præceptoribus eruditionem suam hauriunt Sceptici minutuli, parvulique Libertini, qui aut sermonibus in cœtubus, aut *Epistolis*, *tractatibus*, *speciminibus*, aliisque hujus generis scriptiunculis Impietatem docent. *In Philosophia Boni sensus* (*Reflexion I.* §. 20.) summatim afferuntur sophismata Libri de *humani intellectus imbecillitate*, laudanturque nomine *Auctoris ex majoribus Galliæ Episcopis celeberrimi*, *sueque ætatis doctissimi*; iisque dubitandi necessitas insinuatur. Philosophus vero Roterodamensis, inquit Scriptor

(a) *Reflexion sur le pretendu jugement du public*: est in Tom. IV. Diction. p. 3025. tertiæ editionis. *Après tout oseroit-on dire, que mon Dictionnaire approche de la licence des Essais de Montagne, soit à l'egard du Pyrrhonisme, soit à l'egard des saletés?*

(b) *Mons. de la Mothe le Vayer... est soupçonné d'un vice d'esprit, dont étoient atteints Diagoras, & Protagoras*. Tom. I. Let. 22.

(c) *Il ne faut pas s'étonner, que le monde ait conclu, que le Pyrrhonisme étoit son dogme capital*. M. de la Beauval. Eloge de M. Bayle.

ptor Helvetius (*Let. V. sur les François p. 303.*) *omnes circulatores, qui ante eum vixere*, longe multumque superat arte se se in vultus omnes mutandi, omnesque personas agendi, ut omnium maxime multitudinem inescet; ita omnium maxime modis abundans, rationibusque ut pharmacum suum præferendum omnibus venditet, ideoque ab eo ut plurimum hi nullius nominis impii desumunt ea, quæ Liberculis pestiferis suis minutatim ingerunt, ut omnia Ethicæ, Religionisque certissima principia in dubium revocent, & in Pyrrhonismi tenebris effugium ultimum impietatis constituant.

§. III. Et sane qui unquam disputandum est cum Sceptico, qui quodvis veritatis *criterium* negans, nullum sibi principium relinquit, cui innixus ratiocinari possis, & argumentari? Qui congrediendum cum illo est, qui ubi pedem figas nullum tibi locum relinquit? Convinci quidem potest Naturalista, Atheus ipse, at Scepticus obstinatus convinci nullo modo potest; vi siquidem sui systematis rationem nullam admittit. Demonstratur exempli gratia Atheo, Deum esse, quia ille unus potest esse causa motus: Atheusque manus dat. At Scepticus Bælianis armis instructus te deridet negans cum Zenone, in rerum natura motum dari. (*Diction. Histor. Cri. Art. Zenon. Remarq. F.*) Si Zenonis sophismata dissolvis, motumque corporum ostendis, retrahit pedem Scepticus, turpiusque te ludit, corpora dari, negans; Bæliusque (*ibidem*) sophismatum Physicorum, Matemathicorumque agmine illum instruit, ut opprimaris. Si vividum, perenne, constansque sensuum testimonium appellas, quibus de eorum corporum, quæ te tam vehementer permovent, existentia certior fis; hujusmodi criterium ludos facit; quæ enim impressiones, qui sensus, inquit ille, sunt, si neque corpora sunt, neque motus? Incredibile enim vero videtur sæculo hoc, quo vivimus, ita illustrato, ita exculto, hujusmodi ineptias erecta fronte prolatas audiri posse; audiuntur tamen; Bæliusque, præcipue eloquentiæ, eruditionis, artisque fucis ornatas eas in aciem producit.

Quam ergo perniciosum sit Religioni, morum disciplinæ, ac proinde humanæ Societati hujusmodi systema, nemo omnium est, qui non intelligat. Veritas ipsa est nostrarum cogitationum regula, nostrorumque morum modus. Jam fingamus hanc veritatem aut non esse, aut cognosci non posse, omnes in maximis versamur erroribus. Adulterium a pudicitia, fraus ab æquitate, Religio Christiana a Mahumedana nihil differt; immo res adiaphora est Religio, & Atheismus. Quod chaos! quæ confusio! Hæc itaque, & alia innumera consequentia cum ipsis involuta e Pyrrhonismo oriuntur? Libertinique id norunt, & cum commodum est, ea promunt, eaque obtrudunt. Nonne hac sunt Societatis præclara membra, dignaque, quæ tolerentur, immo amentur, fiantque plurimi ab ejusdem Moderatoribus?

§. IV. Tamen (quis credidisset unquam?) Nuperi Scepticismi propugnatores cum hæc omnia videant, dicere audent, systema suum nullo modo Religioni adversari; immo esse illud aptissimum, expeditissimumque cujuscumque alius methodi ad philosophandum. Eorum verba audiamus. *Duces eorum* (inquit Auctor (*Lib. I. cap. 14.*) Libri de humani intellectus infirmitate) *qui doctrinam de omnibus dubitandi admiserunt, ea de causa admiserunt, quia erat apta admodum ad captivandum intellectum in obsequium Religionis, & Fidei*. Hæc eadem cogitatio summopere Vayero arridet, multisque suorum Operum in locis eam repetit, fuseque amplificat. *Non injuria* (a) *credimus, Scepticum systema, quod innititur sincera cognitioni humanæ nimie omnium nostra fidei opponi, aptissimumque omnium esse ad divina Fidei lumina dignoscenda*. Sed præclarum Bælium audiamus, qui cum Lectorem cæca Pyrrhonismi caligine involverit, ut quodlibet veritatis lumen amiserit, ita inquit (b): *Infe-*

(a) *Ce n'est donc pas sans sujet, que nous envoyons le Systeme Sceptique fondé sur une naïfe reconnoissance de de l'ignorance humaine, le moins contraire de tous à notre creance, & le plus approprié à recevoir les lumieres surnaturelles de la Foi.* De la Vertu des Payens.

(b) *Il semble donc, que ce malheureux état est le plus propre de tous à nous convaincre, que notre raison est une voie d'égarement, puisque lors qu'elle se déploie avec le plus de subtilité, elle nous jetto*

Infelix est conditio hac (& sane talis est, siquidem nudat hominem ratione, quæ ejus est color) *esse omnium aptissima ad nos convincendos, esse rationem nostram aberrandi viam, videtur; cum enim magis vim sui acuminis exerit, nos in hujusmodi crassos errores inducit. Suapte igitur natura consequitur, repudiandam esse hujusmodi ducem, melioremque ab omnium rerum causa exposcendam. Gradus hic ad Christianam Religionem est magnus: vult enim illa, ut a Deo quid nobis sit credendum, & quid agendum, expectemus; illa vult, ut intellectum nostrum in obsequium Fidei captivemus*. Similes dicendi modos identidem in Voltæro leges, audiesque a Libertinorum turba, qui quadam cæcæ obedientiæ, pietatisque specie dicunt, nunquam Fidem nobiliorem agere triumphum posse, quam de ratione edomita.

§. V. At magni laboris non erit istorum versipellium Scriptorum technas detegere, ratiocinandique fallaciam perspicue demonstrare. Veram angustorum terminorum, parvarumque intellectus nostri virium cognitionem ad recipienda Fidei dogmata submisse magnopere conducere, non est negandum. Suo intimo sensu convictus homo, se non posse funditus rerum vel abjectissimarum essentiam percipere, facile inducet animum ad credendum, Ens supremum, quod est infinitum; & esse in se, & scire, & posse id, quod ipse nullo modo possit comprehendere. Atque hæc suæ imbecillitatis sapiens cognitio, spiritui dogmatico Superborum Sophistarum opposita, est illa una, quæ a Patribus, & a Doctoribus recensitis ab Auctore *Tractatus de imbecillitate ut apta ad captivandos intellectus in obsequium Fidei* habita semper fuit. At vero *doctrinam de omnibus dubitandi*, ut ille eam appellat, sive Pyrrhonismum universum, qui *ducem rationem tamquam aberrandi viam* prorsus rejicit, ut loquitur Bælius, *esse ad Religionem Christianam magnum gradum*, quicumque dicit, & desipit, & aliis imponere tentat. Et sane ut hæc Religio eligatur, præferaturque Mahumedanæ, aut Idololatricæ, oportet, ut ille, cui credenda proponitur, illa argumenta examinet, quæ illam divinitus revelatam ostendant (hoc est argumenta, quæ a Scholis dicuntur *credibilitatis*) eorumque vi cognita, aliis quarum falsitatem novit, rejectis, hanc unam amplexetur. Jam qui faciet examen hoc, qui vim argumentorum sentiet, qui profitetur, se non posse veritatem internoscere? Qui veritatem amplectetur evidentia permotus, qui sibi jam persuasit, eam rationem, qua hujusmodi argumenta examinat, esse *aberrandi viam*, quæ nonnisi *in crassos errores inducit*, sibique, utcumque splendidissimum evidentiæ jubar effulgeat, *semper dubitandum esse de omnibus*? *Vult*, inquit Bælius, *Christiana Religio, ut a Deo cognitionem credendorum, agendorumque expectemus*. Probissime. At qui hujusmodi cognitionem a Deo expectabit, qui dubitat, num Deus sit? Hærenti ergo homini in mediæ Pyrrhonismi noctis tenebris nulla major ratio erit, cur viam, quæ ad Evangelium ducit, insistat, quam quæ ad Alcoranum fert; immo ille est omnino indifferens & circa Atheismum, & circa Religionem. Quod si hanc eligit, fortuito eligit, fanaticus eligit, aque imprudenter eligit (e systemate) ac si in Atheismo permaneret. Neque vero hoc Pyrrhonismi virus, cum semel mentem occuparit, minus est Religioni, & Fidei pestiferum. Sæpius quidem Bælius ait, optimum esse, & maxime Christianæ Religioni consonum, *humanam rationem coercere*, & retinere, immo extinguere ejus lumina coram Revelatis veritatibus. Ideo ille tot ceras implevit, ut quisque novit, tot certamina cum Jaquelotto, aliisque inivit, ut oppositionem maximam Fidei cum ratione propugnaret. Hoc idem probare nititur celebri *Dialogo* (a) inter duos Abbates, quorum unus, qui pro Pyrrhoni-

 cis

jette dans un abîme. La suite naturelle de cela doit être de renoncer à ce guide, & d'en demander un meilleur à la Cause de toutes choses. C'est un grand pas vers la Religion Chrêtienne: car elle veut, que nous attendions de Dieu la connoissance de ce que nous devons croire, & de ce que nous devons faire: elle veut que nous captivions notre entendement à l'obéissance de la Foi. Articul. Pyrrhon. Remar. C.

(a) Est hic in Dictionario Articul. *Pyrrhon*. Remar. B. Ille ipse nobis significat, quantum prudentes homines Dialogus hic offenderit, respondetque in suo *Eclaircissement* III. non jam retractans, aut corrigens ejus nequitiam afferendo vera responsa, quæ danda sunt Abbatis Pyrrhonici sophismatibus;

eis stat, quem Heroem suum habet, putat alteri demonstrare, præcipua Religionis Christianæ Mysteria eum primis rationis principiis aperte pugnare; concluditque has omnes nugas avertens, nullum hinc Fidei, diversæ a ratione, ea que superiori periculum imminere; immo ita doceri rationem, ut lumina sua rejiciat, solumque Divinum lumen sequatur. Sed hæ omnes subdolæ artes sunt, facilique negotio detegi possunt. Quid enim se obtenturum ab iis, quibus scribebat, hominibus Bælius sperabat? Si revera sibi persuadebant Fidei Mysteria rationis luminibus adversari, quod Abbas Pyrrhonicus intendebat, aut repudiare debebant ipsa Mysteria, cum fieri non possit, ut intellectus eodem tempore sibi persuadeat esse verum id, quod evidenter novit, esse falsum (atque id est, quo horum artes tendunt): aut evidentiam ducem rejicere debent, utpote quæ veritati Mysteriorum adversa, fallax dux est. Quod si evidentia hæc fallax est, quis eos certos reddidit, redditque de argumentis iis *credibilitatis*, quibus permoti Religionem Mysteriorum sunt amplexati? Quis eos certos efficere potest, se audivisse illam enunciatam, eam se legisse in Libris, se illam tamquam a Deo profectam elegisse? Id primum quidem evidentiæ innixum fuit; si hac falsa, haud certo sciunt, num sint homines, num sint Libri, num sit Ecclesia, num dormiant, num vigilent, num existant. Erunt enimvero tunc egregii Christiani, cognoscentque, se ratione ductos hanc Fidem amplexos fuisse, poteruntque *& sibimetipsis, & aliis de eadem rationem reddere*. Evidens ergo est, Pyrrhonismum, nedum præparet, disponatque homines ad Fidem colendam, esse ejusdem Fidei labem, virusque.

§. VI. Habendæ tamen Superis grates sunt, quod hujusmodi systema nisi in mente perturbata, vereque insana radices agere nequit. Qui enim fieri potest, ut sanæ mentis homo serio dubitet, num sit coelum, & tellus, num sint præter se in rerum natura alii homines? Quod si per ratiocinandi deliramenta eo progrederetur (quo se progressos esse quidam gloriati sunt), ut dubitaret de rerum corporearum existentia, qui fiet ut dubitet saltem, num illas apprehendat? Quod si de hoc etiam se dubitare dicit, negare saltem non potest, se non dubitare, ac proinde se non cogitare; siquidem quælibet dubitatio cogitatio est. Sin autem novit, se cogitare, de existentia sua incertus esse non potest; quod enim non existit non cogitat. Atque ita fundamentum jecimus, in quo ratiocinandi principium constituamus, quod ad Deum usque ascendit. Quin immo in hujus principii evidentia inspicimus, *criterium veritatis esse evidentiam*; quandoquidem illa una, cum efficiat, ut Pyrrhonici ne contumacissimi quidem hujusmodi principium negare possint; efficit etiam, ut contra eosdem nos statuamus, quotiescumque aliquid evidens sit; de eo dubitari non posse, & Pyrrhonismum evanescere. Neque vero ut lumini *evidentiæ* tenebras offundat, firmitatemque hujus criterii labefactet, dicat Bælius, Religionis Christianæ Mysteria, quæ nos diximus verissima, *evidentiæ* adversari. Millies ei respondimus (*Vide supra cap. 6. Lib. II. hujus Operibus*), esse illa quidem humana ratione superiora, hoc est eam explicare non posse, quomodo inter se connectantur extremi propositionis Mysterium enuntiantis termini; non tamen esse se illa rationi *contraria*; hoc est nullam oppositionem, repugnantiamque inter eos terminos ostendi posse. Quapropter, ut ostendimus, argumenta, quæ contra Mysteria afferuntur, evidentia cum non sint, recte excipi, & dissolvi possunt. Id in hoc Libro a nobis de origine mali agentibus præstitum fuit, præstaturque quoad singula Mysteria a Theologis (a), qui in suis disputationibus, & recta methodo utuntur. Quare si Abbas dogmaticus in Bælii Dialogo paralogismis Pyrrhoni-

ci

cibus; sed rursus inculcans hanc creditam oppositionem rationis, & Fidei (quæ quidem oppositio est falsissima): putansque id nullo pacto Religioni nocere: quod ex iis, quæ diximus, patet, insaniam esse impiam.

(a) *Ex quo evidenter colligitur, quæcumque argumenta contra Fidei documenta ponantur, hæc ex principiis primis naturæ inditis per se notis non recte procedere: unde nec demonstrationis vim habent; sed vel sunt rationes probabiles, vel sophistica: & sic ad ea solvenda locus relinquitur.* S. Thom. cont. Gent. cap. 8.

ei Abbatis cedit, id non nascitur ex causa ipsa, sed ex eo, quod Bælius totius Comœdiæ Auctor est, qui personam ad libitum suum loquentem inducit. Ita scilicet solvitur nodus a Luciano in Dialogo de *Jove Tragœdo* Comœdiæ a Timocle, & Damide actæ, qui de Providentia disputant. Impius Græcus hanc de medio tollere, causamque Religionis prodere intendens efficit, ut Timocles ejusdem propugnator sophismatibus Athei adversarii turpiter cedat; definatque, quod victi faciunt, in victorem Damidem convicia, & impropria jaciens plurima; id quod a Momo elicit solutos cachinnos, Jovemque, aliosque Deos spectatores rubore suffundit. Exemplar hoc in suo Dialogo de Pyrrhonismo imitatur Bælius, imitanturque plerumque recentiores Libertini, qui in scenam producunt modo *Missionarium*, *Indianumque*; modo *Persam*, & *Gallum*; modo *Afflatum* Fanaticum, *petulantemque Ratiocinatorem*; indoctum interdum *Presbyterum*, *Mulieremque* impietatem edoctam. Quamquam hæ istorum Comœdiæ longe absint ab elegantia, & eruditione impii Samosateni; in iis tamen apparet consilium idem, idem personarum color. Religionis causa imperito traditur, pluribusque modis proditur, demum non solum victa, sed etiam pudore suffusa, sibilisque a Libertinis incautisve Lectoribus explosa fingitur (a). Num hæc agendi ratio honestis viris, Philosophisque veritatem inquirentibus, quales se isti jactitant, digna sit, vel lippi, & tonsores dijudicare possunt.

§. VII. Sed redeamus in viam, sermonemque de Pyrrhonismo repetens, ajo, eum esse ita stolidum, ut seipsum refellat, & ita imbecillum, ut per se cadat. Quid enim sibi demum verbi causa Bælius vult illo Dialogo, in quo cum Ratione Fidem pugnantem inducit, & omnibus iis locis, qui quidem sunt innumeri, in quibus Pyrrhonismum docet, defenditque? Respondebitur; velle illum *probare*, rationem esse *aberrandi viam*, & etiam cum *omnia acumina sua explicat*, in errorem inducere; ac proinde nullum esse veritatis criterium, & de omnibus esse dubitandum; quod, ut diximus, fuit ejus dogma præcipuum. Optume. At, inquio, si ratio est *aberrandi via*, quomodo ergo poterit ratione hac ita fallaci systema suum confirmare? Nisi criterium veritatis habemus, qui ergo ille internoscit, asseritque, Mysteria nostra cum ratione pugnare? Si dubitandum est de omnibus, qui ergo novit, Pyrrhonismum præferendum esse aliis systematibus, affirmatque, *eum esse gradum expeditum ad Religionem*? Quicumque in his rebus non est prorsus hospes, scit, argumentum Pyrrhonicos jugulare, quibus aut obmutescendum est, aut si quid dicere tentent, secum ipsis pugnandum, suumque systema evertendum. Vidit id Bælius ipse, neque poterat fieri, quia id videret. Quare postquam Sexti Empyrici ex celeberrimis omnis antiquitatis Pyrrhonicis, quique ideo fortasse dici Græciæ Bælius potest, nisi velimus Bælium dicere Belgii Sextum Empyricum, Logicam laudavit, ita loqui pergit (b). *Hoc* Pyrrhonicorum *sophisma nullo modo potest facere satis: seipsum perturbat. Etenim si revera solidum est, probaret certum esse, oportere dubitare. Ergo esset aliqua evidentia; esset ergo regula tuta veritatis. Jam id systema labefactat*. Nempe. Quid ergo amplius exquiritur, inquio ego, ut falsitatem cognoscamus, confiteamurque? At, inquit Bælius, *ne timeatis; non enim eo pervenitur; dubitandi rationes dubiæ sunt. Oportet ergo dubitare, num dubitandum sit. Quo in chaos, quo in equuleo luctatur spiritus!* Verum dicamus potius repono, quæ insania, quæ pervicacia ma-

(a) Opportune unus ex postremis Luciani Commentatoribus hoc idem advertit in adnotatione ad citatum Dialogum Tom. II Edit. Vetsten. 1743. pag. 696. *Quod multi hodie factitant homines, γένεος ἀνοσιουργοῦ (?), Luciano ut ingenio minores, ita scelestiores multo, cum in tanta Christianæ veritatis luce non caecutiant modo, sed quod nefariæ impietatis summum est, dictis, scriptisque id unum aduiti comprimantur, ut Religionis fundamenta aut convellant, aut ludibrio sui similium summo conatu exponant.*

b) *Cette subtilité ne peut donner aucune satisfaction: elle se confond elle-meme: Car si elle etoit solide, elle prouveroit, qu'il est certain, qu'il faut douter. Il y auroit donc quelque certitude, on auroit donc une regle sure de la verité. Or cela ruine le systeme: Mais ne craignez pas, qu'on en vienne là; les raisons de douter sont elles-memes douteuses: il faut douter, s'il faut douter. Quel chaos! & quelle gêne pour l'Esprit!* Dict. Hist. Crit. Art. Pyrrhon. Remar. C.

major, veritatem ita apertam, quæ quocumque confugias te insequitur, nolse nolle? Cum dicit enim *dubitandi rationes dubias esse*, ergo fateare necesse est, te scire rationes certas, rationesque dubias internoscere, nostique, *dubitandum esse*, *si dubitare opus est*? Nonne ergo est evidentissimum quod modo dixi, Pyrrhonicis aut obmutescendum esse: tunc autem eorum secta tamquam in rerum natura non sit, existimabitur: aut, si quid asserant, secum ipsis esse pugnandum: tunc autem eorum systema se ipsum destruit?

§. VIII. Cum animo non intenderim de Pyrrhonismo copiose hoc loco agere, manum, ut dicitur, de tabula: sufficiantque hæc, ut Lector arguat evidenter, quod mihi proposui, ostendique ubertim, hoc est *vera mentis perturbationem* esse Libertinorum notam. Mihi persuasum est, neque nunc esse, neque unquam Pyrrhonicum, ut eum Paschalius vocat, *effectivum, & perfectum* fuisse, qui de omnibus dubitet; dubitet, num vigilet, num aduratur, num dubitet, an sit. *Non potest*, inquit ille (a), *huc usque perveniri. Natura rationem titubantem regit, & ab insania tantæ eam retrahit*. Tamen cum cæcus hic recessus opportunus admodum sit odio habenti lucem, Libertini eo trepidi confugiunt. Quod si universum Pyrrhonismum non profitentur, cum tamen opus esse credunt, illo utuntur; modo ut in dubium vocent illum factorum complexum, quibus divinam Revelationem existere confirmamus: atque hic est Pyrrhonismus historicus: modo ut vitiis horrorem demant, ostendantque discrimen honestatis, & turpitudinis esse commentitium; estque moralis Pyrrhonismus: interdum ut invictas illas demonstrationes eludant, quibus Religionis naturalis præcipua capita probantur; quem Metaphysicum Pyrrhonismum Atheismo ipso pejorem dicere possumus. Hæc tam varia Pyrrhonismi genera non secus ac illi fumi globi, quos *Cacus Virgilianus*, ut ab Herculis ictibus se subduceret, evomebat, in Libris, qui in diem contra Religionem eduntur, delitescunt: delitescunt tamen modo quodam, & arte, ne incautus Lector horrore perfundatur, quem Pyrrhonismus universus, petulansque injiceret. Sed quia omnes hi peculiares Pyrrhonismi non innituntur principiis ejus prudentiæ, per quam fit, ut interdum sapiens vir assentiri non debeat, sed universi Pyrrhonismi principiis, & ad eum demum reducuntur (quandoquidem de medio tollunt, modo sibi constent, veritatis criterium quodlibet); hinc sequitur, sicut Pyrrhonismus præ omnibus systematibus rationi est maxime absonus, ita rationis perturbationem eorum Spirituum Fortium, eorumque Litteratorum admirandorum, qui illo utuntur, veram notam esse, verumque colorem.

(a) *On n'en sçauroit venir là: & je mets en fait, qu'il n'y a iamais eu de Pyrrhonien effectif, & parfait. La nature soutient la raison impuissante, & l'empêche d'extravaguer jusqu'à ce point.* Pensées §. 21.

PARS TERTIA.

De duobus aliis Impietatis Fontibus.

CAPUT PRIMUM.

De Systemate Novatorum.

I. *Systema a Novatoribus introductum est tertius Impietatis fons.*
II. *Quæ sit regula credendi Catholicis. Heretici eam rejiciunt, viamque erroribus muniunt.*
III. *Probatur ratione Costii, Protestantes e suis principiis debere permittere cogitandi libertatem, quæ fines non habet.*
IV. *Idem demonstratur exemplo Socinianorum, quorum errores sunt iidem, qui Naturalistarum, & Deistarum.*
V. *Hoc idem probatur loco illustri Bossueti.*
VI. *Responsio Theologi Lutherani ad hoc argumentum. Confutatur.*
VII *Alii putidissimi errores, ad quos via a Novatoribus munita ducit. Illa Libertinorum deliramentis præter Religionem Revelatam etiam Naturalem subjicit.*
VIII. *Frustra Protestantes errores cohibere curant. Hic modus principiis præcipuis creditæ eorum Reformationis adversatur. Argumenta Arminiani cujusdam contra Synodum Dordrectensem.*
IX. *Hæc omnia confirmant, Novatorum systema perducere usque ad Impietatem. Mutatio, & Opus Papini de hac re.*

§. I. QUamvis innumera sunt argumenta, quæ Hæreticis nostrorum temporum & eorum ab Ecclesia Catholica separationem injustam, & eorum sententiarum hujus dogmatibus adversantium falsitatem, eorumque jactatæ Reformationis vitia ostendere possunt; ex maximis tamen, gravissimisque ad eos e mortifero, quo opprimuntur, somno excutiendos esse deberet illud (estque sane in quibusdam, si Deo placet), ad pestiferas hæreses, immo ad eam ipsam Impietatem, cujus fontes investigamus, eos viam munivisse. Effractis turgidi fluminis marginibus, mirum non est, si undequaque effluit, & dissita etiam loca inundat, devastatque. Jam hæc repagula scilicet humanis ingeniis per Novatorum systema fuerunt avulsa. Hæc nempe causa est una, cur tot errores in dies erumpant, neque intra Europæ limites contenti, maria trajiciant, inficiantque miserrime etiam novi Orbis incolas. Hoc est caput illud ingens, maximumque quod exponendum, demonstrandumque suscipimus.

§. II. Primum ergo constat, Catholicos *in Dei Verbo* suæ Fidei regulam, suarumque actionum normam & agnoscere, & semper agnovisse. At hoc *Dei Verbum* illi a Parente sua, quæ Ecclesia est, suscipiunt, ad quam cum Christus Spiritum Sanctum se missurum polliciticus fuerit, miseritque, a quo illustraretur, regereturque usque ad sæculorum consummationem, illa proinde & fallere, & falli nescia, hujus diviniVerbi veras significationes explicat, imprimensque in filiorum suorum mentibus intellectum ejus, finem controversiis imponit, erroresque indigitat. Hæc methodus, damnatque repudiata in causa fuit, cur tot Fideles ab illa descisserent; repudiumque hoc est adhuc nota præcipua eorum Reformationis. Licet de pluribus dissentientes, omnes tamen & Calvinistæ, & Lutherani in hoc conveniunt, *Scripturam Sacram esse solam Christianorum Fidei regulam*; *nullumque in terris esse*

major, veritatem ita apertam, quæ quocumque confugias te insequitur, nolse nolle? Cum dicit enim *dubitandi rationes dubias esse*, ergo fateare necesse est, te scire rationes certas, rationesque dubias internoscere, nostique, *dubitandum esse*, *si dubitare opus est*? Nonne ergo est evidentissimum quod modo dixi, Pyrrhonicis aut obmutescendum esse: tunc autem eorum secta tamquam in rerum natura non sit, existimabitur: aut, si quid asserant, secum ipsis esse pugnandum: tunc autem eorum systema se ipsum destruit?

§. VIII. Cum animo non intenderim de Pyrrhonismo copiose hoc loco agere, manum, ut dicitur, de tabula: sufficiantque hæc, ut Lector arguat evidenter, quod mihi proposui, ostendique ubertim, hoc est *vera mentis perturbationem* esse Libertinorum notam. Mihi persuasum est, neque nunc esse, neque unquam Pyrrhonicum, ut eum Paschalius vocat, *effectivum*, *& perfectum* fuisse, qui de omnibus dubitet; dubitet, num vigilet, num aduratur, num dubitet, an sit. *Non potest*, inquit ille (a), *huc usque perveniri. Natura rationem titubantem regit*, *& ab insania tantæ eam retrahit*. Tamen cum cæcus hic recessus opportunus admodum sit odio habenti lucem, Libertini eo trepidi confugiunt. Quod si universum Pyrrhonismum non profitentur, cum tamen opus esse credunt, illo utuntur; modo ut in dubium vocent illum factorum complexum, quibus divinam Revelationem existere confirmamus: atque hic est Pyrrhonismus historicus: modo ut vitiis horrorem demant, ostendantque discrimen honestatis, & turpitudinis esse commentitium; estque moralis Pyrrhonismus: interdum ut invictas illas demonstrationes eludant, quibus Religionis naturalis præcipua capita probantur; quem Metaphysicum Pyrrhonismum Atheismo ipso pejorem dicere possumus. Hæc tam varia Pyrrhonismi genera non secus ac illi fumi globi, quos *Cacus Virgilianus*, ut ab Herculis ictibus se subduceret, evomebat, in Libris, qui in diem contra Religionem eduntur, delitescunt: delitescunt tamen modo quodam, & arte, ne incautus Lector horrore perfundatur, quem Pyrrhonismus universus, petulansque injiceret. Sed quia omnes hi peculiares Pyrrhonismi non innituntur principiis ejus prudentiæ, per quam fit, ut interdum sapiens vir assentiri non debeat, sed universi Pyrrhonismi principiis, & ad eum demum reducuntur (quandoquidem de medio tollunt, modo sibi constent, veritatis criterium quodlibet); hinc sequitur, sicut Pyrrhonismus præ omnibus systematibus rationi est maxime absonus, ita rationis perturbationem eorum Spirituum Fortium, eorumque Litteratorum admirandorum, qui illo utuntur, veram notam esse, verumque colorem.

(a) *On n'en sçauroit venir là: & je mets en fait, qu'il n'y a jamais eu de Pyrrhonien effectif, & parfait. La nature soutient la raison impuissante, & l'empêche d'extravaguer jusqu'à ce point.* Pensées 9. 21.

PARS

PARS TERTIA.

De duobus aliis Impietatis Fontibus.

CAPUT PRIMUM.

De Systemate Novatorum.

I. *Systema a Novatoribus introductum est tertius Impietatis fons.*
II. *Quae sit regula credendi Catholicis. Haeretici eam rejiciunt, viamque erroribus muniunt.*
III. *Probatur ratione Costii, Protestantes e suis principiis debere permittere cogitandi libertatem, quae fines non habet.*
IV. *Idem demonstratur exemplo Socinianorum, quorum errores sunt iidem, qui Naturalistarum, & Deistarum.*
V. *Hoc idem probatur loco illustri Bossueti.*
VI. *Responsio Theologi Lutherani ad hoc argumentum. Confutatur.*
VII *Alii putidissimi errores, ad quos via a Novatoribus munita ducit. Illa Libertinorum deliramentis praeter Religionem Revelatam etiam Naturalem subjicit.*
VIII. *Frustra Protestantes errores cohibere curant. Hic modus principiis praecipuis creditae eorum Reformationis adversatur. Argumenta Arminiani cujusdam contra Synodum Dordrectensem.*
IX. *Haec omnia confirmant, Novatorum systema perducere usque ad Impietatem. Mutatio, & Opus Papini de hac re.*

§. I. Quamvis innumera sunt argumenta, quae Haereticis nostrorum temporum & eorum ab Ecclesia Catholica separationem injustam, & eorum sententiarum hujus dogmatibus adversantium falsitatem, eorumque jactatae Reformationis vitia ostendere possunt; ex maximis tamen, gravissimisque ad eos e mortifero, quo opprimuntur, somno excutiendos esse deberet illud (estque sane in quibusdam, si Deo placet), ad pestiferas haereses, immo ad eam ipsam Impietatem, cujus fontes investigamus, eos viam munivisse. Effractis turgidi fluminis marginibus, mirum non est, si undequaque effluit, & dissita etiam loca inundat, devastatque. Jam haec repagula scilicet humanis ingeniis per Novatorum systema fuerunt avulsa. Haec nempe caussa est una, cur tot errores in dies erumpant, neque intra Europae limites contenti, maria trajiciant, inficiantque miserrime etiam novi Orbis incolas. Hoc est caput illud ingens, maximumque quod exponendum, demonstrandumque suscipimus.

§. II. Primum ergo constat, Catholicos *in Dei Verbo* suae Fidei regulam, suarumque actionum normam & agnoscere, & semper agnovisse. At hoc *Dei Verbum* illi a Parente sua, quae Ecclesia est, suscipiunt, ad quam cum Christus Spiritum Sanctum se missurum polliciтus fuerit, miseritque, a quo illustraretur, regereturque usque ad saeculorum consummationem, illa proinde & fallere, & falli nescia, hujus divini Verbi veras significationes explicat, imprimensque in filiorum suorum mentibus intellectum ejus, finem controversiis imponit, erroresque indigitat. Haec methodus, damnataque repudiata in caussa fuit, cur tot Fideles ab illa descisserent; repudiumque hoc est adhuc nota praecipua eorum Reformationis. Licet de pluribus dissentientes, omnes tamen & Calvinistae, & Lutherani in hoc conveniunt, *Scripturam Sacram esse solam Christianorum Fidei regulam; nullumque in terris*

esse

esse ejusdem Sacræ Scripturæ interpretem, qui falli non possit. Ex quo sequitur, a quolibet Christiano legendam esse Sacram Scripturam, eam illum explicare posse secundum sententiam suam, eumque tamquam Spiritus Sancti verum sensum credere, quem ille intellexerit. Hinc cum Minister verbi gratia Genevæ ex Cathedra magno verborum apparatu ostendere nititur, institutionis verba, *hoc est Corpus meum*, accipienda esse in *sensu figurato*, si sutor sibi persuadet, intelligenda esse sensu obvio, & litterali, hunc potest, debetque sequi: neque auctoritas Ministri, aut totius Genevensis, Calvinianæque Ecclesiæ potest illum cogere, ut aliter sentiat. Cum hoc certo certius sit, & in hoc consistat, ut diximus, Reformatorum ingenium, qui propterea *sequendum in rebus ad Religionem spectantibus examen esse* tamquam peculiarem notam suam jactitant, ut differant a Catholicis, qui *auctoritatem esse sequendam* sentiunt; en originem vis illius admirandæ Sectarum, in quas a separatione ab Ecclesia Catholica facta Protestantes diversi abierunt. Hic fons est earum varietatum, quas de dogmatibus gravissimis in eadem Secta exortas vidimus. Hic demum fons illius inconstantiæ credendi in singulis sectariis, ejusque Religionis variæ, libidinosæque, quæ viam ad Impietatem sternit. In hanc talem, tantamque perturbationem Hæretici Ministri declament, ut libet: At *principium reprimens*, sive remedium præsens ad has turbas coercendas e systemate nullum habent.

§. III. Res per se ipsa patet. Tamen grave non sit Lectori materiam hanc tractatam non a Catholico, sed a Costio Litterato Belgico audire, qui cum in Gallicum sermonem *Christianismum Rationabilem* Lockii, de quo alibi mentionem fecimus, vertisset, editioni quartæ Dissertationem suam addidit, in qua ex Lockii *Operis principiis* putat, *se statuere verum, solumque modum uniendi Christianos omnes, utcumque aliter sentiant* (a). Costii ergo propositio talis est (b): *Omnes eos, qui Jesum Christum Patronum, Dominum, Regemque suum agnoscunt, neque quicquam credunt, quod non credant ex animo, Christum, aut ejus Apostolos in Sacris Litteris docuisse, huic divino Domino subjici, & omnes esse membra ejus Ecclesiæ, ac proinde nullum jus eos habere sese invicem anathematizandi, aut excludendi a salute, licet diversas sententias habeant, per quas in tot Sectas, aut Communiones diversas abierunt*. Videt sapiens Lector, quæ immensa errorum seges hinc exoriatur. Est qui colat Trinitatem, est qui irridet; qui fatetur Christum Dei Filium, qui eum purum hominem facit: qui admittit Sacramenta, qui rejicit, qui credit Mysteria, qui deridet. Summatim & Ariani, & Nestoriani, & Pelagiani, & Albigenses, & Sociniani, & Lutherani, & quotquot fuerunt, aut esse possunt unquam Hæretici, omnes in unum coeunt, omnibusque concedenda salus est, si in Sacris Litteris pestiferos, quos imbiberunt, errores reperire, aut in iisdem Scripturis locum nullum, qui illos coarguat, offendere sibi videantur. Horret Catholicus infandum hoc tantum audiens; & sane Costius ipse in decus nostrum ait, *Catholicos Romanos secundum sua principia hoc posse rejicere*. (Licet arbitretur, hæc nostra principia non satis stabilia esse; de qua re loquemur postea.) Sed quod ad Protestantes attinet, suo quidem judicio id ex eorum systemate & ita ex natura sua, & tam recte consequitur, ut patet *nihil jure illi objici posse* (c). Et sane audiamus ejus orationis unum, alterumve locum (d).

Quo-

(a) *Dissertation, où l'on etablit le vrai, & l'unique moyen de reunir tous les Chrêtiens, malgré la difference de leurs sentimens.*

(b) N. VIII. *Tous ceux, qui reconnoissant Jesus Christ pour leur Maitre, leur Seigneur, & leur Roi, ne son tiennent rien, qu'ils ne croyent sincerement avoir été enseigné par J. C. ou par ses Apotres dans les Saintes Ecritures, sont tous sujets de ce divin Seigneur, tous membres de son Eglise, & qu'ainsi ils n'ont aucun droit de s'anathèmatiser les uns les autres, & de s'exclure mutuellement du salut, malgre ce grand nombre de sentimens, qui les partagent en tant de Sectes, ou Communions differentes.*

(c) N. X. *Plus j'examine cette consequence, plus elle me paroit bien fondée & à l'abri de toute objection raisonnable de la part des Protestans. Car pour les Catholiques Romains ils peuvent la rejetter selon leurs principes.*

(d) Ibid. Comment, *s'écriera quelque Protestant zelé pour son parti, & qui se fait un article de damner tous, qui rejettent les dogmes de son Eglise*, comment est-il possible, qu'on s'avise jamais de recevoir un principe, qui rempliroit l'Eglise Chretienne de toute sorte d'Eresie! *Point de passion,*

Quomodo, *inquiet aliquis Protestans suæ Secta fidus propugnator*, *quique Fidei articulum putat eos omnes damnatos credere*, *qui suæ Ecclesiæ dogmata rejicit*: „ qui fieri potest „ ut admittatur dogma, quod Christianam Ecclesiam quovis hæresum genere „ inficeret? *Quæso*, inquit Costius, *mitius*, *ne surgat tibi vitrea bilis*: *bilis nullam controversiam dijudicavit*. *Nonne verum est*, *Sacra Scriptura*, *oportere*, *ut sit Christianorum Fidei regula una*? *Nullumque nunc in terris esse Sacræ Scripturæ interpretem*, *qui falli*, *& fallere non possit*? *Omnes Protestantes de his duobus capitibus idem sentiunt*. *Jam si illi hæc ex animo credunt*, *ut millies fassi sunt in suis sermonibus*, *in suis Fidei Confessionibus*, *in Libris ab iis in Catholicos Romanos scriptis*, *oportet*, *ut confiteantur*, *cuilibet Christiano interpretandi Sacram Scripturam æquam esse potestatem*, *doctrinamque*, *quæ est Fidei dogma huic Christiano*, *quia in Sacris Litteris eam invenit*, *alteri eam ibidem comperire nescienti non esse hujusmodi*. *Ac proinde nulli Protestanti jus est detrahendi*, *anathematizandi*, *traducendique hæreticos eos*, *qui cum Scripturam versarint quam maxima possunt diligentia*, *in ea aliud reperierunt*, *ac ille hausit*. *Invenisne exempli causa Sacris Litteris de Consubstantiatione*, *de Ubiquitate Corporis Christi*, *de Prædestinatione absoluta dogmata*? *Ea sunt tibi credenda*, *neque aliter facere debes*, *hoc tibi do lubens*; *quandoquidem tu Scripturam certissimam tuæ Fidei normam ducis*. *At si ego hæc eadem dogmata rejicio*, *quia in Sacris Litteris ea reperire nequeo*, *non video*, *quanam tibi mecum irascendi causa sit*, *me traducendi*, *me ut hæreticum fugiendum*, *tradendumque Diabolo*, *& Angelis ejus damnandi*. *Hoc est*, *inquam*, *quod me non intelligere ajo*. *Saltem ne postules*, *ut ad salutem consequendam credere tenear*, *omnes doctrinas*, *quas in Scriptura vides*, *reapse in illa esse*, *etiamsi ego in illa videre non possim*. *At si id est*, *cur me Sacram Scripturam legere*, omnia examinare, & tenere id quod bonum est, *jubes*, *ut D. Paulus aperte docet*? *Cur potius earum doctrinarum*, *quæ in Sacro Volumine continentur*, *Elenchum mihi non contexis ut sciam quid credendum sit*, *ut ajebat Comes Grammontii*? *Quidopus est*, *ut eas in Scriptura perquiram*, *ubi fortasse eas non reperiam*, *cum cæteroquin inventæ*, *vel non inventæ æque credendæ mihi sunt*? *Quamquam qua ratione vis*, *me credere*, *hujusmodi dogma in Sacris Litteris reperiri*, *si ego Marte meo illud detegere nescio*? *Id potest auctoritate tua sola fieri*. *Quamvis enim Doctor*, *Professor*, *Prædicansque sis*; *licet plura volumina de gravissimis Theologiæ controversiis composueris*, *homo tamen es*, *hoc est falli potes*; *ac proinde nullum tibi jus est me necessario cogendi*, *ut verbis tuis motus credam hæc*, *aliaque dogmata*

ſion, *je vous en prie*. *L'emportement n'a jamais terminè aucune question*. *N'est-il pas vrai*, *que l'Ecriture Sainte doit être l'unique regle de la Foi des Chretiens*, *& qu'il n'y a presentement sur la terre aucun interprete infaillibile de l'Ecriture Sainte*? *Tous les Protestans conviennent de ces deux principes*. *Or s'il les admettent sincerement*, *comme ils l'ont declarè mille*, *& mille fois dans leurs sermons*, *dans leurs confessions de Foi*, *& dans les Livres*, *qu'ils ont ecrits contre les Catholiques Romains*, *il faut*, *qu'ils reconnoissent*, *que chaque Chretien a un egal droit d'interpreter l'Ecriture pour lui-meme*, *& qu'une doctrine*, *qui est Article de Foi pour un Chretien*, *parce qu'il la voit dans l'Ecriture*, *ne l'est pas pour un autre*, *qui ne peut l'y trouver*. *Et par consèquent*, *nul Protestant n'a droit de diffamer*, *d'anathematiser*, *& de traiter d'hèritiques ceux*, *qui apres avoir etudiè l'Ecriture Sainte avec tout le soin*, *dont ils sont capables*, *y voyent toute autre chose*, *que ce qu'est les dogmes de la Consubstantiation*, *de l'Ubiquitè du Corps de J. C. & de la Predestination absolue*: *vous devez les croire*: *vous ne sauriez vous dispenser*, *j'en conviens puisque vous regardez l'Ecriture comme la regle infaillible de votre Foi*. *Mais si je rejette ces memes dogmes*, *parce que je ne sçaurois les decouvrir dans l'Ecriture*; *Je ne vois pas*, *que vous pussiez vous emporter contre moi*, *me decrier*, *& me damner comme un Heretique abominable*, *devovè au Diable*; *& à ses Anges*. *C'est-la*, *dis-Je*, *que je ne sçaurois comprendre*: *à moins*, *que vous ne pretendiez*, *que pour ètre sauvè*, *je suis obligè de croire*, *que toutes les doctrines*, *que vous voyez dans l'Ecriture*, *y sont effectivement*, *quoique je ne puisse les y decouvrir moi meme*. *Mais si cela est*, *pourquoi me recommandez-vous de lire l'Ecriture Sainte*, d'examiner toutes choses, & de retenir ce qui est bon, *comme Saint Paul nous l'ordonne expressement*? *Que ne me donnez vous plûtôt une liste de toutes les doctrines*, *que vous croyez renfermèes dans ce sacrè Livre*, *afin*, *que je me depèche de les croire*, *comme disoit le feu Comte de Grammont*? *Qu'est-il besoin que je les aille chercher dans l'Ecriture*, *où je ne les trouverai peut-etre point*, *puisque je suis egalement obligè de les croire*, *que je les y trouve*, *ou non*?

Mais encore, *sur quoi fondè voulez vous*, *que je croye*, *qu'un certain dogme est dans l'Ecriture*, *si je ne puis l'y voir moi-meme*? *Ce n'est pas sur vòtre pure autoritè*. *Car que vous soyez Docteur*, *Professeur*, *Predicateur*; *que vous sachiez de l'Arabe*, *du Grec*, *de l'Hebreu*, *du Latin*, *& du Syriaque*: *que vous ayez mème composè de gros Livres sur les plus importantes questions de la Theologie*, *vous etes pourtant homme*, *c'est-à-dire*, *sujet à vous tromper*, *& par consequent vous n'avez aucun droit de m'imposer la necessitè de croire sur votre parole*, *que telles*, *& telles doctrines sont contenues dans l'Ecriture Sainte*, *si je ne puis les y voir moi-mème*.

mata in Sacris Libris inesse, si ego ea per me agnoscere non possum. Hactenus Costius, qui diversis sub aspectibus hoc idem argumentum æque semper valide Protestantibus objicit, ut, e systemate concedendam esse ab iis hujusmodi immodicam cogitandi libertatem, ostendat.

§. IV. Ita sane se res habet, & præter rationem etiam experientia ipsa potest nos docere, hominem per hanc stratam viam usque ad impietatem pervenire. Socinianus sit nobis exemplo. Elata fronte negat hic Divinarum Personarum Trinitatem (a), negat Jesu Christi Divinitatem, omnia Mysteria negat, quæ humana ratione superiora in Revelatione continentur. Neque vero id satis est, divinam *præscientiam*, æternasque pœnas de medio tollit. Quid plura? *cum sua sectæ ducibus* (b) ait, materiam esse æternam, ac proinde Deum ex nihilo mundum non condidisse; additque demum, in hac rerum universitate nihil aliud esse nisi corpora. Quid amplius requirimus, ut hominem ad Naturalismum, ac Deismum, & prope ad Atheismum progressum videamus? Infremit Protestans, eumque damnat: Socinianusque respondet mitis, se huc pervenisse ejus impressa vestigia sequutum. Respondet, se ab eo didicisse legere per se Sacras Litteras, repudiatoque quovis duce (siquidem Protestantium sententia nullus in terris est, qui falli non possit), oraculisque illius Sacri Voluminis eum intellectum subjicere, quem ipse potissimum vult. Quare pergit dicere, se arbitrari, posse se explicare sensu allegorico omnia Mysteria, sicut Calvinista opinatur, sensu figurato *Institutionis* verba esse accipienda: sibique videri jure se posse rejicere omnes modo recentitas doctrinas, quia aut in Scripturis eas non repererit, aut sibi aliter, ac Protestantes sentiunt, cœtus quidem honore dignus, at qui falli, & fallere potest, illæ intelligendæ videntur. Quid respondere possit huic impio Calvinista, aut Lutheranus, qui ea principia, per quæ a nobis descivit, deserere nolit, equidem ignoro.

§. V. Verum audire placet, quomodo hæc Socinianorum methodus, veluti illatio e Protestantium systemate deducta ab immortali Bossueto demonstretur (*Histor. des Variat. Lib. XV. n. 123.*) Ita scribit; *advertit Jurieus* (& post illum Franciscus Buddæus, aliique Novatores) *Socinianos ab Ecclesia Romana diu post Reformationem fuisse egressos. Quid mirum? Lutherus, Calvinusque quoque ab illa desciverant. Quæritur hic, num Ecclesia Romanæ Constitutio, an nova forma, qua Reformati Ecclesiam induere voluerunt, his innovationibus locum dederit. Sed facile Socinianismi Historia controversia definiri potest. Anno 1545. sequentibusque, annos viginti postquam Lutherus terminos a majoribus nostris statutos transgressus est, cum omnium animi perturbarentur, concuteretur que tellus ejus semper quid novi afferentis disputationibus, Lælius Socinus, ejusque socii, clandestinos cœtus in divinitatem Filii Dei in Italia habuerunt. Georgius Blandratus, & Faustus Socinus Lælii nepos doctrinam defenderunt an. 1558. & 1575. Sectæque fundamenta jecerunt. Eodem modo, quo usus est Zuinglius, ut abuteretur illis verbis*, hoc est corpus meum, *interpretati sunt illa, quibus Christus appellatur Deus, Sociniani, eorumque gregarii. Si Zuinglius arbitratus est, se cogi, eo quod non poterat percipere integrum humanum corpus, cum Eucharistia distribuebatur, ad confugiendum ad interpretationem figuratam, Unitarii crediderunt, eodem modo sibi agendum quoad omnia alia Mysteria, quæ comprehendi non possunt. Postquam autem hanc statuerunt inter se regulam, figurate omnia Scriptura loca, in quibus intelligendis ratio vim patiebatur, interpretandi, magisque cam-* pro-

(a) Legi possunt hujusmodi errores collecti, confutatique a nostris Theologis Catholicis. E Protestantibus occurrit mihi *Stegmannus*, qui circ iter medium præteritum sæculum edidit Librum inscriptum *Photinianismus, hoc est succincta confutatio errorum Photinianorum*. Amstel. 1618.

(b) Cudvvortus system. Intel. cap. 4. §. 6. *Postremo recentiores quasdam inter Christianos sectas adhuc pro materiæ pugnare æternitate, neminem temere fugit eruditorum. Verum hi fiunt, quod olim fecisse Stoicos diximus, nihil esse in hac universitate, si a corporibus discesseris, reliqui contendunt.*

Ad quem locum hæc annotat Moshemius.

Socinianos in primis ante legit, quorum præcipuos negare notum est, Deum ex nihilo terrarum Orbem construxisse. Sed nec inter reliquas Christianorum familias desunt, quibus idem placet. Ex Civibus Cudvverthi, ut de aliis taceam, Thomas Burnetius non ita pridem hanc opinionem professus est. Vide ejus Archeologia Philosoph. Lib. II. cap. 9. pag. 529.

produxerunt, quotiescumque intellectui hujusmodi vis erat perferenda. Huic perversa voluntati a Reformatione inducta generalia fundamenta, qua jecerat addamus. Auctoritate Ecclesia neglecta, Pastorum successione nauci facta, saculis prateritis erroris insimulatis, Sanctis Patribus per contemptum habitis, repagulis pudoris omnibus effractis, ratione humana omnino se contenta, ecquid aliud consequi poterat, nisi quod vidimus, nempe de omnibus Religionis capitibus quidquid libido ferret, dicendi, sentiendique? Hactenus Bossuetus, qui copia magna verborum, argumentorumque quovis genere caput hoc in *Monitis ad Protestantes* tractat; ostenditque contra supradictum Ministrum Juriæum infelicem immortalis *Historia variationum* oppugnatorem principia, statumque Impietatis Socinianæ sub auspiciis *pratensa Reformationis*.

§. VI. Erit tamen operæ pretium animadvertere, quomodo Theologus Lutheranus minus revera turbulentus, minusque Juriæo fanaticus, nempe Franciscus Buddæus, ingressus ipse quoque in hanc arenam hunc letalem ictum repellere se posse crediderit, qui eamdem Sectam suam & dedecorat, & labefactat. In lucem edidit Dissertationem inscriptam *de Origine Socinianismi, qua non est tribuenda emendationi* (dicendum potius erat *corruptioni*) *Ecclesia* a Luthero, & a Calvino factæ. Relatis itaque duorum Socinianorum Historicorum sententiis (*a*), qui scribunt, Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Memnonem rebus novis fuisse *candidam auroram nunciam illius clarissimi dici* qui terrarum Orbi Socinum protulit; indignatur Theologus noster de hac laude & ad eam confutandam velut falsum commentum ab iis inventum in suæ impietatis defensionem se accingit. Ita igitur scribit. *Esto arripuerint isti* (Sociniani) *ex Ecclesia emendatione occasionem eo usque progrediendi* (*quod tamen nec probatum est, nec probari unquam potest*) *non magis inde exorta impietatis istius culpa in nos transferri potest, quam in Apostolos, virosque Apostolicos, quod eodem, quo ipsi Evangelii doctrinam propagarunt tempore, Simoniani, Cerinthiani, Gnostici, aliique haretici enati sunt: quorum nunquam audita fuissent nomina, nisi extitissent, qui veritatis divina lucem per universum diffundere Orbem suarum duxissent esse partium.* Hactenus Buddæus, qui suæ Sectæ, suorumque capitum amore abreptus doctrinam valde communem, quam ille ut Theologiæ professor nullo modo ignorare poterat, non videt; quæ est, duo occasionis genera esse; una talis est suapte natura, quia illa reipsa per se ad aliquem finem ducit, & impellit; altera e sua natura cum indifferens sit solum ex alieno usu aut pravo, aut bono alicujus effectus occasio fit. Jesu Christi verba (quis dubitet?) erant omnia divina; Judæis tamen propter eorum perfidiam offensioni erant (*b*). Evangelica doctrina quondam ab Apostolis per Orbem prædicata, & ad nostram ætatem usque ab Apostolorum successoribus in orthodoxa Ecclesia conservata est *veritatis* verbum; non aliunde ergo, quam ex humana pravitate aut Apostolicis, aut nostris temporibus in Ecclesiæ sinu error nasci poterat: Clarissime igitur patet, natarum hæresum causam non posse in Evangelii prædicationem, aut in Religionis orthodoxæ systema refundi, quæ e suo instituto tantum abest ut iis aut faveat, aut illas pariatur, ut etiam eas damnet. Sed cum vobis Sociniani dicunt, *jactatam reformationem fuisse candidam auroram, cujus sunt ipsi meridies*, cumque nos dicimus, vestras fatales novas res occasionem tantæ impietati dedisse, occasio intelligitur, quæ e sua natura talis est, id est, quæ per se ipsam huc usque ducit. Etenim præcipuum vestrarum Ecclesiarum caput est, regulam fallere, & falli nesciam Christianæ fidei de medio tollere, & Religionem cujuscumque libidini permittere; quod simul ac constitutum fuit, patuit aditus, qua ad hæc tam gravia, tamque intolerabilia Sociniani pervenerunt. Desipit ergo qui Apostolorum prædicationem, turbasque a Luthero, & a Calvino concitatas; hæreses primis sæculis exortas, & Socinianismum sub vestrorum patrum auspiciis extremis his tem-

(a) Andreas VVissovvatius *in narratione compendiosa quomodo in Polonia a Trinitariis reformatis separati sint Christiani unitarii*: Stanislaus Lubieniecius *in Hist. Reformationis Polon.*

(b) *Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt ei: scis, quia Pharisai audito verbo hoc scandalizati sunt? At ille respondens ait... Sinite illos; caci sunt, & duces cacorum.* Matth. XV.

temporibus disseminatum ex æquo componit, ac proinde opus maxime arduum aggrederis, immò quod nullo modo fieri potest, cum vis excusatione hac te a crimine purgare, quo systema tuum quoad essentiam notamque suam te damnat.

Non cadit animis Lutheranus Theologus: repellere ictum, & respondere accusationi nititur, quæ ab Auctore *Historia Socinianismi* illi fuerat objecta. Eo libentius ejus sententias affero, quo magis, cum sit ille & ingenio, & eruditione clarus, Lector ineptas, tenuesque eas videns, colliget per se ipsum, argumento nostro nullo posse pacto responderi. Inquit ille: *nec ratio illa, qua probare voluit* (Auctor Anonymus Historiæ Gallicæ Socinianismi) *cur ex Ecclesia emendatione non potuerint non Socinianorum aut progigni, aut promoveri errores, nullius momenti est. Non alium utique aut quæstionum, aut controversiarum admittimus judicem, quam Scripturam sacram, aut Spiritum Sanctum per Scripturam sacram ad nos loquentem. Neque alium admittere judicem possumus. Ad interpretationem autem Scriptura sacra quod attinet, tantum abest, ut omnes ingenio suo pro lubitu indulgendi potestatem faciamus, ut potius secundum regulas certissimas, evidentissimasque, quarum præcipuas ipsa Scriptura sacra suppeditat, eam explicandam contendamus. Et hanc qui ingreditur viam, eam quoque inveniet Religionem, non quam quisque ingenio suo convenire putat, sed quam unice veram esse Scriptura sacra luculenter demonstrat.*

Pulchra enimvero verba, at in Protestantis ore nihil significant. Semper eodem redit; Catholicorumque argumentum semper est invictum. Requiritur enim a Buddæo, ad quemnam statuere in sua Ecclesia has *Regulas certissimas* Scripturam interpretandi spectet? Non ad auctoritatem aut Synodorum, aut Pastorum (nulla siquidem in iis inesse potest) sed ad studium, ad inquisitionem, ad privatam cujuscumque sententiam. Illæ ergo interpretandi regulæ, quæ quibusdam claræ, evidentes, & signatæ in Scriptura videbuntur; ejusmodi non erunt aliis, & contra quædam aliæ videbuntur claræ, & in Scriptura contentæ, quas illi non detegent. Jam aut illos, aut hos proculdubio erraturos esse patet; neque his tamen, neque illis jus erit suas veras, certasque venditandi, reprobandique aliorum *leges*. Cum ergo leges interpretandi penes Protestantes sint ad lubitum cujusque, dubiæ omnino sunt, & incertæ. Verum hoc non est satis; Fingamus omnes convenire de his legibus statuendis; componique inter vos, quod fieri non potest, canonum *Ermeneuticorum*, aut criticorum, disputationi, aut varietati minime obnoxiorum corpus, quid tum? Oportet, hos Canones ad Scripturæ loca aptari, ut inde sensus eruatur, statuanturque hoc modo doctrinæ, & dogmata. At hoc opus, cum constet, inter vos nullam esse auctoritatem falli, & fallere nesciam, ad quam spectat, cujusque privato judicio est permittendum; jam in idem malum relabimur; siquidem sicut variæ sunt sententiæ, tot etiam erunt locorum interpretationes, tot dogmata, tot proinde Religiones. Apertior ratiocinatio nostra esse nequit. At experientia ipsa quavis ratiocinatione major id confirmat. Buddæi theorema de regulis e Scriptura deductis ad ipsius interpretationem Lutheranis, Calvinistis, & Socinianis (ut alios Heterodoxos a nobis divisos silentio præteream) est commune: jam hoc theorema in mente, & præ oculis habentes legunt Scripturam primi, & in illa, exempli causa *præsentiam realem* inveniunt; eam legunt alteri, neque se illam reperire, Jovem lapidem testantur: eam pervolutant tertii, ibique judicio suo nec *præsentiam realem*; *nec Trinitatem, nec Mysteria reperiunt*. Theorema igitur tuum per se unum non potest efficere, ut omnes lectores de eadem re conveniant, ut statuatur verus Scripturarum sensus, ut in illis ea Religio, quæ sola vera est, reperiatur. Ergo Novatorum systema, quod auctoritatem fallere, & falli nesciam a Christo Ecclesiæ relictam (a), ut explicet Scripturas, unam-

(a) Placet exscribere aliquot verba Bossueti desumpta ex *Monito VI. ad Protestantes* Tom. IV. pag. 550. Edit. Venet. quibus doctus ille Theologus breviter exponit Ecclesiæ Orthodoxæ systema in interpretandis Scripturis, indigitatque contra Novatorum criminationes divinum fontem, unde illa sua lumina desumit ad hoc opus, prosperumque eventum, quo illis utitur. *Pour eviter ces extremitez si visiblement pernicieuses* (des Protestants) *l'Eglise Catholique toujours assurée de l'esprit, qui l'anime, & la dirige, n'a aussi jamais hésité à donner des premiers temps, comme autentiques ces interpretations*

unamque, puramque in filiis suis Fidei veritatem conservet, de medio tollit; hoc systema, quod privato cuique Scripturas interpretandi jus permittit, hoc, inquam, vestigia signavit, qua Sociniani ad impietatis terminos progressi sunt, sibique plaudentes scribunt, Calvinum, Lutherumque *candidam fuisse auroram illius diei*, vel potius ejus errorum farraginis, quos in Orbem intulerunt, immo illius impietatis, quæ homines inficit, cujus fontes indigitamus.

§. VII. Quamquam ut ulterius sub auspiciis hujus systematis impietatem progressam videamus, post Socinianum, qui putat licere sibi detorquere, & perturbare tam turpiter Scripturarum *sensum*, Amicum impii Collinsii, qui Canonem ipsum eorum divinorum voluminum ludibrio habet, animo concipiamus. Cur, inquit ille, *S.* Jacobi Epistola a Luthero repudiatur? Cur Macchabæorum, Sapientiæ, Ecclesiasticique Libri a Protestantibus omnibus? Contra vero Cantica, Liber Jobi, Pentateucus tanquam Divini, & a Deo dictati recipiuntur? Id secundum eorum doctrinam, proficisci non potest, quod aliquis in terris falli nescius judex hujusmodi distinctionem eos docuerit, sed quod privata lectio in quibusdam Libris Spiritum Dei iis prodit, quem in aliis non prodit. Eja scitote, inquit impius hic, quo jure vos contra Catholicos rejicitis Libros primos, eodem me contra vos repudiare alteros, in quorum privata Lectione hunc Dei Spiritum me non sentire caste, sancteque affirmo. Quid Novator respondebit? An ad auctoritatem Ecclesiæ confugiet? Atqui tunc dissidium suum a Catholicis Schismaticum diceret. An examinabit, & sedulo eos Libros meditabitur? At vincetur a Libertino, qui ajens, se hac diligentia uti, postulat, ut sibi jus detur eos rejiciendi. Ergo impiorum hominum libidini, quin ab ullo duce falli nescio coerceantur, *sensu* Scripturarum, tum etiam *Canone* relicto, quid de Religione Revelata fiet? Hæc joco habebitur, & derisui, quod in summum sæculi nostri dedecus fieri videmus; immo præter illam etiam Naturalis Religio nihili fiet. Revocet, quæso, prudens Lector in memoriam ea loca hujus Operis, in quibus probavimus divinæ Revelationis necessitatem, etiam propter eas veritates, quæ rationis lumine cognosci possunt, quæque scilicet Religionem Naturalem constituunt. Nos argumentis & a jure, & a facto petitis ibi ostendimus, imbecillitatem, libidinemque humanorum ingeniorum esse hujusmodi, hujusmodi externa, internaque obstacula, quæ harum veritatum integram cognitionem impediunt, ut nonnisi pauci, & sero, & multis erroribus permixtum aliquod Religionis Naturalis systema conficere potuissent. Quod exemplis excellentissimorum ingeniorum, Philosophorumque præstantissimorum confirmavimus, qui evanuerunt in cogitationibus suis, plurimisque erroribus cum theoricis, tum practicis Scholas suas fœdarunt. Ex quibus necessariam esse auctoritatem supremam, fallique nesciam, quæ deliramenta dissiparet, humanosque intellectus veritatum ad Religionem pertinentium cognitione confirmaret, intulimus. Jam auctoritas hæc suprema, quæ est Dei verbum, ob Novatorum systema, qui vivam vocem falli nesciam de medio tollunt, per quam hujusmodi verbum porrigatur, explaneturque, nihil omnino præstat; Illud siquidem libidini, ludibriisque Libertinorum permittunt. Novatorum ergo systema, quod inutilem Religionem Revelatam efficit, ad illa prisca deliramenta omnia, quibus Ethnici ea carentes macularunt, corruperuntque Religionis Naturalis præcipua capita, viam quam brevissimam sternit.

§. VIII. Non sum nescius, ut turbas cohiberent, habere Synodos suas Nationales, arguere, anathematizare hæreticos, contumacesque, Protestantes finxisse. Celebris est Dordrectensis Synodus in Arminianos seu Remonstrantes coacta. Quantum eos miseros persequuta est, quot in exilium expulit, quibus suppliciorum generibus eos affecit gens illa, quæ in Catholicos tamquam feros, immanesque, & cruentos invehitur; Discitur ex illorum temporum historia, & præ-

sations unanimes: en quoi loin de croire, qu' elle eut derogé à l' autorité des Livres saints, elle a au contraire toujours regardés ses explications comme étant le pur esprit de l' Ecriture; & ses traditions constantes, & universelles, comme faisant avec l' Ecriture un seul, & même corps de révelation.

præcipue ex Epistolis ipsius Arminii, aliorumque, collectis a Philippo Limborchio (*Præstantiss. & Erudit. Virorum Epistol. Ecclesiast. & Theolog.* Amstel. 1704.). Ab ipsis postulabatur, ut revocarent errores suos peculiares, & ut illius Concilii Canonibus parerent. At incassum omnia; adversabantur enim præcipuis Reformationis capitibus, quibus se muniebant Arminiani, & a quibus ita agendo discedentes Protestantes se ipsos ab Ecclesia Romana perfugas, Hæreticosque arguebant. Gratum erit, opinor, Lectori, hic quædam legere loca Vytenbogardi Arminiani Ministri Epistolæ *ad Ludovicam Coliniam Viduam Principis Auriaci, quæ est 325. e collectis a Limborchio, missa*, quæ illum hortabatur, ut magnæ Synodi Dordrectensis auctoritati obtemperaret (*a*). *Omnes, singulique*, inquit ille, *Doctores Reformati, inter quos Calvinus & Beza principes habentur, concedunt in hoc gravissimo capite omnia Concilia, & Synodos, utcumque sancta, veneranda que sint, in iis, quæ ad Fidem spectant, errare posse*. Proinde ex hac propositione ita infert; *Vera Reformationis fundamentum exigit, ut nec possit, nec debeat cuiquam Synodo se quisquam suamittere, nisi hac lege, postquam sedulo ejus decreta cum verbo Dei (quod unum est regula in rebus Fidei) collata eidem Divino verbo consona reperiantur*. Post quæ, aliaque his similia ad Dordrectensis Synodi Ministros, Protestantesque omnes Remonstrans conversus, dicere pergit: *Verum si illi rationem mutant, voluntque, ut quisque eorum Synodis obtemperet, quin examinentur, nihil tunc illi habent, quod Papistis respondeant solidi, cum recusant* (Protestantes) *Concilia Papistica admittere; sed opus erit, ut causa cadant*. Huic loquendi modo, a Clerico etiam, aliisque adhibito, ut contra Protestantium decreta libertatem cogitandi tueantur, nihil profecto Protestantes habent, quod reponant. Responsa autem illa, quæ invenire Synodi Dordrectensis Ministri studebant, nihil efficiebant aliud, ut advertit Magnus Bossuetus, nisi ut magis, magisque eos refellerent, ostenderentque objectum argumentum vehementius; quod aut eorum a nobis separationem ut schismaticam, contumacemque arguit, aut immodicam de quocumque Religionis dogmate opinandi libidinem esse concedendam, demonstrat.

§. LX. Hoc est argumentum illud ingens, quod, ut alibi diximus, præclarum Papinum Ministrum Protestantem Gallum, quondamque acerrimum *Tolerantiæ* propugnatorem, quam fundamentum, notamque præcipuam Reformationis esse sciebat, feliciter edomuit. Cum hujus systematis consequentia ille examinasset, essetque meditatus, vidit, se per ea paullatim deduci ad quodcumque errantium genus, etiam Deistarum, ipsorumque Atheorum, si modo Athei bona fide essent, tolerandum. Inhorruit ad hæc, voluitque referre pedem, limitesque immodicæ huic *tolerantiæ* præfinire, & quosdam errantes non perferre. At vidit ex altera parte, se manus dare Catholicis hoc modo in eam *auctoritatis viam* ingredientem, quæ ut Schismaticam, hæreticamque ejus majorum a Romana Ecclesia fugam damnat. Cessit Papinus, Deo bene adjuvante, veritati: Catholicus evasit, exposuitque, & præclare in Opere (*b*), egit de hoc argumento, ostenditque, a Protestantibus vi sui systematis humanis ingeniis ad impietatem usque progrediendi munitam esse viam; nec posse ab iis hujusmodi cursum retineri, quin sua principia oppugnent. Quapropter inter alia egregie advertit, Protestantes per *examen* originem habuisse, at per *auctoritatem* Synodos habendos, sanciendosque legibus, ut has turbas coerceant, modum investigare, ut subsistant. Si tamen hæc *auctoritas*, inquit

(*a*) *En un mot, tout autant qu'il y a des Docteurs reformés, y comprenant Mess: Calvin, & de Besse comme les principaux, accordent en ce Theme general. Que tous Conciles & Synodes, pour Saints & Venerables qu'il soient, peuvent errer en ce qui touche la Foy .... le fondement de la vraie Reformation ... porte qu'on ne peut, & ne se doit soumettre, n'y souscrire à aucun Synode qu'avec cette condition, Si apres avoir bien examiné ses decrets à la touche de la parole de Dieu (la quelle seule nous sert de loy en matiere de foy) on les trouve conformes à icelle parole.*

Mais s'ils changent de Maxime, & veulent, qu on se soummette à leurs Synodes absolument, ils ne sçauroient repondre aux Papistes rien qui vaille, lors qu'ils refusent se soumettre aux Conciles Papistiques, mais faudra qu'ils leur donnent cause gagnée.

(*b*) *Les Deux voies opposées en matiere de Religion.* Vide supra Lib. III. Part. I. Cap. XVI. n. 8.

quit ille, qua utuntur, legitima est, & innoxia, eorum origo damnatur, in qua Ecclesiæ auctoritati noluerunt obsequi; sin autem *examen*, quod in sua origine instituerunt, justum fuit, rectumque, *auctoritatem*, qua utuntur, ut turbas tollant, damnant; ac proinde usque ad impietatem illi viam sternunt, quin remedium ullum possint afferre.

CAPUT SECUNDUM.

De eodem Novatorum Systemate Impietatis fonte.

I. *Probantur experientia hactenus dicta.*
II. *Responsio prima Anonymi Protestantis. Refutatur. Observatio in id, quod Costius dicit.*
III. *Aliud Hereticorum argumentum deductum ex Impiorum numero, qui in Ecclesia Romana esse dicuntur. Solvitur a Baelio.*
IV. *Eadem criminatio repetitur ab Hermanno Conringio; cui respondet Joannes Boineburgius. Hujus argumenti Conclusio.*

§. I. INquisita veritas argumentorum vi clarissimo in lumine posita mihi videtur; experientia tamen eam illustriorem, evidentioremque ostendet. Quid enim? Fuisse etiam ante Reformationem Deistas, Atheosque, & cujuscumque generis impios in Catholicis regionibus, nemo inficias iverit. Tamen, ut vere dicam, opinor, maximam eorum partem, hæc nota inusta fuit, præcipue postquam Litteræ humaniores in Italiam redierunt, fuisse tales indicatos ob pravos mores, & nefanda scripta, quæ ostendunt, eos nihil hominum pudorem, timoremque Dei, æternæque vitæ supplicia pensi habuisse; ac proinde impios fuisse creditos; & erant fortasse Athei, sed magis corde quam mente, hoc est magis moribus, quam meditatione, & systemate. Sed utcumque res fuerit, constat, quomodocumque augeatur (ut arridet quibusdam Protestantibus id agere) eorum impiorum numerus, ne conferendum quidem eorum numerum esse cum agmine immenso impiorum, qui & elapso, & præsenti sæculo Protestantes regiones infecerunt, inficiuntque; & in iis libere loquuntur, scribunt, & inde pestiferum virus per Orbem totum diffundunt. Horum Duces præcipui, Hobbesius, Spinosa, Tolandus, Baelius, Collinsius, Tyndalus, VVoolstonus, aliique hujus generis aut in Anglia, aut in Belgio nati sunt, ibique ut ita dicam publicum contra Religionem Naturalem, & Revelatam Gymnasium aperuerunt. Vidimus supra, quomodo unum Londinum nobis prospiciendum exhibent VVoodvvartus, & ejusdem Civitatis Episcopus Gibsonus, qui inter alia dicit, *illud publicam impietatis plateam videri, omnes alias Urbes hoc commercii genere ab eo superari*. Ibi ii, eorumque impii discipuli impure, & sæpius, & his typographiis (præcipue in Belgio) impios Libros suos in lucem edi magna cum voluptate vident; & iis qui illos impugnant, *Protestantis tolerantiæ* jam supra expositæ clypeum objiciunt. Voolstonis infortunia fuerunt, dici potest, nunquam alias visum ostentum. Jamque alibi advertimus, pene dixerim, apologiam pro omnibus Libertinis fieri ab iis Protestantibus, qui docent, eos puniendos non esse, etiamsi publice impietatem prædicent. Quid amplius requirimus, ut agnoscamus fateamurque, talibus sub auspiciis, & per licentiam a Novatoribus introductam, *natura sua*, ut ajebat VVoodvvartus, *in iis miseris regionibus Deismum, Atheismumque, & quemvis infandam impietatem grassari?* Ac proinde quid amplius opus est, ut propositionem nostram, hoc est rationem a Protestantibus de Religione opinandi inventam recentis impietatis fontem esse, agnoscamus?

§. II. Odium, quod ex hac horrenda con-

consequentia in jactatam Reformationem dimanat, evitandi opportunior cuidam visus modus est, si non directo responderet, quod fieri nequit, sed si eamdem criminationem in Ecclesiam Romanam converteret. Anonymus Protestans Auctor, nisi in eo agnoscendo erro, Operis Philosophici valde acuti, virque sane doctus, cum videret Reformationi ab Abbate Pradesio, multoque magis ab invicto ejus oppugnatore Episcopo Antisiodorensi objici, eam Ecclesiæ auctoritatem tollendo omnibus erroribus, & deliramentis viam aperire, probare nititur, *infallibilitatem*, quam nos in nostra Ecclesia agnoscimus, nullam habere vim, ut impietatem se se supereffundentem coerceat. Placet exscribere ejus integram oppositionem, ex qua intelligetur, quot sint præjudicia, & quam desperata nostrorum adversariorum causa. Ita ergo loquitur (a): *Catholici de hoc uno idem sentiunt, esse Ecclesiam falli nesciam, & hanc esse Romanam; Dissentiunt autem, quum quæritur, ubi ejus hoc munus resideat, & quodnam sit sacrum illud tribunal, e quo exeant ejus oracula. Alii in Pontifice uno esse illud dicunt, alii in Concilio, alii demum in Pontifice, Concilioque simul conjunctis. Ii vero, quos vos Hæreticos appellatis, sibi persuadentes, nullam in terris* infallibilitatem *esse, nullibi eam quærunt. Præterea ex hac sententiarum varietate, quibus in diversa abitis, de* infallibilitatis *sede, ipsi audacter colligunt, Ecclesiam vestram falli posse; si enim falli non posset, jamdiu certissima sententia hoc dissidium composuisset, quod est ita grave, aut quod, ejus* infallibilitate *posita, nunquam locum habuisset. Atque hic ad duo animum advertite, primum quidem controversiam hanc, quæ in vestra Ecclesia sinu falli nescia credita versans nondum dijudicata fuit, esse omnium gravissimam; ex ejus enim decisione aliarum decisio pendet; cum Tribunal falli nescium cognosci oporteat, priusquam ejus sententiis quis se subjiciat; Deinde vero ex tribus partibus, quæ de hoc dogmate Ecclesiam Romanam scindunt, duas necessario errare; tertiam autem nondum invenire potuisse modum, quo duas alias ex errore revocaret. Proinde ejus credita* infallibilitas *nihil omnino illi prodest; quandoquidem tam illi, ad quos hujusmodi* infallibilitatis *jus pertinet, æque fructum nullum percipiunt. Non solum Abbas Pradesius, sed Sorbonna tota, immo Ecclesia ipsa Romana quanta quanta est ad huic argumento respondendum lacessitur*. Hactenus Protestans, de quo Lector videt, num jure dixerim, nihil aliud illum hoc argumento quam suorum præjudiciorum magnitudinem, desperatamque causam suam ostendere. Respondeo igitur, non opus esse Sorbonna, multoque minus Romana Ecclesia tota, ut ejus argumentum solvatur. In sacra Theologia Novitius, immo Fidelis quisque suæ Religionis peritus illud dissolvit. Et sane dicet ille huic *provocanti* ita formidando *sacrum Tribunal, in quo infallibilitas residet*, a quo *oracula* accipimus, esse *Ecclesiam*, quo nomine *Pastorum omnium cum suo capite, quod est Romanus Pontifex, idem sentientium cœtus*

tus

(a) Liber memoratus hunc titulum præfert, *Court examen de la These de Mr. l'Abbè de Prades*. Amster. 1753. Nisi conjecturæ nostræ errant, Auctor est Boullierus, cujus habemus Opus valde ingeniosum, inscriptum *Essai Philosophique sur l'ame des Bêtes*. Res deploranda quidem est, Sectæ præjudicia efficere, ut tam male sentiat, loquaturque de Religione vir in rebus Metaphysicis adeo versatus. En ejus verba pag. 19. *Les Catholiques uniquement d'accord sur ce point qu'il y a une Eglise infaillible, & que cette Eglise c'est la Romaine, ils se partagons bientôt de sentimens lorsqu'il s'agit de savoir où reside son infaillibilitè, & quel est le sacrè Tribunal d'où emanent ses oracles. Les uns le cherchent dans le Pape seul, les autres dans le Concile, les autres enfin dans le Concile, & dans le Pape rèunis ensemble. Ceux au-contraire que vous appellez Heretiques, bien persuades qu'il n'y a point d'infaillibilitè sur la terre, ne l'y cherchent nulle part. Bien plus: de ce partage d'opinions qui vous divise au sujet du siege de l'infaillibilitè, ils en concluent hardiment, que votre Eglise ne sçauroit être infaillible; puisque si elle l'etoit, il y a long-tems, que par une decision infaillible elle auroit fait cesser un partage si embarassant, ou que pour mieux dire, posè son infaillibilitè, il n'auroit pu jamais avoir lieu. Remarquez ici deux choses. I. Que cette Controverse, que dans le sein de votre Eglise pretendue infaillible demeure indecise jusqu'à ce jour, est la plus importante de toutes; puisque de sa decision depend celle de toutes les autres. Car il faut connoitre le Tribunal infaillible, avant que de pouvoir se soumettre à ses arrêts. En second lieu, des trois Partis qui divisent sur ce point capital l'Eglise Romaine, deux sont necessairement dans l'erreur, & le troisieme n'a pu trouver jusqu'ici le secret de detromper les deux autres. Par consequent sa pretendue infaillibilitè ne lui sert de rien, & tant ceux auxquels il appartient ce droit d'infaillibilitè, que ceux auxquels il n'appartient pas, en perdent egalement le fruit. Ce n'est point simplement M. l'Abbè de Prades; c'est la Sorbonne entiere, c'est l'Eglise Romaine en corps, que l'on defie de repondre à cet Argument.*

tus intelligitur. Hæc est, fuitque semper a temporibus Apostolicis usque omnium Catholicorum una constansque vox. Patres, Catechismi, Theologi nostri obsides, vadesque sunt. Quapropter cum Protestans varias sententias recenset, quæ suo judicio inter nos sunt de hoc capite, dicitque, *nonnullos hoc falli nescium Tribunal in Pontifice quærere, alios in Concilio, quosdam demum in Pontifice, Concilioque simul conjunctis*, aut in hoc imperitiam suam prodit, aut malam fidem. Prætermissis enim nunc duabus primis sententiis, quæ ad hanc materiam, de qua loquimur, minime faciunt, ajo, tertiam non esse *opinionem quorumdam*, ut se credere Hæreticus simulat, sed omnium Catholicorum vulgatam esse sententiam. Atque hujusmodi sententia non est in ipsis quædam speculatio mera, neque solum Libris eam tradunt, sed ostendunt, ostenderuntque reapse a Tridentino Concilio usque ad Nicænum, & ab hoc usque ad Apostolicum progredientes. In quibus quidem Conciliis, quæ OEcumenica appellantur, quia Ecclesiæ universæ Jesu Christi speciem gerunt, *esse Jesum Christum simul cum Spiritu Sancto*, juxta ejus pollicitationes, *ut eos omnem veritatem doceat*, erroremque quemlibet discutiat, Catholici credunt, semperque crediderunt, recipiuntque ut oracula certissima omnes Canones, quos hoc Tribunal de rebus Fidei hactenus edidit. Credunt crediderunt que controversias ad Fidem spectantes, quin ulla appellatio interponenda sit, ab hoc Tribunali definiri; & ducunt, duxeruntque ut Hæreticos, hoc est ut membra ex hoc corpore recisa, eos omnes, qui noluerunt ejus sententiis obtemperare, quales Ariani a Nicæensi Concilio damnati fuerunt; & hinc etiam recentes Novatores, quos anathematibus suis Concilium Tridentinum confixit. Jam cum hoc liquido constet, omnia superius Hæretici convicia recensita per se corruunt, apparetque falsum esse, quod ait, nos in hoc tantum convenire, quod Ecclesiam falli nesciam credimus, at nescire nos qua in sede hujusmodi sit *infallibilitas*. Falsum est, in Ecclesia Catholica hanc controversiam non esse definitam: falsum proinde est, creditam nostram *infallibilitatem* nihil valere ad errores removendos, & ad definiendas controversias. Id, inquam, omne falsum est, factoque ipso refellitur, de quo nullus Catholicus est, qui dissentiat; neque erit, qui audaciam Adversarii non admiretur in aciem prodeuntis triumphantis instar *Sorbonam*, *Ecclesiamque universam* argumento fallaci lacessentis, cujus falsitatem e non paucis suæ Sectæ hominum scriptis discere poterat. Hoc idem a nobis supra memorato Costio dicamus, qui licet fateatur, nos Ecclesiam nostram falli nesciam credentes jure ac merito a fidelibus exposcere, ut ejus sententiis se se submittant (quod ut ille invicte demonstrat, *systemate* suo agere nequeunt Protestantes) putat tamen, litem adhuc inter nos esse, cuinam hæc *infallibilitas* sit adscribenda. Ille ut modo ostendimus, errat toto cœlo: quandoquidem constanter omnes Catholici credunt, Tribunal hoc falli nescium esse Ecclesiam, hoc est Episcoporum cœtum cum Capite suo, quod est Romanus Pontifex, conjunctum, sive ii in Concilium Generale cogantur, sive per Orbem dispersi de aliquo Fidei capite statuendo, aut de aliquo errore damnando simul conveniant. Quod vero ad aliquam aliam difficultatem spectat, quam ibidem Costius objicit, ut fundamenta concutiat, quibus nos innixi oportere aliquod in terris Tribunal falli nescium esse, probamus, non vacat nunc, nec præstat, eam refellere. Sufficit modo argumentum unum, quod hoc capite pertractavimus, nimirum hoc Tribunali falli nescio de medio sublato, ut illud Protestantes auferunt, Deum frustra nobis Scripturas dedisse; nam earumdem intellectu, immo discrimine earum *auctoritas* privatis hominibus permisso, nullus esset controversiis finis, nihil in Fide certum esset, Religio Revelata caderet, & in impietatem delaberetur. Quod quidem in Hæretico systemate accidere vidimus; ac proinde veluti Impietatis horum temporum fontem esse, jure diximus.

§. III. Sed argumentum, quod contra nos jactum in Hæreticorum Libris sæpe offenditur, præterire tacitus nolo; deductumque est a numero ingenti Atheorum, Deistarumque, qui eorum sententia simulata Religionis specie in regionibus nostris, præcipue in Italia, ubi Sedem suam primam Religio fixit, delitescunt. Hinc de-

deducunt, ad Impietatem impediendam, tollendamque inutile prorsus esse illud *infallibilitatis* decus, quod nostræ Ecclesiæ adscribimus.

Hoc argumentum contra nos a claro Juriæo contortum refellit Bælius (*Dict. Histor. Crit. Artic. Maimbourg Rem. D.*) consequentiam negans, ajensque, *infirmum, qui non convalescit eo quod nihil eorum, quæ Medicus jubet, sumere vult, testem esse non posse, Medici remedia nullam vim habere. Infallibilitatis* dogma, quæ in Ecclesia nostra est, potest per se constantes in Fide reddere animos, dubia ex iis removere, & controversias definire. Hæretici, Impiique, qui inter nos nati sunt, & fortasse vivunt nobiscum, sunt ejusmodi nulla alia de causa, nisi quia huic dogmati contradicunt, nostrique systematis præcepta negligunt; cupiditatum enim impetu obcæcati oculos claudunt, ne lucem illam intueantur, quæ posset efficere, ut errores suos viderent, & eos depellerent. In Protestantium systemate hoc *repr mens* principium, quod animos confirmat, controversiasque dirimit, non est: immo quodlibet repagulum effringitur, licentiaque, ut ostendimus, errori datur. Errantium ergo inter nos numerus contra systematis vim nihil probat, a quo hi ut in Impietate vivant, se subtrahunt; at errantium inter eos numerus omnino cum systemate convenit: illa enim eadem vestigia, quæ iis illud indigitat, sequentes Impii fiunt.

Quamquam Protestantes hæc immensa Atheorum, Deistarumque nobiscum viventium agmina crepantes, quis dubitare potest, quin id dicant potius illo, quo in nos feruntur, amore moti, per quem fit, ut nobiscum semper sic agant, potius quam recto judicio e factis deducto? Haud ii sumus, qui negare velimus, esse his præcipue temporibus frumento electo permixta & zizania hujusmodi; sunt, fatemur; at scimus Protestantes nimirum homines nobis inimicos ea superseminasse. Impii enim libri ab illis editi, luctuosoque malo nostro per regiones nostras diffusi, nobis sunt, ut modo dicemus, Impietatis, contagionisque pestiferæ teterrimi fontes. Tamen constat, morbum hunc neque esse ita universum, neque ita ingentem, ut plenis buccis adversarii effutiunt. Quis enim honestus vir Italiam, immo multas Catholicas regiones audebit cum una Anglia in hac re conferre? Ii, profecto, qui inter nos palam Impietatem profitentur, nisi ad meliorem frugem redire volunt, per ea remedia, quæ Moderatores Reip. porrigunt, solum mutare coguntur, & in regionibus Protestantibus benigniori fruuntur Cælo, in quo vivant, & ad libitum venenatos fructus edant. Marchio d' Argens, & Voltærus sunt hujusce rei testes locupletissimi.

§. IV. At Protestantes dicere pergunt, latere quidem inter nos impios, sed tamen esse, & frequentes etiam esse. En Hermannus Conringius quin montes trajiceret, veniretque in regiones nostras, ut de hoc certior fieret, putabat se hoc ostendere posse argumento valde peculiari a se Joanni Boineburgio Illustri Germano Litterato viro proposito. Inquit ergo Conringius, sæpissime hoc animadversum fuisse in Germania, juvenes regressos ex peragrata Italia omni Religione carere, & Atheismo infectos esse. Jam, inquit ille, non aliunde id oritur, nisi quod illi in iis regionibus tot, tamque Impietatis excellentes Præceptores reperiunt, qui colloquiis exemplisque eos vertunt, corrumpuntque. Ergo Italia (Conringius ita concludit) gymnasium est Atheismi celeberrimum, & frequentissimum. Ne grave sit Lectori ejusdem Boineburgii responsum audire, qui Catholicus quidem erat, at oculatus testis habendus est eorum, quæ ad eas regiones spectant, in quibus vixerat.

Quod autem multi ex Italia reduces tædio quodam Religionis laborant, ejus sane non alia fuerit causa, quam quod Protestantes *peregre illuc profecti longe alia vident, & audiunt, quam quæ de Pontifice, de Cardinalibus, & universo Clero antea e suis, sive in Academiis, sive in Scholis, sive ex suggestu intellexerunt. Observant ibi multa, quæ placeant; etsi non omnia promiscue probent; atque sensim, dum in veritatem Fidei, quam tenent, & ejus primordia inquirunt, nauseam, & fastidium suæ Religionis concipiunt; & alteram,* Romanam *quam vocatis præferre incipiunt. Quia tamen non sunt ea eruditione, ut omnia capiant, aut ea judicii limpitudine, ut juste omnium determinationem instituant; neque ea animi constantia; ut parentes, bona, & commoda hujus vitæ malint se-*

ponere; neque illa pietate, ut sequi contendant morum innocentiam, quam a permultis in Romana Ecclesia maximo cum admiratione sincere celi vident: ut solentur anxium animum, saepe etiam deserti a Deo justo ejus judicio, eo delabuntur, ut aut perinde esse existiment cui parti inter Christianos adhaereant, aut solam tantum Naturalem *de Deo notitiam veram esse statuant, quidquid praeterea traditur cum* Hobbio, Herberto, *idque genus caeteris Philautiae, & licentiae, ac Religionum adiaphoriae Magistris, ingenio hominum tribuant, ceu inventum ad continendos in officio, & sub obsequio populos: aut denique, quo ultra non datur, de ipsa anima nostra immortalitate ambigere occipiant. Non igitur Italiae imputandum videtur, quod tot ex ea domum redeunt Athei, ut scribis, sed pertinaciae illorum, qui, reluctantes veritati quaerunt subterfugia, quibus expleant animum sollicitum. Ita enim se rem habere vel inde cognoveris, quod demum si qui ex illis serio Religionem quamdam amplectuntur, non aliam nisi* Catholicam, *& magno saepe cum famae, & fortunarum suarum dispendio suscipiunt. Non negabis, nusquam hodie plures esse omnis Religionis contemptores, quam in Anglia. Id Angli ipsimet palam profitentur. Quae vero hujus rei causa est? Non alia utique, quam quod eos tadet & sectarum aliarum, & ejus, quae hodie principem tenet locum.* Catholicam *probant quidem, sed timide, quia premitur, & quia eam sectantibus non tantum via omnis ad honores, & Reip. munia praeclusa est, sed etiam damna, & gravia iis imminent discrimina. Horum metu homines delicati malunt nihil credere, secta Principis nomen, & elogium tamen praeferentes, quam Catholicam profiteri. Agnosces ergo deinceps, te Italiae fuisse paullo iniquiorem, fierique omnino* per accidens, *cum ex ea aliqui redeunt Religionis incurii, qui probi esse visi fuerant, & sua Fidei retinentes, antequam illuc irent.* Epist. 56. Tomi Prodromi Commercii Epistol. Leibnitian. Hactenus Boineburgius, de cujus singulari eruditione, honoribus conspicuis, muniis, & fama cognitio haberi potest ex Praefatione, quae memorato Tomo I. *Commercii Litterarii Leibnitiani* praefigitur. Jam quamquam nolumus vades esse, causam universam Impietatis per Italiam Protestantium itinerantium esse eam, quam Scriptor hic profert, scientes probe, quot sint, & quam varie conjungi possint causae illae, quae cor hominum, mentemque pervertunt; certum tamen est, eum factum verissimum innuere, cum ait, Protestantes ad nostras regiones progressos videre, & audire res longe alias ab iis, quas de dogmatibus, de cultu, de Ecclesiae nostrae moribus petulanter, ficteque Protestantes Ministri scribunt, praedicantque. Oppositam sententiam mordicus tenere, quod in responsione ab Boineburgium Conringius facit, nihil est, quam mendacium defendere, quod Librorum Protestantium ex una parte lectio, levisque nostrae Ecclesiae notitia ex altera satis superque refellit. Hanc autem erroris cognitionem tam claram, perspicuamque in causa esse debere, cur hi adolescentes itinerantes de sua Religione, quae ex hujusmodi mendaciis praesidia quaerit, dubitent, res per seipsa loquitur. Ex hac autem dubitatione, in qua haerent, mirum non est, si hi adolescentes et veritati, quae inter nos efsulget, quam tamen sequi non audent, lumina claudentes in Impietatem prolabantur. Jam quanto aequior sit haec ratiocinandi de hujusmodi mutatione ratio, quam in Italia quasdam Atheorum Societates esse comparatas ad pervertendos itinerantes adolescentes, comminisci, prudens quilibet novit, & quisque honestus Protestans fateatur oportet. Hoc ergo argumentum concludamus, dicamusque, quamquam negare nefas ducimus, inter nos quoque esse miseros quosdam, qui aut ex ignorantia, aut ex cupiditate minus in Fide stant, immo in Impietate jacent, horum numerum procul dubio tantum non esse, quantum Protestantes dicunt; & praeterea Ecclesiae Catholicae systema non solum iis aditum ullum aperire ad impietatem, sed eos ab impietate revocare. Contra vero inter Reformatos, Impiorum, hoc est quovis in genere Haereticorum, Naturalistarum, Deistarum, Atheorum numerum, ipsis fatentibus, esse quam maximum; & praeterea systema ab iis admissum, hoc est *examen* cuilibet Tribunali in controversiis de Religione falli nescio infensum, suapte natura ad omnia inanissima, & maxime perniciosa deliramenta viam sternere. Fatendum ergo est, nuperae Impietatis eum e fontibus unum esse; quod demonstrandum hoc loco spoponderamus.

CAPUT TERTIUM.

De Lectione Librorum perniciosorum quoad Religionem.

§. I. Diximus præcedenti capite, Libros Religioni infensos, qui tam facile ex Angliæ, Belgii, aliarumque Regionum, in quibus Licentia debacchatur, typographis eduntur, pelago trajecto, montibusque, in nostram Italiam devectos, luctuosissimæ contagionis causam esse. Me facturum operæ pretium reor, si hoc argumentum paucis hic pertractavero, tamquam ultimum eorum Impietatis fontium, de quibus me disputaturum in hoc libro esse, pollicitus fueram. Sermo hic noster qualiscumque cautos innocentes faciet, ab imperitis errores demet, eos petulantes coarguet, qui hujusmodi mercimonio aperiendum aditum esse arbitrantur.

Christiana Religio adeo stabilis est, ut impetum nullum, hostilemque aggressionem reformidet. Omnia volumina, quæ in lucem contra illam usque ad nostra tempora sunt edita nedum eam concuterent, magis, magisque ejus veritatem illustrarunt. Non lacessiri, non examinari, non confligere renuit, quidquid in contrarium Libertini dicant. Castis sermonibus Domini *probatis, examinatisque septies igne* innititur, a quo probatiores, exquisitioresque exierunt. Nullus vir honestus erit, qui aliquod Sophisma aut a veteribus, aut ab nuperis Impiis allatum ostendere possit, quod nostrorum dogmatum ullum vel tantillum infirmarit, quod non semel, sed millies solutum non fuerit. Qui secus diceret, aut impudenter mentiretur, aut in his controversiis peregrinum prorsus se proderet.

II. Si stabilis tamen, invictaque est in se ipsa Religio, ejusmodi æque non est in iis, qui illam profitentur. Quot e Christianis ii sunt, qui perspicue ejus dogmata norint, calleantque fundamenta, rationesque? Paullisper in fœmineum sexum oculos convertamus, juvenes consideremus, eos demum, qui maximam populi partem constituunt, observemus; illi ipsi fatebuntur, gloriabuntur etiam, se Theologos non esse; cum hæc dicentes hoc sibi velint, se suæ Religionis eam habere notitiam, quæ sufficiat, ut Christiani sint, & quam fortasse quondam e Catechismis didicerunt, non jam scientiam illam, per quam penitus dogmata addiscuntur, systema comprehenditur, potestque ejus veritas defendi, ejusque jura contra eadem negantem, impugnantemve propugnari. Jam huic uni facto immoror, quod certissimum est, illustrissimumque; requiroque a quocumque sanæ mentis homine, quid prudenter cogitet,

gitet ? futurum esse de his hominibus, cum aut ex inani studio, aut ex ostentatione, aut ex voluptate eorum librorum lectioni se dabunt, qui exquisitissima arte acutissimorum argumentorum examen suscipiunt, immo quocumque modo impugnant, irridentque Religionem? Non est hoc problema ejusmodi, cujus solutio acumen magnum requirat. Diu imprudentes virus haurient, haud internoscentes, quippe qui imperiti sunt, inter veritatem, mendaciumque terminos; tum sensim profanis sermonibus assuescentes, subdolisque assentientes sophismatibus, quæ facillime eorum animum occupant, repente evadent Materialistæ, Deistæ, Libertini, quin hujusmodi suam mutationem advertant. Scio (neque enim negabo) præoccupatam illam bonam opinionem, quam de sua Religione simul cum lacte hauserunt, aliquandiu eos posse in Fide confirmare; quamvis fortasse contrariis argumentis, quibus satisfacere nequeant, se constrictos sentiant. Certum tamen est fore ut Fides hæc paullatim deficiat, conceptaque de sua Religione sententia contrariarum rationum specie victa, ut infantiæ præjudicia consideretur, abjiciaturque demum, & irrideatur. Pergamus porro: Cum non habeant illi, ut diximus, eam, quæ *Religionis scientia* dicitur, sophismata, quæ in his Libris offendunt, feliciter solvant, quod eos stabiles, firmosque in Religione tenere posset, esset Religionis ejusdem *amor*, qui etiam *pius crudelitatis affectus* nominatur. At qui sperari potest, amorem hunc in iis permansurum, qui horum Librorum lectione delectantur, quibus hæc Religio quocumque modo irridetur, intestinoque odio ejus Auctor divinus læditur, & proscinditur? Neque vero quis mihi dicat, eos dicendi elegantia, cognitionumque acumine, quibus Liberculos suos consarciunt Libertini, oblectari: quis enim erit amans Filius, qui patienter, immo libenter audire possit de suæ Matris decore detrahi, etiamsi convicia, quibus de illa detrahitur, elegantissime efferantur? Cum igitur Lectores de quibus agimus, ea scientia careant, qua errores, quibus impugnatur Religio, refellant; cum amore in eam, ejusque Auctorem nullo ferantur; rursus requiro, quid hanc inconsultam, cæcam, cupitamque lectionem consequetur? Illud enimvero, quod experientia heu nimium fatalis in dies ostendit, hoc est primum de Fide dubitabunt, tum circum negotium hoc tam grave indifferentes erunt, denum Libertini impudentes, stabilesque evadent.

§. III. Ita autem res se habere debet, etiam Lectorum ingenio tantum animadverso, qui ignari, parumque bene in Religionem animati horum Librorum Lectioni vacant, quibus illa oppugnatur, luditurque. At quid erit, si Scriptorum Libertinorum color consideretur, qui artibus omnibus maxime subdolis, vafrisque utuntur plerumque, ut tenebras menti offundant, corque legentium pervertant? Harum artium quædam afferamus exempla.

§. IV. Haud illi aperte pugnaturi in aciem descendunt, neque classico indicunt, velle se Deo, Providentiæ, Evangelio, disciplinæ morum bellum inferre. Nimio horrore id legentes perfunderet. Plerumque honestatem hostentant, ajunt, immo caste, sancteque testantur, se hæc omnia pronos venerari, quæ jam norunt mortales obsequio prosequi. Postquam autem pellexerunt, inescaruntque initio Operis ita incautum Lectorem, avidusque eos sequitur, vafre illi errores diffundunt; simulatisque præmissis pollicitationibus obsequii, cultusque in Religionem, Evangeliumque venenata dicteria, argumenta utrumque impugnantia, quæ ligurit insipiens Lector, quibus demum pervertitur, audaces subjiciunt. Roussojus exempli causa in limine sui celebris Operis inscripti *Discours sur l'origine, & les fondemens de l'inegalité parmi les hommes* nominat magno cum honore Libros Moysis, aitque, *illis ex fide præstita, quæ quocumque Christiano Philosopho iis præstanda est, dicendum homines nunquam in eo fuisse statu, qui naturæ pura status dicitur*. Addit etiam, *Religionem velle, ut credamus, cum Deus ipse eduxerit homines a naturæ statu, esse eos inæquales, quia ille voluit, ut essent* (a): *At hanc Religionem* haud

(a) Religio nobis jubet credere, inæqualitatem, quam cernimus (ut etiam mala omnia) hominum non a prima eorum Creatoris dispositione proficisci; sed habere suam originem ab eorum Parentis peccato.

haud nobis vetare conjecturas facere e sola hominis, Entiumque, quæ illum circumstant, natura erutas, qualis homo sibimetipsi permissus potuisset esse futurus . . . (a) Optume. Quid tum? Postquam hæc tam caste testatus est, ut bona fide certiorem reddere ignarum Lectorem videatur, penitius in argumentum ingreditur, depositaque venerabunda specie, *conjectoris colore*, ita vocem effert, asseritque: *en, homo, quocumque ex loco sis, aut cujascumque generis sint sententiæ tuæ, en tui historiam, quam me legere credidi non in tui similium Libris, qui mendaces sunt, sed in natura, quæ nunquam mentitur* (b). Jam quænam erit unquam hæc hominis historia ex illius naturæ consideratione deducta? Ille eum pingit in primo ejus statu solum, silvestremque sub quercu, aut ad fluminis ripam recubantem, nudum, inermem, perpetuoque iratis feris belluis reluctantem. Elinguis est, sine notionibus, sine Societate, exlex, sine Religione, sine Deo. In eo non sunt nisi sensationes, corporeique motus iis respondentes. Sola mala, quæ pavet, sunt fames, dolorque; & una bona cupita sunt cibus, somnus, coitusque cum mulieribus, quas casus offert; quasque statim derelinquit, quin eas, aut prolem quicquam curet; hæc nata, maternoque e sinu evulsa in nemus projicitur imitatura brutorum animantium instinctum, a quibus distinguitur hoc uno, quod *libera* est, potestque *rationis usum* explicare. Hæc est primæ hominis conditionis historia *lecta in Natura, quæ nunquam mentitur*; descriptaque serio, graviterque a Christiano Philosopho, qui *Sacros Moysis Libros* venerari se dicit, & id de primo hominis statu credere, quod *jubet Religio*. Qui mirandus concentus! Paullisper etiam eum sequamur. Fuit hæc, Roussojo Judice, aurea hominis ætas, in qua, licet tempus certum definire non possit, tamen per longum sæculorum spatium majores nostri permanserunt. Jam luctuosissimo suo fato incipit homo hic aliquantulum erudiri, imitansque bellu arum cavernas quamdam tecti speciem sibi construit, sub quo simul cum fœmina, filiisque jacet. Hinc quoddam commercii genus nutibus, stridoribusque servatum inter similes enascitur. Hæc prima sunt Societatis semina (ad quam secundum hanc *Historiam* a natura factus homo non erat, sed potius ad silvestrem vitam) quæ, migrante animali, de quo loquimur, per mirandam mutationem a sensationibus ad rationem, artium (funestis) inventis, loquendi (quod comprehendi nullo modo potest) invento, mutua conversatione aucta fuit, & confirmata. Cum ad hanc conditionem homo pervenisset, deposuissetque *augustam* illam *cælestem simplicitatem*, qua ut brutum animal cum belluis versans gavisus fuerat; cito ab ejus corde cupiditates eruperunt, hinc mutua dissidia, impetus, bella oria; jamque supremum rerum universitati exitium imminet. Quid tum? tunc scilicet factum est, ut homines aliis potentiores, vafrioresque „ quasdam repererint regulas, quæ servatæ utiles Societati fuissent. Collectionique autem harum regularum (inquit Roussojus) impositum Legis Naturæ nomen est, quin aliud experimentum haberetur, quam utilitas, quæ ex iis servatis in Societatem esset dimanatura " (*Prefacæ pag.* LXIII.). Ita homo naturalem libertatem amisit, captivus Legum factus fuit, subjectusque ei vinculo, quod jus naturæ dicitur, officiaque personalia, socialia, & religiosa complectitur; omnia (Judice hoc eximio Historico) a versipellibus hominibus excogitata ad libidinem, nullo alio Duce, quam officiis commentitiis, eaque utilitate, quæ ex iis sperari poterat in humanam Societatem dimanatura. Hæc est summatim hominis historia ab origine sua usque ad nostramen-

(a) *En ajoutant aux Ecrits de Moi e la foi, que leur doit tous Philosophe Chretien, il faut nier que meme avant la deluge les hommes se soient jamais trouvè dans le pure etat de la nature.* Pag. 5.
La Religion nous ordonne de croire, que Dieu luimeme ayant tirè les hommes de l' etat de nature, il sont inegaux, parce qu' il a voulu, qu' ils le fussent; mais elle ne nous defend pas de former des conjectures tirèes de la seule nature de l' homme, & des Etres, qui l' environnent, sur ce qu' auroit pu devenir le genre humain, s' il fût restè abandonè à lui-meme. Ib. p. 6.

(b) *O homme de quelque contrèe, que tu sois, quelles que soient tes opinions, ecoute: Voici ton histoire telle, que j' ai cru la lire non dans les Livres de tes semblables, qui sont menteurs, mais dans la nature, qui ne ment jamais.* Ib. pag. 7.

tempora a Roussojo *in natura lecta*, *quæ nunquam mentitur*, exquisitissima elegantia descripta, episodiis, animadversionibus que monstrosissimis, & maxime admirandis ornata.

Quicumque prima Theologiæ Naturalis, & Revelatæ limina salutavit, hunc Romanensem Librum non solum aperte veræ hominis historiæ, quam nobis Moyses antiquissimus, verissimusque omnium Scriptorum Auctor nobis exhibet, adversari videt; sed etiam omnes notiones, quas de Deo, & de homine ipso, æque fides, ratioque in nobis excitant, eversas cernit; conspicit Religionis, Societatisque fundamenta omnia labefactata. Inspicit hypothesim non solum ad libidinem confictam, sed repugnantem, picturam, quæ conveniens cum natura dicitur, sed naturæ omnino adversans, ut summatim dicam, hominem videt,

Qui studet, ut ratione insaniat:

Quod nos alibi copiose demonstravimus, & quicumque Opus hoc nostrum legit, probare potest. At non ita profecto accidit iis omnibus, qui Roussoji Librum legunt. Credere me juvat, neminem esse tam inhumanum, qui videns se recta descendere e genitoribus brutis animantibus, silvestribusque, suamque speciem per tot sæcula deformatam horrore non perfundatur; at alii errores putidissimi, quibus *fermo* ille scatet, nos æque omnes horrore afficit; audientes siquidem initio statim ab hoc Philosopho, suas conjecturas non prohiberi a Religione, seque venerantem Moysis Libros illud opus aggredi, aut errores eos non credunt, aut ad summum pro libitu confictam hypothesim putant, opinionesque *adiaphoras* illas judicant, quæ omnem veritatem, omnemque legem impugnant.

§. V. Multo magis perniciosa hæc Genevensis Philosophi ars in Libro *Æmilius*, seu *de Educatione* inscripto apparet. Postquam in eo de Religione Naturali, quam se sequi ait, loquutus est, easque Pyrrhonismi tenebras, quas loco suo feliciter, ni fallor, dissipavimus, Religioni Revelatæ offudit, præter opinionem de Evangelio ad loquendum descendit, illudque ita laudat, ut neque nobilius, neque elegantius id fieri possit. Quasdam afferam periodos: (a) *Fateor, me Scripturarum majestate obstupefieri. Evangelii Sanctitas ad cor meum loquitur . . .* (Quæ pietas!) *Legite Philosophorum Libros: licet tantam pompam præseferant, ut sunt præ hoc tenues! Qui fieri potest, ut Liber ita sublimis simul, simplexque sit hominum opus? qui fiat, ut ille, de quo* (in Evangelio) *narratur historia, non fuerit nisi purus, putusque homo? Estne hæc vox fanatici, an superbi Sectarii? quæ morum integritas! quæ sese insinuans suarum allocutionum gratia! quæ majestas suis in præceptis! quæ solida scientia suis in sermonibus! . . . Quis est homo ille, quis ille sapiens, qui agere, pati, & mori sciat, quin deficiat, quin sese iactitet? . . . Si vita, morsque Socratis sunt Sapientis; vita, morsque Christi sunt Dei. An dicemus Evangelii historiam ad libidinem esse confictam? Nequaquam: haud hæc est fingendi ratio; Socratis gesta, de quibus nemo dubitat, non tam confirmantur vera, quam Jesu Christi gesta . . . . . Difficilius concipi posset plures homines ex composito hunc Librum composuisse, quam unum materiam illius scribendi dedisse. Numquam Scriptores Judæi ejusmodi stilum, aut hujusmodi morum disciplinam reperissent: Evangelium tam magna, tam perspicua, tam difficilia quæ imitemur,*

(a) *J'avoue que la majesté des Ecritures m'étonne; la Santité de l'Evangile parle à mon coeur. Voyez les Livres des Philosophes, avec toute leur pompe; qu'ils sont petits près de celui-là! Se peut-il qu'un Livre à la fois si sublime & si simple soit l'ouvrage des hommes? Se peut-il que celui dont il fait l'histoire, ne soit que un homme lui-même? Estce là le ton d'un enthousiaste ou d'un ambitieux sectaire? Quelle douceur, quelle pureté dans ses moeurs! Quelle grace touchante dans ses instructions! Quelle élévation dans ses maximes! quelle profonde sagesse dans ses discours! . . . . Où est l'homme, où est le sage qui sait agir, souffrir & mourir sans foiblesse, & sans ostentation? . . . Si la vie & la mort de Socrate sont d'un Sage, la vie & la mort de Jesus sont d'un Dieu. Dirons-nous que l'histoire de l'Evangile est inventée à plaisir? Non, ce n'est pas ainsi qu'on invente, & les faites de Socrate dont personne ne doute sont moins attestés que ceux de Jesus-Christ. . . . Il seroit plus inconcevable que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce Livre qu'il ne l'est qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais des Auteurs Juifs n'eussent trouvé ni ce ton ni cette morale, & l'Evangile a des caractères de verité si grands, si frappans, si parfaitement inimitables que l'inventeur en seroit plus étonnant que le Héros.* Emil. Tom. III. p. 179.

temur, veritatis argumenta habet, ut admirabilior inventor, quam Heros ipse esset. Hactenus Roussojus. Quanta est veritatis vis, quæ ex illo Auctore testimonium hujusmodi potuit extorquere. At etiam quanta est aut hominis versutia, aut infirmitas! Postquam tam copiose Evangelium ut divinum (quandoquidem si ait *non posse illud opus hominum esse*, consequitur esse Dei) celebravit: statim hæc subdit (a): *tamen hoc ipsum Evangelium incredibilia narrat, repugnantiaque rationi, quæque nullus sana mentis homo concipere, & credere potest*. Quis major saltus? Sed nimirum quivis cordatus vir ubi legit locum hunc, satis admirari non potest, aut non hæsitare vel de acumine, vel de honestate hujus Philosophi. Aut enim ille vere credit, Evangelium Librum esse divinum, aut non credit: nihil medium. Si divinum credit, atque nihilominus, illud adversantia rationi continere, perinde facit, ac si diceret, Deum mendacii Auctorem esse, cum mendacium sit id, quod rationi repugnat. Quid? si divinum illud credit, & inquit, illud *incredibilia* continere, & quæ *nullo modo admitti possunt* a viro prudenti, aut sapientia, aut veritate, aut auctoritate Deum spoliat, ita ut dignus sit, cujus verbis prudens vir fidem præstet. Hæ (alibi jam a nobis fusius expositæ) tam perspicuæ, tam certæ demonstrationes sunt, quam fortasse Euclideæ. Ergo nullo pacto credi potest, eas Roussojum latere, quin eodem tempore de ejus exquisito cæteroquin acumine dubitetur. Sin autem Philosophus noster Evangelium non esse divinum putaret, cum illud ita ubertim tanquam divinum laudat, hæc enimvero esset præter impietatem turpissima simulatio, quam cane pejus, & angue honestus homo odisse debet. Hoc est dilemma, cui respondere possit, non video.

Interea tamen, ut ad propositum redeamus, quamvis ita revera se res habeat, major tamen, immo maxima eorum pars, qui *Æmilium* legunt, aut hoc ignorat, aut non advertit. Magnifica laus Evangelio ab illo data ita eos decipit, ut incauti venenum eadem manu porrectum hauriant. Quare cautum valde consilium, quod statim addit, iis videtur; hoc est, ut *in his contradictionibus modesti sint, cautique; ut silentio venerentur id, quod neque rejici, neque comprehendi posset, ut se magno Enti, quod solum veritatem novit, subjiciant* (b). Qui quidem nimirum est *Scepticismus* ille, quem amplecti se cogi dicit. Hoc, inquam, ignaris Lectoribus sapiens videtur consilium, neque incauti prævident, hanc esse metam, ad quam eos perducere animo Libertinus Scriptor intendebat, ut κατ' ἐξοχὴν eos impios efficiat. Quum constat, Deum esse loquutum, nullum habet *Septicismus* locum; & qui dubitat de ejus verbis, idem facit, ac esset impius. Illud neque rejicere, neque suscipere non est prudentia, sed *incredulitas*: *incredulitas* autem a magno Ente, quod non solum veritatem *novit*, sed etiam *veritatem* enuntiat, impietas maxima habetur.

§. VI. Verum cum de prima arte diximus, qua Libertini Scriptores incautos decipiunt, hoc est simulando, se Religionem venerari, quam postea sibi non constantes perfricta fronte aggreditur; cujus quidem artis non solum Roussojus, sed cæteri omnes ejusdem farinæ Scriptores plurima exempla nobis præbent; ad dicendum de altera eorum techna, quam ut plurimum legentes non animadvertunt, gradum faciamus. Hæc est methodus alia prorsus ab ea, quam in gravissima de Religione disputatione quilibet honestus, veritatisque cupidus vir sequi debet. Caput summum, unumque, a quo quævis alia quæstio dependet, in hoc versatur, num Deus loquutus sit, vel num Christiana Religio sit a Deo Revelata. Jam nos caput hoc, quod quidem præcipuum est, post alios omnes Catholicos Scriptores, Libro nostro II. quovis argumentorum genere omni exceptione majorum nos probasse credimus. Ex quo geometrica evidentia colligimus, ergo om-

(a) *Avec tout cela, ce meme Evangile est plein de choses incroyables, de choses qui répugnent à la raison, & qu'il est impossible à tout homme sensé de concevoir, ni d'admettre.*

(b) *Que faire au milieu de toutes ces contradictions? Etre toujours modeste & circonspect, mon enfant; respecter en silence ce qu'on ne sçauroit ni rejetter, ni comprendre, & s'humilier devant le grand Etre qui seul sait la Verité*. Tom. III. pag. 180.

omnia Religionis dogmata, quamvis humanum captum exsuperant, esse verissima; omnes leges ejus divinis Libris indictas esse æquissimas; omnes historias in iisdem relatas certissimas esse. Ac proinde jure, ac merito credimus, omnia argumenta contra nostra dogmata allata esse sophismata; omnes exceptiones in nostras leges inventas esse injustas; omnia reperta monumenta, quæque reperiri possunt, Scriptores, testimonia in id, quod in nostris Scripturis habemus, esse mendacium; erigimusque tamquam nostrum insigne, nostræque Fidei epilogum illa verba, *Deus unus verax est, & omnis homo mendax*. Hoc uno clypeo protecti omnes adversariorum impetus repellimus; neque jure possunt ii a nobis postulare suorum argumentorum peculiarem solutionem, nisi aliquam Geometricam demonstrationem afferrent, qua Mysteria nostra dari non posse, aut dogmata nostra esse falsa ostenderent; quod nec hactenus fecerunt, nec facient unquam. Aliæ eorum rationes, quibus nituntur demonstrare, Mysteria nostra, & dogmata difficilia esse captu, cohærere simul non posse, neque comprehendi, esse absurda, & aliæ tales millies repulsæ, & labefactatæ despicatui habendæ sunt; cum ne æquiparare quidem possint, nedum superare demonstrationis *a priori* nostrorum dogmatum ex verbo Dei fallere nescio deductæ pondus, cujus Revelationem invicte probavimus. En methodum nostram cum nitidam, perspicuamque, tum firmam, stabilemque, qua nos quamvis aggressionem confutaturos esse confidimus. Et sane eam norunt, infremuntque Libertini Scriptores: quare non coram nos aggrediuntur, neque argumentis nostris de divina Revelatione respondent, plerumque hoc argumentum levissimum attingunt, *tamquam super accensis carbonibus incedentes, vixque audentes iis pedem figere*, ut utar nonnullius ex iis dicendi modo, hoc est, plerumque quædam in dubium revocant, aut difficultatem amplificant, quod factitasse Roussoium observavimus. Cæterum hoc præcipue curant, ut ab hoc capite, quod est quæstionis præcipuum, Lectores avertant, eosque detineant rebus cum longinquis, tum quæ possint eos allicere, & in fraudem pertrahere. Alii, ut quoddam afferam exemplum, modo Historias Sinenses, & Ægyptiacas Antiquitates in aciem producunt, ut nostram de Creatione Mundi Epocham dubiam reddant, aut Diluvii universitatem negent; modo Diodori, Taciti, aliusve veteris Scriptoris testimonia afferunt, ut historias a Moyse scriptas falsitate coarguant. Hoc primum Auctor *Philosophiæ boni sensus* intendit. Alii satyras acerrimas in Monachos, in sacros Ministros, in nostros ritus proferunt, ut ita contemnendam, irridendamque Religionem ostendant. Hoc est unum ex præcipuis *Epistolarum Judaicarum*, immo omnium recentium Liberculorum argumentum. Nonnulli nostram morum disciplinam aut de matrimonio, aut de cœlibatu, aut de injuriarum venia ad examen revocant; & per *calculos*, *per politica aphorismata* eam despiciendam præbere satagunt. Ita Auctor *morum*, Helvetius, Roussojus, aliique Libertini. Hi nostrorum Mysteriorum, ut ea repugnantia rationi demonstrent, difficultatem amplificant. In hoc autem argumento Petrus Bælius excelluit, ejusque pedissequi, imitatoresque, servum pecus. Non desunt tandem, qui stilo serio, gravique seposito, qualis argumenti magnitudinem decet, in quælibet augusta, & sacrosancta Mysteria audacter probra, conviciaque jaciunt, rati se veritatem evertisse, si risum de iis Lectoribus moverint. Atque in hoc arguendi genere Voltærus fortasse cæteros omnes antecedit. Adolescentes ergo nostri, doctæ mulieres, aliique voluptatibus dediti homines scripta hæc legunt; perturbati, commoti, involutique his validis argumentis jam de Fide dubitant. Quid ita? quia Religionem suam ignorant. Si enim eam scirent, infirmitatem eorum sophismatum viderent; nossent, singula millies examinata ea fuisse, dissolutaque; sed potissimum (quod præcipuum est) omnia argumenta hæc futilia esse, quia nec divisa, nec simul conjuncta controversiæ caput, quod est Revelatio, ne leviter quidem attingunt, quæ cum firmissime invictis demonstrationibus innitatur, omnia Libertinorum dicteria difflat. Si enim est loquutus Deus, auctorque Religionis Christianæ est; ergo omnia (quod modo diximus) convicia in ejus dogmata blasphemiæ sunt, argumenta contra ejus Mysteria sophisma-

mata, calculi, politicaque præcepta ejus Ethicæ opposita, commenta, fatyræ in ejus ritus, Ministrosque falsæ criminationes, omnesque historiæ, monumentaque Sinensia, Ægyptia, Romana, Græca ejus Libris absona mendacia sunt. Sed quia id latet homines, qui aliis studiis fortasse operam navarunt, præter Religionis studium, ideo artibus hostilibus succumbunt, & in impietatem prolabuntur ea perversa disputandi methodo abrepti, quæ cuicumque prudenti, sapientique viro eorum Liberculorum imbecillitatem, desperatamque eorum, qui methodo illa utuntur, causam demonstrant.

§. VII. Non minus tamen subdola, ac perniciosa incautis Lectoribus est alia fraus Libertinis valde familiaris; audaciam intelligo errores suos enunciandi, affigendique falsas criminationes. Vox hæc elata, tutaque, minimeque hæsitans, frons hæc imperterrita mentibus infirmis imponit, efficitque, ut suspiciatur Scriptor hominum genere universo major, coram quo fas sit mutire, nedum contradici, aut responderi ejus dictis possit. Innumera in hoc genere exempla afferre possem; aliqua tantummodo brevissime attingam. Voltærus postquam ut superstitiosos traduxit Philosophos, doctoresque, qui tamquam gravissimum Religionis Revelatæ, & Naturalis dogma substantiam cogitantem spiritalem propugnant, ita Dictatoriam vocem affert. *Quid hi dicerent, si ipsi impietatis rei sunt? Et sane quis erit, qui dicere sine summa impietate audeat, fieri non posse, ut Creator cum materia cogitationem, sensumque communicet?* (a) Potestne majori hiatu error tam decumanus effutiri? Nos eum esse hujusmodi alibi ostendimus, ubi jam diximus non *essentias*, sed *existentias* rerum esse divinæ omnipotentiæ *objecta*: &, sicut non solum sine impietate, sed merito, prudenterque dicitur, Deum efficere non posse, ut triangulum sit rotundum; ita dicitur, Deum materiæ cogitationem impertiri non posse, aut ut aptius dicamus, materiam hujus affectionis capacem non esse. At quot ex hujus Operum Lectoribus sunt, quibus hujusmodi doctrina nota sit, qua audacia tanta allatum sophisma refellant? Vox ipsa eorum ignorantiam omnino opprimit; Voltærusque illorum judicio recte sentit. En aliud ejusdem Comici exemplum. Recitatis innumeris Auctorum Philosophorum, Theologorumque & veteris, & mediæ ætatis nominibus, in quibus latissimam eruditionem suam nobis patefacit, hoc oraculum enunciat; *Quoad Ecclesiæ Patres, multi primis sæculis, multi inquam* (advertatur animus ad hanc repetitionem) *crediderunt, Deum esse corporeum* (b), Qui fieri potest, ut hoc tam asseveranter dictum, tamque impavide incauti, bonique Lectores, qui fortasse nullius Patris scripta legerunt, non credant verissime dictum? Cæterum non agitur de re levis momenti, sed de errato, quod Mysteria, immo fundamenta Religionis omnia evertisset. *Si multi, multique Ecclesiæ Patres primis sæculis* impietatem hanc docuissent, quid de populo a Patribus edocto, quid de Traditione, de Ecclesia sentiendum esset? Ita tamen Voltærus pronunciat: at impudentissime mentitur: quandoquidem, quod alibi ostendimus, error de *Deo corporeo*, ut ex veterum monumentorum exquisito examine discimus, sæculis iis *Melitoni Sardicensi Episcopo* tribuitur; de Tertulliani sententia de hoc capite adhuc sub judice lis est; & in Lactantio dicendi modi reperiuntur admodum ambigui. Omnes & Doctores, & populus Christianus semper confessi, veneratique sunt Deum ut *spiritum immortalem, & invisibilem*, detestatique sunt summopere *Anthropomorfitarum* errorem, qui in Asiæ angulo in lucem prodiit, Theodosio regnante. Hi sunt ii *multi, multique Ecclesiæ primorum sæculorum Patres*, qui Voltæri sententia Deum corporeum crediderunt. Nonne vel magna audacia, vel summa inscitia requiritur, ut hæc scribantur?

§. VIII. At Voltærus hujusce notæ, qua in ejus naturam versa videtur, clariosa argumenta in duobus postremis Liber-

(a) *Mais que diroient ils, si c'etoient eux-mêmes, qui fussent coupables d'irreligion? En effet, quel est l'homme qui osera assurer sans une impieté absurde, qu'il est impossible au Createur de donner à la matiere la pensée, & le sentiment?* Let. XIII. sur M. Locke.

(b) *Quant aux Peres de l'Eglise, plusieurs, dans les premiers Siècles, plusieurs, dis-je, ont cru... Dieu corporel.* Ibid.

berculis inscriptis *Dictionaire Philosophique Portatif*, & *la Philosophie de l'Histoire*, quos dedit, quamquam ejus nomen non præ se ferant, vox tamen omnium una illi adscribit, quippe qui ejus nativos colores gerunt; nihilque revera sunt nisi *rapsodia*, seu verius rudis indigestaque moles sophismatum, & dicteriorum in Religionem. (Sperare juvat, hos esse postremos ejus extremæ senectutis impios abortus, & ut Roussoji verbis utar (Epist. V. scripta ex Monte) *scurriles jocos ejus vetustiorum annorum*). Multi sane mirantur fanaticum hunc Poetam, qui hoc argumentum semper pertractat, & in sua fere omnia scripta vel poetica, vel historica, vel Philosophica unco veluti impacto Religionem pertrahit. Undenam, inquiunt quidam, impetus hic in illo? Ni fallor, Montesquius suorum oraculorum uno nobis hoc ænigma solvit. Inquit ille, *Homo pius, & Atheus de Religione semper loquuntur, ille loquitur de eo, quod amat, hic de eo, quod timet* (a). Equidem crederem, me nulla contumelia Voltærum afficere; immo ne illi displicere quidem, si e prima harum classium illum excipio. Is ergo est ex iis unus, qui de Religione semper loquuntur, ut de re, quam reformidant. Scilicet: sentit ille istius Omnipotentis hostis pondus; ejus sermones vellent illud excutere. Non idcirco tamen aut aliquo connexo systemate, aut aliquo inaudito argumentorum apparatu utitur. Haud est vir ejusmodi. Jam inde cum contra Cartesium scripsit, animam nostram *non semper cogitare*, fuit qui in eum scripsit, Voltæri animam *cogitare nunquam*, & Joannes Jacobus Roussojus nuper eum inducit jure vereque fatentem, se contra Religionem scurrilitates profanas, & impias evomuisse, sed simul semel iterumque testantem, *se nihil omnino ratiocinari* (b). Omnes ejus Libri hoc confirmant; duo postremi id geometrice demonstrant. Hi quoque duobus sub titulis eamdem crambem repetunt, hoc est eamdem congeriem sophismatum, objectorum ex Libertinorum voluminibus hinc inde corrasorum, dispositorum in *Dictionario* Alphabetico ordine; in *Philosophia Historia* per capita; refartorum in utroque Liberculo ridiculis jocis, & felle, malitioseque in quidquid augusti, sanctique est jactorum (c). Fateor, hos Liberculos primum legenti mihi memoriam subiisse, quod scribit Anonymus Gallus, de his pestiferis *semidoctis*, qui impietate sua nostris temporibus Orbem inficiunt. Horum scientia, inquit ille, hæc est, *didicerunt in qualibet quæstione objecta usque ad responsiones inclusive* (d). En Voltæri Libros. Hic quæstionis status candide non proponitur; hic ea fundamenta, quibus innititur veritas, non exponuntur: hic nihil aliud de qualibet quæstione reperitur, nisi *objecta usque ad responsiones exclusive*. Vah excellentia volumina! vah eximium scriptorem! quantum proficient discipuli, discipulæque hujus præceptoris! scilicet evadent *semidocti* ab Anonymo Gallo descripti, qui quidem eo infeliciores, contemptioresque indoctis sunt, quo pejus est male scire, quam nihil scire.

Si tamen Auctor noster responsis objecta a se allata non solvit, nolo ego ita imperitum eum existimare, ut ne sciat quidem, hæc responsa revera esse. Qui fiat, ut ille ignoret, quidquid scribit aut contra nostra Mysteria, aut contra ritus, aut in divinas Scripturas, aut in alia gravissima Religionis Naturalis, & Revelatæ capita (cum fuerit millies ab impiis impetitum, recoctumque) ab ejusdem Religionis propugnatoribus examinatum, solutumque ingenti studio fuisse? Fateor, eum interdum quædam habere, quæ

(a) De l'Esprit des Loix Lib. XXV. Chap. 1. *L'homme pieux & l'Athèe parleut toujours de Religion; l'un parle de ce qu'il aime, & l'autre de ce, qu'il craint.*

(b) *Je ne raisonne pas, moi, cela est vrai.* Let. V. Ecrite de la Mont.

(c) Videat Lector specimen confutationis a nobis superius Lib. I. Cap IV. N. X. datum. Ex illo judicare poterit de merito horum duorum Operum, quæ sunt ejusdem notæ. Nihil facilius fuisset, quam illa examinare, & funditus evertere; immo haud veremur dicere iis, quæ a nobis in hisce Libris dicta sunt, magnam partem ea refutari. Quod nobis proposueramus indicandum lectori opportune quovis in loco signando errores oppositos Voltæri a nobis impugnatos. Sed sententiam mutavimus rati, nos nimium ita defatigaturos esse Lectorem, & simul nimium cohonestaturos (quod non contumeliæ causa dictum volo) Libros immerentes.

(d) *Le Demi-savans... de toutes les questions il etudie l'objection jusque à la reponse exclusivement.* Lettres philosophiques, où l'on refute le Deism, &c. Let. XLI.

quæ sua sunt, quæ in nullo Scriptore me legisse memini, neque sane infelicia. At quod ad objecta a se prolata attinet, ignorare, inquam, non potest gravissime a pluribus Auctoribus, pluribusque in Libris ea demonstrata fuisse inepta, & mendacia. Si tantum advertisset animum eorum multa sibi invicem opponi, destruitque (quod accidit scribenti, vel ut verius dicam, raptim exscribenti) poterat ad sanam mentem reduci. At hæc veritatis lumina ille odit; gaudet in suis objectionibus *usque ad responsa exclusive* immorari, ne gratum errorem animo detrahat; quæ quidem res *impiorum* propria a Scripturis judicata fuit, *qui* supernæ luci, qui *Deus est*, dicunt, *recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. (Job XXI, 14.) Itaque, ut omnia summatim dicam, cursim hujus Poetæ Opera legentes, & hæc postrema præcipue versantes hominem videmus, *qui semper de Religione loquitur, ut de re, quam perhorrescit*. Quæ secundum Montesquium est *Athei* nota. Hominem videmus, qui cujusque quæstionis *objecta usque ad responsa exclusive* didicit; quæ, Anonymi Galli judicio, est *Semidocti* nota. Hominem videmus, qui *lumen odit*, quo agnoscere veritatem posset; quæ Scripturæ sententia est *Impii* nota. Num hæ tres notæ sint *ingredientia*, ut nostri Poetæ verbo utar, quæ simul conjuncta admirandum illud phænomenum, quod Voltærus appellatur, componant, non dicam; non enim gestio gravius quid concludere in quemquam, sed sinam ipsum se excutere, & Lectorem sapientem, prudentemque judicare.

§. IX. Pergamus nunc dicere de audacia, qua Libertini errores suos in vulgus spargunt. Hæc præsertim cum de aliquo sacræ eruditionis capite agitur, est fere in omnibus eadem.

Jacobus Roussojus in sua Epistola ad Archiepiscopum Parisiensem omnes ingenii sui nervos intendens, ut *Scepticismum*, sicut eum appellat de *coexistentia duorum Principiorum* tueatur sophismatibus omnium Dualistarum communibus, a nobis jam alibi solutis, in paginæ calce doctissimam hanc adnotationem ponit, quam exscribere placet (*a*). *Opportunum est advertere, quæstionem de æternitate materiæ, qua adeo nostros Theologos torquet, nihil sollicitos habuisse Ecclesiæ Patres non valde a Platonis sententia alienos. Ut prætermittamus Justinum Martyrem, Origenem, aliosque, Clemens Alexandrinus tam mordicus affirmantem sententiam in suis Hypothyposibus propugnat, ut Photius hac de causa arbitretur, Librum hunc fuisse corruptum. Sed hæc eadem opinio in Stromatibus legitur, in quibus refert Clemens Heraclitì sententiam, quin eam improbet. Hic Pater nititur quidem principium unum statuere; at id fit, quia hujusmodi nomen materiæ denegat; etiamsi ejus æternitatem agnoscat*. Vah scribendi audaciam! Qui hunc Philosophum suspiciunt, quæ recondita eruditio! quæ inaudita inventa! exclamant.

Enimvero sunt inaudita inventa, qui enim ita scribit, vel nunquam hoc argumentum sedulo examinavit, vel se habiturum tam bibulis auribus Lectores esse putat, ut crédituri sint, neque quicquam sint examinaturi. Rei magnitudo, occasioque, quæ sese mihi offert, magis magisque incautis Lectoribus perfrictam horum Philosophorum frontem aperiendi, ad perpendendum locum hunc me impellit, in quo pene tot mendacia (cogor enim nomina sua dare rebus) quot sunt verba, reperiemus.

Tu ergo, Roussoji, inquis, *hanc de æternitate materiæ quæstionem, quæ adeo nostros Theologos torquet, Ecclesiæ Patres non valde remotos a Platonis sententia minimum sollicitos habuisse*. Sed factum bene, quod Patrum Opera, aut fragmenta scripta linguis, quæ intelliguntur, adhuc supersunt, ita ut oculi tantum controversiam hanc dijudicare possint. Tibi ergo ajo, Ecclesiæ Patres materiæ æternitatem tamquam

(a) *Il est bon de remarquer, que cette question de l'eternité de la matiere, qui effarouche si fort nos Theologiens, effarouchoit assez peu les Peres de l'Eglise moins eloignés des sentimens de Platon. Sans parler de Justin Martyr, d'Origene, & d'autres; Clement Alexandrin prend si bien l'affirmative dans ses Hypotyposes, que Photius veut à cause de cela, que ce livre ait été falsifié. Mais le même sentiment reparoit encore dans les Stromates, où Clement rapporte celui d'Heraclite sans l'improuver. Ce Pere, Livre V. tache, à la verité, d'etablir un seul principe, mais c'est, parce qu'il refuse ce nom à la matiere, même en admettant son eternité*. Not. 27. pag. 55.

quam pestiferum Platonis errorem, Religionisque fundamentis prorsus contrarium duxisse; ac proinde non minus, quam Theologi nostri faciunt, vehementer eos illum impugnasse, & proscripsisse. Hos tantummodo recensebo: Tertullianum (*in Lib. adv. Hermogenem*), Theophilum Antiochenum (*Lib. II. adv. Autol*), Eusebium Cæsariensem (*de Præpar. Evang. Lib. VII. cap. 19.*), Dionysium Alexandrinum (*Adversf. Sabell. ab Eusebio loco citato relatum*), Maximum (*in Materia apud Eusebium ibid.*), Lactantium (*Divinar. Instit. Lib. II. Cap. 9.*), Irenæum (*Lib. II. adversf. Haret. cap. 19.*), Ambrosium (*Lib. I. in Hexame.*), Athanasium (*de Incarnat. Verbi Dei*), Basilium (*Hom. 1.*) Chrysostomus (*Homilia XXXVIII. in Acta Apostol.*), & Augustinum (*cont. Faust. Lib. XX. cap. 14. cont. adversf. Leg. & Proph. Lib. I. cap. 8. De Gen. cont. Manich. Lib. I. cap. 6. & alibi*). Sufficiuntne hi? Habe & hos: Theodoretum (*serm. X. adversf. Græcos de Materia, & Mundo*), Methodium (*apud Photium Cod. 136.*), Petrum Chrysologum (*serm. 46.*), Æneam Gazensem (*in Theophrasto, sive de animor. immortalit.*), & Zachariam Mitylenum (*de Mundi opificio contra Philosophos*). Nondum satis habes? His adde eos omnes cum Græcos, tum Latinos, qui vel Genesim interpretantes, aut alio modo de hoc argumento loquendi aut ex proposito, aut data occasione ansam arripuerunt. Eos lege locis a me citatis, intelligesque hanc materiam Deo, *coæternam*, & increatam eos fuisse detestatos; eos illam ut errorem infandum corruptæ Philosophiæ ab hominibus impiis disseminatum ad inficiendam Religionem semper duxisse. Intelliges, impios hos homines, Marcionem, Hermiam, Hermogenemque supra cæteros (qui ex hoc errore appellati fuere Hæretici *Materiarii*) ut Hæreticos nimirum fuisse ab Ecclesia damnatos. Immo intelliges, argumenta fortissima, quibus Patres eam impugnant, nobis significare, eos hujusmodi sententiam, non modo ut meram Hæresim, sed ut impietatem, quæ supremam auctoritatem, unitatem, *Independentiam*, omnipotentiam, ac proinde essentiam ipsius Dei læderet, respexisse; quæ cum materiæ æternitatem, & *Independentiam* adscriberet, naturam abjectam, informem, mutabilem, æqualem Deo faciebat; quæ quidem Impietates omnium, quæ dici, excogitarique possunt, sunt maxime horribiles. Intelliges demum ea ipsa sophismata, quibus tueri *coexistentiam duorum principiorum* videris, illudque præcipue ab origine mali deductum, examinari a Patribus, & ut ineptissima rejici. Solus Tertulliani Liber in Hermogenem te satis superque edocebit (*a*). Quædam ex capite 1. decerpam, quæ tibi stimulum addent, ut totum Opus perlegas. Afferre tantum aliquot Theophili Antiocheni in Libro II. ad Autolicum periodos contentus ero, ut videas num Patres *parum alieni a Platone fuerint*, & num hanc sententiam parvi penderent. *Plato*, inquit ille (*b*), *ejusque asseclæ fatentur quidem, Deum esse ingenitum, & Patrem, Auctoremque rerum omnium; At sentiunt etiam, Deum, & materiam esse ingenita, & hanc esse Deo coæternam. At si*

(a) *Hermogenis autem doctrina tam novella est, denique ad hodiernum homo in sæculo, & natura quoque hæreticus turbulentus: qui loquacitatem facundiam existimet, & impudentiam constantiam deputet, & maledicere singulis officium bonæ conscientiæ judicet . . . . A Christianis enim conversus ad Philosophos de Ecclesia in Academiam, & Porticum, inde sumpsit a Stoicis materiam cum Domino ponere, quæ & ipsa semper fuerit, neque nata, neque facta, nec initium habens omnino, nec finem, ex qua Dominus omnia postea fecerit.* Sub initium.

(b) Πλάτων δὲ καὶ οἱ τῆς αἱρέσεως αὐτοῦ, Θεὸν μὲν ὁμολογοῦσιν, ἀγέννητον, καὶ πατέρα, καὶ ποιητὴν τῶν ὅλων εἶναι. εἶτα ὑποτίθενται Θεὸν καὶ ὕλην ἀγέννητον, καὶ ταύτην φασὶ συνηκμακέναι τῷ Θεῷ. εἰ δὲ Θεὸς ἀγέννητος, καὶ ὕλη ἀγέννητος, οὐκ ἔτι ὁ Θεὸς ποιητὴς τῶν ὅλων ἐστὶ, κατὰ τοὺς Πλατωνικοὺς, οὐδὲ μὴν μοναρχία Θεοῦ δείκνυται, ὅσον τὸ κατ' αὐτούς. ἔτι δὲ καὶ ὥσπερ ὁ Θεὸς ἀγέννητος ὢν, καὶ ἀναλλοίωτός ἐστιν, οὕτως εἰ καὶ ὕλη ἀγέννητος ἦν, καὶ ἀναλλοίωτος, καὶ ἰσόθεος ἦν. τὸ γὰρ γενητὸν τρεπτὸν καὶ ἀλλοιωτὸν, τὸ δὲ ἀγέννητον, ἄτρεπτον, καὶ ἀναλλοίωτον. τί δὲ μέγα, εἰ ὁ Θεὸς ἐξ ὑποκειμένης ὕλης ἐποίει τὸν κόσμον. καὶ γὰρ τεχνίτης ἄνθρωπος ἐπὰν λάβῃ ὕλην ἀπό τινος, ἐξ αὐτῆς ὅσα βούλεται ποιεῖ. Θεοῦ δὲ ἡ δύναμις ἐν τούτῳ φανεροῦται, ἵνα ἐξ οὐκ ὄντων ποιῇ ὅσα βούλεται· καθάπερ καὶ τὸ ψυχὴν δοῦναι καὶ κίνησιν οὐχ ἑτέρου τινός ἐστιν, ἀλλ' ἢ μόνου Θεοῦ. καὶ γὰρ ἄνθρωπος εἰκόνα μὲν ποιεῖ, λόγον δὲ καὶ πνοὴν, ἢ αἴσθησιν οὐ δύναται δοῦναι τῷ ὑπ' αὐτοῦ γενομένῳ. Θεὸς δὲ τούτου πλεῖον τοῦτο κέκτηται, τὸ ποιεῖν λογικὸν, ἔμπνουν, αἰσθητικόν. ὥσπερ οὖν ἐν τούτοις πᾶσι δυνατώτερός ἐστιν ὁ Θεὸς τοῦ ἀνθρώπου, οὕτω καὶ τὸ ἐξ οὐκ ὄντων ποιεῖν, καὶ πεποιηκέναι τὰ ὄντα καὶ ὅσα βούλεται, καθὼς βούλεται. Theoph. Ant. L. num. 4.

Deus est ingenitus , & ingenita materia , non est amplius rerum omnium Creator Deus secundum Platonicos : nec amplius est Dei regnum secundum eorum principia . Praterea sicut Deus , cum sit ingenitus est etiam immutabilis ; ita si materia erat ingenita , erat ipsa etiam immutabilis , Deoque aqualis . Quod enim creatum est verti potest , mutarique , sed quod est increatum neque verti , neque mutari potest . Quid mirum , si Deus e subjecta materia Mundum faceret ? Etenim etiam artifex humanus ex materia ab alio accepta efficit quod vult . Dei tamen potentia in hoc elucet , quod ex eo , quod non est , efficit quod vult ; sicut etiam impertiri animam , motumque nullius est prater Deum . Siquidem etiam homo imaginem effingit , at rationem , respirationem , aut sensum opificiis suis dare nequit . At Deus hoc hominem superat , quod facit opus suum ratione , respiratione , motuque praditum . Sicut ergo Deus potentior homine est , in his rebus omnibus potentior est quod creat ex eo , quod non est , & quod Entia crearit qua voluit , utque voluit . Locus hic unus sufficiat tamquam leve argumentum , quomodo de hac re Patres cogitarent , & quantum hallucineris , cum eos non longe aliter a Platone in hac controversia sensisse dicis. Theophili argumentis utuntur & alii ; immo alia non minus valida addunt modo ex Deo , modo ex illa materia desumpta , quæ quin maximæ contradictiones dicantur , increata , & æterna dici nequit . Quisque opportune ea legere poterit , & intelligere , te injuria scripsisse , evidentiamque facti impugnasse , cum dicis , *quæstionem de materia aterna , qua ita nostros Theologos torquet , minimum sollicitos habuisse Ecclesia Patres minus a Platonis opinione remotos .* At sentio , te habere triarios tuos auxiliares , quos contra Patres modo a nobis memoratos in aciem producas. Expecto quid dicas. At, inquis , *quin de Justino Martyre , Origene , aliisque loquamur , Clemens Alexandrinus affirmantem sententiam tuetur . . .* Hic quæso , paulisper subsiste. Tu ergo hac præteritione vis obtrudere Proselytis tuis ut rem extra controversiam positam , *Justinum Martyrem , & Originem* cum Platone de materia æterna , & increata sensisse? Rousseaui mi , si ego tecum hujusmodi ratione agere vellem , qua tu audes , ne dicam per summam impudentiam , cum Parisiensi Archiepiscopo uti , dicerem , jam apparere vel ex ipso citandi modo confuso , astutoque , te *incedere velut super candentibus carbonibus , ubi vix audes pedem figere*; dicerem , *me a te cogi , ut parumper in molesta hac controversia te detineam* ; *at me curaturum , ut quam citissime te expediam .* Tibi tamen tam urbanos scribendi modos totos relinquo . Tu tamen , quæso , vel æquo animo , vel patienti , ut tibi libuerit , me audi . D. Justinus Martyr non modo materiam increatam , & æternam Platonis non defendit , sed etiam eo demonstrationis genere confutat , quæ una opprobrio maximo afficit quotquot fuerunt , eruntque umquam *Materiarios* ; cum evidenter ostendat , in illa hypothesi geometrice fieri non potuisse Mundi creationem. *Materia* , inquit ille (*a*) , *increata , coaterna , & aqualis artifici , qualem eam facit Plato viribus suis sui artificis voluntati resistere debet : Ille enim qui non creavit nullam vim habet in id , quod est increatum ; & nequit in eam ullam vim exercere , cum sic libera , exemptaque ab omni externa necessitate . Hinc Plato ex his principiis , qua probe norat , scripsit , necessario concedendum esse , in Deum* (eo quod est increatus, & æternus) *nullam vim adhiberi posse .* Ita loquitur , ratiocinaturque Justinus , quem tu (axiomatis instar) in materiæ æternæ Platonis defensorum album refers. Locus ita clarus est , ita etiam vehemens , ut interpretem respuat . Transeamus ad Origenem , alterum ducem tuum , cujus sententia judicio tuo est adeo clara , ut dubitari de illa non possit. Itane res erit? Te rogo , advorte animum ad hanc animad-

(a) τὴν τῆς ὕλης δύναμιν, ἀγέννητον, καὶ ἰσόχρονον, οἱ ἐλαυνόμενοι κατὰ τὴν αὐτοῦ δόξαν τῷ δημιουργῷ πάσαν, ἀντιστατεῖν εἰκὸς τῇ αὐτοῦ βουλήσει· τῷ γὰρ μὴ πεποιηκότι οὐδεμία ἐξουσία πρὸς τὸ μὴ γενητόν· ὥστε οὐδὲ βιασθῆναι αὐτὴν δυνατὸν, τῆς ἔξωθεν πάσης ἀνάγκης ἐλευθέραν οὖσαν. διὰ τοῦτο τοίνυν, καὶ αὐτὸς ὁ Πλάτων εἰς ταῦτα ἀφορῶν, οὕτω γέγραφεν. ἀνάγκῃ δὲ οὐδὲ Θεὸν λέγεσθαι δυνατὸν βιάζεσθαι· Justin. in cohort. ad Græc. num. 23. Multa alia loca non minus clara S. Justini in hanc rem proferre possem. Legere potest qui vult collecta in Præfatione Clarissimi Monachi Prudentii Marani , hujus Patris Operum editoris ubi etiam nitide explicantur duo loca Apologiæ 1. S. Martyris , quæ aliquam difficultatem minus in Lectione Patrum versatis afferre possent.

madversionem, quæ quidem exigua est. Eusebius Lib. VII. (*cap.* 19. *& sequenti bus*). Præparationis Evangelicæ aggressus nervis ingenii sui omnibus de materia increata, æternaque errorem impugnare, testimoniis quatuor Scriptorum a se acerrimorum creditorum in hac controversia utitur. Scis, quinam hi sint? Dionysius Alexandrinus, Philo, Maximus, & Origenes, ille ipse, quem tu laudas. Nolo, erubescas, si ejus verba attulero, quæ legere apud Cæsariensem poteris. Ex Commentario ipsius Origenis in Genesim desumpta sunt, continentque in Platonem invictissima argumenta. Immo cum ea legeris, leges non sine magno emolumento etiam quæ idem Græcus Pater in hanc rem in Commentariis ad S. Joannem (*Tom. I. part. 2. pag. 17. Edit. Rothomag. an. 1668.*) scripsit; & sperare me juvat, te tuam criticem miseram enimvero emendaturum. Et sane perfugium omne tuum, ut hanc propositionem defendas, Ecclesiæ Patres de materia increata, & æterna idem cum Platone sensisse ad unum Clementem Alexandrinum redigitur, quem, licet opinatus fuerit, ut dicis, tamen vides a te, iis animadversis quæ attulimus, non posse in campum produci, contra Patrum chorum ad personam omnium Ecclesiæ Patrum sustinendam, quin a sapientibus Lectoribus irridearis. Sed tamen hoc certissime constat, neque Clementem hujus fuisse sententiæ. Examinemus tua verba. *Clemens Alexandrinus tam aperte affirmantem sententiam in suis hypotyposibus tuetur, ut Photius ideo nimirum crediderit, eum librum corruptum fuisse.* Non solum Photius, ego dico, sed quicumque sapit quicquam, fateri debet, *Hypotyposes* (opus jamdiu deperditum) ut lectæ fuerant a Photio, ab audacibus hominibus adulteratas fuisse. Neque tantum (ut nobis imponere vis) ob materiam increatam, & æternam, sed *ob sexcentas blasphemias, immo blasphemiarum monstra*, quibus insanus, furensque corruptor eas *sparsim, confuseque* infecerat (*a*). Hæc sunt Photii verba, qui præterea ibidem harum pestiferarum blasphemiarum Clementis doctrinæ omnino adversantium, quæ in ejus intactis Operibus reperitur, specimen præbet. Hinc idem Photius de tribus Libris Pædagogi (quod quidem procul dubio est Clementis Opus) loquens ita scribit (*b*) *: Nihil simile Hypotyposum habent hi Libri; carent enim iis stolidis, blasphemisque sententiis: est stylus ipse floridior, suavique, jucundaque gravitate temperatus; & in notitiarum, quæ in his continentur, varietate, nihil est, quod non vere, casteque dicatur.* An ergo potest critice tua, Opus impollutum Clementis Alexandrini Hypotyposes ducere? An potest honestas tua ignaris Lectoribus dicere, Photium hac una politica animadversione motum, ne Clemens omnium opinioni de materia increata adversus videretur, scripsisse, Opus illud corruptum? Quamquam volo de hac *corruptione Hypotyposum* temerario ausu facta certissimus fias. Eusebius, qui annos quinquaginta ante Photium Clementis Hypotyposes legerat, earum epilogum Libro VI. Capite XI. Historiæ Ecclesiasticæ nobis dat: eas cum honore nominat, & ne verbum quidem *de iis blasphemiarum monstris*, quæ invenit in iis postea Photius, facit. Eusebius, inquam, qui præterquam quod exquisito præstabat acumine, strenue, ut modo dixi, audistique, contra materiam æternam, increatamque pugnavit. Qui fingi potest, eum impium errorem dissimulasse, si eum reperisset, neque eum damnare voluisse? Est quidem (haud inficias ibo) hoc negativum argumentum, at simul cum iis quæ diximus sumptum, prospectumque sua in luce magnum apud te, qui tanta arte critica polles, pondus habere debet. Quare tu quoque non gravate fateberis, audaces, impiosque homines (quod etiam Ruffinus nobis indicat) post Eusebii ætatem Opus illud corrupisse, corruptumque in manus Photii devenisse;

(a) Ἄλλα δὲ μυρία βλασφημεῖ, καὶ φλυαρεῖ, εἴτε τις ἕτερος, τῷ αὐτῷ αἱ βλάσφημοι αὗται ὑπαλογίαι ἐν τόμοις ὀκτώ· λέγει δὲ καὶ περὶ τῶν αὐτῶν πολλάκις, καὶ σποράδην καὶ συγκεχυμένως, ὥσπερ ἔμπληκτος παράγει τὰ ῥητά. Phot. Cod. CIX.

(b) οὐδὲν δὲ ὅμοιον ἔχουσι πρὸς τὰς ὑποτυπώσεις οὗτοι οἱ λόγοι. τούτων γὰρ ματαίων καὶ βλασφήμων ἀπηλλαγμένοι δοξῶν καθεστήκασι, καὶ ἡ φράσις ἀνθηρά, καὶ εἰς ὄγκον ἠρμένη σύμμετρον μετὰ τοῦ ἡδέος καὶ ἡ πολυμάθεια ἐμπρέπουσα. Phot. Cod. CX.

ac proinde indignam a te rem fieri, qui illud profers, ut Lectores tui credant, Clementem materiæ increatæ propugnatorem fuisse. Tu tamen adhuc instas, & urges: *Eadem sententia etiam in Stromatibus legitur, ubi Clemens Heracliti opinionem refert, quin eam confutet*. Hæc quidem est sententia, & pene verba ipsa Joannis Clerici in Epistola I. Critica (*quæ est ad Archiep. Cantuar.*), ubi nimirum audet Clementem tamquam increatæ, æternæque materiæ patronum traducere validissimo hoc argumento: *in eodem Libro minime improbat sententiam Heracliti Ephesii, quam bisce verbis describit. &c.* Scito tamen, Criticum hunc, quem fortasse nimis credulus sequutus es, in putidissimum errorem te pertrahere. Silentio prætereo, Heracliti textum ab Alexandrino relatum præcipue in fonte Græco esse valde obscurum, involutumque: ita ut ex verbis Philosophi (jure *tenebricosi* nuncupati) criminationem tanti ponderis affigere, hoc est Clementem putasse materiam æternam, res non adeo tuta esse videatur (*a*). Quamquam fingamus Heracliti locum esse perspicuum; ergo Clemens eum referens, eumque non improbans illum approbat? Qui mendosius colligere potes? Scisne, quot, quamque absurdas sententias, non solum Heracliti, sed Empedoclis, Stoicorum, Platonis, Aristotelis, Epicuri, aliorumque cum Philosophorum, tum Poetarum eo in Libro Clemens refert quin eas improbet? An ideo dicendum erit, eas omnes illum approbare, & sequi? Enimvero Rousfoji, hoc argumento, vel hac ratiocinandi methodo hic Ecclesiæ Pater esset Proteus ex monstrosissimis, qui unquam in Litteraria Repub. visi fuerint. At quidnam sibi probandum eo loci Clemens suscipit? Num agit de Creatione Mundi, num de materiæ æternitate? Nihil sane minus. Hoc probandum proponit, *Philosophos Græcos divinas Litteras expilasse, & magnam eorum opinionum partem originem suam ex Sacris Litteris male intellectis habere* (*b*). In hanc rem multos errores profert & Stoicorum, & Platonis, & Epicuri, & Aristotelis, & aliorum, ea Sacrorum Librorum indigitans loca, quæ ejus judicio his opinionibus configendis ansam præbere potuerint. Inter has ergo Philosophicas sententias eam quoque de materia æterna recenset, ex qua Philosophi Deum creasse Mundum rebantur; putatque (sicut etiam arbitrati sunt Justinus Martyr, & Origenes) *ea Geneseos verba* „terram autem erat inanis, & vacua „ *hanc materialem substantiam confingendi iis occasionem dedisse* (*c*): Hoc consilio Clemens refert Platonis, tum Heracliti opinionem (si modo ejus loci hæc est sententia). Jam quibus e Critices principiis dici poterit, Clementem, quod eo loco hanc impietatem non refellit, ejus esse propugnatorem? Non intenderat eo loci quæstionem de materia increata perpendere. Quo itaque modo hujus dogmatis facit mentionem, indigitatque male a Philosophis Scripturæ Oraculum intellectum, a quo illud sumptum putat: recenset continuo *casus* Epicuri dogma desumptum ex verbis illis, *vanitas vanitatum, & omnia vanitas* per-

pe-

(a) Textus Heracliti a Clemente relatus *Lib. V. Stromat.* est hic. Κόσμον τὸν αὐτὸν ἁπάντων, οὔτε τις θεῶν, οὔτε ἀνθρώπων ἐποίησεν· ἀλλ' ἦν καὶ ἔστιν, καὶ ἔσται πῦρ ἀείζωον ἁπτόμενον μέτρα καὶ ἀποσβεννύμενον μέτρα. hoc est: *Nullus Deorum, nec hominum Mundum, aut universitatem rerum fecit: at erat, est, eritque ignis semper vivens, qui modo certo accenditur, & modo certo extinguitur*. Videat Lector sapiens, num ex eo, quod Clemens hunc Heracliti locum tantum retulerit, dici possit, eum æternitatem materiæ approbare. Clemens non intendit hoc loco loqui aut de origine, aut de æternitate Mundi, sed ostendere, Ethnicos Philosophos perturbatam quamdam notitiam habuisse de futura rerum restauratione post Mundi finem. Quare proxime ante inquit: οὐ παραπέμπομαι καὶ τὸν Ἐμπεδοκλέα, ὃς φυσικῶς οὕτως τῆς τῶν πάντων ἀναλήψεως μέμνηται, ὡς ἐσομένης ποτὲ εἰς τὴν τοῦ πυρὸς οὐσίαν μεταβολῆς. σαφέστατα Ἡράκλειτος ὁ Ἐφέσιος ταύτης ἐστὶ τῆς δόξης. id est: *non prætereo etiam Empedoclem, qui physice hoc modo mentionem facit de rerum instauratione, eas demum mutandas esse in ignis substantiam. Heraclitus Ephesius aperte hanc sententiam tuetur*. Et hinc transit ad afferenda verba modo relata.

(b) Παρεστήσαμεν δ' ἐν τῷ πρώτῳ Στρωματεῖ, κλέπτας λέγεσθαι τοὺς τῶν Ἑλλήνων φιλοσόφους, παρὰ Μωϋσέως καὶ τῶν προφητῶν τὰ κυριώτατα τῶν δογμάτων οὐκ εὐχαρίστως εἰληφότας.... τῆς προφητείας δὲ ἦν τι καὶ τοῖς τῶν Ἑλλήνων διαδοθείσης, ἡ δογματικὴ πραγματεία τοῖς φιλοσόφοις, πῆ μὲν ἀληθοῦς κατὰ τοχὸν ἐπιβαλλομένοις, πῆ δὲ πεπλανημένη, τὸ ἐπικεκρυμμένον τῆς ἀλληγορίας μὴ συνιέντων, γέγονε. Clemens Alex. Lib. V. Strom. pag. 650. Edit. Oxon. 1715.

(c) ἄλλως τε ἡ λέξις ἡ προφητικὴ ἐκείνη, Ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, ἀφορμὰς αὐτοῖς ὑλικῆς οὐσίας περιέχεται. Ibid. pag. 700.

terum acceptis, tum Aristotelis opinionem putantis. Providentiam non extendi ultra Lunæ Cœlum, quæ quidem opinio illi eruta videtur ex iis Psalmi verbis, *Misericordia tua, Domine, est in Cœlo, & veritas tua usque ad nubes*. Sicut igitur esset injuria summa, immo aperta insania hujusmodi errorum aut Aristotelis, aut Epicuri, quod eos retulerit, neque confutaverit, Clementem insimulare; ita dic quæso, quo erit appellanda nomine critice tua, aut illius, quem imprudens sequutus es, quæ Patronum æternæ materiæ eum Patrem dicit, quod eodem consilio sententias Platonis, & Heracliti protulit, neque eas retudit? Lege Librum; loca considera, erratumque agnosces tuum. Quod si ita est, si ne Clemens quidem Alexandrinus tibi favet, neque locum ullum in omnibus ejus Operibus ostendere potes, ubi materiam æternam, increatamque dicat, immo attente eum legens (licet ille de hac quæstione non disputet) contrarium colliges; ergo illa tua adnotatio, *Ecclesiæ Patres, ut minus remotos a Platonis sententia pra nostris Theologis parum fuisse sollicitos de quæstione de materia increata, nominatimque Justinum, Origenem, & Clementem Alexandrinum eam docuisse*, tota, quanta est, falsa est, continetque pene tot mendacia, quot verba.

Sit bona cum Lectoris venia, si diutius fortasse in refellenda hac adnotatione sum immoratus. Argumenti gravitas, Genevensis Philosophi audacia me ut id facerem coegerunt. Quærebatur hic, num Ecclesiæ Patres jure accusarentur Impietatis, quæ funditus Religionem evertit, errorisque tam ingentis iis afficti haud dubie, haud hæsitanter, at dictatoria voce, supercilioque. Cæterum quot ex ejus mendacis, audacisque Epistolæ Lectoribus Opera Patrum examinandi, veritatemque suis e fontibus hauriendi negotium sibi sumpsissent? Hactenus dicta efficient saltem, ut bona fides, candorque, veritatisque amor, quibus hi Libertini Scriptores aguntur, ab omnibus agnoscantur. Non tam facile credi posset, ignorasse Roussojum tot errores, quorum sua erat referta adnotatio: nimis est eruditus (est enim dicendum quod res est) nimisque acutus, ut eos non prospiceret. At ut aliquo modo veritas impugnaretur, nonnisi hujus generis tela adhiberi poterant; quæ jacta ea licentia, audaciaque, quæ tota Roussoji est, incautos, ignarosque Lectores non poterant non maxime commovere.

§. X. Et sane, ut eo, unde digressi sumus, revertatur sermo noster, advertat animum per se sapiens Lector, quanto jure a nobis fons horum temporum Impietatis horum Librorum infelicissimorum, quibus Italia nostra opprimitur, Lectio fuerit statuta. Qui unquam integram, stabilemque Religionem servabit suam contra tot aggressiones, tam fallaces, qui eas repellere, & illas detegere nequit? Bona fide legere perget deceptus iis promissis obsequii, reverentiæque in Religionem, qui primus Scriptorum Libertinorum astus est, quo incautos alliciant. Progressus porro irretitum, constrictumque gravissimis difficultatum nodis se sentiet, quarum vis ex perversa disputandi methodo derivatur, quæ est fraus altera ab his Philosophis adhibita, at ab imprudentibus Lectoribus neque animadversa, neque cognita. Vincetur tandem eo tenore vocis libero, audacique quo impia enuntiantur, falsaque sparguntur, ita ut bonus Lector de fraude ne suspicari quidem audeat, nedum ad examen eos errores revocet, qui ut veritatis oracula edicuntur.

CAPUT QUARTUM.

Idem argumentum de Libris Pestiferis pertractatur.

I. *Novum offendiculum, quod in hujusmodi Libris invenit Lector.*
II. *Consensio Principum in eliminandis, prohibendisque Libris Religioni contrariis.*
III. *Non solum leges* positivæ, *sed jus naturale vetat maxime Lectorum parti horum Librorum Lectionem.*
IV. *Audacia recentis Libertini, qui ait, permittendas esse cujuscumque Impietatis editiones. Refutatur.*

§. I. QUamvis hactenus memoratæ fraudes, quarum plena sunt Libertinorum volumina, per se ipsas incauto Lectori tenebras offundere, sensimque in impietatem pertrahere possint; omne tamen horum miserorum Librorum virus in iis non inest. Recensitæ fraudes intellectui veluti retia tenduntur; alia est, qua corrumpitur. Nihil sane repetitur aliud his in Libris, quam virtutis, honestatis, Ethicæque nomen, verum plerumque hæ voces intellectus expertes sunt, aut elegantes descriptiones, vi, veraque significatione carentes. Satis jam hoc eodem in Libro examinata, & explicita fuit Libertinorum Ethica. Narrationes inhonestæ, imagines turpes, quæ plerumque eorum eruditionem, eorumque operum decus efficiunt, imbecillitatem incauti Lectoris vividius pelliciunt. Sed hujusmodi venenum, quod his Libris cum omnibus Poetis, & Narrationum turpium Scriptoribus commune est, remedium quodvis respuit propter *theorias*, quibus iniquitas defenditur, & licentiæ cuivis impunitas conceditur. Non solum naturæ horror vincitur, quod quidem exemplum facit, sed etiam Religionis timor eliminatur e corde, quod perniciosa documenta præstant. Lectorem defatigarem, fœdaremque Librum hunc, si luctuosissimæ hujus veritatis nimia testimonia afferre vellem. Utinam vel nomina ipsa Montaneæ, Bælii, Helvetii, aliorumque hujus generis Scriptorum ignoraremus, qui a multis leguntur viris mulieribusque suæ cordis perversitatis pari cupiditate. Hæc est ars illa, quæ probe norunt hodierni Philosophi, Lectorum vulgo allata sophismata demonstrationis loco esse. Quod allicit, convincit, errorque, qui quodlibet vitium impune vult, magis, quam veritas, quæ illud vetat, persuadet. At consideret mecum prudens quisque vir, num mortales ulli sint, nescio, an dicam, venia digniores, an contemptu his impietatis Proselytis. Hi per horum Librorum lectionem a Religione desciscunt, causamque nesciunt; cum enim versati non sint in controversiis, fundamenta nostrorum dogmatum ignorent, veram methodum non agnoscant, qua hujusmodi argumenta sunt pertractanda; iis sophismatibus vincuntur, quæ primum vis momentum ex eorum intellectus ignorantia, alterum autem ex eorum cordis corruptione habent.

§. II. Itaque hæc miserrima ex malorum Librorum Lectione contagio eorum, qui bonum Societatis curant studium, laboresque excitavit. Longius proveheretur oratio mea, si afferre vellem quidquid ad hanc materiam Græca, Romanaque monumenta nobis suppeditant. Quædam jam diximus supra in Cap. XVI. parte I. hujus Libri. Celebre est, quod Athenienses de Protagoræ Libris egerunt igne absumendis, eorumque Auctore in exilium pulso. Nota sunt S. C. C. relata a Varrone, a Livio, & ab aliis etiam contra Libros peregrinæ, aut nullius Religionis. Loquitur Ulpianus (L. 4. ff. *Famil. Ercifcund.*) de Libris reprobatæ lectionis, legibus jubentibus eos exterminari. In celebri Diocletiani *Rescripto* (a) contra Manichæos non solum contra eas pe-

(a) Hoc rescriptum novissime illustravit Clariss. Dominicus Carlinius in Dissertatione Apologetica, quæ conjuncta est celebri Operi ejusdem Auctoris *de pace Constantia* edito Veronæ 1765. Idem doctissimus IC. jamdiu in lucem protulit aliam Dissertationem, de lege Theodosii Junioris, quæ ad eamdem rem facit, de qua mentionem fecimus hoc Lib. Par. I. Cap. XVI.

pestes invehitur, sed etiam contra earum Libros. Æmulari curam Christiani Principes veræ Religionis propugnatores non minus debebant. Constat Constantinum M. (a), sicut suis impensis exemplaria Sacrorum Librorum in *persecutionum* æstu laceratorum, combustorumque multiplicari jussit; ita voluisse (*apud Socratem Lib. I. Cap. 9.*), ut inquisita, & apud quemcumque essent, auferrentur, comburerenturque Porphyrii, & omnia contra Religionem Christianam scripta volumina. Theodosius Magnus, ut habemus in Actis Concilii Ephesini (b), eam legem renovavit, hanc sui jussi rationem afferens, *scripta omnia, quæ ad iram Deum provocant, suntque hominibus nocumento, haud sinendum esse, ad aures hominum pervenire.* Non absimilia decreta Marciani, & Justiniani habemus, & nostra etiam ætate innovata summa cum laude a Principibus Christianis videmus, qui sui solii stabile fundamentum Religionem unam agnoscentes hos pravos Libros de medio tollendi, qui Religionem ex subditorum sibi populorum animo procul amandant, curam susceperunt. Novissima Parisiensia edita in Libros *de l'Esprit*, & *Emilie*, auctoremque ipsum indicta non minus recentia, quam clara sunt testimonia. Ecclesia tamen, cui Christus Fidei suæ depositum reliquit, & ad quam pertinet examen, judiciumque falli, & fallere nescium de doctrina, a temporibus Apostolicis usque (cum Ephesi tot superstitiosa volumina combusta fuerunt (c)) hos errantium ingeniorum foetus persequuta semper est, filiisque suis severissimis legibus lectionem vetuit. Jam quid aliud constans hæc agendi ratio Imperii, Sacerdotiique significat, nisi hoc, sapientes omnes semper censuisse, horum Librorum lectionem impietatis esse funestissimum fontem? Quid aliud in Christianorum mentibus deberent suæ Matris leges imprimere, nisi summum horrorem, quo ne auderent quidem hujusmodi pestes respicere?

§. III. Quamquam ut maximæ Lectorum parti Librorum, de quibus loquimur, Lectio inhibeatur, haud opus est, iis Principium, Ecclesiæque leges recitare, cum ad hoc ea lege naturali, divinaque, quæ neque mutationibus, neque exemptionibus, exceptionibusque est obnoxia, teneantur. Hæc lex, quæ sequi veritatem, erroremque vitare, Religionem colere, & impietatem effugere jubet, severissimo interdicto vetat periculo aut de Fide, aut de moribus dubitandi semet exponere. Jam quis neget, hujusmodi discrimini subjacere tot mulieres, tot adolescentes, homines tot in nihilo occupatos, qui expertes ejus, quæ Religionis scientia dicitur, eorum Librorum Lectioni se totos dedunt, qui fraudibus omnibus, artibusque vaferrimis eam impugnant?

Neque vero ii dicant, aut stili elegantia, aut cogitationum veneribus, aut multiplici eruditione, quibus opera Libertinorum ornantur, ad hanc lectionem se rapi. Ineptissima defensio hæc est. Etenim, etiamsi omnia hæc decora Libertinorum Libri haberent, ratio tamen suadere deberet, ne tanto cum periculo, cujusmodi est aut Fidem, aut mores corrumpendi, eos legeremus. *Melius est* (ajebat D. Hieronymus *in Epist. ad Eustoch. de custod. Virgin.*) *aliquid nescire secure, quam cum periculo discere.* Deinde vero, me affirmare vere posse reor, nullum nostrorum Libertinorum Opus esse eruditione, stilo, cogitationibus, ita praclarum, cujus aliud sani Scriptoris, sapientisque in eodem genere aut par, aut etiam melius non inveniatur. Quid? ergo Roussoji *Æmilius* eritne Fenelonis *Telemacho* venustior? Quod Historicum Voltæri Opus cum *Historia universa* Bossueti comparari poterit? Quis umquam illius Poetæ *Mahumedem* cum Racinii

(a) Ὁ δὲ καὶ τὰ θεόπνευστα λόγια πληθύνειν ἐκ βασιλικῶν θησαυρῶν μεγαλοπρεπεῖ παρασκευῇ πολυπλασιαζόμενα ἐνομοθέτει. Eusèb. Vit. Const. L. III. C. I.

(b) Tom. I. Harduip. & Cod. Justinian. de Summa Trin. Θεσπίζομεν τοίνυν, ὥστε πάντα ὅσα Πορφύριος ὑπὸ τῆς ἑαυτοῦ μανίας ἐλαυνόμενος κατὰ τῆς εὐσεβοῦς θρησκείας τῶν χριστιανῶν συνέγραψε, παρ' οἱωδήποτε εὑρισκόμενα, πυρὶ παραδίδοσθαι. Πάντα γὰρ κατὰ κινοῦντα πρὸς ὀργὴν Θεοῦ συγγράμματα, καὶ τὰς ψυχὰς ἀδικοῦντα, οὐδὲ εἰς τὰς ἀκοὰς ἀνθρώπων ἐλθεῖν βουλόμεθα.

(c) Act. XIX. 19. *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt Libros, & combusserunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.*

CAPUT QUARTUM.

Idem argumentum de Libris Pestiferis pertractatur.

I. *Novum offendiculum, quod in hujusmodi Libris invenit Lector.*
II. *Consensio Principum in eliminandis, prohibendisque Libris Religioni contrariis.*
III. *Non solum leges* positivæ, *sed jus naturale vetat maxime Lectorum parti horum Librorum Lectionem.*
IV. *Audacia recentis Libertini, qui ait, permittendas esse cujuscumque Impietatis editiones. Refutatur.*

§. I. Quamvis hactenus memoratæ fraudes, quarum plena sunt Libertinorum volumina, per se ipsas incauto Lectori tenebras offundere, sensimque in impietatem pertrahere possint; omne tamen horum miserorum Librorum virus in iis non inest. Recensitæ fraudes intellectui veluti retia tenduntur; alia est, qua corrumpitur. Nihil sane repetitur aliud his in Libris, quam virtutis, honestatis, Ethicæque nomen, verum plerumque hæ voces intellectus expertes sunt, aut elegantes descriptiones, vi, veraque significatione carentes. Satis jam hoc eodem in Libro examinata, & explicita fuit Libertinorum Ethica. Narrationes inhonestæ, imagines turpes, quæ plerumque eorum eruditionem, eorumque operum decus efficiunt, imbecillitatem incauti Lectoris vividius polliciunt. Sed hujusmodi venenum, quod his Libris cum omnibus Poetis, & Narrationum turpium Scriptoribus commune est, remedium quodvis respuit propter *theorias*, quibus iniquitas defenditur, & licentiæ cuivis impunitas conceditur. Non solum naturæ horror vincitur, quod quidem exemplum facit, sed etiam Religionis timor eliminatur e corde, quod perniciosa documenta præstant. Lectorem defatigarem, fœdaremque Librum hunc, si luctuosissimæ hujus veritatis nimia testimonia afferre vellem. Utinam vel nomina ipsa Montaneæ, Bælii, Helvetii, aliorumque hujus generis Scriptorum ignoraremus, qui a multis leguntur viris mulieribusque suæ cordis perversitatis pari cupiditate. Hæc est ars illa, quæ probe norunt hodierni Philosophi, Lectorum vulgo allata sophismata demonstrationis loco esse. Quod allicit, convincit, errorque, qui quodlibet vitium impune vult, magis, quam veritas, quæ illud vetat, persuadet. At consideret mecum prudens quisque vir, num mortales ulli sint, nescio, an dicam, venia digniores, an contemptu his impietatis Proselytis. Hi per horum Librorum lectionem a Religione descifcunt, causamque nesciunt; cum enim versati non sint in controversiis, fundamenta nostrorum dogmatum ignorent, veram methodum non agnoscant, qua hujusmodi argumenta sunt pertractanda; iis sophismatibus vincuntur, quæ primum vis momentum ex eorum intellectus ignorantia, alterum autem ex eorum cordis corruptione habent.

§. II. Itaque hæc miserrima ex malorum Librorum Lectione contagio eorum, qui bonum Societatis curant studium, laboresque excitavit. Longius proveheretur oratio mea, si afferre vellem quidquid ad hanc materiam Græca, Romanaque monumenta nobis suppeditant. Quædam jam diximus supra in Cap. XVI. parte I. hujus Libri. Celebre est, quod Athenienses de Protagoræ Libris egerunt igne absumendis, eorumque Auctore in exilium pulso. Nota sunt S. C. C. relata a Varrone, a Livio, & ab aliis etiam contra Libros peregrinæ, aut nullius Religionis. Loquitur Ulpianus (L. 4. ff. *Famil. Ercifcund.*) de Libris reprobatæ lectionis, legibus jubentibus eos exterminari. In celebri Diocletiani *Rescripto* (a) contra Manichæos non solum contra eas pe-

(a) Hoc rescriptum novissime illustravit Clariss. Dominicus Carlinius in Dissertatione Apologetica, quæ conjuncta est celebri Operi ejusdem Auctoris *de pace Constantiæ* edito Veronæ 1763. Idem doctissimus IC. jamdiu in lucem protulit aliam Dissertationem, de lege Theodosii Junioris; quæ ad eandem rem facit, de qua mentionem fecimus hoc Lib. Par. I. Cap. XVI.

pestes invehitur, sed etiam contra earum Libros. Æmulari curam Christiani Principes veræ Religionis propugnatores non minus debebant. Constat Constantinum M. (*a*), sicut suis impensis exemplaria Sacrorum Librorum in *persecutionum* æstu laceratorum, combustorumque multiplicari jussit; ita voluisse (*apud Socratem Lib. I. Cap. 9.*), ut inquisita, & apud quemcumque essent, auferrentur, comburerenturque Porphyrii, & omnia contra Religionem Christianam scripta volumina. Theodosius Magnus, ut habemus in Actis Concilii Ephesini (*b*), eam legem renovavit, hanc sui jussi rationem afferens, *scripta omnia, quæ ad iram Deum provocant, suntque hominibus nocumento, haud sinendum esse, ad aures hominum pervenire*. Non absimilia decreta Marciani, & Justiniani habemus, & nostra etiam ætate innovata summa cum laude a Principibus Christianis videmus, qui sui solii stabile fundamentum Religionem unam agnoscentes hos pravos Libros de medio tollendi, qui Religionem ex subditorum sibi populorum animo procul amandant, curam susceperunt. Novissima Parisiensia edita in Libros *de l'Esprit*, & *Emilie*, auctoremque ipsum indicta non minus recentia, quam clara sunt testimonia. Ecclesia tamen, cui Christus Fidei suæ depositum reliquit, & ad quam pertinet examen, judiciumque falli, & fallere nescium de doctrina, a temporibus Apostolicis usque (cum Ephesi tot superstitiosa volumina combusta fuerunt (*c*)) hos errantium ingeniorum foetus persequuta semper est, filiisque suis severissimis legibus lectionem vetuit. Jam quid aliud constans hæc agendi ratio Imperii, Sacerdotiique significat, nisi hoc, sapientes omnes semper censuisse, horum Librorum lectionem impietatis esse funestissimum fontem? Quid aliud in Christianorum mentibus deberent suæ Matris leges imprimere, nisi summum horrorem, quo ne auderent quidem hujusmodi pestes respicere?

§. III. Quamquam ut maximæ Lectorum parti Librorum, de quibus loquimur, Lectio inhibeatur, haud opus est, iis Principum, Ecclesiæque leges recitare, cum ad hoc ea lege naturali, divinaque, quæ neque mutationibus, neque exemptionibus, exceptionibusque est obnoxia, teneantur. Hæc lex, quæ sequi veritatem, erroremque vitare, Religionem colere, & impietatem effugere jubet, severissimo interdicto vetat periculo aut de Fide, aut de moribus dubitandi semet exponere. Jam quis neget, hujusmodi discrimini subjacere tot mulieres, tot adolescentes, homines tot in nihilo occupatos, qui expertes ejus, quæ Religionis scientia dicitur, eorum Librorum Lectioni se totos dedunt, qui fraudibus omnibus, artibusque vaferrimis eam impugnant?

Neque vero ii dicant, aut stili elegantia, aut cogitationum veneribus, aut multiplici eruditione, quibus opera Libertinorum ornantur, ad hanc lectionem se rapi. Ineptissima defensio hæc est. Etenim, etiamsi omnia hæc decora Libertinorum Libri haberent, ratio tamen suadere deberet, ne tanto cum periculo, cujusmodi est aut Fidem, aut mores corrumpendi, eos legeremus. *Melius est* (ajebat D. Hieronymus *in Epist. ad Eustoch. de custod. Virgin.*) *aliquid nescire secure, quam cum periculo discere*. Deinde vero, me affirmare vere posse reor, nullum nostrorum Libertinorum Opus esse eruditione, stilo, cogitationibus, ita præclarum, cujus aliud sani Scriptoris, sapientisque in eodem genere aut par, aut etiam melius non inveniatur. Quid? ergo Roussoji *Æmilius* eritne Fenelonis *Telemacho* venustior? Quod Historicum Voltæri Opus cum *Historia universa* Bossueti comparari poterit? Quis umquam illius Poetæ *Mahumedem* cum Ra-

(a) Ὁ δὲ καὶ τὰ θεόπνευστα λόγια πληθύνεσθαι ἐκ βασιλικῶν θησαυρῶν μεγαλοπρεπεῖ παρασκευῇ πολυπλασιαζόμενα ἐνομοθέτει. Euseb. Vit. Const. L. III. C. I.

(b) Tom. I. Harduip. & Cod. Justinian. de Summa Trin. Θεσπίζομεν τοίνυν, ὥστε πάντα ὅσα Πορφύριος ὑπὸ τῆς ἑαυτοῦ μανίας ἐλαυνόμενος κατὰ τῆς εὐσεβοῦς θρησκείας τῶν Χριστιανῶν συνέγραψε, παρ' ὁτῳοῦν ποτε εὑρισκόμενα, πυρὶ παραδίδοσθαι. Πάντα γὰρ κατὰ κινοῦντα πρὸς ὀργὴν Θεοῦ συγγράμματα, καὶ τὰς ψυχὰς ἀδικοῦντα, οὐδὲ εἰς τὰς ἀκοὰς ἀνθρώπων ἐλθεῖν βουλόμεθα.

(c) Act. XIX. 19. *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt Libros, & combusserunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*.

-cinii *Attalia* conferet? quantum *cogitationes* Paschalis ejus Censoris *cogitationes* vere *falsas margaritas* antecedunt! Quæ comparatio inter Librum *de moribus*, & inter *specimina moralia* Nicolai esse potest? An potest ratiocinandi vi, methodo, claritate Helvetii Liber *de Spiritu* cum Lamyi Libro *de cognitione sui ipsius* componi? Quodnam demum Philosophiæ, critices, eruditionis caput in Petri Bælii operibus pertractatum reperitur, quod non purum tot erroribus, & verius, & solidius perpensum, examinatumque pluribus in voluminibus præstantissimis habeamus? Dicamus ergo, quin fallamur, quod (ut alibi etiam diximus) ait de Petronio Huetius, omnium Libertinorum Scriptorum famam magis ab impietate, quam ab eorum merito proficisci, nemine mque eos lecturum fore, si essent minus turpes, impiique.

§. IV. Quæ hactenus a nobis dicta sunt, ut in Lectione Librorum Religioni infestorum recentis Impietatis fontem indigitaremus, satis quidem, superque sufficiunt ad refellendam Anonymi Libertini audaciam, qui vocem in sanctuarium, soliumque, in Fidem, & rationem efferens, arbitratur, hujusmodi impiis Libris impunitatem esse concedendam, facultatemque cuique dandam scribendi, edendique quidquid in mentem, buccasque sibi venerit. Libri titulus est hic, *specimen de Libertate animi sui sensa evulgandi* (a). Nuncupatur Anglæ Nationi, quæ *ut una inter omnes Orbis totius populos, qua omnino hac libertate gaudeat*, commendatur (*in Dedicatione*). Mihi tamen persuadeo, illustrem nationem illam laudibus his Scriptoris hujus minime oblectari posse, neque oblatum opus, quod suapte natura Religionem, mores, Imperium, Societatem, Urbes in silvas commutare studet, æquo animo accipere. Permittit Providentia Libertinos in hos errores prolabi, ut iis, quos parum Dei honor tangeret, saltem suorum, liberorumque, Urbis, Regnique utilitate, & otio tacti expergiscant; videant, quo Religio deserta ducat, norintque eos, qui bellum Deo indicunt, Reip. suæ fideles esse non posse; & cum quidquid sancti, sacrique est, conculcatum fuit, rebellionem in solium parari. Hæc pestifera, horrendaque consequentia illa sunt, ad quæ Lectores rapiunt sophismata, quæ in Liberculo, de quo habetur sermo, continentur. Et tempore, & patientia. Lectorum plus æquo abuterer, si in eo consutando tempus terere vellem. Non est mihi tanti. Scriptor ipse negare nequit, esse eum abortum informem, immo monstrosum. Tenue dabo specimen, ut Auctoris consilium, ejusque cogitandi rationem Lector habeat. *Non est opus*, inquit ille (b) *Nevutoniano ingenio, ut quis sibi persuadeat, nisi facultas omnimoda sensa animi sui edendi detur, veritatis inquisitionem fieri non posse: quandoquidem propositio demonstrata dici nequit, donec argumenta sunt, quæ illam impugnant, aut solida contra illam sunt .... Jam quoniam nisi adsit potestas sensa sua proferendi, nemini putandum est se omnia objecta vidisse, necessario consequitur, hac libertate sublata, neminem jure posse de aliqua propositione convinci.* Putat ille exemplo, quod Auctoris impietatem juxta ac insaniam patefacit, se rationem hanc probare. A Dei existentia desumitur, quam ille arbitratur, nondum satis demonstratam dici posse; donec impiis omnibus facultas scribendi, edendique in lucem concedatur quidquid contra hujusmodi theorema iis in mentem venerit. *Quæ potestas*, inquit ille (c), *non datur, nisi in Anglia, quæ fortasse est una regio, in qua non puniuntur ii, qui in hac materia secus ac alii omnino sentiunt*. Adeo verum est, quod ajebat Bælius, cum impietate semper gradum

(a) *Essai sur la liberté de produire ses sentimens. Au Pays libre, Pour le Bien Public.* 1749. *Avec Privilege de tous les veritables Philosophes.*

(b) *Il ne faut pas un génie Nevutonien; pour voir que sans une pleine liberté de produire ses sentimens, la recherche de la verité est impossible: puisqu'une proposition ne peut etre dit vraie ou demontrée, tant qu'il a des argumens qui la combattent, ou qu'il y en a des solides pour son opposé... Or puisque, sans la liberté de produire ses sentimens, on ne peut pas se flater d'avoir vu toutes les objections; il suit tout naturellement, que sans cette liberté on ne peut pas etre rigoureusement convaincu d'aucune proposition.* Chap. II. pag. 47.

(c) *Il y a bien des pays, où il est defendu d'exposer librement ses pensées sur la Divinité. L'Angleterre est peut-etre le seul, où on ne poursuit pas ceux, qui à cet égard en ont de fort extraordinaires.* Ibid. pag. 48.

dum quemdam fanatici furoris conjungi. Non est enimvero opus ingenio Nevvtoniano, aut Leibnitiano ad hujus rationis falsitatem agnoscendam. Videt, vel me tacente Lector, similitudinem, quæ intercedit inter sententiam hujus Anonymi Auctoris, & opinionem Roussoji, quam supra examinavimus, & refellimus. Roussojus ajebat, veram Religionem inveniri non posse, nisi linguæ omnes addiscerentur, nisi inquirerentur Bibliothecæ omnes, nisi per omnes terrarum partes itinera susciperentur, nisi ad calculos reducerentur, ponderarenturque omnia problemata; immo, his curis omnibus adhibitis, putabat, prius moriturum fuisse hominem, quam Religionem, quæ sibi fuisset excolenda, reperisset. Haud secus Libertinus noster opinatur, antequam certi scimus de Dei existentia, esse permittendum, ut in lucem proferantur, tum examinentur omnia sophismata, quæ invenire possunt ingenia omnium mortalium perversissima. At, ego inquio, sicut horum sophismatum inventio, editioque ante nostram ex hac vita migrationem non definet, immo ne ante Mundi quidem consummationem (quandoquidem numquam insani deerunt, a quibus nova deliramenta concipi, & edi possint); ita non solum nos decedemus, at prius desinet Mundus, quam homines scire certo possint, num Deus existat. Hæc est ingentis illius argumenti vis, quo existimat Anonymus, supremis Moderatoribus summam facultatem concedendam esse quibuscumque *sententias* suas evulgandi contra Religionem, Societatem, morum disciplinam, nunquam suo judicio certas, donec inter mortales possit esse aliquis, qui in illas aliquod sophisma afferre possit. Sint tamen Superis grates, quod Pyrrhonismum, a quo hæc argumenta derivantur, omnes apertissimam insaniam agnoscunt. Nos certo cognoscere possumus, cognoscimusque esse demonstrationis fructum veritates cujusque generis ex iis argumentis, quæ earum naturæ conveniunt: Inter has veritates nobis notas, sunt dogmata præcipua Religionis Naturalis, & existentia Religionis Revelatæ. Et quamquam veritati numquam veritas adversetur, evidentia illa, qua theoremata cognoscimus, intelligimus etiam, iis opponi non posse nisi sophismata, quæ Religionem expugnare non possunt, at mentes tantum infirmas pervertere, & ad defectionem a Religione, licentiamque malos inducere possunt. Supremis Moderatoribus ergo, ad quos Religionem tueri, servare, immo commoda Societatis amplificare pertinet, horum audacium hominum, qui suis scriptis utramque lædere, & perturbare audent, insolens petulantia est coercenda. Inter hos Libros etiam recensitus Libellus haberi debet, qui cum aliorum omnium patrocinium suscipiat, omnium primus dignus est, qui flammis usuletur.

FINIS.



I N-

INDEX

Rerum præcipuarum contentarum in his tribus Libris.

Numeri Arithmetici paginam : Littera N. notas.

Athe.

B

C

Ad-

D

E

Gaſ-

G

Gro-

H

L

L.

Ma-

M

N

O

ab

Q

R

Spi-

T

INDICIS FINIS.

